
Creatoris in Gloriam.
Revelatio
Sapiens dominabitur astris.
Ratio
Serviunt
non sæviunt
Omne solum forti, solum cœlum Christiano patriam
Major non
A SIGNIS COELI NOLITE METUERE, QVÆ METUUNT GENTES TER. X2
Sine minori
THEATRI COMETICI
pars posterior
Sive Historia Cometarum à diluvio
ad A. C. 1665. Historiæ Universalis
Synopsin quandam continens,
Ad
Serenissos et Celsiss. GEORGIUM WIL-
HELM. et IOANN. FRIDERICUM,
Duces Brunsvicenses et Lunæburgenses,
Auctore
STANISLAO DE LUBIENIETZ
LUBIENIECIO ROLITSIO.
Scientia non
Sine prudentia
Αναγρ.
Satis in ulna
Iesu lucebis
Σύμβ:
Stando luben-
tius moriar
M. Scheits del.
Sebast. Stopendaal Sculp.

S

H

V

O

A Diluvi

C

Et una cum

T

Ac ju

GEOR

Ex officina

Cum Priv

STANISLAI de LUBIENIETSKI,
EQUITIS POLONI

HISTORIA VNIVERSALIS OMNIUM COMETARUM,

A Diluvio usque ad præsentem Annum vulgaris Epochæ a Christo nato 1665. decurrentem, qui numero 415. enarrantur;

CUM ANNOTATIONIBUS;

Et una cum *indiculo Lætorum & Tristium eventuum, Cometarum apparitionem secutorum; 25. Figuris æneis illustrata.*

A C

THEATRI COMETICI EXITUS,

Sive de Significatione Cometarum,

Ac justa RAUTENSTEINIANA *cum ejusdem imagine.*

Ad Serenissimos & Celsissimos
GEORG. WILHELM. & JOAN. FREDERICUM,
Duces Brunsuicenses & Lunæburgenses.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina PETRI vander MEERSCHE, Bibliopolæ, Anno 1681.
Cum Privilegiis Sacræ Cæs. Majestatis, & Celsiss. ac Præpot. D. D. Holland. Westfris. Ordin.

GEO
& J
Duci



Gloriosæ men
tum & Vos,
pta, testimon
ratio. Quanq
celsa & splend
venerationem
cur non hîc p
torumque grac
niam fastigium
ma totoque C
Majores Vestr
tunam Longol
primum (ut F
gothis, deind
dem plus quam
ut & ibi in Ill
crorum & Pro
tilitiæ in multo
ciatur. Eidem
liciter surrexit
insignes, Palat
tamen ego tàm
um caligine,
tione, pervide
noscere datum
quondam poten

Sereniſſimis & Celſiſſimis

Principibus & Dominis, Dominis

GEORGIO WILHELMO,
& JOHANNI FRIDERICO

Ducibus Brunſvicenſibus & Lunæburgenſibus &c. &c.

Dominis Clementiſſimis Patronis
Benigniſſimis.

TUſtis de cauſſis Opus hoc, ab homine peregrino, honeſtis rationibus vitæ quietâ induſtriâ in his terris incumbente, concinnatum, Vos Sereniſſimi Principes, inveniſſe ſe gaudet Patronos. Nempe hoc eſt meum qualecunque debiti in Sereniſſimum Fratrem Veſtrum Chriſtianum Ludovicum Glorioſæ memoriæ, Patronum meum, dum viveret Munificentiſſimum, tum & Vos, qui ei ſucceſſiſtis, grati animi ob non levia beneficia acceptа, teſtimonium, quod Strenæ loco vobis ut exhiberem, officii exegit ratio. Quanquam & ipſa, quæ vobis divina affatim largita eſt dextra, excelſa & ſplendidiſſima dona, unumquemque meritò ad Veſtri cultum & venerationem, adque Veſtrum patrocinium quærendum, alliciunt. Et cur non hic per Originis, Felicitatis, Animi dotium, virtutum Meritorumque gradus ad ſummum laudum Veſtrarum & officii mei perveniam faſtigium? Originem enim vobis Domus Antiquiſſima & Illuſtriſſima totoque Orbe clariſſima dedit. Antiquitas elucet in eo, quòd Majores Veſtri 200. annis ante Carolum Magnum ſecuti fuerint fortunam Longobardorum, qui circa annum Chriſti 526. Pannoniam primum (ut Rugiam nunc præteream) pulcis inde Hunnis & Oſtrogothis, deinde Italiam felicitate armorum occuparunt, & illam quidem plus quam 40. hanc verò plus quàm 200. annis tenuerant, adeò ut & ibi in Illuſtriſſima Ateſtanorum familia (quæ tot Principum Sacrorum & Profanorum copiâ in orbe audit) radix virtutis iſtius Genuilitiæ in multos & præſtantes ramos uſque adhuc propagata conſpicitur. Eidem veluti communi radici, quæ poſtea in tot ſtirpes feliciter ſurrexit, ortum debent & domus Electorales, Mitrâ Ducali inſignes, Palatina ſcilicet Boica, Saxonica & Brandenburgica. Si lumen ego tàm longe & recte, idque in tam ſpiſſa temporum illorum caligine, & tanta Succeſſionum, etiam Electoralium, permutatione, pervidere poſſum. Quantùm igitur homini peregrino talia perſcrutari & proficere datum eſt, Fundatores Sereniſſimæ Familiæ Veſtræ adeò erant profondam potentes, ut ſimul & Palatini Rheni & Bojariæ Saxoniæ-

que

quē Duces extiterint. Et ſunt illi Veteres Guelphi rerum geſtarum fa-
mâ per orbem celeberrimi, quos ut Conditores Sereniſſima Brandenb.
Domus agnoſcit. Quòd ſi etiam anterioris antiquitatis ſcrinia excutere
vellemus, inveniremus, credo, Gentis Veſtræ Satores, noſtræ gentis
Majoribus, Vandalis illis, Longobardis & aliis populis (qui ex Scan-
dinavia, celebri illa gentium vagina & officina, in Germaniam progreſ-
ſi, dominium orbis in ſe tranſtulerant) junctos. Ut ita Majorum etiam
reſpectu magnas in Illuſtriſſimam familiam Veſtram animorum bene vo-
lentia & cultu ſingulari inclinandi cauſſas gens noſtra habeat. Quod
vel invitis extorquerent ſublimia Illuſtriſſimæ & Celſiſſimæ Gentis Ve-
ſtræ ornamenta, quæ tot ſunt, quot in Palatina, Saxonica, & Bran-
denburgica, proximo ſanguine cum Veſtra junctis Familiis, conſpi-
ciuntur. Quid jam de Matrimonialibus dicam fœderibus, quibus Cel-
ſiſſima Domus Veſtra juncta eſt, ante annum 1200, à Chriſto nato Se-
reniſſimis Regibus Angliæ, dein' Daniæ, & his quidem ſexies ad no-
ſtra uſque tempora, tùm Sueciæ, ſed & noſtræ Poloniæ (nam Henri-
cus Junior ante 100, Annos, Sophiam Sigiſmundi I. Regis noſtri Glo-
rioſiſſimi filiam in uxorem duxerat) tùm Archiducibus Auſtriæ, Ele-
ctoribus Saxoniæ, Palatinis, Brandenburgenſibus, & aliis Germa-
niæ, Italiæ &c. Principibus. Cæterùm Celſiſſima Domus Veſtra à dia-
demate quoque, & quidem illo Auguſto, ſingulare decus & orna-
mentum mutuatur. Nam Otto, Henrici Leonis, illius omnium Princi-
pum ſuo ſeculo Potentiſſimi & Celeberrimi filius, origine & patriâ
Brunſuicenſis, XII°. ſeculo exeunte in Imperatorem fuit electus, ha-
buitque in Uxorem Beatricem filiam Philippi Imperatoris. Viciſſim
Wilhelmus Rex Romanorum, duxerat Eliſabetam filiam Ottonis Ducis
Brunſuicenſis & Lunæburgenſis. Et Fridericus circà 15. ſeculi ini-
tium in Regem Romanorum electus erat. Quanquam & alium Otto-
nem Henrici itidem, ſed Junioris, & à priore diverſi filium, Henrici
verò Mirabilis Nepotem diademate Neapolitano inſignitum in hiſtoriæ
palatio invenio. Tot nempe diademata in Illuſtriſſimam Domum Ve-
ſtram Rex Regum contulerat, Regias in ea virtutes prævidens. Taceo
illud, quod inter ornamenta Veſtra ab Hiſtoricis ponitur, Wilhelmi
filium, Henr. Leonis nepotem, Ottonem puerum, anno 1235. ceſſiſſe
titulo Ducis Saxoniæ, Alberto II. Electori Saxoniæ, & creatum
fuiſſe à Friderico 2. Imperatore Ducem Brunſuicenſem & Lunæbur-
genſem. Porrò ſingularem ſplendorem antiquiſſimæ Veſtræ Domui
conciliant clariſſima epitheta & elogia conditoribus ejus conſenſu
communi data, qualia vix alibi, & quidem tanto numero, inve-
nias. Dum enim palatium illud perluſtrarem, vidi Ottonem Divi-
tem & ſimul largum, Magnum Pium, alterum Ottonem ſtrenuum
& ſimul bonum: iterum ab hoc alium Ottonem Armipotentem, cir-
ca initium XIV. ſeculi. Seculo verò XV°. Wilhelmum & Ottonem
Victorioſos, Henricum Pacificum, Fridericum Religioſum. Vi-
di de hinc Avum Veſtrum Wilhelmum, Chriſtiani 3. Regis Daniæ

generum:

generum: Patruum verò magnum Julium Almæ Academiæ Helmestadiensis, tot Magnorum in Rep. literaria virorum usque adhuc nutricis, conditorem; Principes utraque Pallade clarissimos. Tùm verò Patrem Geogium Principem undique Egregium, Sapientem & Magnanimum, qui & armorum, & fœderum potentiâ & prudentiæ artibus, illà nupera belli Germanici tempestate gravissimâ se & suos dexteritate singulari tueri noverat: Ut taceam alios Principes laudatissimos, pietate, justitiâ, clementiâ, benignitate, literarum & literatorum amore singulari (qui in Serenissimo Patruo Vestro Augusto verè tali Sene Incomparabili, adhuc cum maxima laude ac bono publico elucet) pacis & belli artibus & cunctis Virtutibus præstantissimos. Quid ni ergò ipsis Calendis Januariis, novi anni (*quod felix faustumque sit*) auspicibus, omnes publici boni amantes, *plurimum* quidem gratulemur nobis, Vos adhuc esse, voveamus verò, fore (saltem in Augusti vestri Nestoris annos) incolumes & florentes, ac omni divinorum donorum copiâ large adauctos? Vos dico, Serenissimi Principes, in quibus tot redivivos Principes, rerum præclare gestarum laudibus per universum Orbem Clarissimos, quibus cognomines estis, tum & Christianos, Ludovicos, Ernestos Augustos aliosque veneramur, & quos Natura, & fortuna, & Virtus fecit, ideoque fama celebrat, tantorum Heroum dignos successores. Loquuntur id Vestra præclara facta, eximiæ virtutes, egregia rei civilis & variarum linguarum scientia, artesque regendi, Viris Principibus convenientes, & magna de Rep. Christiana merita. At enim hæc styli mei tenuitatem longè superant, aciemque oculorum fulgore præstringunt, & in luce Orbis posita nullius etiam tersissimi styli splendore opus habent, suô nativô contenta, & rerum ac famæ consentiens testimoniis gaudentia. Me autem monet prudentia, ne in suspicionem adulationis, quâ nullum seculum caruit, nostrum verò etiam abundat, incidam, quasi Panegyricum in os vobis dicere & per cuniculos in Vestram gratiam, quam qualibuscunque officiis re ipsa demereri studeo, irrepere velim. Quanquam, quod ad suspicionem illam adulationis attinet, satis evidenter & abundè eam res diluit ipsa. Videt nempe orbis, saltem Christianus, quantis laudibus uterque polleatis, unà cum Serenissimo Fratre Vestro, Ernesto Augusto, Episcopo Osnabrugensi Principe Magnanimo. Vestram nempe non tantum magnificentiam & munificentiam, sed & præclaras virtutes, non sola patria Germania, sed & tota miratur Italia, & utraque Belgica. Ne quid dicam de Serenissima sorore vestra unica, virtutum laudumque omnium exemplari. Norunt omnes quòd hæc sit, SOPHIA AMALIA, DEI GRATIA REGINA DANIÆ ET NORWEGIÆ, WANDALORUM ET GOTHORUM, NATA DUCISSA BRUNSUICENSIS ET LUNÆBURGENSIS. Unde hæc debita elogia & votum aliquando per anagramma evolvi, & hìc meritò pono: *Gotiæ Heroina sine malitia, Magno Regina digna, Orphanorum mater laudata, vive diu, natis, ut Luna ignibus, cincta, res quæ seres suaves.* Sed vela contraho, ne me huic laudum mari, idoneis eloquentiæ remis destitutus, committam, & alicubi obhæream, vel graviter allidam navim. Confido, quæ Vestra est, Serenissimi Principes,

eximia

eximia humanitas & comitas gravitati mixta & decenter auctoritatis citrà ſuperbiæ invidiam retinens, ſuave virtutum condimentum, gratioſo vultu excepturos Vos non exiguam hanc operam quam impendi componendæ, Cometarum à tempore diluvii ad nuperos uſque Hiſtoriæ. In qua cum annotatis eventibus præcipuis, eos non tantùm triſtia ſed & læta (quod inprimis pax inter utrumque Veſtrûm, Magni & Generoſi Principes, conventa, quæ Rhenanæ & Polonicæ feliciter præivit, docet) præſignificare, interim proſperis & adverſis eventibus eorum apparitionem ſequentibus, bonos ſolando, malos terrendo, officii quemque admonere oſtenderim, tùm etiam Hiſtoriæ Univerſalis Synopſin, monitis Politicis & Ethicis non neglectis, adornavi. Quibus quidem ſtudiis me de Viris Principibus, totoque genere humano, non tantùm jucunda, ſed & utilia, promendo benè mereri, omnes æquitatis & virtutis ac humanitatis ſtudioſi, ut ſpero, agnoſcent. Quod reliquum eſt, vos, Magnanimi Principes & Patroni Munificentiſſimi, ſupplex peto, ut ſerenâ fronte (quæ vel maxime Sereniſſimis Dei Opt. Max. in orbe vicariis eumque clementiâ & liberalitate optimè imitantibus convenit) hocce meum de vobis deque republica literaria ac Chriſtiana quoque benè mereri ſincere cupientis opus excipiatis, & me porrò gratiâ Veſtrâ proſequi dignemini. Id Vos, Sereniſſimi Principes, cum repetitis & multiplicatis demiſſiſſimis & candidiſſimis votis pro veſtra veſtrorumque ſalute & omni proſperitate in ſecula conceptis obnixè precatur,

Hamburgi ineunte
Anno MDC. LXVI,

Sereniſſimis Celſitudinibus Veſtris debito venerationis cultu demiſiſſimis ſtudiis ac officiis addictiſſimus

STANISLAUS LUBIENIETZKI.

Lectori

Lectori ſalutem.

QUantum ex præclarorum ingeniorum monumentis quæ habemus, cognoſcere dâtur, nondum ab omni memoria argumentum de Cometis tantâ ut nunc induſtriâ diſcuſſum fuit. Præivit his arduis conatibus majorum ætate Incomparabilis Vir Joannes Regiomontanus. Hunc Tycho Brahe, Keplerus, Cyſatus, aliique quàm plurimi Viri Præſtantiſſimi, parentum ætate ſecuti. Nunc videtur hujus argumenti veritas non tantùm ex profundo Democriti puteo ſingulari Clariſſimi & Ingenioſiſſimi Hevelii ſolertiâ, ſed & ad faſtigium quoddam certi educi. Cuique debitam laudem grata rependet poſteritas. Hæc ſpes, quæ ingenuum quemque ad cuncta honeſta accendit, mihi quoque ſtimulo fuit, ut aliquid in hoc ſcribendi genere tentarem. Do itaque Tibi Hiſtoriam Cometarum, qua ſimul Hiſtoriæ Univerſalis Synopſin quandam complexus ſum: Opus annuum, quod mihi, fateor, maximo labore conſtitit, inter tot alia præſertim negotia, & ſub manu natum, ac ferè ſuccisivis horis compoſitum: cujus editionem ultrà exſpectationem moles tanta & figurarum æri incidendarum copia retardavit. Quicquid hîc eſt & qualecunque iſtud eſt, grato accipe animo. Minimum maximè memorabilia ab orbe condito, ſalubribus Politicis & Ethicis monitis, velut ſale, interſperſa & condita, compendio exhibita hîc habes. Parrheſiâ multâ, illâ tamen, quæ ingenuo & honeſto, tum verò & modeſto homini convenit, utor: ita ut etiam Magnorum Principum vitia & errores tangam, non carpendi vel detrahendi (longè abſit hoc ignobile vitium à me, qui Diis terrenis ſubjectionem & venerationem deberi ex animo confiteor) ſed publicas utilitates juvandi ſtudio. Hanc ideò, quiſquis es, æquo feres animo, medicamenti inſtar, vitioſos humores excernentis, quod niſi aliquantum commoveat & turbet, non operatur. Quamobrem ubi in ſpeculo alterius Te ipſum vides, ſapientis more vitium Tibi inſitum emenda. Obnoxii nempe omnes ſumus his vel illis vitiis. In his excutiendis & vitâ virtutibus illuſtranda aſſiduò noſtra induſtria exercenda ſe oportet. Quum autem hîc quoque de rebus in patria, patrum & noſtra ætate geſtis, liberius loquar, eidem illi parrheſiæ juſtæ, imò debitæ, tum verò ut publicæ utilitatis, ità præcipuè patriæ ſalutis juvandæ ſtudio, id tribuas velim. Conjunxi enim in eo cum parrheſia modeſtiam & pietatem erga patriam, ut hæc ſuis malis edocta videat, quomodo ſe ad æquitatem componere neceſſe habeat. Id autem hoc quoque loco non temere moneo. Porrò ſententiam meam de Cometarum ſignificatione communiter adhuc receptæ oppoſui, non equidem contradicendi, ſed veritatis declarandæ, æquitatis illuſtrandæ, morum probitatis commendandæ ſtudio. Profectò cum ſtella crinita, prout à pleriſque antehac exhibita fuit, & nunc à nobis exhibetur, ita comparatum eſt, ſicut cum inulâ, quæ, ut ſcribit Plinius l. 19. c. 5. auroſior amariorque per ſe ſtomacho inimiciſſima, eadem dulcibus miſtis ſaluberrima, ut conducat lætorum mixturâ, ſicut illa liquido dulci temperata, vel miſta defruto, vel ſubacta melle, vel autumnis malis vel ſorbis aut prunis aliiſve rebus variata. Nam & nos dulcia lætorum omnium admiſcemus Cometæ, ut plenum ſui uſum grata potius quàm amara exhibeat. Ille tamen non magis bona in nobis, quàm mala efficit, datus Monitoris & conſiliarii vice, ut illa perſuadeat, ab his avocet mortales. Operari enim eum propriè eaque triſtia tantùm, communis fert ſententia, quæ fundamento huic præcipue innititur, Cometam infra Lunam generari, & ex vicinia in terrena agere. At Cometis à melioribus Philoſophis cœlo, vel omnibus vel pleriſque certè illatis, ſi præterea vel perpetua ſidera, ut veterum, teſte Seneca, Plinio & Plutarcho, multorumque juniorum fert ſententia, vel ſaltem non minus frequentes quàm piſces in mari, quod vult Keplerus, ſtatuantur, nulla equidem iis efficientia relinquitur, niſi quod aliquando tranando per aërem noſtrum, mutationes quaſdam in eo præſtent. Idá & hoc in controverſiam Doctiſſimus Gaſſendus adducit c. 3. de Comet. initio. Nam vel luci vel qualitati alii (quod in cæteris aſtris videmus,) id tribuit, vel terræ, ſi hæc fortè formata ſit, ut quidam volunt, ad conſpectum ejuſmodi ſiderum faciem aëris varios halitus fundendo vel retrahendo tranſmutantis operationi. Diverſitatem autem conſtitutionis aëris iisque ſimilium effectuum, qui ad Cometas quodammodo referri poſſint, ad diverſam Cometarum naturam, quam diverſa magnitudo, varius color, motus & alia indicent, commodè referri poſſe ſtatuit. Prudenter autem argumentatur, cum circa res quæ magis ſunt naturales, tantum incertum ſit, magis id in iis, quæ magis arbitrariæ ſunt, locum habere. Nempe, inquit, huc etiam vanitas Aſtrologiæ eſt propagata. Sed de his plura in hiſtoria

storia nostra, tum vero in exitu Theatri nostri, ubi de significatione Cometarum ex professo egimus, leges. Hic paucis dicere juvat, me historiam Cometarum non eodem cum Clarissimo Hevelio modo conscripsisse. Illi quippe ego in Astronomicis palmam lubenter meritoque concedo. Quamvis enim & Mathematica adferam, potiorem tamen meorum partem Historica, Politica, Ethica, Chronologica constituunt. Addidi & figuras Cometarum, quorum motum vel situm historia nostra describit, nec paucorum nec vulgarium Amicorum hortatu & rogatu. Et nesciebam quidem initio Clarissimum Hevelium easdem Cometographiæ suæ inserere. Sed nec hujus laboris & sumtus, credo, pœnitebit me, qui cuncta pro mea virili sedulo ego, commodum publicum undique juvare studens. Fruere itaque, Benevole Lector, his conatibus, Tuo & publico commodo, ac mihi meliora, Deo juvante, molienti fave.

IN

IN ILLUSTRES COMETAS

Illuſtremque Cometagogum.

ITe revertentes, melioribus ite Cometæ
Auſpiciis. Quales fulſiſtis in æthere quondam
Reddite vos mundo, vetereſque refundite flammas
(Sed ſine prodigiis, omnique timore remoto)
Antiquoſque novis habitus mutate figuris.
Vos LUBIENIECIUS, vos vocat. Alma magiſtrum
Hunc ſibi delegit radiato vertice virgo.
Stellarum regina, Deo famulata potenti,
Cogeret errantes ut ſub ſua ſigna Cometas.
Nonne, Cometarum dux audaciſſime, terrent
Horrendæ ſpecies, ſimulacraque crinibus hirta
Arrectiſque comis, longaſque trahentia caudas,
Aut teretes virgas lato ſpargentia cœlo?
Nonne cruor fœde crinito ſidere fuſus,
Et flammæ atroces; velut exundante camino,
Liventeſque artus, obſcœnaque triſtibus umbris
Ora movent: motuſque vagi, perque ætheris arces
Diſcurſus celeres? ipſæ novitate paveſcunt
Lampades æternæ, cum fax crinita repente
Proſilit. Ut nuper corvus trepidabat & Hydra,
Et canis ardeſcens: & (nam Lepus ante tremebat)
Orion invictus, & amplo Priſtis hiatu
Atque Aries recubans, & rurſum Pegaſus alis
Expanſis, virgoque immiti vincta catena.
Qualia, nonne vides, comitantur monſtra Cometas?
Præterea, & diri caſus & triſtia damna?
Averſæ mentes hominum ſcelerumque nefandi
Conatus, Stygiæ fraudes, bella horrida bella,
Exuſti agrorum fructus, incendia magnis
Urbibus, & ſylvis, tempeſtateſque ſonoræ,
Naufragia, & terræ, latè exundantibus undis,
Fluctibus Oceani, fluviiſque rapacibus hauſtæ:
Atque obſcœna fames, morbique, & denique mortes
Innumeræ accedunt, & feſtinata venenis
Funera, perque lues miras: & lerna malorum,
Ut dicunt omnes, ſequitur metuenda Cometas.
Nonne vides horrere nimis mortalia ſecla
Hinc adeo, & terrore gravi palleſcere gentes,
Cum fax exarſit, cum fulgurat ardua cœlo,
Unica talis, & in terras fera lumina mittit?
Tu tamen haut terreris: amas occurrere totis

Agmi-

Agminibus, ſcriptoſque ſuis adjungere turmis
Crinigeros: ut ſe rediens exercitus orbi
Ille Cometarum, non indignantibus aſtris
Nunc aliis, reddat, terraque favente viciſſim
Hac noſtra: terræque velit gens hoſpita quævis
Nunc humana lubens reduces ſpectare Cometas,
Sic eſt. Pythagorâ tu fortior atque Platone
(Queis quæ vixerunt, & ſunt converſa, reverti
Non dubitant) numeras: immò Cyllenius alter,
(Nam Tibi Mercurius virgam dedit atque galerum)
Tu revocas. Atque ut diſcant miteſcere porrò,
Ne noceant, pariantque metus, & triſtibus orbem
Ominibus vexent: en Pallas conſcia cæli,
Et ſpeculum, & galeam & fortem tibi tradidit harpen.
Poſt numen ſummum ſapientia regnat in aſtris.
His armis victi diſcunt parere Cometæ.

Scrib.

MICHAEL KIRSTENIUS SILESIUS.

STANISLAI LUBIENIECII à LUBIENIEC

HISTORIA COMETARUM,

A Diluvio usquè ad præsentem annum vulgaris Epochæ, à Christo nato 1665, *decurrentem.*

HIstoriam omnem, quam una omnium vox testem temporum, lucem veritatis, magistram vitæ & vitam memoriæ dicit, scribere, ut maximè jucundum & simul utile, ita arduum est. Nam ut omnia non tantùm clarè, & cum caussarum cura, cumquè subacto & in publicum maximè utili judicio, sed & ex fide certa, plena, odii & gratiæ vacuâ narrentur, magnam profectò genii & ingenii bonitatem requirit. Et tamen tot videas quotidie, qui animum ad scribendum has vel illas historias appellunt. Optimè de humano genere merentur, qui rem adeò difficilem & perutilem eâ qua par est diligentiâ, fide & felicitate perficiunt: pessimè, qui secus. Illi enim laudanda & imitanda exempla, sapientiæ & virtutis cultoribus ob oculos ponunt, & viâ Regiâ ad laudem & verum decus, veramque beatitatem ducunt. Hi adversam ineundo viam, seducunt. Quòd si cujuscunquè argumenti historia perdifficilis est, tùm verò cumprimis illa Cometarum. Res enim hæc & ipsa ex se talis est, qualem diximus, & longè plus difficultatis & molestiæ aliunde ei accedit. Nimirum argumentum de Cometa non tantùm à sensu, sed & ab intellectu longissimè & verè toto, quod dicitur, cælo distat. His adde non tantùm Græcorum à Latinis, sed & horum ipsorum multùm diversas annorum à mundo condito, sed & à nativitate Christi rationes, in quibus supputandis, non multò minus, quàm tot sacris & profanis argumentis disputandis plurium se exercent, sæpè & torquent, præstantia ingenia. A natali mundi ad natalem Christi ejus Servatoris quater ferè mille annos intercedere plerorumquè Clarissimorum Chronologorum fert sententia. Calvisius, Helvicus Alstedius & Micrælius annos 3947. Josephus Scaliger, Illustrissimus temporum emendator 3948. Dionysius Exiguus, & qui hunc sequuntur 3949. Beda 3952. Plilo 3957. Lutherus 3960. Urspergensis, Picus Mirandula, Chytræus & Viennenses 3962. Funccius & Melanchthon 3963. Gerardus Mercator 3966. Buntingus 3967. Bullingerus, Gualterus, Eckstormius 3969. P. Lombard. Pantaleon & Bucholzerus aliiquè 3970. Krentzheimius accuratissimus Chronologus 3971. Bibliander 3979. Petavius 3984. ponunt. Lydiatus & Capellus quater millenos implent. Hos Joannes Wichmannus integro triennio, Henricus Nicolai 40. circiter annis, sed Codomanus istum integro Seculo, septem verò Seculis Ado excurrit: at Eusebius, Isidorus, Beda, Nauclerus & Rolevinckius, ille Fasciculi temporum auctor, & Sabellicus undecim ampliùs Seculis præcurrunt. Vide Chronolog. Alstedii p. 36. Ne deveniam ad illos qui vel sextum millenarium excedunt, vel septimum tandem ferè implent, quo in censu Joannes Regiomontanus & Alphonsus est, quâ de re pluribus hîc agendi non est locus. Vide Chronolog. Alstedii & Krentzheimii. Hîc meritò pono verba Sulpicii Severi: *Mundus*, inquit, *à Domino constitutus est, abhinc annos jam penè sex millia, sicut processu voluminis istius digeremus. Quanquam inter se parùm consentiunt, qui rationem temporum investigatam ediderunt. Quod tum vel Dei nutu, vel vitio vetustatis eveniat, calumniâ carere debebit.* Sacræ hist. l. 1. p. 4.

p. 4. Nec non illa Clariſſimi Joachimi Camerarii ad Chronolog. Nicephori p. 88. *Apparet inter eos, quibus curæ & cordi hæc res fuit, & non defuerunt adjumenta literarum, verſari in non magno diſcrimine hanc rem.* Notum etiam eſt vulgarem Natalis Chriſti Epocham, quam Dionyſio Abbati Romano (qui Exiguus cognomento, natione Scytha fuit, & ſexto demùm Seculo Chriſtianos à Chriſti nativitate annos numerare docuit) ut communis fert ſententia, vel Bedæ, ut Clariſſimus Wilhelmus Langius probat, debemus, integro biennio inferiorem eſſe illâ, quæ vera putatur à Scaligero, Funccio, Helvico Alſtedio, Langio, Wichmanno & aliis. Vide Voſſii diſſert. 1. de natali anno Chriſti. Nos tàm hîc quàm illîc mediam tenebimus viam, ut diverſam æram, ubicunquè opus fuerit, annotemus, & cuiquè ſententiam ſuam relinquamus: præſertim eorum qui Cometas annotarunt. Hos omnes non vidi, nec invenire poſſum. Præſtò ſunt Rolevinckius, Funccius, Bucholzerus, Calviſius, qui in tranſitu hæc attingunt, tùm Ricciolus, Eckſtormius & Alſtedius, qui ex inſtituto agunt. Eckſtormio quidem, ut verum fatear, plurimùm hîc debemus. Pauciores enim Cometas alii annotarunt, quos dixi. Nam cum Alſtedius ante Natum Chriſtum ſex tantùm, poſt Natum Chriſtum verò ad annum 1618. cenſeat 154. Cometas, ille ibi 28. hic 200. cenſet. Ricciolus recenſitis 117. à Lavatero & Keckermanno ab Auguſto ad Annum Chriſti 1556. annotatis, (ubi tamen notandum, Keckermanum Catalogum Lavateri 9. Cometis ad illum 1607. numero 117. auxiſſe) ipſe ab Anno ante Chriſtum Natum 380. ad annum poſt Chriſtum Natum 1618. numerat 154. cùm Eckſtormius 223. numeret. Et ille quidem Cometas vel non obſervatos, vel in hiſtoriam non relatos, vel in horizontibus Europæis non viſos, accenſere reliquis non eſt auſus, vero ſimillimum tamen eſſe dixit, multò plures ab initio mundi ad hanc uſquè diem toti orbi ſive in diverſis ejus partibus affulſiſſe. Atquè in eo nunc noſtra deſudabit induſtria. Plures enim Ricciolo Alſtedius, præſertim verò Eckſtormius annotavit. Cum autem ſemeſtres Cometas Alſtedius duos tantùm, Eckſtormius pariter duos, Ricciolus tres, Hevelius itidem tres (licet in Prodromo Cometico quatuor ponat, ſed corrigendum eſſe errorem in Cometa anni 145. qui 6. tantùm noctibus non 6. menſibus fuerit viſus, ipſe literis ſuis me monuit) numerent, ego rationibus eorum ſubductis, & aliunde deductis, ſeptem numerare poſſum, qui anteà octo numerabam, antequam Hevelius tabulis ſuis illum anni 145. expunxiſſet. His itaquè de cauſſis aliorum Virorum Præſtantiſſimorum induſtriæ meam qualemcunquè adjungere volui, ut me quoquè rei literariæ & publicæ bonum promovere velle, demonſtrem. Illud ſpeciale eſt quòd non tantùm triſtium, ſed & lætorum eventuum Cometas ſecutorum indiculum addam, non veritus communis ſententiæ vim, ſatis potenter præſcriptionem plurium Seculorum urgentem, & tot Virorum Præſtantiſſimorum à me jam olim, & uſquè adhuc diſſentientium, auctoritatem. Spero me æquis rerum judicibus, & ut veritatis, *(adverſus quam nemo præſcribere poteſt*, & ſine qua *conſuetudo vetuſtas erroris eſt*, Tertulliano & Cypriano judicibus) ita & virtutis ſtudioſis ſuperiori libro ſufficienter probaſſe, libertatem maximè Deo & homini convenire, neceſſitate fati, aſtrorum vel Cometarum voluntatem hominis non trahi, imò Cometas nec ſigna naturalia eſſe eorum quæ ab iſtius libertate pendent, nec etiam quæ aliàs à naturalibus cauſſis proficiſcuntur. Quod autem ibi toties dixi, & aliquo modo probavi & demonſtravi, Cometas non tantùm mala ſed & bona prænunciare, ſive hæc & illa apparitionem eorum ſequi, hoc nunc pluribus probandum, & exemplis ad oculum demonſtrandum, favente Deo, mihi propoſui. Qua tamen in re ſi cujuſpiam votis non reſpondero, is primùm cogitet Cometarum ante Chriſtum natum annotatorum paucitatem, atquè Scriptorum illius temporis, qui pauciſſimos Cometas in rationes retulerunt, incuriam, vel temporum, qui talia nobis inviderunt, injuriam. Deinde incertam, præſertim olim, de Cometis ſcientiam. Docent id exempla illuſtria ipſorum Chaldæorum, rei Aſtronomicæ ſcientiâ reliquos omnes tunc ſuperantium, qui de Cometis, teſte apud Senecam l. 7. Nat. Quæſt. c. 3. Epigene eorum diſcipulo, nihil habuerunt comprehenſi, ſaltem certi, ratione cauſſarum & inprimis materiæ, quæ res necdum extra dubium eſt. Tum verò cumprimis Hipparchi, Viri in omni quidem diſciplinarum genere egregii, ſed



Figura exhibens Cometas N.o XXIV. ante Chr. natum, quorum quidem situs ex Autorum scriptis potuit haberi.

N.o LX



M. Corn. Ysenius delineavit.

B. Stoopendael sculpsit.



ſed in Matheſi tunc Incomparabilis & facilè primi, ac ſine æmulo rivaliquè dominantis. Is enim vixit anno poſt mortem Alexandri Magni 40. (id eſt, ante Chriſtum natum 283. U. C. 469. ut Calviſii, Bucholzeri & Eckſtormii computatio fert) quo Romani bellum cum Pyrrho geſſerunt, ut notat Eckſtormius, & ante eum Milichius in Plin. l. 2. c. 12. vel ut idem in c. 26. putat, anno poſt mortem Alexandri 178. ab U. C. 607. id eſt, ante Chriſtum Natum 145. Verumtamen & Anno ab U. C. 625. poſt mortem Alexandri 197. ante Chriſtum Natum 126. teſte Keckermanno, Calviſio & Alſtedio vixit: niſi quòd Calviſius eum & in annum M. 3665. ante Chriſtum Natum 283. collocet, ita ut intervallum illud Calviſii 158. & Milichii 138. annorum, quo uterquè à ſe ipſis diſtant, conciliare non poſſim. Adde quòd majus etiam intervallum inveniam, ſi Sulpicio Gallo, qui Anno U. C. 587. ante Chriſtum Natum 164. vixit, & rationes Eclipſium primus Romæ in vulgus extulit, Hipparchus 150. annis ſuperior in ann. M. 3634. U. C. 437. ante Chriſtum natum 314. referatur, quod quibuſdam placet, quos nominare non attinet. Alſtedius poſt omnes quos dixi eum in ann. M. 3810. ab U. C. 613. ante Chriſtum natum 138. collocat. Unde & Epocham ſeu Periodum ejus ab Anno M. 3807. arceſſit. Voſſius, Vir undecunquè Doctiſſimus, in eadem tempora Hipparchum ponit, in anno ſcilicet à Mundo condito circiter 3800. ab U. C. 600. ante Chriſtum Natum 150. de Scientiis Mathem. c. 33. §. 4. Petavius quoquè Hipparchi ætatem in ann. U. C. 630. circiter refert, ut & Ricciolus Almag. l. 8. ſect. 2. de novis ſtellis c. 1. §. 3. Pariter Krentzheimius, qui cum cura, ut & Voſſius, annos Hipparchi cenſet, & in illa, quæ diximus, refert tempora Obſerv. Chronolog. l. 2. c. 8. p. 126. Quâ ratione Hipparchus Gallo aliquantum, ſcilicet 40. circiter annis, poſterior erit. Sed hoc aliquando, ſi vivo, vel ipſe propriâ induſtriâ inveſtigabo, vel alio quopiam Viro Chronologiæ perito monſtrante viam, diſcere & 200. circiter annorum de ætate Hipparchi diſcrimen conciliare non negligam. Quicquid verò tandem de eo ſit, apertè conſtat rem Aſtronomicam, præſertim quæ Cometas ſpectat, ſerò demùm ab Hipparcho illuſtratam & ordinatam eſſe. Is nempe primus eſt qui Cometas à reliquis ſtellis, ut nothas à veris diſtinxit, eorumquè ſitum & motum admirandis machinis à ſe inventis exploravit, ſtellas ad ſidera redegit, in ſingulis ſideribus quot eſſent numeravit, nominaquè tùm illis tùm ſideribus impoſuit, ephemerides vel tabulas compoſuit, ex quibus motus luminum computari ad 600. annos poſſent, & horarum longitudinem intulit primus, cum ante horis κυμέοις inæqualibus fuerint uſi, ubi hybernæ horæ multò contractiores æſtivis erant. Atquè hæc Plinium Hipparcho lib. 2. c. 12. & 26. tribuere puto. Et ne hiſce diutius immorer, manifeſtum ex iſtis quæ diximus, evadit, tardè Mathematicas diſciplinas, cumprimis Aſtronomiam, multo uſu accedente, & induſtriam præſtantium Virorum Thaletis, Hipparchi, Galli & ſimilium excitante, eſſe conſtitutam & in ordinem redactam. Nos tamen ab ovo, ut dici ſolet, id eſt, prima ferè origine mundi, ſaltem à diluvio rem arceſſemus, & pro virili quæ ad propoſitum faciunt, cuncta in medium proferemus. Inter Cometas jam jam recenſendos, etiam Octimeſtrem anni, ſecundùm Calviſium & Eckſtormium 975. non tantùm antiquioribus, ſed & Alſtedio & Ricciolo ignoratum, videbimus. Sed ad rem.

SECTIO PRIMA.

Cometas à Diluvio ad natum Chriſtum complectens.

I. *Anno Mundi* 1657. *hoc eſt, ante Chriſtum Natum* 2312. *cum Noha natus eſſet annos* 600. *diluvium totam terram obruit. Apparuit tùm Cometa, in piſcibus ſub Jove, qui ſpatio dierum* 29. *omnia Zodiaci ſigna perluſtravit.* Eckſtormius ex D. Herlicii deſcriptione Cometæ Anno 1607. conſpecti.

COnſentiunt ferè Hiſtorici & Chronologi Latini (nam Græci, quos Sulpicius Severus, Iſidorus & Caſſiodorus ſequuntur, immane quantum hîc differunt) in hanc

hanc mundi Æram, quam putat Eckſtormius, diluvium in annum 1657. collocans. Lutherus, Funccius, Bucholzerus, Calviſius, Krentzheimius, Alſtedius & alii: niſi quòd multi uno anno, ut Krentzheimius demonſtrat, deficiant: quo de cenſu ſunt Hebræi, ipſequè Philo, Beda, Ado, Marianus, Scotus, Melanchthon, Bullingerus, Bibliander, Beroaldus, Pantaleon, Genebrardus, Codomannus, Heviaus, Petavius & alii, qui omnes annos 1656. completos ab origine ad deſtructionem mundi per diluvium computant. Horum rationes tuetur & confirmat Wichmannus Chronolog. Sacræ l. 1. part. 2. ſect. 1. p. 54. Nullus autem Auctorum, quos vidi, hanc Cometam annotat, ſed nec ipſe Eckſtormius an præceſſerit, vel ſecutus ſit diluvium. Probabilius illud ex mente ejus videtur. Ut id concedamus, diluvium quoquè non ita res in ſe mala eſt, ut non ſimul aliquid boni & læti attulerit. Perdidit impios, ſed ſervavit pios: & uſquè adhuc illis exitium minatur, his ſalutem promittit. Exemplum eſt ſeveritatis & bonitatis divinæ, utriuſquè juſtæ, pluris octo pios, quàm mundum impiorum facientis. Attulit & certam promiſſionem de non obruendo ampliùs undis mundo, juramento divino ſancitam, & iride teſtatam. Attulit denique typum baptiſmi, univerſo humano generi ſalutarem, ut ita verum ſit, quod aureum illud os Conſtantinopoli, baptiſmum cum tranſitu Iſraëlitarum per mare comparans, ait: Ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ κατεπονλίσθησαν Αἰγύπτιοι, ἀνῆλθον δὲ Ἰσραηλῖται καὶ ὁ αὐτὸ πρᾶγμα ὁ μὲν πάθει, ὁ δὲ γενέσει. Μὴ θαυμάσῃς, εἰ γένεσις καὶ φθορὰ γίνεται ἐν τῷ βαπτίσματι. *(*In mari rubro ſubmerſi ſunt Ægyptii, traducti verò & ſervati Iſraëlitæ. In eadem re hunc quidem ſepelit, illum verò generat. Ne mireris quòd in baptiſmate & nativitas eſt & corruptio.)* Meritò huc afferam Adonis Viennenſis verba, qui in Chronico ſuo ſecundam Mundi ætatem ſic orditur: *Secundâ ſeculi ætate* (Anno Mundi 1657.) *prima hujus die, quæ eſt viceſima ſeptima menſis ſecundi, egreſſus eſt Noë de Archa, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod commemorans in epiſtola ſua B. Petrus Apoſtolus ſtatim exponere curavit: Quòd & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio per Deum: per reſurrectionem Jeſu Chriſti, qui eſt in dextra Dei. In aqua diluvii, baptiſmum, in archa & his quæ continebat, Eccleſiam & fideles ejus, in octonario animarum numero, myſterium Dominicæ reſurrectionis, in cujus fide baptizamur, docens eſſe figurata.*

II. *Anno Mundi* 2018. *ante Chriſtum natum* 1949. *cum Abraham eſſet annorum* 70. *in Chaldæa apparuit Cometa in Ariete ſub Marte, qui viſus eſt diebus* 22. Eckſtormius ex Herlicio.

NEquè hunc Rucciolus, Alſtedius & alii à me ſuperiùs allegati Auctores annotant. Nec Eckſtormius ulla ejus effecta vel eventus eum ſecutos. Quantum hiſtoriarum monumenta memoriæ prodiderunt, nil hîc in cenſum referri certius poteſt, quàm Abrahami ex Ur Chaldæorum Haranem tranſmigratio & ibidem commoratio. Si quid verò inter hunc & ſequentem Cometam ignea Cometæ fax neceſſariò portendere vel etiam efficere (ſicut nonnulli tùm hoc, tùm illud ei tribuunt) debuit, certè illum cæleſtem ignem, quo Sodoma cum quatuor aliis urbibus, quæ ut potentes & opibus affluentes, ita luxu & mollicie diffluentes provocarunt vindictam divinam, funditùs deletæ ſunt. Quanquam nos concedimus etiam triſtia & horrenda Cometarum apparitionem excipere, idquè ſolùm agimus, ne iſti æquo lætorum omnium jure excidant, ut hâc ratione proborum commodis conſulatur. Moneo coronidis loco, me inpoſterum nolle, ad amoliendos Cometarum eventus triſtes, diverſam annorum Mundi computationem (ut Wichmanni, ſecundum quam annus Abrahami 70. forte, mundi 2078. & aliorum) tangere, ne majores difficultates accumulem. De hoc enim annorum diſcrimine diſputare non eſt hujus loci.

* Chryſoſt. Homil. 7. in Col. 3.

III.

III. *Anno Mundi* 2128. *ante Chriſtum natum* 1841. *in Ægypto apparuit Cometa in ſigno Leonis, quem ſecuta eſt annonæ caritas tempore Iſaaci.* Idem ex eodem.

SEcuta erat Cometam proximum, ſed paulò poſt, & providentia Dei circà Abrahamum & Saram profugos in Ægyptum, illud mundi horreum abundantiſſimum, in iis ſcilicet alendis, tuendis, ditandis. Ne nunc quid dicam de ſecuta Lothi per Abrahamum ex manu 4. Regum liberatione, & benedictione ei per Melchiſedecum impertità. Secuta eſt & hunc noſtrum par providentia Dei circa Iſaacum in pari calamitate, ſecutæ pacis & fœderum artes, & alia læta. Quàm verò nil Cometa ad Magnorum Virorum obitus pertineat, documento eſt illud, quòd adhuc tres in orbe viſi fuerint Cometæ, decem verò à diluvio funera Virorum in Sacra hiſtoria Præclarorum, Pelegi, Nachoris, Noë, Regu, Serugi, Tharæ, Saræ, Arphaxati, Abrahami & Salæ, & ita quidem, ut nullius obitum Cometæ portenderint. At enim Bucholzerus, *quem* Eckſtormius ſequi ſolet, famem hanc in Ann. M. 2127. Calviſius, ut & mortem Salæ in 2126. refert.

IV. *Anno Mundi* 2237. *ante Chriſtum natum* 1732. *per Arabiam inſtar rotæ apparuit Cometa circa Sagittarium ſub Jove, qui ſine dubio portendit famem, de qua eſt in hiſtoria Joſephi.* Idem ex eodem.

ELapſis inter hunc & illum Cometam ampliùs centum annis, par fuiſſet, ſiquidem Cometa memorabiles calamitates, ut vulgò putatur, portenderet, vel etiam efficeret, aliquem Cometam præceſſiſſe tot bella tunc inter populos geſta, diluvia, aliaque triſtia, & inter ea, mortem Illuſtriſſimorum Virorum, Semi, Iſmaëlis, Iſaaci & tot aliorum, quos Sacra & profana hiſtoria recenſet. Unde nemo non videt, etiam maximè memorabilia, quæ in orbe mala (ut & bona) geruntur, nullo neceſſitatis vinculo Cometis adſtringi, ſed pro Dei voluntate abſque his fieri. Bucholzerus Funccium ſecutus, famem illam univerſalem in Ann. Mundi 2238. primum annum fertilitatis in Ann. 2231. (ita ut ex eorum rationibus illa inſolita frugum abundantia, ſecutam famem depulſura, poſt Cometæ apparitionem aliquandiu durârit) ponit. Et ut aliorum Chronologorum rationes præteream, Wichmannus Chronol. Sacr. lib. 2. ut illam ſub Iſaaco famem in 2203. ita hanc ſub Jacobo in 2297. profert. Ita ad utramque Cometa nil haberet. Sed etſi Eckſtormii rationes ſequamur, lucente Cometâ, famem futuram præſagiente, maxima adhuc rerum abundantiâ Ægyptus affluebat, & gloriâ, potentiâ ac opibus, Joſephus à Rege ſecundus ſplendebat. Eundem verò Cometam tot populorum, & Jacobi, cum integra 72. animabus conſtante familia, graſſante fame conſervatio, Joſephi & fratrum & totius Aulæ Pharaonis gaudia, Jacobi cum familia in Ægyptum migratio, ibidemque tripudia & tot lætitiæ genera, alia ut taceam, conſecuta ſunt. Quis dehinc Cometa mortem portendit Jacobi, tanti Patriarchæ Ann. M. 2257. ut Funccius, 2255. Calviſius, Helvicus & Alſtedii 2256. ut Bucholz. putat, defuncti? quis Joſephi patrem, poſt annos quinquaginta in ſepulchrum ſecuti, quem Calviſius meritò veriſſimum vatem, ſanctiſſimum Doctorem, optimum Principem, ſuæ gentis ornamentum, alienæ firmamentum appellat, ego non injuriâ Statorem & Servatorem Ægypti dico? quis plurimorum aliorum Virorum celeberrimorum, quos Sacra & Profana memorat hiſtoria? quis tot infantum maſculorum in Ægypto cædem? quis tot alia triſtia, quæ jam tunc in orbe contigerunt? Sed nec Aaronis circa Ann. M. 2371. ut Funccius, Bucholzerus, Calviſius, Helvicus & Alſtedius putant, vel Moſis biennio inferioris, vel Joſuæ hôc 30. annis circiter poſterioris, trium Illuſtriſſimorum, ſi qui unquam inter mortales fuerunt, Virorum, nativitati ullus præluxit. Quæ cuncta manifeſtè docent Dei libertatem in maximè quoquè memorabilibus factis ad Cometas non alligari.

V. *Anno*

V. *Anno Mundi* 2454. *ante Chriſtum natum* 1515. *exitum Iſraëlitarum ex Ægypto præceſſit Cometa.* Eckſtormius conjicit illum eſſe, quem nobis ſolus Plinius lib. 2. cap. 25. prodidit, qui vocatus eſt Typhon à Rege Ægypti, filio Oſiridis, ac ſi Cometam ſub Nerone lucentem vocaremus Neronem, & aliàs Typhon ſignificet inflammationem. Allegat autem, Milichio in illum Plinii locum, vero ſimile videri hunc Cometam incidiſſe in tempus exitus populi Iſraëlitici, ejuſque verba exſcribit.

MOneo velut in tranſitu, me hæc non legere in Milichii libro Francof. apud Petrum Burbachium 1553. ſed eadem extare in exemplari Lipſiæ Anno 1573. qui à morte Auctoris decimus quartus erat, impreſſo. Sed eſto tunc Cometam apparuiſſe. Portendiſſe dicis 10. plagas Ægypti, & internecionem Ægyptiorum in mari rubro. Sed & liberationem populi Dei ex duriſſima diriſſimaque ſervitute, traductionem per mare rubrum in forti dextera & brachio elevato, ut Scriptura Sacra loqui ſolet, legis divinæ miraculoſam per Angelos promulgationem, Tabernaculi arcæque fœderis erectionem & dedicationem, & tot divinæ providentiæ ſingularis circà illum populum manifeſtiſſima indicia, adeoque opera Dei in ſecula maximè memorabilia & læta ac proſpera. Nonne hinc patet Cometarum apparitionem læta quoquè ſequi? At nonne ante Cometam illum Theſſalia primùm motu terræ concuſſa, poſtea aquis (notum eſt illud Deucalionis diluvium, rege Athenis Cecrope, ut & Petavius poſt alios putat, tot Hiſtoricis & Poëtis celebratum) obruta, incendium à Phaëtonte Aſtronomo prædictum (quod cui fabulæ locum fecerit, pueri quoque ſciunt) Græciam, Æthiopiam & Italiam ambuſſit? evidenti documento etiam ante ſtellas illas cincinnatas in perniciem, & poſt eas, in ſalutem humani generis, *Deo volente* & ordinante, elementa conſpirare.

VI. *Anno Mundi* 3489 *ante Chriſtum natum* 480. *cùm Xerxes Græciam intraret cum exercitu conſtante decies centum millibus hominum, Cometa fulſit cornu figurâ, quæ & ipſi cladem, quam ad Salaminem Themiſtoclis conſilio accepit, & turpem fugam & internecionem reliquo exercitui, quem Mardonio commendavit, ad Plataas portendit.* Eckſtormius ex Plin. lib. 2. cap. 25. & Peuceri Meteorologia.

NEmo eſt adeò hiſtoriæ imperitus, qui ignoret, bellum illud celeberrimum, ſi quod unquam, * quod Xerxes, qui in Sacra Hiſtoria Aſſuerus vocatur ſecundùm Calviſium, Alſtedium & Helvicum, Græciæ intulit, Regi dedecus & continuatas clades, Græcis victoriarum, licet, ut fieri ſolet, non incruentarum, decora & tropæa attuliſſe? Ille enim ad Magneſiam 400. naves, ad Thermopylas 20. millia hominum, ad Artemiſium non exiguam, ad Salamina potiorem copiarum partem, indè fugiens Helleſpontum verſùs, 60 millia hominum, ad Platæas 270. millia cum Duce Mardonio, ad Eurymedontem 200. naves, & terreſtri prælio non pauca cæſorum, 20. certè captivorum millia, eademque die ad Mycalem 40. millia navali prælio, terra marique, infeliciſſimus tandem inter tot fortunæ ludibria contemtus & exoſus, vitam Artabani parricidæ manu ademtam amiſit. Ita hîc Cometes Græciæ læta portendit, quod indicat Ricciolus. Inter hæc Romani contrà Æquos per Furium Coſ. contra Hetruſcos per Fabium, & Siculi contra Amilcarem cum 200. navibus & 300000. militum invaſorem, mox iterum Romani contra Vejentes, & rurſus contra Æquos rem proſperrimè gerunt. Ita Cometa ille his lætus, illis triſtis extitit. Atque hæc eſt perpetua rerum humanarum viciſſitudo. Quæ etiam cernitur in deportato populo Iſraëlitico in terram Babyloniam, poſt luctuoſam Jeroſolymitanæ urbis expugnationem, templi celeberrimi & Reipublicæ præclaris facinoribus Inclytæ everſionem: in ſeverè punito Sedecia Rege perfido: in triſti 70. annorum captivitate Babylonica: ſine regni

* Vide Wichmanni Chronolog. Sacr. l. 2. p. 332, ad Ann. M. 3519. & ſeqq.

Lydo-

Lydorum & Monarchiæ Babylonicæ: contrà in invidendis Nebucadnezaris successibus, liberatione Jeremiæ Prophetæ à suis in carcerem detrusi, ex eodem ab hoste dimissi, exaltatione Jechoniæ, Danielis, Zorobabelis & Cyri ac Darii, auctione regni Medorum, initio Monarchiæ Persicæ: demùm reditu Judæorum in patriam. Sed quis omnia enumeret ante illum Cometam gesta, nec ullo Cometâ præsignificata?

VII. *Anno Mundi* 3503. *ante Christum natum* 466. *Olymp.* 78. *secundo*, *Cometa in cælo* 75. *diebus visus*, *& lapis è Sole ad Ægos flumen decidit. Et paulò post bellum Peloponnesiacum exarsit*, *quod totos* 28. *duravit annos*, *& toti Græciæ exitiale fuit.* In fine belli *ad illum Thraciæ locum Athenienses navali prælio victi à Lacedæmoniis*, *Lysandro duce*, *cum classe imperium Græciæ amiserunt.* Eckstormius ex Peucero. Alstedius Cometam illum primo loco in Annum M. 3483. ponit *Chronolog. Comet. p.* 485. (*Almagesti l.* 8. *sect.* 1. *cap.* 3. *p.* 3. *N.* 3. Ricciolus secundo: sed nihil triste illi adscribit. Illius, ut & Eckstormii rationes in annum antè Christum natum 466. hujus in 469. incidunt.

SI in putandis rationibus annorum Christi & Olympiadum non tantùm Bucholzerum, (cui & Eckstormio de annis quoquè Mundi benè convenit) sed & Funccium, Calvisium & Helvicum sequamur, hunc Cometam paulò antè præcessêre tristia: terræ motus ingens, quo Sparta ferè integra eversa est, 20. millium hominum clades, bellum Messeniorum & Helotarum contrà Spartanos, variâ fortunâ decennio gestum, tùm illud Argivorum contrà Mycenæos his funestum, urbi eorum, tot clarissimorum olim Virorum parenti, exitiale: Antecessit & bellum illud Athenienſium contra Thasios, qui victi urbem hosti dedunt: tùm Spartanorum contra Messenios illud tertium, diuturnum, deniquè Athenienſium fœdere cum Spartanis soluto, contra Thessalos. Successêre læti Romanorum contra Æquos & alios hostes vicinos successus, & liberatio Syracusarum à tyrannide Thrasybuli. Sed putatâ cum illis Chronologis annorum Mundi Epochâ hæc quæ recensui, 7. secundùm Funccium, plus verò 20. annis secundùm Calvisium & Helvicum præcessêrunt. Belli Peloponnesiaci quoquè initium seriùs ponit Funccius, Anno scilicet M. 3537. Olymp. 88. circiter primo. In idem ferè tempus & alii bellum illud referunt. Bucholzerus scilicet in Annum M. 3541. Calvisius, Helvicus & Alstedius in 3519. Olymp. 87. secundum: ante Christum Natum 430. in quo Bucholzerum sequuntur, sed in putandis annis Mundi longè ab eo abeunt, quod aliàs non faciunt. Petavius non longè ab eis abest, dum belli illius initium in annum ante Christum Natum 341. primum verò Olymp. 87. ponit.

VIII. *Anno Mundi* 3519. *anno primo belli Peloponnesiaci apparuit Cometa* 60. *diebus.* Alsted. Secundùm ejus computationem incidit iste Cometa in annum ante Christum Natum 430. in quem eum & Ricciolus proximè ante bellum Peloponnesiacum refert (nisi quòd cum proximè præcedenti eundem esse innuat, sed illa Democriti ætate diversos Cometas apparuisse tamen fateatur) quâ ratione ei in Olympiadibus & Epocha Christi & cum Funccio, Calvisio & Helvico benè convenit.

ANte hunc Cometam bella plurima gesta sunt: inter Romanos & Æquos illos ac Volscos: inter Milesios & Samios, Samo expugnatâ: inter Syracusanos & Trinacrios sive Siculos, Trinacriâ excisâ, inter Illyrios & Corinthios, hos & Corcyræos, victis, in vincula datis & spoliatis illis, ac Epidamno captâ, difficillimum: inter Athenienses & Anæenses: inter Romanos & Vejentes: inter Athenienses & Corinthios ac Potidæenses: inter Romanos & Fidenates Vejentesque simul: pugna inter Athenienses & Potidæenses. Taceo diram famem Romæ grassantem, ut multi obvolutis capitibus in Tiberin se præcipites darent, illam dico Sp. Melii Largitione edomitam,

mitam; morbos graves, motus terræ crebros, peſtem atrociſſimam Romæ ſævientem. Tot mala nullus præceſſit Cometa. Sed hæc præceſſerunt illum. Et ſecutum quidem hunc eſt bellum Peloponneſiacum, occaſione injuriæ Megarenſibus ab Athenienſibus illatæ, à Spartanis vindicatæ, quo Græcia nil exitialius eſſe bello civili & ſociis exterorum, libertati alienæ inhiantium, armis, malo ſuo didicit. Sed poſthoc Cometæ illius efficacia ad 28. annos & tot alternas Græcorum clades extendi, etiam ab illis qui quinquè annorum ſpatio operationem Cometarum circumſcribunt? Præfulſitne verò & Francis, qui duce Marcomiro cum exercitu ad 200. bellatorum accedente, ex Scythia à Gotthis pulſi Germaniam inivêre, Friſiamquè Occidentalem, Geldriam ac Hollandiam occupavêre? & Romanis de Æquis, multùm iniquis, & Volſcis triumphum agentibus? & Thracibus Macedonas, ac Romanis Æquos adæcipiendas pacis leges cogentibus? & Platoni Philoſophorum, ut loqui Cicero amabat, Deo, quarto anno belli Peloponneſiaci naſcituro? ne ulterius extendam læta illis belli iſtius malis immiſta, quæ plurima occurrerent, ſi ad ejus metam contenderem, ſed ſi illic conſiſterem, nullum Cometam prælucentem viderem morti Cyri Junioris in acie, Socratis in carcere, Tiſſaphernis percuſſoris manu, Lyſandri Athenienſium Victoris, Athenarum everſoris in prælio cadentis. Imò hæc aliaquè triſtia, præcipuè bellum inter Phocenſes & Bæotios geſtum, ſequentem Cometam anteceſſerunt.

IX. *Anno Mundi* 3538. *ante Chriſtum natum* 431. *apparuit Cometa ante horribilem iſtam peſtilentiam, quâ Athenienſium civitas penè ad internecionem deleta eſt. Sequutum eum eſt & bellum. Arſit* 60. *diebus.* Eckſtorm.

INtegrum eſſet ſuſpiciari hunc Cometam eundem cum proximo eſſe. Uterquè enim 60. diebus fulſit. Sed hoc leve eſt argumentum. Gravius illud, *hunc & illum* incidere in annum à Chriſto nato, ſecundùm Eckſtormium & Ricciolum 431. & ſic ſecundùm Alſtedium in annum Mundi 3519. Sed is Cometam tunc viſum in annum belli Peloponneſiaci primum expreſſè ponit, à quo diverſum illum N°. vij. Eckſtormius putat. Adhæc is eodem anno Eclipſin Solis terribilem 3. Auguſti eveniſſe ſcribit. Hæc ab Alſtedio in Annum Mundi 3520. at Cometa 3519. ponitur. Sed & Eclipſis illa à Calviſio in eundem annum collocatur. Eckſtormius tamen utrumquè Cometam inter bellum Peloponneſiacum, & famem Atticam apertè diſtinguit.

Quod ad eventus ejus attinet, bellum jam ante illum in Græcia exarſerat, ſed & peſtis in Æthiopia primùm, deinde in Ægypto, tùm & Romæ Anno ab U. C. 320. & 322. ut Funccius & Calviſius putant. Hanc peſtem ſingulari curâ deſcripſit divinus, ſi Lipſium audimus, & Princeps Græcorum Hiſtoricorum Thucydides libro 2. Ita hîc etiam videmus peſtem non ſemper exſpectare Cometam. Huic verò etiam læta ſuccedere patet. Mox enim Potidææ deditio, Poſtumii Tuberti Dictatoris de Æquis & Volſcis triumphus: Athenienſium de Corinthiorum claſſe gemina victoria: pax à Macedonibus cum Thracibus inita: Romanorum octo annis circumſcriptæ cum Æquis induciæ: Mitylenarum & Platæarum deditio: Corcyrenſis ſeditio ſopita, victoria de iiſdem à Spartanis obtenta: triumphus conſulis Coſſi de Vejentibus & ſpolia opima ſecundò poſt Romulum Romæ læta, ſecuta ſunt, quæ cuncta intrà quinquennium evenêre. Sed moneo ſemper his læta, illis triſtia eſſe.

X. *Anno Mundi* 3557. *ante Chriſtum Natum* 412. *Olymp.* 92. *victa eſt Athenienſium claſſis in Sicilia propè Syracuſas, Eucleo Athenis Prætore. Ante hanc cladem in Septentrionali parte cæli Sole circa hybernas verſante converſiones Cometa viſus eſt.* Eckſtormius exP eucero.

BIennio circiter ante viſum hunc Cometam (ut rationes ferunt Bucholzeri, cum quo Eckſtormianæ optimè conveniunt) bella in Græcia inter Byzantios & Bi-

thynios alio
dus rumpent
ta Cometæ
norum Chri
diti valdè C
illud, ut pu
irrumpunt.
què pubere
xulia extero
ſes illos fug
fieri ſolet,
proditore &
Lacedæmoni
hôc ceſſante,
diquè Franc
ad Moſam u
cladibus affi
caſtris ſuis o
lum indicun
Ægyptus à P
viſum Comet
dum rationib
nimum hîc d
cibiades verò
victis. Darius
cio, unius ſc
annos Chriſti
Olympiadibus
contra Megar
contra illos,
in idem temp
nienſium me
nio, breviter
rio ſumtus &
thenarum co
compeſcunt:
ſubjiciunt: F
ſenſionis ſuæ
repellunt, &
tis animis vi
cum, & tert
zicum, duce
non poſſent,
ced:æmonios
Inter hæc &
lio vincunt.
mixtura tame

XI. *Anno*
imperante

HIc Come
teſt cum

thynios alioſquè geſta fuêre: tùm illud Athenienſium & Lacedæmoniorum, his fœdus rumpentibus inſtauratum. Sed & illius inter Athenienſes & Syracuſios belli initia Cometæ apparitionem præceſſerunt. Secundum Calviſium (obſervatâ ſcilicet annorum Chriſti computatione: nam in reliquis Epochis, præſertim illa Mundi conditi valdè Chronologi diſſentiunt) intrà triennium ſatis malorum prius quàm ſidus illud, ut putatur, inimicum, viſum eſt. Lavicani cum Æquis in agrum Tuſculanum irrumpunt. Sed clade à Romanis afficiuntur. Athenienſes Melios expugnant, omneſquè puberes interficiunt. Selimuntii & Ægeſtani in Sicilia de finibus diſſident, auxilia exterorum implorant. Lacedæmonii vaſtant Argivos. Horum ſocii Athenienſes illos fugant, iidem in Siciliam claſſem mittunt, diſſuadente Nicia, mente, ut fieri ſolet, impendentis cladis præſagâ, ſuadente Alcibiade, mox metu judicii facto proditore & patriæ hoſte: Syracuſanos prælio vincunt. Hi auxilia à Sociis impetrant. Lacedæmoniorum belli contra Argivos motum motus terræ ſiſtit. Argivi contrà, hôc ceſſante, in illos movent, prædas agunt, ab Athenienſibus juvantur. Gallis undiquè Francos laceſſentibus, Marcomirus tandem Rhenum tranſit, omnia vaſtat, & ad Moſam uſquè ditionem ſuam extendit. Athenienſes in Sicilia Syracuſanos multis cladibus afficiunt & in anguſtias redigunt, mox ipſi in anguſtias rediguntur & in caſtris ſuis oppugnantur. Lacedæmonii Athenienſibus ob ruptum ſæpiùs fœdus bellum indicunt. Volam Romani capiunt, & mox Æqui æquo belli jure recipiunt, Ægyptus à Perſis deficit: alia ut minutiora non attingam. Videamus potiùs læta poſt viſum Cometam viſa. Secundum Funccium (cum quo hîc Eckſtormius in Olympiadum rationibus conſentit, niſi quòd in annis Mundi & Chriſti biennio, quod minimum hîc diſcrimen eſt, diſtent) Volſcos Furius Coſſ. vicit, Ferentum cepit. Alcibiades verò Byzantium, Lacedæmoniis & Perſis eorum ſociis ad Chalcedonem victis. Darius Medos rebelles ſubegit. In eundem annum Calviſius (qui levi à Funccio, unius ſcilicet anni circiter, ſi Olympiades Græcorum, Coſſ. Romanorum & annos Chriſti reſpicias, nec longè ab utroquè Bucholzerus, biennio circiter in Olympiadibus, & triennio in annis Chriſti diſtat) Athenienſium plures ſucceſſus contra Megarenſes, ſed & contra Lacedæmonios, & converſa belli fortuna horum contra illos, ſed & Hannibalis contra Siculos, confert. Quæ & apud Bucholzerum in idem temporis ferè conjecta reperire licet. Ut autem Cometam illum & Athenienſium memoratam cladem Siculam ſecuta, integro tantum & paulò amplius triennio, breviter ad rationes Calviſii conferamus: Athenienſes, licet à ſociis deſerti, & Dario ſumtus & claſſem ſuppeditante, Lacedæmoniis (omnibus ſcilicet in perniciem Athenarum conſpirantibus) preſſi, non tamen ſibi deſunt. Nam in Samo ſeditioſos compeſcunt: Leſbum recipiunt; Mitylenem ipſo impetu capiunt, Clazomenios ſibi ſubjiciunt: Rhodios adoriuntur: Lampſacum recipiunt, Lacedæmonios occaſione diſſenſionis ſuæ domeſticæ in ſui perniciem, ut fit, uti volentes, à mœnibus fortiſſimè repellunt, & in Euboea quidem cladem accipiunt à Lacedæmoniis, ſed mox reſumtis animis viribuſquè eandem hoſtibus ad Abydum inferunt, mox alteram ad Cyzicum, & tertiam illam ad Chalcedonem, virtute Alcibiadis nuper revocati, ad Cyzicum, duce hoſtium Miadaro occiſo, univerſâ claſſe potiti, Syracuſanos cum elabi non poſſent, ad cremandas ſuas proprias naves cogunt, in terram exſcendentes Lacedæmonios Pharnabazum Ducem Perſarum vincunt, & geminum trophæum erigunt. Inter hæc & de infidelibus ſociis meritas pœnas exigunt, & Megarenſes magno prælio vincunt. Atquè hæc ſunt & triſtia ante Cometam & poſt eum læta, non ſine mixtura tamen utrobiquè, à me collecta.

XI. *Anno ante Chriſti Natum 410. fuit Cometes ille de quo Ariſtoteles l. 1. Meteorol. c. 6. imperante Athenis Eucle.* Ricciolus. l. cit.

HIc Cometa ſi Euclis vel Euclidis vel Euclei iſtius annos reſpiciamus, videri poteſt cum ſequenti unus. Nam Prætorem iſtum Athenienſium in Olymp. 94. ann. 2.

ann. 2. ab U. C. 350. ſed in ann. ante C. N. 401. circitèr Funceius, Calviſius & Helvicus ponunt. Quâ ratione & Bucholzero cum eis convenit. Secundùm Funccium triſtia Cometam illum anteceſſerunt. Cyrus enim furit, ad pœnas à patre Dario Notho poſcitur. Athenienſes à Lacedæmoniis vincuntur, muri eorum & unà vires cadunt. Sed & læta Cometam exceperunt. Thraſybulus 30. Tyrannis victis patriam recuperat & liberat, ſimul amneſtiam primus ſancit. Artaxerxes morte Cyri fratris truculenti & ſeditioſi bello difficili liberatur. Ageſilaus Phrygiam domat, Tyſaphernem & Pactolum vincit: Thebani Lyſandrum. Secundum Bucholzerum præterea: Cometam præceſſit Theramenis & Alcibiadis mors: ſecuta Socratis. Secundùm Calviſium & Helvicum ante viſum Cometam Romani Vejentibus bellum indicunt & mox inferunt, Hamilcar Siculis, Gelam urbem capit: peſte in Africam repellitur. Darius Nothus Rex Perſarum moritur, & Democritus Philoſophus. Triginta Tyranni Athenis furunt, pluribus civibus intrà octo menſes quàm Lacedæmonii hoſtes intrà 10. annos ſublatis. Multi itaquè Athenienſium voluntarium exſilium tantæ miſeriæ prætulerunt. Sicilia bello domeſtico ardet. A viſo Cometa Romani Volſcos vincunt: Artenam urbem vi, arcem proditione (ut mos, hoſtem virtute doliſquè petere, obtinet) capiunt. Lacedæmonii contra Meſſenios, rem proſperè gerunt; Artaxerxes contra fratrem Cyrum, Deo meliorem cauſſam juvante: alia ut ſileam. Sed ſi ſequamur Ricciolum, qui Cometam iſtum in annum, ut vidimus, ante Chriſtum Natum 410. refert, invenimus ante Cometam conſpectum, ſecundùm rationes Funccii, Bucholzeri, Calviſii, Helvici & Petavii (omnes enim accuratè contuli) non pauca triſtia, lætis tamen mixta. Nam à Lacedæmoniis Argivi funduntur. Ægyptus à Perſis deficit. Romani ad Volas rem ancipiti Marte gerunt. Bellum Siculum variâ geritur fortunâ, Athenienſis tamen iniquiore. Lacedæmonii miſſo Rege Agide Atticam vaſtant. Iidem magnis detrimentis afficiunt Athenienſes. Hi cum Corinthiis dubio Marte pugnant. Thraces, verè truces, captâ Mycaleſſo ſæviunt, nec innoxiæ ætati parcunt. Demoſthenes & Nicias geminâ, eaquè maxima clade afficiuntur. Tot triſtia ante Cometam intra triennium orbis vidit. Nec pauciora læta cum Cometa, læta dico his, triſtia illis, & vice verſa. Athenienſes multis cladibus vincunt Syracuſanos, mox vincendi, ut rerum fert mutatio. Lacedæmonii fœdere Dario junguntur. Alcibiades Perſas ad Chalcedonem ingenti prælio ſuperat. Romani pariter Æquos. Lacedæmonii fœdus illud renovant. Boeotii rem contrà Athenienſes feliciter gerunt. Euboea ad Lacedæmonios deficit. Romani Ferentinam urbem in Volſcis capiunt. Lacedæmonii Lampſacum. Hanc mox Athenienſes recipiunt. Lacedæmonios à mœnibus iidem felici virtute repellunt. Hi contrà in Euboea victoriâ potiuntur. Sed paulò poſt ad Abydum vincuntur, vi tempeſtatis 50. naves amittunt. Iterum fortunam benignam in Sicilia contrà Selinuntios experiuntur, ſed non longè poſt maximâ clade ad Gyzicum afficiuntur. Hunc Cometam Ariſtoteles non vidit, utpote 28. annis ſe priorem, ſi anno antè C. N. 384. natus eſt, ut putatur, aut aliter rationes temporis erunt ineundæ, quod ad annos Chriſti & ſeriem Archontum Athenienſium attinet.

XII. *Anno ante Chriſtum Natum circiter* 400. *fulſit Cometa regnante ab anno ante Chriſtum natum* 414. *in Macedonia Archelao, ut Jo. Prætorius ex Seneca refert.* Ricciolus l. c. p. 4.

IN eundem annum Calviſius refert initium Archelai. Ubi Helvicus eb eo nonnihil abit. Secundum quem annus ille Chriſti 414. erit Archelai circiter 16. (quamquam Petavius ei tantùm 14. annos pro 24. Helvici & aliorum aſſignet) ita ut tutiſſimum hîc ſit annis Chriſti adhærere. Quâ ratione geſta triſtia quæ Cometam præceſſerunt & læta quæ ſecuta ſunt, & proximo Cometæ N°. XI. ſubjecta ſunt, hùc pertinebunt. Nos tamen diviſionem Cometarum à Ricciolo factam ſequi voluimus, diſcrimine computationum Chronologis relicto.

XIII.



Figura Cometarum duorum insignium Ante Christum natum ninirum XVI. α XXV. β. facies utriusq; motum etiam priorris exhibens. N.º 62.



XIII. *Anno Mundi* 3596. *ante Chriſtum Natum* 373. *anno* 4. *Olympiadis* 101. *Ariſtæo (Pauſanias vocat Aſteum) Athenis Prætore, ingens Cometes hyeme, cælo ſereno & frigore intenſiſſimo veſperi ab occaſu Solis conſpectus eſt, cujus ſplendor tertiam cæli partem occupavit. Ab occaſu Æquinoctiali verſùs Auſtrum proceſſit, & cum ad cingulum Orionis perveniſſet, extinctus eſt. Hyemis illius reliqua pars fuit admodum ſicca & abundans flatibus Septentrionalibus. Poſtea cùm contrarii venti ſimul ſpirarent, Aquilo in ſinu Corinthiaco fluctus concitavit, extrà ſinum verò Auſter obluctans cum fluctus intrà ſinum cogeret, poſt aliquot terræ motus, quibus Achaiæ Urbes, Helicæ & Bura corruerunt; accidit etiam diluvium, quod magnam Achaiæ vaſtitatem attulit. Anno ſecundo poſt Lacedæmonii à Thebanis ad Leuctra Bœotiæ victi fractiquè uno prælio, nunquam ampliùs priſtinam recuperarunt potentiam.* Eckſtormius ex Peucero & Milichio: qui & *Lacedæmoniis exitium & toti Græciæ mutationem* inde deducit. Seneca libro Natural. quæſt. 7. capite 16. de hoc Cometa ait, *eum omnium mortalium oculis cuſtoditum fuiſſe, & ingentis rei traxiſſe eventum, cum Helicen & Burin ortu ſuo merſit.* Ricciolus quoquè eum ex Ariſtotele & Seneca annotat, colligitque Aſtium, ſicut eum & Calviſius, Helvicus Aſteum vocat, eſſe contracto vel corrupto nomine Ariſtæum illum, quo imperante Ariſtoteles Cometam illum apparuiſſe ſcribit.

COmeta hic confundendus non eſt cum illo Alſtedii annotato ad annum M. 3595. U. C. 398. ante Chriſtum Natum circiter 353. Apertè enim ab Eckſtormio diſtinguitur, ut mox videbimus. Eckſtormio tamen non convenit hîc vel cum Bucholzero, (quem aliàs preſſo pede ſequi ſolet) cum ſecundùm rationem ejus annus ante Chriſtum Natum 373. in ann. Mundi 3598. Olymp. 101. annum 3. incidat: vel cum Milichio, qui Cometam illum biennio Leuctricam pugnam præceſſiſſe ait, cum ſecundùm Bucholzerum illa in ann. M. 3599. ante Chriſtum Natum 372. incidat. Triſtia certè illa fuêre Cometam hunc ſecuta, urbium ſcilicet illarum interitus, & clades Lacedæmoniorum, ipſiuſquè Regis Aleombroti fatum. Sed quis Cometa prælusit triſti cladi eorundem Lacedæmonium ab Athenienſibus ad Cnidum, duce Conone anno M. 3577. ante Chriſtum Natum 394. ut putat Bucholzerus? quis Corinthiaco bello ſeptem annorum? quis pugnæ ad Coroneam, quæ eoſdem Lacedæmonios Thebanis commiſit? quis bello Gallico Senonico? quis Romæ à Gallis captæ? quis pugnæ Allienſi, quâ Romani à Gallis victi? quis, ut tot ſimilibus in orbe geſtis præteritis, propius ad Cometam noſtrum accedamus, Thebanorum amiſſâ libertate, ſubjectioni, quam Lacedæmoniis facere coacti fuerant? quis cladi Prænestinorum & Volſcorum, virtute Quinti Cincinnati Dictatoris illatæ, illiuſquè nobili triumpho? Et nonne proximè Cometam iſtum anteceſſit anno M. ſecundùm Bucholcerum 3595. ante Chriſtum Natum 376. pugna ad Naxum, qua Athenienſes navali prælio vicerunt Lacedæmonios duce Chabriâ: quæ illâ ad Cnidum nobilior, quòd propriâ virtute parta fuerit? Verumtamen illa potiùs Lacedæmoniorum libertate immodicâ & potentiâ ferocientium iniquitas, quæ Thebanos pace, libertate & patriâ communi excludere tentavit, clademillam Leuctricam eis portendit, & certior quàm ullus Cometa, ejus prænuncius fuit. Divina enim juſtitia nullam injuſtitiam & iniquitatem inultam impunitamque dimittit. At verò Cometam illum pax Græcorum, æquis legibus auctore Artaxerxe Mnemone Rege Perſarum concluſa, & ſecuta eſt. Demum 10. die pugna illa ad Leuctra celebris contigit. Poſt quam artes pacis in Jaſone Phereo & Artaxerxe, belli in Græcis, Thebanis præcipuè, variâ fortunâ geſti, cernuntur, aliaquè tùm læta, tùm triſtia, quæ enumerare, ne ſim prolixior, nolo, apud Hiſtoricos & Chronologos videnda.

XIV. *Annò*

XIV. *Anno Mundi* 3614. *ante Chriſtum Natum* 395. *U. C.* 358. *apparuit Cometa, in quo jubæ effigies in haſtam mutata eſt, teſte Plinio l. 2. c. 25. Eodem anno ortum eſt bellum ſacrum ob ſpoliatum templum Delphicum, quod duravit annos* 9. Eckſtormius. Ricciolus hunc Cometam ponit in ann. ante Chriſtum Natum 348. U. C. 398. Olymp. 108. & 70. diebus fulſiſſe ait.

COmetam hunc primùm annotat Funccius Anno M. 3610. U. C. 398. ante Chriſtum Natum 353. Quæ computatio non multum diſtat à Bucholzeriana, qui bellum illud in A. M. 3615. ante Chriſtum Natum 356. U. C. 396. refert. At Calviſius in A. M. 3594. ante Chriſtum Natum 354. U. C. 397. Helvicus uno anno ab eo diſſidet: ut & Alſtedius, qui nullum ei effectum tribuit, aliàs in talibus annotandis ſedulus. Petavius ex Diodoro belli illius initium in ann. 2. Olymp. 106. U. C. 399. ponit. Si aliquot ſolummodò annorum, qui Cometam hunc præceſſerunt, geſta in orbe contemplemur, videbimus non pauca ejuſdem generis, nec minoris momenti quàm bellum illud erat ſacrum, quæ nullus Cometa anteceſſit. Pelopidas Dux Thebanorum Alexandrum Phæreum magno prælio vicit, ipſe tamen occubuit: Camillus Dictator multis Gallorum millibus cæſis, triumphat, paulò poſt peſte, quæ tunc in urbe ſæviebat, extinctus, Vir pace & bello, præcipuè verò exilio & civitatis deſiderio, judice Livio, Clariſſimus. Epaminondas ad Mantineam ingenti & difficillimo prælio Lacedæmonios vincit, ſed ipſe, inquè eo potentia Thebanorum cadit cumquè eo exſpirat, uti cum eo orta erat. Occidit, dico, ſine ullo Cometæ præ-nuncio, totius Græciæ facilè princeps hâc victoriâ, ſicut & illâ Leuctricâ, velut duabus filiabus, ut ipſe loquebatur, relictis. Artaxerxes ille Mnemon & Magnus, à rebellibus & Rege Ægypti Tacho in anguſtias cogitur. Mox hic ipſe eandem pœnam divinam expertus, & à filio Regno exutus, hoſti reconciliatus ab eo *juvatur. Idem* virtute ſocii Ageſilai illius Lacedæmoniorum Regum Clariſſimi, *numeroſiſſimum Æ*gyptiorum rebellium exercitum, manifeſto divinæ vindictæ *documento*, delet & regnum recuperat. Athenienſes clade afficiuntur ab Alexandro Phæreo. Perdiccas Macedonum Rex maximâ clade ab Illyriis affectus trucidatur. Eandem ſortem Alexander ille, quem dixi, ſubit. Philippus Macedo Pæones vincit & ſibi ſubjicit, Illyrios acerrimo prælio ſuperat. Peſtilentia ultrà biennium ſævit Romæ. Hernici Romanos vincunt, mox ab iis vincuntur. Bellum Sociale oritur, & triennio ante & poſt illud ſacrum (cui integrum decennium Petavius ex Diodoro tribuit) ferè geritur. Oritur & bellum inter Romanos & Gallos ſatis acre & diuturnum; tùm inter Dionem & Dionyſium in Sicilia. Hæc nullus anteceſſit Cometa: imò iſta omnia præceſſerunt iſtum. Et ſecuta eum ſunt uno die tria memorabilia, quæ Philippo obtigerunt læta, nuncii ſcilicet de victis Illyriis ac Potidea capta: de nato filio Alexandro, & victoria in certamine Olympiaco, ita ut tantam felicitatem levi aliquo incommodo diſtinguì optaret. Eodem verò die templum Epheſinum, inter 7. miracula tunc habitum, conflagravit, incenſum ab Heroſtrato turpi facinore (ô inſaniam!) clareſcere cupido. Paulò poſt Philippo contra vicinos, Dioni contra Dionyſium & ingratos cives res proſperè cedunt: aliaquè læta ſuccedunt, quibus ampliùs immorari nolo. Petavius ortum Alexandri (cui præluxit Cometes) in A. M. 3628. U. C. 398. ante Chriſtum Natum 356. Olymp. 106. refert.

XV. *Anno Mundi* 3628. *ante Chriſtum Natum* 341. *Anno* 4. *Olymp.* 109. *Prætor Athenis Lycomacho (aliis eſt Nicomachus) Cometa juxta circulum Æquinoctialem viſus eſt. Hunc ſecutus eſt ventus horribilis propè Corinthum. Et paulò poſt Athenienſes Demoſthenis ſuaſu cum Philippo Macedone congreſſi ad Chæroneam cæſi ſunt, amiſſis quibusdam millibus civium, deſitquè cum hac clade Græcorum potentia & libertas.* Eckſtormius ex Peucero. Ricciolus ad eundem Chriſti annum Cometam hunc annotat.

QUadriennio circiter diſtat hîc Eckſtormius à Bucholzero in putandis annorum rationibus: ita & à Funccio, quod Olympiades & natalem Chriſti attinet. Utrobi-

Utrobiquè ratione Nicomachi propior est Calvisio & Helvico, sed tùm pugna ad Chæroneam quadriennio circiter posterior esset Cometâ, utpote quæ à Calvisio & Helvico in A. ante Christum Natum 336. Olymp. 110. ann. 2. quo Charondas Athenis prætor fuit (ut & Petavius asserit, & in annis Christi ferè consentit) refertur. Huic Cometæ pugnæ istius, quæ toti Græciæ pernicioſa fuit, incommoda Eckstormius adscribit. Quomodocunquè ei cum illis Chronologis convenit, videbit ante Cometam Sidonem deletam, bellum Olynthiacum & Phocense illud in exitu: tùm illud Timoleontis in Sicilia: & Romanorum contra Volscos, Aruncos, Samnitum contra Campanos: pro his, utpote deditiis contra illos, licet fœderatos, bella: aliaque quæ prætereo. At post Cometam videre est non tantùm Philippi victoriam lætam, & augustum imperium, sed & moderationem animi insignem, pace & societate cum Atheniensibus renovatâ, Plateensibus post 90. annorum exilium toleratum in patriam restitutis, & totius Græciæ benevolentiâ feliciter comparatâ, ut Dux Græci nominis contrà Persas eligeretur.

XVI. *Apparuit Cometes & 70. diebus fulsit Anno ante Christum Natum 336. Olymp. 111°. Secundo Alexander M. exorsus est regnum, contra Thebanos, qui ab eo defecerant, arma contulit, & Thebas funditùs evertit, cæsis Thebanorum 90. millibus, captis autem 30. millibus.* Ricciolus l. c. ex Justino. Hùc spectant similia exempla Thracum & Lacædemoniorum, qui eidem Alexandro rebellantes, ab ejus præfecto Antipatro victi sunt. Tùm Latinorum, qui itidem rebellione victorias Romanorum & vires auxerunt.

IN annis Christi & Olympiadum ferè hîc Ricciolo convenit cum Funccio, Bucholzero, Calvisio, Helvico & Alstedio. Sed Petavius regnum Alexandri auspicatur ab anno ante Christum Natum 348. U. C. 418. & hîc quidem vix uno anno ab eis dissidet, eundem verò Archontem Athenis Pythodorum (qui & Pythodemus) cum Calvisio & Helvico nominans. Nos, etsi discrimen illud in medio relinquamus, illos tamen potiùs hîc sequemur. Prudenter & candidè Ricciolus dicit Cometam istum (sicut prior ille natali Alexandri prælucens Illyriis tristis, Philippo ejus patri lætus fuerat) Dario quidem ultimo Persarum Regi uno anno cum Alexandro, sed longè dispari genio & fortunâ regnum inchoante, & Persis infaustum, sed Alexandro primo Græcorum Monarchæ & Macedonibus faustum fuisse. Is rebus in Græcia compositis, Thraces & Illyrios subegit, Græcos in fide nutantes compescuit, Thebanos oppressit, Athenienses ad petendam pacem coëgit, Persarum Monarchiam 200. annis florentissimam, tribus intrà sexennium præliis fregit, & in Græciam transtulit. Ut taceam captas & miserè habitas Tyrum, Gazam, Persepolin, Urbes opulentissimas, erectam Alexandriam, aliaquè quæ in historia occurrunt, Magnis hîc exemplis profectò rerum vicissitudinem Cometæ comitem assertam videmus.

XVII. & XVIII. *Anno Mundi 3765. ante Christum Natum 204. U. C. 549. (Peucero 550.) fax stellæ specie, ab ortu Solis ad occidentem porrigi visa est. Livius Decad. 3. lib. 9. Eodem anno Scipio in Africam trajecit, Pœnos fudit, Hannonem occidit. Hannibal in Brutiis à Sempronio Cos. victus est. Altero anno post alia rursus visa fax. Eo Scipio Poenorum castra ad Uticam incendit: Romani multas civitates in Brutiis receperunt: Hannibal in Crotoniensi agro cæsus: Mango Hannibalis frater cruento prælio victus: Castra Syphacis Regis flammâ expugnata cum ipso Rege capta.* Eckstormius ex Peucero.

IPse Eckstormius, recensitis tot gestis, apertè testatur faces ejusmodi non minus lætis quàm tristibus prælucere, & vicissitudinem rerum monstrare. Sed inter hoc & illud postremum Cometæ phœnomenon intrà 100. amplius annos, quot non opus fuisset Cometis non dicam, ad efficienda, (hoc enim dicere plus quàm temerarium est) sed ad significanda tristia, si id semper fieri necesse foret. Nullus Cometes portendit

tendit Darii victi, nullus & Alexandri Magni ejus, imò Asiæ, imò mundi Victoris mortem, ne extemplò secutam præceptoris ejus Aristotelis, & æqualis Demosthenis, utriusquè noni septennii climactericum magnum assecuti, mortem memorem. Nullus tot in orbe Regum, Ducum, & aliàs Virorum Clarissimorum. Sed nec tertium diluvium Rhodium. Non bella gentium perpetua, multa etiam non tantùm cruenta, sed & diuturna, quale Samniticum, 70. amplius, & Punicum primum 23. secundum 17. annorum. Non frequentes exercituum clades: quas inter illa memorabilis, quæ 30140. Samnitum unâ die neci, 3870. in vincula Romanorum dedit; tùm quæ 40. millia Gallorum, plus verò Romanorum ad Cannas, (ut Ficinum amnem & Thrasimænum lacum, tot millium Romanorum cruore tinctum, festinato transeam silentio) hausit. Non terræ motus, & urbium ac civitatum ruinas. Quibus enarrandis unus non sufficeret dies. Sed ad nostrum phœnomenon redeamus. Si paulò superiorum annorum consulamus memoriam, videbimus quidem Fabii moram Annibalis ferociâ fortiorem, & egregia facinora Marcelli, Livini, Martii, P. & Cn. Scipionum aliorumque. Sed & victos Minutios confidentes, Sempronios Grachos & Postumios Albinos incautos ex insidiis oppressos, Centenios belli rudes & Fulvios disciplinæ militaris negligentes cæsos, ipsosque Scipiones victoriarum magnitudine fessos, & ad ultimum hostili potentiæ impares. Videbimus Scipionem, illum Africanum in Hispaniam cum imperio missum, Carthagine novâ potitum, Mangonem Annibalis fratrem victum & vinctum Romam missum, Asdrubalem quoque domitum, & alias res prosperè à Romanis gestas. Sed & M. Claudii, Marcelli, quintum consulis, Viri illius Fortissimi, & Collegæ ejus Quintii Crispini interitum, Locrorum obsidionem ab Annibale solutam, Sempronium Tuditanum Cos. temeritatis pœnas dantem. Hæc & alia nonnulla phœnomenon illud præcesserunt adversa. Secuta sunt autem adeò multa prospera, ut ferè tunc Romani non annos singulos, sed menses victoriis, triumphis & legibus pacis describerent. Victi à Scipione Pœni. Hanno occisus. Victus *in Brutiis* Annibal ab illo Sempronio, melioribus auspiciis pugnante, Syphacis & Asdrubalis castra à Scipione deleta. Syphax Rex paulò ante Scipionem arroganter excipiens, tunc vertente rerum rotâ, catenatus & ad genua ei provolutus, Romam ab illo missus. Annibal mœstus in Africam redire coactus. Mango in Insubribus victus & occisus. Annibal iterum à Scipione victus, fugâ salutem quærit. Bello Punico 2. finis cum laude impositus. Carthaginienses ad pacem petendam coacti leges victoris subeunt.

XIX. *Anno Mundi* 3769. *ante Christum Natum* 200. *apparuit Cometa in signo Cancri.* Eckstorm. ex Herlicio.

NOn annotat Alstedius & Ricciolus hunc Cometam, sed nec Eckstormius ullum ejus effectum vel potius eventum. Ego dabo pauca quæ ad rem spectant. Cometam hunc præcesserunt omnes illæ Pœnorum in Italia & Africa clades & strages, sed Romanorum victoriæ & tropæa. Excepit eundem, credo, ille de Pœnis, Annibale & Syphace triumphus omnium nobilissimus & splendidissimus Scipionis,

Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit.

In eundem certè annum à Bucholzero (quem sequi Eckstormius solet) conjicitur, ut in sequentem à Calvisio, qui anno ante Christum Natum 200. memoriæ prodit Carthaginienses duobus præliis fractos, 35. millibus hominum amissis; & in priori quidem 20. millibus à Romanis captis, pacem petiisse; Anno verò 199. ut Macedonum Legatos, superbiùs agentes, pacem non impetrasse, ita Carthaginensium modestius se gerentes eandem, cum omni tamen interdictione belli in Africa, deditione classis, elephantorum, profugorum, captivorum, & mulctâ decem millium talentorum, obtinuisse. Masinissam præterea Regem Numidiæ parte regni paterni donatum esse: demum Scipionem omnium clarissimo triumpho urbem invectum, & primum nomine

ne à se victæ gentis nobilitatum & Africanum appellatum esse, ac 100. millia pondo argenti in ærarium intulisse refert. Præluxit Vir Magnus tot præclaris facinoribus non ani Collegarum & popularium suorum. Nam è vestigio Insubribus, Gallis, Bojis, Macedonibus, Hispanis, Lusitanis & Asiaticis victis, Consul Ælius, Furius Prætor, L. Cornelius Lentulus, Sempronius Cethegus, Minutius Rufus, Furius ille, nunc Cos. & Collega ejus Claudius Marcellus, M. Porcius Cato, T. Quintius, triumphis multis actis, Urbem læticiâ, Orbem famâ impleverunt. Ne ad Scipionis Nasicæ, Optimi Viri à Senatu judicati, res præclarè contrà Hispanos, Bojos & Asiaticos gestas, ipsiusque triumphos, me conferam. Aut ad L. Cornelii Scipionis, qui Africani fratris consilio salubri feliciter in illo contra Antiochum bello usus, ejus etiam exemplo cognomen Asiatici sibi peperit, & aliorum Virorum fortium quatuor uno anno triumphos, per aliquot annorum intervallum abripiar. Interim viciniora, domitam Macedoniam, alienæ libertati gravem, restitutam Græciæ pacem & libertatem, subactam Minorem Asiam, secundis præliis victos Philippos, sed & Antiochos Magnos: verbo; datas à Romanis terrâ mariquè, bello paceque, orbi leges, memorabo. Non facilè profectò invenire est exemplum, tàm multa prospera, & quidem vix adversis dispuncta, tàm brevi temporis spatio, inter duo ejus generis visa in cælo phœnomena, evenisse.

XX. *Anno Mundi* 3785. *ante Christum Natum* 183. *horribilis Cometa arsit* 80. *diebus.* Eckstormius ex Cornelio Gemma. *Seleucus Rex Syriæ mittit Heliodorum, ut thesaurum templi Hierosolymis auferret, sed ille ab Angelis probè pulsatus, precibus Oniæ Sacerdotis vix obtinuit vitam,* 2. *Maccab.* 3. *Eo anno etiam Celtiberi in Hispaniâ magnâ clade affecti sunt. Hannibal voluntariâ morte obiit. Scipio Africanus defunctus est. Philopœmenes, Achæorum Dux fortissimus, à Messeniis in carcere necatus est.* Idem Eckstorm. ex Schossero.

NEquè hic Cometa ab Alstedio vel Ricciolo annotatur. Exiguum hîc est discrimen annorum inter Eckstormium, Bucholzerum, Funccium, Calvisium, Helvicum & Petavium. Bucholzerus mortem Africani in annum superiorem conjicit. Sed esto, hoc anno mortuum esse, qui fuit secundum Bucholzerum U.C. 569. Imò sequamur Petavii accuratissimum Ratiocinarium, & mortem Africani in annum U. C. 570. (qui tamen ante Christum Natum 184. foret) ponamus. At eodem natus est Scipio Africanus Minor, ut Bucholzerus & Helvicus notant. Mortuus autem sub idem tempus post Scipionem (qui in exilium ivit voluntarium ab ingrata patria, quam toties servârat, ob venditam Antiocho pacem accusatus) & Annibal veneno, * & Philopœmen ille Clarissimus Achæorum Dux à Messeniis captus, in carcere, ut Eckstormius memorat. Adeò diversa & lugenda sæpiùs sunt virorum fortium fata! Sed ante Cometam Antiochus ille in convivio temulentus, si Aurelio Victori, vel si Straboni & aliis credimus, in tumultu à barbaris facto, Beli Jovis templum deprædari volens, oppressus est. Ante Cometam & Q. Martius Consul saltum in Liguria clade suâ nobilitavit. Græci à Philippo Macedonum Rege, gravi vicino, premuntur. Romani in Hispania cladem accipiunt: aliaque tristia hîc & illîc eveniunt. At à viso Cometa, Prætores re melius in Hispania gestâ, occisis scilicet 30. millium hostibus, ex Hispania triumphant, C. Calpurnius Piso & L. Quinctius Crispinus de Lusitanis & Celtiberis, eodem quo Africanus mortuus est anno, Coss. P. Claudio Pulchro & L. Portio Licino, ut notat Calvisius, quod & Petavii rationes firmant. Mox Galli Transalpini domantur. Eumenes Rex Asiæ à Prusia Bithyniæ Rege vincitur. Terentius Varro Celtiberis in Hispania victis urbem ovans ingreditur. Æmilius Paullus totam Ligurum gentem in deditionem accipit, de iisdem triumphat, qui currum ejus secuti cadit, & de iis triumphum agit. Istria tota in fidem accepta. Hîc gradum sisto, nec perpetuam pacem à populo Romano exorant. Fulvius Flaccus ulteriores Celtiberos

* Vid. Justin. l. 32. & Victor, Strigelini Comm. in Justin. p. 359.

adres

ad res Romanorum feliciter in Luſitania & Celtiberia geſtas, & duos triumphos, quos bidui ſpatio Roma Anno à prima origine 575. vidit, devenio. At verò quod ad illum Heliodorum à Seleuco miſſum attinet, ipſe Eckſtormius fatetur, eum temeritatis pœnam gravem dediſſe, remquè hanc Judæis glorioſam extitiſſe, ita ut Heliodorus Regi rem geſtam referens, nonniſi hoſtem & perduellem ad vexandum Judæos mittendum eſſe, agnoverit.

XXI. *Anno Mundi* 3801. *ante Chriſtum Natum* 168. *Urbis Romæ* 585. *arſit Cometa, cui tribuitur nomen Hircus.* Eckſtormius ex Seneca l. 7. nat. qu. Alſtedius hunc Cometam in annum M. 3781. U. C. 584. refert. Neuter ei ullum tribuit effectum.

XXII. & XXIII. *Anno Mundi* 3803. *ante Chriſtum Natum* 166. *Urbis Romanæ* 587. *Lavinii conſpecta fax, & anno ſequenti altera Lanuvii. Eodem devicti Gentius Illyriæ Rex, & Macedoniæ Perſeus.* Eckſtormius ex Peuceri Meteorologia.

JUngenda ſunt iſta tria phœnomena, quæ triennio à ſe diſtant. Primum illud ſive Cometam præceſſit bellum Macedonicum contra Perſeum, ultimum Macedoniæ Regem, Jeroſolymitanæ Urbis direptio, octoginta millium cædes, totidem millium venditio, 40. millium abductio, ipſiuſquè templi profanatio, per Antiochum Epiphanem, fæviſſimum Judæorum perſecutorem, facta, U. C. 583. Calviſius, Helvicus. Pax Corſis data, Ligurum deditio, aliaquè. Secuta ſunt Cometam & geminas illas faces permulta læta, pauca triſtia. Nempe enim Anno U. C. 586. victoriam celebrem Æmilius Paullus de Perſeo retulit. Ita tranſlatum regnum Macedonicum, quod à morte Alexandri M. 150. circiter annis ſtetit, ad Romanos. *Tanta verò pecuniæ copia per Æmilium Romam illata, ut populus Romanus ex eo tempore tributum ſolvere deſineret uſquè ad Hirtium & Panſam Coſſ. 125. annorum ſpatio.* Antiochus Ægypto expulſus. Illyricum & Dalmatia ſubacta, & in provinciæ formam redacta. Perſeus in triumpho cum liberis ductus. Pruſias Bithyniæ Rex cum filio Romam adorat. Sed & Eumenes Pergami Rex. L. Anicius Gallus Prætor triumphat, Gentium Illyriorum Regem cum fratre, uxore & liberis ante currum ducens. M. Claudius Marcellus de Gallis, Contrubis, item Liguribus aliiſquè hoſtibus, Sulpicius Gallus pariter de Liguribus triumphat. Sed tantæ lætorum in orbe luci, tenebras triſtia offuderunt. Fateor. Nam quæ Romanis aliiſvè læta, eadem aliis fuêre triſtia, quod ſatis ipſe Eckſtormius Illyriorum, Macedonum & Romanorum exemplis ab ſe allatis confirmat. Inter hæc meritiſſimo cenſenda eſt iterata Jeruſalem direptio, per immanem Antiochum facta. At mox elucent fortiſſima Judæ Maccabæi, Incomparabilis Patriæ defenſoris facinora, multæ inſignes victoriæ de hoſtibus ſpurciſſimis obtentæ, templi repurgatio & mors crudeliſſimi Antiochi.

XXIV. *Anno Mundi* 3819. *ante Chriſtum Natum* 150. *poſt mortem Demetrii Regis Syriæ, qui in acie interfectus regnum & vitam amiſit, Cometa horrendæ magnitudinis exarſit, quem claritate luminis ignei & rutilantis, noctis tenebras diſpuliſſe, & magnitudine Solem æquaſſe ſcribunt. Hoc prodigium ſtatim ſecutum eſt tertium bellum Punicum.* Eckſtormius ex Buntingo & Camerario.

Alſtedius hunc Cometam in annum M. 3798. (qui illi ante Chriſtum Natum 151. eſt) referens nullum ei effectum tribuit. Ricciolus eum deſcribit ex Seneca, nec ſolum bellum Achaicum, Anno ante Chriſtum Natum 146. cœptum, eum præceſſiſſe cum Seneca, ſed & Corintho & Carthagini deletis infauſtum fuiſſe ait. Hunc Cometam nonnulli putant eſſe illam ſtellam novam ab Hipparcho obſervatam, de qua Plin. l. 2. c. 26. Milich. in h. l. Keckerm. Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. p. 966. ubi & Tychonem non procul ab iſta ſententia diſcrepare ait, licet eum illam re-

pre-

prehendisse antea fateatur. Sed Ricciolus negat eum huic sententiæ favere, quam & ille rejicit, stellam illam in annum circiter ante Christum Natum 125. referens Almag. l. 8. sect. 2. c. 1. §. 111. p. 131.

COnstituenda rectè est sedes, ut sic dicam, Cometæ hujus Chronologica. Qua in re non levis oritur difficultas. Mors Demetrii Primi, illius scilicet, cujus Demetrius *(scil. II.) & Antiochus VI. liberi fuêre, ut expressè Seneca ait, quiquè Soter dictus est, incidit in annum M. 3813. U. C. 601. ante Christum Natum 150. secundùm Funccium: anno Mundi 3822. U. C. 602. antè Christum Natum 149. secundùm Bucholzerum: A. M. 3798. U. C. 601. antè Christum Natum 150. secundùm Calvisium, Helvicum & Alstedium, inter quos vix unius anni discrimen erit. Atqui in confesso est bellum Achaicum cœpisso anno U. 606. ex rationibus Bucholzeri Bongarsii, Calvisii & Helvici, vel anno 607. ex rationibus Funccii & Petavii. Itaquè belli hujus initium à fine regni Demetrii 6. circiter annis distat. Intrà hoc tempus ex sententia Senecæ apparuit ille Cometa ingens, non minor Sole. Sed annus U. C. 607. Funccio est ante Christum Natum (ne annorum mundi ingens discrimen hîc attingam) 144. Olymp. 158. tertius, ut & Calvisio, Helvico & Alstedio, sed & Bucholzero, nisi quod annus iste ei sit & Petavio antè Christum Natum 145. huic verò ejusdem illius Olymp. 158*. secundus. Videmus Chronologos in annis Urbis & Olympiadum optimè convenire. Itaquè in medio relictâ illâ, quæ in reliquis rationibus cernitur differentiâ, puto rectè omnia se habitura, si Cometam illum in Annum circiter ab U. C. 603. antè Christum Natum 148. constituamus, Achaici belli initio in tempus paulò posterius, quadriennii circiter, delato, ut Senecam rectè intelligamus, & annorum rationes rectius, si fieri possit, ordinemus. Certum est paulò post mortem Demetrii, (quæ docet Reges sine Cometis mori) excepisse triumphos Mummii de Lusitanis, & Marcelli de Celtiberis. Secutæ verò sunt & P. Cornelii Scipionis Æmiliani res in Hispania feliciter gestæ, tùm in Africa, ita ut Cato Major hunc solum in Africa vigere, reliquos tantùm umbras esse affirmaret. Secutæ & nuptiæ Alexandri Balæ, Regis Syriæ, cum Cleopatra filia Ptolemæi Philometoris, Regis Ægypti, quæ Jonathani Judæorum Summo Sacerdoti Regiæ amicitiæ præsidium conciliarunt. Secuta & victoria Masinissæ Regis nonagenario majoris, (qui 60. annis amicitiæ jura cum Romanis coluit) caussam justam contrà Carthaginienses armis prosequentis. Quâ occasione notum est, paulò post cæpisse bellum Punicum tertium, consentientibus illis Chronologis, nisi quòd in Annum U. C. 604. Dionysius, Solinus, Bucholzerus, Calvisius, Helvicus, sed in 605. Plinius, Censorinus, Funccius & Petavius, initium ejus ponant. Fieri autem potest, non annotato accuratè Cometæ ortûs tempore, belli istius initium præcessisse Cometæ apparitionem. Utriusquè enim ortus in idem tempus incidit. Quod ut in medio relinquamus, satis constat bellum illud quatuor annorum Romanis prosperum fuisse, sicut & illud Macedonicum tertium, adversùs Andriscum, qui Philippi, Persei filii, nomen mentitus, non leve negotium Romanis facessiverat. Qua de caussa Romano Imperio Macedonia, Q. Cæcilio Metello autem non tantùm clarissimi triumphi, sed & nominis Macedonici æterna gloria accessit.

XXV. *Anno Mundi 3823. ante Christum Natum 146. Urbis Romæ 607. arsit Cometa totos 32. dies. Eodem anno L. Mummius Coss. Corinthum Achaiæ urbem funditùs eruit: Carthago à Scipione capta & diruta.* Eckstormius ex Peucero.

HIc est Cometa ille, quem cum proximo unum eundemquè esse Ricciolus putat: quod illi probandum relinquo, semper meliora discere paratus. Non ponit Eckst. an Cometam istum præcesserit, an verò secuta sit illarum duarum urbium, toto orbe celeberrimarum, & excepta Româ potentissimarum, ruina. Ubi obiter notandum, Corinthum annis 955. Carthaginem annis 737. ab origine sua, stetisse, Carthaginis in-

* Vid. Reinecc. famil. Seleucid. p. 35. & 36.

cendio

cendio luculentum divinæ juſtitiæ, quæ ab eis Acragantum Siculorum Phalaridis tauro celeberrimam ante 260. annos, direptam & dirutam, tandem vindicaverit, documentum præbente: Ex hiſtoria, quæ Cometæ illius non meminit, nil certi erui hîc poteſt. Triſtia hæc fuêre, imò exitioſa Achæis & Carthaginienſibus, utriſquè nimiâ potentiâ abutentibus, illis quidem contra Lacedæmonios alioſque Græcos, his contra Maſiniſſam, populi Romani ſocios, quin etiam his fœderis leges violantibus, & urbem ſuam æmulam imperii Romæ opponentibus. At Romanis nil lætius iſtis. Hæc triumphos Victoribus, hæc Scipioni Æmiliano Africani Minoris, Mummio Achaici cognomen, hæc etiam Romano Imperio ſecuritatem, urbi maximas divitias maximamque gloriam attulerunt. Utriuſquè urbis caſum Plinius, Funccius, & Petavius in annum à condita Roma 608. Bucholzerus, Calviſius & Helvicus in 607. referunt. Ab apparitione ejuſdem Cometæ res Jonathæ & Simeonis Ducum Judææ proſperè primùm ſuccedunt. Conciliatus enim eſt muneribus Demetrius Rex, & fama virtutis Tryphon, qui in Syria tyrannidem invaſerat, & (ut

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum:)

ex Regis Alexandri ſatellite, filii ejus Antiochi tutor & prorex, mox carnifex & parricida in Principem evaſerat. Tum Lacedæmonii & Romani in Societatem fœderis pertracti ſunt. Quamvis autem paulò poſt Jonathas perfidiâ Tryphonis occubuerit, tamen Simeon rem fortiter reſtituit, amicitiam cum Demetrio renovavit, ſocietatem armorum inivit, libertatem populo obtinuit, Gazam urbem expugnavit, Sionem montem, præſidio Regio cuſtoditum cepit, & ſolo æquavit. Hac ratione Vir piâ & felici virtute clarus, jugum ſervitutis Syriacæ proſperè depulit, lætiſſimam ſolemnitatem conſtituit, æramque ſuam, quæ Haſmonæorum vocatur, piis certè omnibus lætam, omnium Seculorum memoriæ commendavit, divinâ vindictâ furentem latè longequè Tryphonis perfidiam mox aſſequente. Inter hæc C. Fabius Maximus Æmilianus rem in Hiſpania contrà Viriatum, celebrem illum Romanorum hoſtem, qui ex paſtore venator, mox latro, tandem dux & Imperator evaſerat, & multùm negotii Romanis felici temeritate faceſſiverat, melius quàm alii gerit. Pariter Claudius Pulcher contra Saluſſos, gentem Alpinam, à quibus paulò ante clade affectus erat, proſperâ fortunâ uſus eſt: ideò triumphum privatis ſumtibus agit.

XXVI. *Anno* 3833. *ante Chriſtum Natum* 136. *Urbis Romæ* 617. *Præneſte fax luxit, & intonuit ſereno. Paulò poſt cæſus ad Numantiam Hoſtilius Mancinus Conſul.* Eckſtormius ex Peucero.

HUnc Cometam Ricciolus in annum ante Chriſtum Natum circiter 135. ponit, & ad eum illa Senecæ verba refert: *Attalo regnante initio Cometes apparuit modicus: deinde ſuſtulit ſe diffuditque, & uſquè in Æquinoctialem circulum venit, ita ut illam plagam cæli, cui Lactea nomen eſt, in immenſum extenſus æquaret.* l. 7. Nat. Quæſt. c. 15. Sed notandum eſt quoſdam pro Attalo, legere Archelaum Regem Macedonum. Milich in l. 2. Plin. c. 25. quod neſcio unde ille acceperit. Nam & Clariſſimus Gronovius poſt tot Criticos non aliter legit, imo nullus tot Virorum Præſtantiſſimorum diverſam lectionem annotavit. Hîc quoquè occurrit diſcrimen annorum inter Eckſtormium & ipſum Bucholzerum alioſquè Chronologos, leve tamen. Nam ſecundùm rationes Bucholzeri, Calviſii, Helvici clades illa Manciana, qua 30. millia Romanorum à 4. millibus Numantinorum, turpi Ducis ignaviâ, victa ſunt, eâque turpior pax in annum U. C. 616. refertur. Quod argumento eſſe poteſt, cladem illam phœnomeno priorem eſſe. Funccius quidem & Petavius in annum 617. ponunt. Is tamen in annum 616. Numantinos fortiter Romanis repugnantes M. Popilii Procoſ. exercitum cæcidiſſe refert. Quâ ratione hæc ſaltem clades Cometam præceſſit. Calviſius eam anno U. C. 615. Coſſ. P. Cornelio Scipione Serapione & Decio Junio Bruto contigiſſe

prodit. Hoc etiam cum rationibus Helvici convenit. Post hunc Cometam Fulvius Proconsul, victis Vardæis in Illyrico, triumphat: bellum servile in Sicilia ortum, aliquot Romanorum cladibus nobile, exacto triennio feliciter confectum est, Deo semper subjectorum castigante ferociam. Interim Africano Minore duce Numantini fame dira in mutuas cædes præcipites acti, urbs eorum eversa, & Africanus de ea triumphavit, ab eaque Numantini nomen consecutus est, belloque Celtiberico difficili, 20. annis gesto, finem imposuit, bis septimo ab eversa Carthagine & Corintho anno. Quæ itidem his tristia & pernicioſa, sed Romanis læta: nempe quia in rebus humanis ἐπιχαιρεκακία (gaudium ex alieno malo) omnium seculorum exemplis firmata, malis alienis, etsi eos hostes Tibi feceris, lætari proh dolor! permittit. Has victorias excepit Attali ultimi Pergamenorum Regis mors, quæ opimâ totius regni hæreditate, Læta Romanis extitit. Quorum multiplicem lætitiam Gracchorum seditio dispunxit, & mox bellum Asiaticum cum Aristonico intrà triennium confectum est.

XXVII. *Anno ante Christum Natum* 129. *vel* 130. *nascenti Mithridati* 70. *diebus præluxit Cometa.* Ricciolus ex Justino: cujus hæc sunt: *Hujus igitur futuram amplitudinem, etiam cælestia ostenta prædixerant. Nam & quo genitus est anno, & quo regnare primùm cœpit, stella Cometes per utrumquè tempus septuaginta diebus ita luxit, ut cælum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine quartam partem cæli occupaverat, & fulgore nitorem Solis vicerat, & cum oriretur occideretque quatuor spatium horarum consumebat.* l. 37.

MAgna hîc quoquè inter Historicos & Chronologos diversitas sententiarum est circà annos ætatis & regni Mithridatis, sive, ut Reineccius & alii loqui amant, Mithradatis, qua de re alibi egimus. Hîc verbo dicimus, docente Doctissimo Bongarsio magis Latinè dici, ut Masiniſſa pro Masaniſſa, Massilia pro Massalia, Catina pro Catana &c: ita & Mithridates pro Mithradates. Periit is Julio Silano & Licinio Muræna Coss. ætatis 72. regni 60. ut ex Eutropio putat Ricciolus, sed & Petavius, tùm Bucholzerus & Helvicus, nisi quòd hic in Coss. differat à Ricciolo, & ultimum regni & vitæ ejus annum in U. C. 689. Coss. L. Jul. Cæsarem & C. Martium Figulum referat: alii in annum sequentem U.C. 691. ut Orosius, & Petavius, M. Tullio & C. Antonio Coss. vel 690. ut Bucholzerus, & Calvisius, alii, ut Funccius, in 692. sed in eosdem Coss. quos Ricciolus nominat, cujus etiam auctoritatem pro se Ricciolus adferre potest. Is hunc Cometam inter faustos ponit: quòd ortui tanti Regis præluxerit, qui à rebus gestis Magni cognomen consecutus est. Fuit enim vigore animi pariterque corporis clarissimus, verus πολύγλωσσος, utpote qui XXII. nationum, quibus imperabat, linguas calluerit. Inde non tantùm Conservator Asiæ, sed & Deus, Cicerone teste, *(Orat. pro L. Flacco)* dici meruit, & terror Romanorum, orbis tunc dominorum, quos indomitus LXVI. (ita nonnulli, ubi legendum XLVI. vel potiùs XXVI. puto) annis exercuit. *Vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, consiliis Dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal*, ut Paterculus ait l. 2. c. 15. utpote qui unâ die, unâ epistola, uno nuncio & uno puncto temporis 150. millia Romanorum in Asia trucidaverit, ut Plutarchus in Sylla, vel 160. ut Appianus in Mithridate, vel saltem 80. millia, ut Memnon, Valerius Maximus, & ex iis Calvisius, Alstedius aliique putant. Tunc *Prætores deditos, Legatos in vincula conjectos, nominis propè Romani memoriam cum vestigio imperii non modò ex ædibus Græcorum, verùm etiam ex literis esse deletam*, Cicero graviter Orat. pro L. Flacco dolet, & quia oblivioni tradi nequeant, tacenda esse fatetur. De quibus plura apud Ciceronem Orat. pro L. Manilia & apud Plutarchum in Sylla & Lucullo aliàsque videantur. Hic unum notandum restat, quod jam innui, Mithridatem nec XLVI. ut Alstedius, nec multo minus LXVI. annis, ut alii putant, sed XL. ut Florus, Eutropius & Appianus, vel XLII. ut idem sibi ipsi contradicens, vel XXX. ut Orosius, vel certè XXVI. annis bella cum Romanis gessisse, ut ex Appiano deducit Petavius, quod & Funccius & Calvisius asserit. Ex Bucholzeri & Helvici

ratio-

rationibus xxv. ex Bongarsio xxvii. colligo annos, quibus bella inter Romanos & Mithridatem, nec tamen continuò durarunt, postquam Rex ille Magnanimus, non amplius omnigenas multitudines multilingueſquè, ut Plutarchus ait in Lucullo, minas barbarorum, quarum bello primo nocumenta erant ipsi documenta, sed formâ more Romano arma expedivit, & nimiam tunc Romanorum potentiam, permissu minimùm divino, temperavit. Meritus est tanti Regis (quem ægrè tres fortissimi Romanorum Duces oppressêrunt, Sylla eum debilitante, Lucullo frangente, Pompejo vincente & triumphante) & ortus, prænuncium Cometam, & gloriæ splendor, aliquam hîc scriptionis curam. Meminit hujus, ut & sequentis Cometæ Sabellicus Enn. 6. l. 3. ab initio.

XXVIII. *Anno ante Christum Natum* 119. *regnum ineunti Mithridati* 70. *paucis diebus præluxit Cometa.* Ricciolus ex Justino.

REctè Ricciolus Cometam hunc & regni Mithridatis initium in annum illum refert. Favent ei rationes Calvisii. Ille enim auspicium regni ejus in annum circiter ante Christum Natum 118. at Helvicus in 121. refert. Hic Cometa quot non tantùm tristia, sed & læta ante se præmiserit, & post se traxerit, tàm Romanorum quàm aliorum gesta, multùm variante bellorum fortunâ, docent. Nam anno ante Christum Natum 119. qui U. C. est Funccio Calvisio & Helvico; 632. Bucholzero & Alstedio 633. Petavio autem 625. si quadriennii circiter gesta consulamus, Ætna in Sicilia insolenti incendio flagrat, nec in rupes tantùm, mare, naves, pisces, sed in magnam hominum multitudinem sævit, Aristonicus Rex ille Asiæ in carcere Romano strangulatur, Demetrius Rex Syriæ, ab uxore & liberis desertus & proditus hostili, filius ejus Seleucus maternâ *(ô Cleopatram inhumanam, Medeâ crudeliorem! hâc ex necessitate, illâ ex ambitione filium trucidante) cadit manu. Alexander Zebina Demetrii interfector à filio ejus Antiocho Grypho †(qui & Philometor) trucidatur. Hunc crudelissima illa matrum Cleopatra veneno tollere laborat, hoc bibere à filio jussa, filiali cadit manu, Deo justam vindictam illustribus exemplis, meritò metuendis, testante. Tunc Fulvius Cos. Ligures Transalpinos, Opimius Prætor Fregellanos insigniter afflixit. Arbenorum infinita multitudo à Romanis cæsa. Locustæ in Africa ingentia ediderunt damna: tandem vi venti mari mersæ corruptionem aëris & pestem (quæ 800. millia hominum in Numidia sola, 30. millia Romanorum militum hausit) post se, ut sunt semper animalium morientium venenatissimi morsus, reliquerunt. Bellum Balearicum geritur. Gallorum Allobrogum 20. millia à Domitio Procos. cæduntur. Opimius Consul non tantùm Gracchianas leges, sed & earum conditorem ejusque socium Fulvium & alios immaniter trucidat, belloque civili viam præparat, ipse paulò post furti accusatus & perpetuâ ignominiâ notatus. De Liguribus tamen & Arvernis triumphos Roma videt. Hæc cuncta præcesserunt Cometam, si sequamur rationes Bucholzeri, Calvisii & Helvici. Jam quæ secuta sint Cometam videamus. Bituitus ferox & superbus Allobrogum Rex amissis 30. ut Calvisius, vel 120. ut Petavius putat, millibus hominum, à Fabio Procos victus, vinctus, Romam deductus, cum filio Albam in custodiam datus est. Thraces edomiti, tùm Sarnii gens Alpina: Dalmatæ, ab se submittendum nomini Romano coacti, ideò Martius de illis, Cæcillus Metellus de his, Dalmatici quoque assumto cognomine, triumphavit.

* Appian. Flor. Justin. † Vid. Reinecc. famil. Seleucid. p. 39.

XXIX. *Anno Mundi* 3853. *ante Christum Natum* 116. *apparuit Cometa in signo Cancri.* Eckstormius ex Herlicio.

AN non hic Cometa idem sit cum priori, in tanta rationum Chronologicarum, multum alioqui differentium, viciniâ, non immeritò quis suspicari potest. Ego cum

cùm paucæ circumstantiæ utriusquè Cometæ à Ricciolo & Eckstormio annotentur, rem in medio relinquo. Facili autem negotio à viso Cometa, ad triumphos de Liguribus Æmilii Scauri, de Sardis M. Metelli, de Thracibus L. Metelli, de Macedonibus Didii deveniam. Ne paulò longius ad natales Ciceronis & Pompeji Magni, qui in ann. U C. 647. circiter inciderunt, resque feliciter à Romanis gestas contra Jugurtham (qui fratribus se melioribus crudeliter necatis, nec frustra aliquandiu ferreis, præsertim verò argenteis contra Romanorum Duces pugnans hastis, tandem justam Dei vindictam, Romam ductus & in carcere fame enectus, sensit) provehar. Sic enim mihi triumphi Metelli de Numidis, Minutii de Scordiscis & Triballis, Cæpionis de Hispanis, Marii de Cimbris, gente fortissima & ferocissima, attingendi forent. At simul memorandæ essent magnæ & fœdæ clades Romanis à Cimbris & Teutonibus quater illatæ; quarum ultima, quam Cn. Manlius Cos. & Q. Cæpio Procos. inter se ex ambitiosa invidia discordes subiêre, ut Calvisius 60. ut Petavius putat 80. millia Romanorum cum Cos. adhæc 40. ut Calvisius, 60. ut Petavius censet millia lixarum & calonum hausit, quadriennio circiter Cometam præcessit. Tùm & illa victoria Jugurthæ ab Aulo Postumio vendita, sed & illa Mariana ad Aquas Sextias de Teutonibus obtenta, quæ intrà biduum amplius 150. millia hostium absumsit. Quæ ut his vel illis tristia fuerunt, & Cometam illum, longo tamen intervallo, exceperunt, ita proximè sequens phœnomenon non magno spatio, vel etiam proximè antecesserunt.

XXX. *Anno Mundi 3870. ante Christum Natum 99. Urbis Romæ 654. Tarquiniis fax ardens flammam longè lateque sparsit, subitoque præcipitata lapsu decidit, & orbis Clypei figura sub occasum Solis ab occidente in orientem protendi visus est. Eo anno in Sicilia trucidati sunt fugitivi.* Eckstormius ex Peuceri Meteorologia.

PHœnomenon hoc incidit, secundùm rationes Bucholzeri in Ann. M. 3871. ante Christum Natum 100. U. C. 652. A quo hîc collocatur illud servile bellum, Athenione duce interfecto (adeò in opprimenda seditionis face multum situm est!) confectum feliciter, ut aliàs, Deo semper pro Magistratûs legitimâ potentiâ stante: Idem Ptolemæi Lathyri (qui nonnullis & Physeon & Euergetes, aliis Soter) hominis suprà quàm dici potest fœdissimi & sævissimi exsilium, in quod impium filium non melior mater ejecerit, ab illo parricida postea interfecta, & geminam cladem Cimbris & Teutonibus à Mario illatam in idem tempus refert. Et in posteriori quidem 120. millia Cimbrorum cæsa, 60. millia capta, nec tantùm viri, sed & fœminæ ad tristissimam desperationem & inferendas sibi violentas manus adacti. In annum sequentem Bucholzerus nativitatem C. Julii Cæsaris ponit. Ita secundùm ejus rationes tristia lætaque circa phœnomenon illud acciderunt. Phœnomenon dico. Plinius enim l. 2. c. 34. cum antehac cap. 25. de Cometis egisset, clypeum ardentem (qui impressio ignita sive meteoron ignitum ascendens vocatur) appellat, & à Cometis distinguit. In illum autem annum U. C. 654. putante post Funccium & Petavium Eckstormio, annum 653. Bucholzero, Calvisio & Helvico constituentibus, non tantùm Metelli Numidici, Viri Clarissimi & patriæ amantissimi exsilium, tùm Saturniniana seditio & cædes, sed & nativitas C. Julii Cæsaris incidit. Omen hoc insigne fuit. Reverà enim Heros iste Incomparabilis, pluribus gentibus à se domitis & subjugatis, clypeus ardens fuit, &, si augurari licet, tandem ab occasu ad ortum, id est, ex Gallia in Italiam profectus, Romanum imperium sibi subjecit. Bucholzeri itaquè, Calvisii & Helvici rationes, phœnomenon illud in annum U.C. 653. referri postulant. Is Bucholzero à condito Mundo 3872. ante Christum Natum 99. Calvisio & Helvico à condito Mundo 3850. ante Christum Natum 98. putatur. Quomodocunquè rationes hæ, veri fatis discrimine ab se distantes, se habeant, satis constat ante phœnomenon istud contigisse illa tristia & dira, quæ ad proximum Cometam enumeravimus. Hîc solùm monebimus in illa biduana Teutonum clade, quæ Mario IV. Cos. accidit, esse interfecta

fecta ducenta millia, capta nonaginta millia, referente Funccio, Calvisio, Alstedio & Petavio, nisi quòd hic 70. millia tantùm captivorum censeat. In altera verò quæ eodem Mario V. Cos. contigit, 120. millia cæsa, 60. millia capta, sicut constanter ex Plutarcho Bucholzerus, Calvisius, Petavius & alii referunt. Si hæc clades præcesserit phœnomenon istud (quod ex consentientibus Funccii, Bucholzeri & Petavii in Annum U. C. 653. stragem illam conjicientium cum Eckstormianis rationibus, iisdemque cum aliis collatis, verosimilius judico) apertè constat tristissima quoquè & maximè memorabilia ante ejusmodi phœnomena evenisse, quæ & aliàs evenire demonstravimus. Quod si secuta fuerit illud, constat pariter unius exitium, alterius esse salutem. Nam post deletos Cimbros tanta Romæ salus & lætitia parta fuit, ut Marius tertius Romanæ urbis conditor appellatus, & geminus triumphus decretus ei fuerit. Idem de Saturnino seditionis Incentore, auctoritate Senatûs, & servis rebellibus in Sicilia oppressis, aliisvè similibus dicendum est. Cæterùm verè læta à viso illo phœnomeno Romanis contigêre, scilicet Ægypti, Ptolemæo Apione Rege S. P. Q. Romanum hæredem relinquente, opima accessio, quæ non multò post accidit, ut demonstrat Funccius, Bucholzerus, & alii; quamvis in Ægypto Lathurus ille redux octo annis tyrannidem tenuerit.

XXXI. *Anno Mundi* 3876. *ante Christum Natum* 93. *Urbis Romæ* 660. *& totum cælum arsit ignibus, & fax emicuit. Paulò post à Scipione rebelles Hispaniæ Principes domiti & supplicio affecti sunt.* Eckstormius ex Peucero.

SUspicari licet hoc phœnomenon idem esse cum illo quod describit Plin. l. 2. c. 83. contigisse L. Marcio & Sex. Julio Coss. in agro Mutinensi, sive Gallia Togata, cum ingenti terræ motu, concursu duorum montium, crepitu maximo, & inter eos flammâ fumoquè in cælum exeunte interdiu, anno ante sociale bellum, Italiæ funestum, quod & Marsicum & Italicum dicitur, utpote Romanis ab aliis, Italiæ populis, præeuntibus Marsis (alii Asculanos ponunt) illatum, ob negatum jus civitatis Romanæ, jam pridem promissum. Hoc enim Bucholzerus in annum M. 3878. ante Christum Natum 93. U. C. 659. Funccius in Ann. M. 3875. ante Christum Natum 88. U. C. 663. Calvisius in Ann. M. 3860. ante Christum Natum 88. U. C. 662. (quem annum Solinus initio istius belli assignat) ut & Helvicus (nisi quòd is annum hunc U. C. 663. faciat) referunt. At enim ante hoc portentum bella civilia in Syria, eaque parricidalia & impia viguerunt. Nam ut potiora attingam, paullò post Ptolemæi illius Apionis Cyrenarum Regis mortem, Antiochus Gryphus ex insidiis trucidatur, Anno U. C. 657. ut Calvisius, vel 658. ut Petavius habet. Ab ejus filio Seleuco Antiochus Cizicenus patruus Anno U. C. 658. ut iterum Calvisius, vel 659. ut Petavius putat, victus prælio occiditur: hujus filius Antiochus Eusebes, sive Pius, paternam mortem vindicans, Seleucum acie victum totâ Syriâ expellit, qui à Mopsestis tributa gravia exigens, ab iis cum Regia & amicis vivus, Anno U. C. 659 ut rursùm Calvisius, vel 660. ut Petavius censet, exustus est: hujus iterum frater Antiochus, Antiochum illum nomine Pium, sed re impium, qui Selenem patris & patrui uxorem scelestis nuptiis sibi junxerat, regno exuit, & in parte Syriæ regnat, ut Funccius: vel, exercitu exutus regnum & vitam amittit, ut Calvisius & Petavius asserunt. Adeò varium & luctuosum sæpè multorum Principum fatum, vicissitudinem rerum humanarum memorabilibus exemplis illustrat, etsi nullus Cometes in cælo liceat! Inter hæc Lathurus ille Alexandrum Regem Judæorum Aristobuli primi Regis Judæorum fratrem, Hyrcani filium prælio superat, 30. millia Judæorum trucidat, & victoriâ crudelissimè abutitur. Paullò post Alexander Gadaram post decem menses obsidionem expugnat, aliaque feliciter contra hostes Syros agit: sed mox 10. millia Judæorum & castra amittit. Paullò post Gazam anno integro obsessam proditione capit, crudeliter in cives grassatur, qui non inulti moriuntur. Anno vertente idem seditione Judæorum, convitiis & verberibus petitur, & 6. millia eorum trucidat.

crucidat. Inter hæc Rutilius, ſummâ innocentiâ Vir, Aſiæ Servator, Senecæ tantoperè laudatus, invito Senatu Romano, ab Ordine Equeſtri præpollente viribus, in exſilium agitur. Livius autem Druſus bellum Sociale conflat. Hæc cuncta tot acerba phœnomenon noſtrum præceſſerunt, ut rationes Funccii & Calviſii docent. Secuta eum eſſe multa triſtia, fateor. Sed & læta demonſtro. Nam paulò poſt bellum illud ortum L. Julius Cæſar Samnites vicit, Marius Marſos, Cæcilius Salvios, Cn. Pompejus, Magni Pater, Picenſes & Marſos iterum ſubegit, L. Portius Cato hos rurſus vicit, ſed ipſe occubuit. Sylla proſperè rem contra Samnites, binis eorum caſtris expugnatis, & Archelaum Ducem Mithridatis geſſit, Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regnum reducti ſunt. Hæc oſtento illi Funccius ſubjicit. Bucholzerus & Petavius, Pompejum illum Coſ. Aſculum cepiſſe, Veſtinos atquè Pelignos ad deditionem coëgiſſe, de Aſculanis triumphaſſe, addit. Calviſius præter Marii, Cæſaris & Pompeji victorias, Syllam multis præliis Samnites viciſſe, aliquot populos recepiſſe & res magnas geſſiſſe, Romanos verò partim armis, partim redintegratâ cum Italis amicitiâ vires Urbis refeciſſe, ait.

XXXII. *Anno Mundi* 3879. *ante Chriſtum Natum* 90. *conſpectus eſt Cometa in ſigno Virginis.* Eckſtormius ex Herlicio.

COmetam hunc, ut puto, præceſſerunt ultima belli illius Italici, quod quadriennio minimùm duravit, tempora, quæ variam eſſe belli fortunam, & triſtia in orbe miſceri lætis, ſatis docent. *Illâ verò tempeſtate* bellum Mithridaticum, illud difficillimum, & ex Nicomedis Bithyniæ & Ariobarzanis Cappadociæ Regum, à Mithridate pulſorum, tum luctuoſâ tot millium Romanorum in Aſia cæſorum cauſſâ ortum, civile quoquè longè luctuoſiſſimum Syllæ & Marii conflavit. Exceperunt verò triſtia & læta, de quibus in ſequenti Cometa acturi ſumus.

XXXIII. *Anno Mundi* 3882. *ante Chriſtum Natum* 87. *apparuit Cometa, quem ſequutus eſt civilis motus, Octavio Coſ. qui Cornelium Collegam propter leges perniciosas expulit. Cornelius Mario ex Africa cum exercitu excito Romam obſedit, illâque deditâ primates interfecit.* Eckſtormius ex Plin. l. 2. c. 25.

ANnus hic Funccio eſt M. 3879. U.C. 667. (ut & Petavio) ante Chriſtum Natum 84. Bucholzero M. 3884. ante Chriſtum Natum 87. U.C. 665. Calviſio M. 3862. U. C. 665. ante Chriſtum Natum 86. Helvico M. 3863. U. C. 666. ante Chriſtum Natum 85. Tunc temporis illa horrenda procella Marii Romæ ſæviit, hôc gloriam & potentiam Syllæ invidis oculis adſpiciente, & Rempublicam bello toties ſervatam pace vaſtante, & propè tàm ſuis quàm Cinnæ fraudibus vi miſtis evertente. Secuta verò ſunt Cometam illum non tantùm tot Coſſ. & aliorum Virorum Præclarorum exſilia & funera, (quæ deplorat Cicero præfatione 3. de Oratore.) ſed & res proſperè à Sylla contra Mithridatis Duces Archelaum & Dorilaum geſtæ, pax cum Mithridate honeſtis legibus facta, tùm & illa trium annorum in Italia, de qua Cicero in Bruto, ubi etiam teſtatur ſe triennium, quod Cinna non minus in perdenda patria quàm in Conſulatibus exegit, omnium doctrinarum diurnæ & nocturnæ meditationi impendiſſe, egregium Viri, literas, quietem, patriam amantis exemplum præbens.

XXXIV. *Circa annum ante Chriſtum Natum* 60. *Cometa obſervatus eſt à Poſſidonio, quod indicat Seneca l. 7. c. 20 dicens: Multos Cometas non videmus, quod obſcurantur radiis Solis, quo deficiente quendam Cometem apparuiſſe, quem Sol vicinus obtexerat, Poſſidonius tradit.* Ricciolus.

INter hunc & proximè præcedentem Cometam nullus obſervatus legitur, licet anteceſſerit Syllana illa feritas, quæ 1000. millia hominum, Senatores 90. Conſula-

res

res 15. Equestris Ordinis duo millia & 600. devoraverat. Anteceſſit & bellum contra Sertorium, Magnum & felicem Ducem (qui Hiſpaniam contra Syllam & Romanos fortiter defendit, Magnis Imperatoribus Pompejo & Metello ſæpè par & frequentius victor) difficile, & ſæpè nomini Romano contumelioſum & damnoſum. Anteceſſerunt & M. Antonii contra Cretenſes, & Cottæ Coſſ. contra Mithridatem, tùm contra Lucullum, Prætoris Voreni & Legati, imò & Coſſ. Gellii & Lentuli, ut & Caſſii Prætoris, & Cn. Manlii contra ſervos duce Spartaco, Italiam multipici clade afficientes, infelicia & triſtia Romanis, ſed felicia & læta hoſtibus, prælia. Anteceſſêre bella cum Tigrane & Mithridate, mox fatis ceſſuro, cruenta & difficilia. Tigranes 100. millia peditum unâ die à Lucullo cæſa amiſit, mox novo eoque magno prælio victus. Sed mox Lucullus ab equitatu hoſtium in Armenia, quam vaſtabat, malè acceptus. Tigranes ſe colligit, ut & Mithridates, qui Fabium Legatum Luculli vicit, & mox à Triario, qui Fabio promtas ſuppetias tulit, vincitur. Paulò poſt eundem magno prælio vincit & clade tantâ afficit, ut Cicero non vereatur dicere, quòd eam non ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor attulerit, 150. centunioribus & 23. Tribunis cæſis ac caſtris direptis. Interim & Lucullum, qui militem laboribus, ſeveritate & avaritiâ graviter premebat, ſeditio invadit, ita ut ſubrogato ſibi Pompejo domum redierit, ut ex Imperatore ſevero & avaro luxurioſus epulo & togatus Xerxes evaderet: Et Romani maximis damnis in provinciis afficiuntur à privatis: Germani Arioviſto duce 14. annis tectum non ſubeuntes Gallias armis victricibus circumeunt: Lucullus Macedonas & Perſas domat, Metellus à ſubacta Creta Creticus appellatus eſt. Pompejus bello piratico confecto, Mithridaticum feliciter gerit, laborum Luculli fructu gaudens. Mithridatem enim ab eo tot prœliis fractum fugat. Tigranem ab impio filio in anguſtias redactum, ad deditionem cogit, nec tantùm vicit, ſed & (quod pulcherrimum olim facinus Sapientia dixit) fecit Regem, aſt Armeniæ tantùm, Syriâ ademtâ, quæ tunc tandem poſt tot mutationes in provinciæ formam redacta fuit. Tunc & fratrum Hyrcani & Ariſtobuli, Judæam diſtrahentium diſcordia, Arabica & Romana arma ſocia patriæ accerſivit, quorum illa repreſſa, hæc Judæam ex eo preſſerunt & tandem oppreſſerunt. Proximè verò Cometam illum præceſſit occupatio Jeruſalem à Pompejo, ejus in templum & Sanctum Sanctorum ingreſſus, Ariſtobuli captivitas, 12. mille Judæorum cædes, reliquorum ſubjugatio, nefaria ambitioſi Catilinæ conjuratio, induſtria Ciceronis Coſ. (qui tunc pater patriæ dictus eſt, quòd ſe Conſule Roma ab interitu ſervata & veluti denuò nata fuerit) oppreſſa. Tunc Mithridates ille Magnus veneno, vel, ut alii volunt, quòd veneno vim frequenti ejus uſu ademiſſet, ſua & percuſſoris exorati manu cecidit. Cecidit & alter Mithridates pariter, à rerum geſtarum gloria cognomen Magni adeptus, Parthorum Rex fraternâ manu. Ptolemæus Cyprius veneno perit. Auguſti nativitas Cometam proximè anteceſſit. At ſecutus eſt triumphus Metelli de Creta, cumprimis verò ille tertius & ſplendidiſſimus Pompeji M. de Mithridate, Tigrane, Ariſtobulo Regibus, tùm ex Syria, Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia & Judæis. Ne à Catone Uticenſi Cyprum, à Cæſare Hiſpaniam & Gallias domitas, memorem. Adeò difficile eſt triſtia, ſed & læta ſola ſub Cometicas reducere leges. Sufficiat hîc dicere Cometam Mithridati vitam & regnum inituro, & de utroquè deceſſuro præluxiſſe: illuſtri exemplo & documento hæc cæli ſigna non tantùm obitus, ſed & ortus Principum, nec tantùm imperii amiſſionem, ſed & adeptionem præſignificare.

XXXV. *Anno Mundi* 3889. *ante Chriſtum Natum* 50. *exortum eſt bellum civile inter Cæſarem & Pompejum, quod præceſſit Cometa.* Eckſtormius ex Plinio.

ANnus hic Funccio eſt ante Chriſtum Natum 48. U.C. 705. Bucholzero & Helvico itidem ante Chriſtum Natum 48. ſed U. C. 704. Calviſio ante Chriſtum Natum itidem 48. ſed U. 703. Petavius annum U. C. 705. putat. Ante hunc Cometam geſta ſunt multa cruenta bella à Cæſare in Hiſpania, Gallia, (in qua ſola no-

venus

vennii ſpatio 300. vel, ut alii volunt 400. populos ſubegit, oppida 80. per vim cæpit, prælio tricies dimicavit) & Britannia. Geſtum & illud Parthicum cæde Craſſi, hominis extremè avari, tunc verò & direpto templo Hieroſolymitano, ſacrilegi, filiique ejus & exercitûs Romani celebre. Quod verò bellum illud civile inter Cæſarem ſocerum, qui ſuperiorem, & Pompejum generum, qui parem ferre non poterat, geſtum, attinet, luctuoſum id, fateor, fuit, & Reipublicæ Romanæ noxium, ob tot millia civium cæſa, ipſumque Ducem Pompejum, Orientis Victorem, imò Orbis domitorem, patriæ toties Servatorem, cujus interfector Ptolemæus illius Auletæ, quem Pompejus exulem regno reſtituerat, filius crudelitatis & ingrati animi pœnas paulò poſt dedit. Non caruit tamen & tunc Cometa lætis eventibus. Rerum enim ſumma ad Cæſarem, Heroëm Imcomparabilem devenit. Qui creatus Dictator triplicem egit triumphum. Cleopatra à fratre, perfidiæ maculam undis mox expiaturo, pulſa, à Cæſare in regnum reſtituta. Antipater Herodis Magni Pater, Procurator Judææ conſtitutus à Cæſare, de urbe Hieroſolymitana benè meretur, Hyrcano Sacerdotium confirmatur & Judæi ſuis legibus vivere jubentur: Carthago & Corinthus reſtaurantur. Pharnaces Ponti Rex intra quatuor horas victus, Symbolum illud, Veni, Vidi, Vici, Julio dedit. Is mox & bello Africano partium Pompejanarum ſequacibus (quos inter & Cato Uticenſis, qui ſibi manus violentas attulit, fuit) oppreſſis confecto, victoriâ moderatè utitur, regnum Mauritaniæ tributarium populo Romano reddit, & 4. triumphos Reipublicæ ſalutares & lætos agit, quorum primus de Gallis & Germanis: ſecundus Alexandrinus ex Ægypto de Rege Ptolemæo: tertius Ponticus de Pharnace: quartus de Juba Rege Africæ, fuit.

XXXVI. & XXXVII. *Ante necem Julii Cæſaris, qui occiſus eſt in Senatu Anno ante Chriſtum Natum 44. ſcilicet Anno 47. & 46. vel 45. apparuiſſe non unicum ſed plures Cometas canit Virgilius* 2. Georg.

Non aliàs cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura; nec diri toties arſêre Cometæ
Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum vidêre Philippi.

Sed credo de illo vel illis quoque loquitur, qui tranſgreſſo Cæſare Rubiconem, bello civili præfulſerunt: de quibus Lucanus lib. 1.

Ingnota obſcuræ viderunt ſidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna Cometem.

De quibus Plinius l. 2. c. 25. ait: Cometes terrificum magna ex parte ſidus: at non leviter piatum, ut civili motu Octavio Coſ. iterumque Pompei & Cæſaris bello. Ricciolus.

CAutè Ricciolus, ut ſolet, de ſignificatione Cometarum loquitur. Præfulſiſſe ait morti Cæſaris & bellis civilibus, id eſt, ea præceſſiſſe. Eckſtormius autem in annum ante Chriſtum Natum 43. poſt Cæſarem interfectum Cometas illis Virgilianis verſibus decantatos refert. His indicari Cometam aliquem vel plures ante mortem Cæſaris, non negârim. Extendendum tamen ſenſum eorum eſſe ad ſecundam pugnam Philippicam ſive Pharſalicam, quæ interfecto Cæſare inter Octavium & Cæſaris interfectores Brutum & Caſſium commiſſa fuit, Anno ante Chriſtum natum, ſecundùm Bucholzerum & Helvicum, 41. ſecundùm Funccium & Calviſium 40. ipſa verba poſtulant, ſecundam pugnam in Philippicis campis innuentes. Si Cometa Cæſaris mortem anteceſſit, ut Ricciolus putat, incidit in illud tempus, quo Hiſpa-

nia reliquiis partium Pompejanarum obtritis recepta, ob omnia bella civilia confecta, & singularem in cives clementiam C. Julius Cæsar Liberatòr, Parens patriæ & Dictator perpetuus appellatus est, primusque Imperatoris prænomen accepit, ut Bucholzerus ait. Sed si secutus est, ut Eckstormius vult, docet, Magnos quoque Heroas nullo Cometâ antecedente mori.

XXXVIII. Anno ante Christum Natum 44. (42) *Occiso Cæsare apparuit stella Comata; de qua Suetonius in Julio Cæsare cap. 88. sic:*

PEriit sexto & quinquagesimo ætatis anno, atquè in Deorum numerum relatus est, non ut modò decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primò consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Cæsaris in cælum recepti, & hac de causa simulachro ejus in vertice additur stella.

Idemque asserit Plutarchus in Cæsare, addens fuisse ingentem stellam crinitam, quæ post interitum Cæsaris ad septimam usquè noctem eximio fulgore coruscavit: sed luculentior in hoc Plinius lib. 2. cap. 25. ubi sic narrat:

Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus divo Augusto judicatus ab ipso, quùm incipiente eo, apparuit ludis, quos faciebat Veneri genetrici, non multò post obitum patris Cæsaris, in Collegio ab eo instituto: namque his verbis id gaudium prodidit. Iis ipsis ludorum meorum diebus sidus crinitum per septem dies in regione cæli, quæ sub Septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam, quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est. Hæc ille in publicum: interiore gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci interpretatus est: & si verum fatemur, salutare id terris fuit.

Nec verò inconveniens est, Sole adhuc suprà horizontem versante, visum illum Cometam, cùm Venus non semel interdiu à nobis & ab aliis crebrò conspecta fuerit. De hoc ipso Cometa intelligunt aliqui verba illa Q. Curtii l. 10.

Proinde jure meritoque populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis quàm penè supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus herculè, non Solis ortus lucem caliganti reddidit mundo. Quot ille tunc extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subitâ serenitate discussit? Ricciolus.

Eckstormius eundem Cometam recenset, & Plinium cum Milichio censet his verbis:

Sed quàm salutare fuerit (ut addit Milichius Plinii Commentator) æstimari potest ex mutatione Reipublicæ & quinque bellis civilibus, quæ secuuta sint stellæ istius apparitionem, utpote Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ita enim recenset Suetonius in Octavio Augusto cap. 9. Secuutus est Octavii, Antonii & Lepidi triumviratus, plenus crudelitatis & homicidii, quo etiam Marcus Tullius Cicero Antonii jussu est interfectus.

AD constituendam rectè hujus Cometæ sedem, de anno, quo Cæsar occisus est, pauca dicenda sunt. Ricciolus annum ante Christum Natum 44. ponit. Funccius 41. Pantaleon, Calvisius, Helvicus, Alstedius & Petavius 42. Bucholzerus 43. Ego quoque annum 42. elegi, quia ex rationibus, ut aliorum Chronologorum præstantissimorum, ita & Doctissimi Wichmanni collegi. Ideo & imperium Augusti ab hoc anno arcesso. Sed ad rem & Cæsarem occisum redeamus. Illo rerum statu à vita stella crinita lætum lumen spargente, gaudendum fuisse Octavio per ruinam Avunculi, ad imperium & gloriam contendenti, & capienda ex illo phœnomeno læta augurio, tutius illi ipsi, quàm aliis luctuosa & tristia omina inde captantibus, credimus. De hac & Horatius l. 1. Carm. Od. 12.

micat

Figuram stellam illam insignem seu Cometam n.o XLVII post mortem C. Jul. Cæsaris VII dies visam exhibens.



M. C. Ysenius del.

S. Stopend. sculp.



- - - - - micat inter omnes
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Meritò itaquè Ricciolus hunc Cometam inter fauſtos refert. Fauſtiſſimus enim fuit, Octavio hæreditatem à cæſo avunculo adeunti, & rerum ſummam conſequenti. Quod ſi illis quinque bellorum civilium, 13. annis geſtorum, mala ad Cometam illum referre placuit, cur non unà ad eum victoriæ Actiacæ fructus retulerunt? Tunc enim bellis civilibus finis impoſitus, Jani templum clauſum, Cæſar tres triumphos egit, ex Illyriis ſcilicet Pannonibus, Japydis & Gallis, ex Antonio ad Actium victo, & ad mortem ſibi ipſi conſciſcendam coacto, & de Cleopatra. Quâ ratione Ægyptus in Auguſti poteſtatem venit, & populi Romani provincia facta eſt. Imò verò debuerant proſpera & læta intrà illos 13. annos hîc & illîc geſta ad Cometam referre. Scilicet muros Hieroſolymitanos ab Antipatro reſtauratos: Pacori Regis Perſarum res in Judæa feliciter geſtas: tùm verò Ventidii victoriam de illo obtentam & triumphum: & Palæſtinam recuperatam: Armeniam ab Antonio domitam. Adhæc regnum Herodis M. (qui primus ex alienigenis ſceptrum à Juda omninò ablatum, anno ante Chriſtum Natum circiter triceſimo quinto arripuit, quod Meſſiæ tempora in proximo fuiſſe monſtrat, ita ut is ex ratione temporum & beneficiorum Judæis præſtitorum pro Meſſia à multis fuerit habitus) à Cæſare ampliatum: Japidas quoquè Dalmatas & Pannonios in poteſtatem Cæſaris redactos: Cæſarem à S. P. Q. R. Patrem Patriæ & Auguſtum dictum, aliaque. *Sed illis decretum eſt ſola læva ex Cometis captare auguria. Ciceronis mortem acerbiſſimam lenit Vellei Paterculi oratio, quà Tullium vivum per ora virûm volitantem laudibus ad ſidera tollit, Antonium patriæ & omnis Virtutis hoſtem, ſoliuſque Cleopatræ luxurioſiſſimæ & libidinoſiſſimæ amicum pro merito perſtringit. Paulò poſt Triumviratum illum Octavii Antonii & Lepidi viſi ſunt tres Soles, ut rationes Funccii ferunt. Eckſtormius in Hiſtoria Parheliorum, ut alia triſtia, ita & Triumviratum iſtum ad parelios illos prænuncios refert. Sed ut illæ Solis vel Lunæ imagines ex refractione radiorum in nube denſa æquabili ad recipiendos radios apta proveniunt, ita nec ſemper talia mutationes Rerumpublicarum portendunt, nec ad eas præſignificandas ſemper à Deo adhibentur, quod vel prior Triumviratus Cæſaris, Pompeji & Craſſi docet.*

XXXIX. *Anno Mundi* 3939. *ante Chriſtum Natum* 30. *fuit terribilis terræ motus in Judæa, qui decies mille homines obruit, magnaque pecudum jactura facta eſt. Joſeph. lib.* 15. *cap.* 7. *antiquit. Iſtâ mala præceſſit Cometa, qui in Libra habuit curſum ſuum diebus* 95. Eckſtormius ex Herlicio.

FUnccius hunc terræ motum in annum M. 3936. ante Chriſtum Natum 277. ponit, & 30. millia hominum eo periiſſe ſcribit, ſed Cometæ non meminit. Secundùm has rationes bellum Actiacum (ne longius ad illa civilia bella abeam) proximè Cometam anteceſſit. Secuta verò ſunt illa læta, quæ Victoria Actiaca attulit. Mox Janus pace partâ ſecundò clauſus. Paulò poſt Hiſpanos Cæſar domuit & ſubegit, orbemque magna cum Virtutis & felicitatis gloria rexit.

XL. *Anno ante Chriſtum Natum* 13. *qui mortem Agrippæ anteceſſit. Dio l.* 54. *narrat fuiſſe Cometam qui per multos dies apparuit ſuſpenſus ſupra Urbem, & deinde in multas faces diminutus eſt, fortaſſè is eſt, de quo Seneca l.* 7. *c.* 17. *illis verbis: quem ſub Auguſto vidimus.* Ricciolus.

MOrs Agrippæ à Calviſio & Petavio in annum ante Natum Chriſtum 10. Julianum 34. à Bucholzero in annum ante Natum Chriſtum 11. refertur: quod & Helvici

rationes

rationes ferunt. Paulò ante Cometam illum Romanorum Dux Lollius Saxones & Doringos primùm cæcidit, ſed mox à Germanis Francico auxilio ſuccinctis ſuperatur & fugatur. Rhæti prælio vincuntur, à Druſo & Tiberio domiti imperio ſubjiciuntur. Eandem fortunam ſubeunt Ligures & Pannonii rebelles. At poſt Cometam Roma vidit gratans reducem Cæſarem rebus Gallicis, Germanicis & Hiſpanicis ex voto confectis. Jeruſalem verò templum ab Herode annis octo renovatum conſecravit. Herodes Arabes vincit. Romani domant Germanos, Dalmatas, Pannonios & alibi rem feliciter gerunt.

XLI. *Anno Mundi* 3947. *quo Natus eſt Chriſtus, conſpectus eſt Cometa, de quo Sibylla Auguſto conſulenti reſpondit: Hic puer te major eſt, hunc adora. Eadem praedixit, Cometam iſtum ſignificare Chriſtianam religionem.* Alſtedius.

PAulò ante hunc Cometam Herodes Ariſtobulum & Alexandrum filios ſuos innocentes laqueo necari juſſit, & notam ignominiæ nomini Judaico inuſſit; At verò hunc Cometam nativitas Jeſu Chriſti Filii Dei, Servatoris Mundi, Domini noſtri ex caſtiſſima Virgine virtute Spiritûs Sancti facta, ſecuta eſt, quâ nil divinius, nil ſanctius, nil humano generi ſalutarius. Ita ut meritiſſimò dicam, vel hunc ſolum Cometen reliquos omnes infamiâ triſtium ominum & malorum feliciſſimè liberaſſe.

ADDENDA.

ANtequam ulterius progrediamur, pauca nobis dicenda ſunt ad præcedentium Cometarum Catalogum ex iis quæ Abrahamus Rockenbachius annotavit de eodem argumento, quod nos hîc pertractandum ſuſcepimus. Horum enim partem ex libro excerptam & deſcriptam nuper ad me miſit Clariſſimus & Humaniſſimus Vir M. Fridericus Büthnerus, Profeſſor Matheſeos in Gymnaſio Dantiſcano & Rector Scholæ ad S. Joannem, Amicus honorandus: poſtquam priorem Hiſtoriæ Cometicæ partem ex Eckſtormio, Ricciolo & Alſtedio contexuiſſem. Nequè verò amplius integrum mihi erat illam retexere. Itaque hic auctarii loco priori Sectioni ſequentes Cometas addo.

II. *Anno Mundi* 1944. *Anno poſt Diluvium* 288. *Cometa in Ægypto naturam Saturni referens circa Alcarium in dodecatemorio Capricorni viſus eſt, hicque ſpatio* 65. *dierum tria ſigna in cælo percurrit. Hunc confuſiones linguarum & diſſipationes gentium in toto terrarum orbe ſunt ſecutæ. De quibus Geneſ.* XI. *cap. prolixius textus dicit.* Rockenbachius.

HIc Cometa non annotatus ab aliis, erit in Catalogo noſtro Numero ſecundus, & rationes Cometarum auctas producere incipiet. Turris Babylonicæ inſanam exſtructionem & illam linguarum confuſionem Chronologi multum præcipiunt. Funccius enim conjicit eam in Annum M. 1790. poſt Diluvium 133. Bucholzerus in Annum M. 1758. à Diluvio ſecundum ſuprà centeſimum, Krentzheimius in Annum M. 1758. à Diluvio 131. Calviſius in Annum M. 1757. à Diluvio 101. Alſtedius in Annum M. 1750. à Diluvio 94. Petavius in Annum M. 1808. à Diluvio 152. at Helvicus in Annum M. circiter 1718. à Diluvio 62. Unde patet rationes Rockenbachii de confuſione linguarum multum diſtare à tot Chronologorum præſtantiſſimorum rationibus: quas etiam nullâ Hiſtoricorum vel Chronologorum auctoritate firmavit, quod meritò in eo, facit

& Scaliger in Euſebio, deſideramus. Quod ſi tamen quis Cometam hunc in Ann. M. à diluvio 288. id eſt, à condito Mundo 1944. vel 1945. referat, inveniet ibi nativitatem Abrahami, Patris credentium, exſtructionem Treviris & fortè alia læta, quantùm quidem in illorum temporum antiquiſſimorum ſpiſſâ caligine pervidere datur.

III.

In Annum Mundi 2018. ætatis Abrahæ 70. refert Rockenbachius Cometam illum, qui nobis eſt Numero ſecundus, illi tertius, eique præter annonæ caritatem, de qua ibi egimus, attribuit bella cruenta, de quibus Geneſ. XIV. legimus: & addit: *Paulò etiam poſt Anno M. 2048. Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim & Segor civitates, propter peccata igni, ſulphure & pice cælitùs everſæ ſunt, ab Anno videlicet diluvii 391. Harum rerum meminit etiam Moſes cap. 19. Oroſ. lib. 1. cap. 36. C. Tacitus lib. 27. Solinus poſt Plinium, & alii quàmplurimi.* Rockenbachius.

Ut illa fames, ita & bella hæc longius à Cometa abſunt, quàm ut ad eum referri poſſint. De fame ſuprà in Hiſtoria egimus. Bella illa in Ann. M. 2030. à Funccio, Helvico & Alſtedio referuntur: quanquam & ibi læta Lothi liberatio, & victoria Abrahami, & benedictio Melchiſedeci conſideranda veniat. Vide Petav. Ration. Temp. part. 1. l. 1. c. 3. At everſio Sodomorum & aliarum urbium, ut ſceleris, ita & pœnæ ſociarum, in Ann. M. circiter 2048. ipſo Rockenbachio fatente, & ita quoque putantibus Funccio, Bucholzero, Calviſio, Helvico, Alſtedio & aliis, referri debet. Itaquè nos filum Chronologiæ ſecuti, hujus Pentapolitanæ everſionis, ſine prævio Cometa factæ, ad Cometæ ſecundi hiſtoriam rectiùs meminimus. Quid non enim ad Cometas boni & mali referendum foret, ſi annis triginta, ut hîc, ab eorum apparitione hîc & illic in orbe geſta coacervaremus? Hoc non obſervavit hoc loco Rockenbachius, qui etiam inter effectus Cometæ, qui apparuit Anno M. 2128. & nobis eſt Numero tertius, illi quartus, refert mortem Semi, quæ accidit Anno M. 2158. aliaque mala plurima, bella & calamitates ſecutas eſſe ait. Credo: ſi quæ poſt triginta annos à viſo Cometa evenerunt, ad eum referantur, ſicut ille hîc bis fecit. Nec tamen dubito multa quoquè bona & læta, quæ Cometam ſecuta fuerint, recenſeri poſſe, quâ de re nonnihil ad hunc Cometam diximus. Nunc hoc ſolùm monemus, Arphaxadi mortem, quam hîc Rockenbachius Cometarum lævis ominibus momentum addere volens, interim tot aliorum Heroum, tunc ſine Cometarum præviis facibus morientium oblitus, in Ann. M. 2129. Cometæ apparitioni proximum refert. Atqui ante Ann. M. 2100. mortuum eſſe, Funccius, Bucholzerus, Krentzheimius, Calviſius, Helvicus, Alſtedius & alii Chronologi uno, quod ſciam, ore affirmant. De reliquis quæ Rockenbachius addit, ſcilicet quæ circa exitum Iſraëlitarum ex Ægypto acciderunt, & de Cometis illâ tempeſtate viſis ad Cometam IV. & V. diximus. Quanquam tantam difficultatem in Cometæ anni à condito mundo 2453. ſubjiciendis eventibus anni 2237. & præpoſterum ordinem invenio, ut hæc præterire mallem, libro præſertim deſtitutus, & ſolis excerptis gaudens, niſi putarem operæ pretium me facturum, ſi errorem à quocunquè commiſſum in Rockenbachio & oſtendam & corrigam. Omiſſus nempe eſt Cometa Anni M. 2237. ab Eckſtormio annotatus, & huic ſubjiciendi ſunt eventus ejuſdem anni & ſequentium temporum, præpoſterè Cometæ anni 2453. ſubjecti. Indicant illum Cometam verba Rockenbachii cum Eckſtormianis collata. At non eſt nobis memoratus, utpote ab Eckſtormio, Ricciolo & Alſtedio non annotatus Cometa, qui teſte Rockenbachio,

VII. *Anno M. 2770. menſe Auguſto, viſu terribilis in Geminis ab Aſſyriis viſus eſt. Hunc* (inquit) *mors Regis impiiſſimi, Amenemos dicti, aliorumque potentiſſimorum Principum in Ægypto, una cum cædibus innumerabilibus & horrendis, hominum manus inter ſe conſerentium, eſt ſecuta. Bellum diuturnum & miſerabile propter Helenam, quam Paris filius Priami Regis, Menelao Regi Spartanorum rapuit, ortum eſt. Seditio magna in Iſraël facta eſt, in qua 42000. hominum in Ephraim perierunt. Amazones hoc tempore floruerunt, quæ Aſiam & Europam totam peragrando devaſtarunt. Troja capta & devaſtata eſt, Anno M. 2783. Hùc referri quoquè debent acta, in libro Judicum cap. 10, 11, & 12. deſcripta.* Rockenbachius.

HIc Cometa nunc nobis est Numero VII. Sed in effectis ejus vel eventibus tristibus annotandis Rockenbachius iterum nimium est & fidei historicæ parùm memor. Acta enim, eo ipso fatente, ad Annum M. 2783. à viso Cometa decimotertio anno, Trojæ scilicet eversionem ad eum refert. At verò Regem illum Ægypti Amenenon sive Ammemenen Calvisius & Helvicus in Ann. M. 2731, Trojæ autem excidium Funccius in Ann. M. 2783. Bucholzerus in 2788. Calvisius in 2767. Helvicus in 2766. referunt. Quanquam dissimulandum non est Dionem Chrysostomum & Strabonem asserere Trojam non esse expugnatam. Et Sabellicus multa hic esse fabulosa notat. Seditionem porrò illam in Israël Funccius in Ann. M. 2760. Helvicus in 2758. Calvisius in Ann. circiter 2779. ponit. Quomodo hæc à Rockenbachio connecti & in argumentum tristium Cometæ illius ominum trahi possint, non video.

VIII. *Anno M. 2795. Teutano Rege Assyriorum imperium tenente, Cometa sub signo Arietis per 43. noctes flagrans à tota Græcia visus est. Hunc bella truculenta & mutationes magnæ, in toto terrarum orbe sunt secutæ. Huc quoquè historia Samsonis, ratione temporis habitâ, referri potest, quæ in 13, 14, 15 & 16. cap. Libri Judicum annotatur. Itemque Heli Sacerdotis & acta Regum & Prophetarum aliorum, Samuelis, Davidis, Saulis, de quibus in Sacris Literis prolixius omnia exponuntur.* Rockenbachius.

COmeta hic erit in historia nostra Numero VIII. in cujus eventibus annotandis, immane quantam magnis temporis intervallis dissita Rockenbachius conjungat. Nam historia Samsonis & Davidis, sive, ut accuratius loquamur, imperium utriusque, integro seculo à se distant. Id generis rationes locum hîc habent nullum. Teutani tamen sive Teutanis Regis Assyriorum XXVIII. ut Funccius, vel XXVII. ut Calvisius, Helvicus & Alstedius putant, qui etiam Teutamum vel Teutamen vocant, historia huc referri potest. Utinam verò Auctores in putandis rationibus vitæ ejus tàm propè distarent quàm distant in nomine! At enim Calvisius Regem hunc Samsone integro seculo, Helvicus & Alstedius 270. annis faciunt priorem, referendo eum in Ann. M. 2523, sive illa tempora, quibus post mortem Josuæ Othoniel (qui & Athniel) Calebi gener Israëlitis præfuit. Funccius utriusquè imperium Ann. 2791. connectit. Nos tantam litem non dirimemus. Sed utrumlibet temporis momentum quis accipiat, bella & vicissitudines rerum inveniet. Mundus enim quid nisi bella? & sic, quid nisi rerum conversiones? Unde dicere solemus, in orbem verti Orbem, nil in eo rectum, & solam inconstantiam constantem esse. Rockenbachius tamen dubio procul Funccii, quem paulò inferius allegat, & aliorum ei similium computationem sequitur. Ideò ad hunc Cometam totam historiam non tantùm Samsonis, Heli, Samuelis & Saulis, sed & res gestas Davidis apponit, vastum spatium mente complexus, integri scilicet seculi, quod ut diximus, in rationes has Cometæ trahi nullâ veri similitudine potest. In historia tamen Samsonis patet Deum suos ut delinquentes, impiorum sævitiâ castigare & erudire ad virtutem, ita commissorum pœnitentes liberare & tueri, & per eos confundere summo pudore, idque usquè ad internecionem, sui nominis & populi hostes. At verò Rockenbachius affert bella truculenta & mutationes magnas in toto orbe secutas. Siquidem vellemus paulò longiùs in sequentium annorum campum excurrere, inveniremus, duce Funccio, bellum Mezentii contra Ascanium Æneæ filium, secundum Latinorum Regem, qui in Lavinio recens exstructa obsessus prospero, desperatis ferè rebus, signo accepto (fulgur enim ad sinistram cælo sereno intonuit) hostem fortiter rejecit. Inveniremus Ilium ab Heroris filiis, Atenoris posteris pulsis receptum, Peloponnesum Pelopidis, Agamemnonis posteris, quorum ultimus Cometes, si fidem habemus Funccio, vel Penthilus, cum proximè antecedens, ut alii asserunt, ab Heraclidis & Doribus ereptam, Myceneorum regnum obtritum, Æolicam & Ionicam migrationes Græcorum nobilissimas. Inveniremus deniquè Juli, Mantuæ, Albæ & Homeri natales. Sed quod est quærendos temporis momentum, quo non talia hîc & illìc in orbe eveniant, etsi nullus Come-

res appareat ? Cur autem ad hoc phœnomenon Rockenbachius historiam Homeri & Eliæ Anno M. ut putat, 3050. Jonæ 3130. & terræ motus in Israël 3160. referat, divinare non possum. Hæc enim 365. non diebus (quâ ratione unius anni gesta ad Cometam præcedentem referri speciosè possent) sed annis ab se invicem distant.

Post hæc Rockenbachius recenset Cometas ad Ann. Mund. 3458. ante Christum Natum 478. ad Ann. Mund. 3537. Olymp. 88. ad Ann. Mund. 3553. Olymp. 92. & alios, ad quos bellum Peloponnesiacum, expeditionem Xerxis, cladem Athenienſium, pestem Atticam, aliaque tristia refert, lætorum oblitus. Sed de his omnibus in historia nostra suprà egimus. Hîc tamen monemus duo. Alterum est, in Rockenbachio pro Ann. M. 3458. legi necessariò debere 3488. Docet id non tantùm computatio Eckstormii, sed & Funccii, quem hic allegat, & alias sequi solet Rockenbachius, cum Rockenbachiana comparata. Nam anni 478. vel potius 475. ante Christum Natum à Rockenbachio allegati, annis M. 3488. additi, in natalem Christi à Funccio annotatum & Anno M. 5963. aptatum exeunt. Alterum est, Rockenbachium manifestè Chronologiæ negligentem esse. Danielis enim Prophetiam in Ann. M. circiter 3415. Haggæi & Zachariæ in 3444. Esther historiam in 3455. Xerxis expeditionem in 3485. Esram & Nehemiam in 3515. at bellum Peloponesiacum in 3537. Funccius ponit. Itaquè rationes ejus Rockenbachius præcipit, turbat, & integri seculi gesta ad unum Cometam refert.

XXI. *Anno Mundi 3743. ante Christum Natum 220. Cometa per 22. dies in Ariete apparuit. Hunc bella in Gallia plurima sunt secuta. Præliis enim magnis inter se sæpiùs commissis Galli in potestatem Romanorum venerunt. Seleucus Rex Asiæ & Syriæ dolo interfectus est tunc temporis, ac in locum ejus Antiochus Magnus successit. Terræ motus horribiles, ut Plin. lib. 2. cap. 84. scribit, fuerunt, & tanti, ut terra quinquagies septies, Anno M. 3749. bello Carthaginensi secundo orto, sit mota. Hierosolyma & tota Judæorum ditio à Ptolemæo Philopatre duriter affligitur, atquè ita ut 60000. Judæorum cæsi sint, aliaque bella per totum terrarum orbem orta sunt.* Rockenb.

SI vel Funccium ipsum, cujus rationes Rockenbachius sequitur, consulamus, paulò ante visum Cometam, cruenta & funesta bella videmus inter Carthaginienses & Numidas, inter Romanos & Ligures (post quæ flumen in Piceno fluxit sanguine, in Thuscia cælum arsit, Arimini tres Lunæ visæ, & extemplò templum Jani clausum lætissimæ pacis symbolum) inter Achæos & Spartanos, inter Romanos & Illyrios. Tacebo Legatos Romanorum violato gentium jure in Illyrio trucidatos, & Cleomenem Regem Lacedæmoniorum Magnanimum & Felicem, toties Victorem, ab Achæis & Antigono Macedone victum & Peloponneso pulsum, fugatum, in carcerem conjectum, trucidatum, aliaque. At Cariam ac Rhodum horrendo terræ motu concussas, ita ut insana illa substructio Colossi Solis ruerit, & bellum Gallicum acerrimè gestum ante phœnomenon illud (quia Rockenbachius terræ motum & bellum Gallicum Cometæ apparitioni successisse ait) silentio præterire non possum. Funccius enim Anno M. 3741. C. Attilio Regulo & L. Æmilio Paulo (Papum Calvisius & Helvicus vocant) Coss. testatur maximâ clade Gallos affectos fuisse, ut 40. millia fuerint capta, cæso tamen Regulo, at Æmilio victoriam prosequente. Calvisius rem in Ann. M. 3725. ut & Helvicus referens, ex Polyb. l. 2. refert Gallos cum Germanis 200 mill. conflasse exercitum, acerrimè ad Telamonem Hetruriæ fuisse pugnatum, 40. millia Gallorum cæsa, 10. millia capta unà cum Rege Congolitano, altero Rege ex desperatione violentas manus sibi inferente. Taceo in eundem illum annum M. 3743. à Funccio referri cladem Gallis ad Aduam fluvium illatam, quæ an præcesserit vel secuta fuerit Cometam, non habeo dicere. Illæ tamen ipsæ rationes docent mox Cos. M. Claudium Marcellum Gallos vicisse, Viridomarum Regem eorum occidisse, Mediolanum expugnasse, triumphantem cum Collega Urbem intrasse. Mox Gallos victos Romanis se submisisse : Tùm Istros à Romanis subactos : nec non Illyrios, &

alia eveniſſe, victis quidem, ut fit, triſtia, ſed victoribus læta, quæ motus illos frequentes & belli Punici 2. initium (quæ adfert Rockenbachius) anteceſſerunt. Ex quibus omnibus patet, ut aliàs ſæpè, imò ſemper, & adverſa ante Cometas, & læta poſt eoſdem hîc & illîc eveniſſe. Quod ad Ptolemæi illius furorem in Judæos exercitum attinet, Funccius quidem circa Annum M. 3745. hæc eveniſſe narrat; At Calviſii & Helvici rationes quadriennio hæc inferiora ponunt. Ut ita non facilè ad Cometæ apparitionem ſex ſeptemvè annis poſt hanc geſta referri queant. Sed, ut ſunt humana, illam quoquè Judæorum perſecutionem lætus eventus excepit. Nam elephantorum 500. multa Judæorum millia, volente Rege impio & ſævo, conculcaturi, cum præter naturam ab hac immanitate abhorrerent, eundem ut facinoris pœnitentiâ duceretur & à tanta crudelitate abduceretur, permoverunt. Ita & feræ feritatem dedocent impios, quod & Danielis ad leones damnati exemplo Sacra pagina docet, quoties Deus ſuos manibus ſceleratis eripi, & vitâ ac libertate donari vult.

Quæ dehinc Rockenbachius de duobus Cometis Anno M. 3767. ante Chriſtum Natum 196. in ſigno Capricorni per paucos dies, & poſt biennium in ſigno Cancri per 19. dies viſis ſcribit, in hiſtoria noſtra Num. XVII. & XVIII. vides. Sed quem ibi Num. XIX. poſuimus, ſi rationes annorum à Rockenbachio & Eckſtormio adhibitas, & ſignum Cancri, in quo Cometes viſus eſſe ab utroquè ſcribitur, reſpiciamus, idem cum proximè præcedenti diebus 19. viſo videri poteſt. Niſi quòd primus ille Num. XVII. Ann. M. 3765. ante Chriſtum Natum 204. tertius autem Ann. M. 3769. ante Chriſtum Natum 200. apparuiſſe ab Eckſtormio, iſti verò duo à Rockenbachio annotati intrà biennium apparuiſſe memorentur. Adhæc Eckſtormius faces illas duas intrà biennii ſpatium viſas eſſe, expreſſè ſcribit. Itaquè meritò hæc phœnomena tria, non duo fuiſſe, & Cometam noſtrum Num. XIX. inſignitum, *nunc ad rationes* Rockenbachianas noſtris collatis XXII. ſtatuo. Paratus tamen ſum *hunc Eckſtormii* Cometam in Cancro 80. diebus viſum, cum Cometa Rockenbachii *in Cancro pariter*, ſed 19. diebus conſpecto, pro eodem ducere, ſi melior *computatio* mihi demonſtrata fuerit. At quæ Rockenbachius de Cometa magnitudinis ſtupendæ Ann. M. 3769. ante Chriſtum Natum 194. eo anno quo Mithradates (*ſicut quoſdam malle ſcribere ſupra diximus, aliis iterum Latinam orthographiam Mithridatis præferentibus.*) Rex Ponti natus eſt, viſo & 80. diebus continuis flagrante, refert, conveniunt quidem, quod ad durationis tempus 80. dierum attinet, cum Cometa noſtro Num. XX, qui nunc XXV. erit. Sed non annorum numero, nec eventibus. Adhæc quæ de Mithridate nunc nato Rockenbachius adfert, ſexaginta amplius annorum ſpatio rationes Riccioli prævertunt, & augent controverſiam de annis Mithradatis, de qua in T. I. & hîc ad Cometam Num. XXVII. egimus. Aliæ præterea rationes docent hunc Cometam Rockenbachii omninò diverſum eſſe ab illo Eckſtormiano XX. ut mox demonſtrabimus. Hic itaquè Num. XXIV. nobis erit.

* Vid. Sabell. Enn. 6. l. 3. ab initio. Jacob. Bongarſius in Juſtini lib. 27.

XXV. *Anno Mundi 3780. ante Chriſtum Natum 183. Cometa per 88. dies flagrans quartam ferè cæli partem occupans, ſuoque fulgore Solis nitorem vincens, interdiu in ſigno Piſcium apparuit, ortumque vel occidens ſpatium 7. vel 8. horarum conſumſit. Hunc mors Scipionis Africani ſecuta eſt. Peſtis Romæ circaquè loca finitima graſſata eſt. Heliodorus templum Hieroſolymitanum ſpolians à Deo graviter eſt punitus. Vide c. 3. lib. 2. Macchab. Mithridates Rex rei militaris peritus magna bella contra finitimos populos ſuſcepit.* Rockenb.

DUm rationes à Rockenbachio & Eckſtormio inſtitutas de annis M. & ante Chriſtum Natum illo 3780. hoc 3785. ibi, hîc autem utroquè 183. putante, tum & ea quæ Cometam ſecuta ſunt, conſidero, idem iſte Cometa eſt cum proximè præcedenti in hiſtoria XX. Quamvis illum Cometam Eckſtormii aliquâ ratione cum Rockenbachiano præcedenti quodammodo comparaverimus, ſatius tamen judico cum

eum adjungere illi quem Num. xx. ibi censuimus, hîc verò consemus xxv. De eventibus eum secutis in historia nostra egimus.

XXVI. *Anno Mundi* 3789. *ante Christum Natum* 174. *Cometa in signo Arietis per* 32. *noctes apparuit. Hoc anno Philopater Rex Syriæ septimus mortuus est, inque locum ejus Antiochus, nobilis cognomine, successit. Vide lib.* 2. *Macchab. cap.* 4. *Apulo Rex Histerreich, (qui locus inter Alpes & Venetum mare situs est) postquam captus est, ditio illius Territorii, imperio Romanorum subdita facta est.* Rockenb.

COmeta iste ab Eckstormio, Alstedio & Ricciolo annotatus non est. Ideò auget censum Cometarum: cumque inter hunc & proximè præcedentem nullus sit alius, iste Num. xxvi. censendus est. Exempla quæ Rockenbachius allegavit, Philopatoris morientis (non Ptolemæi, hic enim Ægypti Rex & aliquanto prior, sicut Philometor, qui etiam Epiphanio Philopator dicitur, ætate æqualis, annis regni nonnihil Funccio, Bucholzero, Calvisio, Helvico aliisque posterior fuit, sed Seleuci) & Antiochi Epiphanis ei succedentis, Æpulonis Istriorum Regis victi & capti, & Romanorum victorum, & id generis alia, quæ ad Cometam Num. xx. in historia annotavimus, docent Cometis non tantùm tristia sed & læta succedere, manifesto vicissitudinis rerum humanarum documento.

XXVII. *Anno Mundi* 3795. *ante Christum Natum* 168. *M. Scævola & Posthumio Romæ Coss. Cometa per* 55. (puto legendum 5.) *septimanas continuas flagrans, unà cum tribus Solibus conspectus est. Hoc tempore, alia postea plura miracula sunt secuta, ut prolixiùs lib.* 2. *Macch. cap.* 5. *legitur. Inprimis verò de Antiocho hoc assignatur, cùm in Ægyptum secundò profectus esset, ut regnum illud occuparet per dies* 40. *continuos equites in aëre aureis armis indutos, lanceisque longis inter se pugnantes visos esse. Post hæc Antiochus furiosus subitò ex Ægypto, Hierosolymam versùs cum exercitu profectus est, quò ubi venerunt, milites ipsius jussu Regis, spatio trium dierum* 80000. *hominum tàm senes, quàm juvenes, masculini & fœminini generis interfecerunt,* 40000. *cæperunt, spoliato prius templo* 80000. *vendiderunt. Vide lib.* 2. *Macch. cap.* 5. Rockenbachius.

AUget hic Cometa censum Cometarum, ab aliis auctoribus non annotatus. Cometam hunc, notante Funccio Rockenbachii duce, præcessêre bella Romanorum contrà Celtiberos, Ligures, alioque, secuta verò est pax victis Corsis & Liguribus data. Thracibus verò etiam amicitia, ut & Antiocho illi Epiphani. Dehinc bellum Macedonicum cum Perseo & Antiochi in Judæos furor, quem tamen quinto demùm à consulatu Scævolæ & Posthumii anno Funccius memorat. His autem tristibus succesêre lætæ Judæ Maccabæi victoriæ, aliaque ad Cometas Num. xxii. & xxiii. enumerata.

De Cometa, quem in Historia Num. xxi. censuimus, hîc xxviii. censemus, Roc- xxviii.
kenbachius annotat, eum Anno M. 3798. U. C. 586. ante Christum Natum 165. apparuisse 4. Septembr. unà cum Eclipsi Lunæ, Hircum, teste Senecâ, à villorum specie & juba, quæ velut hirsutum exhibeat, dictum. Refert præterea Anno sequenti facem ardentem in Italia Cometæ similem conspectam esse. *Posthæc* (inquit) *Per-* xxix.
seus, ultimus Rex Macedoniæ ab Æmylio in bello vincitur, & in potestatem Romanorum redactus est. Atquè ita non tantùm regnum Macedonicum finem suum assecutum est, sed etiam Antiochus Rex denuò in Judæa tyrannicè grassatus est, idolum abominationis in locum sanctum ponens. Vide l. 1. *Macch. cap.* 1, 2 *&* 3. *Item l.* 2. *cap.* 8. *Anno postea sequenti Deus Judam Macchabæum, filium Matathiæ excitavit, qui hostes ex territorio denuò expulit. Qualiter etiam Antiochus à Deo sit punitus, & quo genere mortis Anno M.* 3802. *Videre licet lib.* 1. *c.* 6 *& lib.* 2. *c.* 9. *Macch.*

De his eventibus, hîc lætis, illîc adversis, ad Cometas Num. xxi. xxii &
xxiii.

xxx. xxiii. diximus. Qui verò Cometa in hiſtoria ordine xxiii. fuit, hîc xxx. eſt.

XXXI. *Anno Mundi* 3809. *ante Chriſtum Natum* 154. *Cometa per ſpatium* 9. *dierum in ſigno Tauri viſus eſt. Poſt hunc caritas annonæ maxima eſt ſecuta. Bella diuturna inter Carthaginenſes & Romanos Maſſiniſſamque Regem in Numidia ſunt orta. Romani Carthaginenſes ter vicerunt. Huc quoquè referri poſſunt res geſtæ, quæ lib.* 1. *c.* 9, 10, 11. *Macch. dicuntur.* Rockenbachius.

HIc etiam Cometa aliis Auctoribus vel ignoratus vel præteritus familiam Cometarum auget. Bella illa, quæ Rockenbachius huic Cometæ adſcribit ab Anno demùm à condito mundo 3815. incipit Funccius, & ſimul præclarè geſtas à Scipione Minore Africano res, & Romanorum victorias & triumphos, quos eis bellum Punicum tertium attulit. De his nonnihil ad Cometam xxiv. diximus. Res quoquè Maccabæorum, quas memorat Rockenbachius, ita fuerunt triſtes, ut haud rarò lætis diſtinguerentur. A Cometa tamen, indice Funccio ipſo, longius abſunt, quàm ut ad eum referri queant.

XXXII.

Hunc Cometam excipit ille Numero xxiv. ſuprà inſignitus, nunc xxxii. numero, qui poſt mortem Demetrii Syri apparuit maximus, & Soli æqualis. De quo Rockenbachius annotat, eum Anno Mundi 3819. U. C. 607. ante Chriſtum Natum 144. in Signo Capricorni per totos 22. dies arſiſſe. Refert ad eum Carthaginis, Corinthi, Thebarum & Chalcidis devaſtationes. Tùm peſtem ſævam, Pſeudophilippi motus, & Ptolemæi Philometoris mortem.

XXXIII.

Confundit hîc Rockenbachius duos Cometas, quos ſuprà vides *Numero xxiv.* & xxv. hîc in ordine xxxii. & xxxiii. quos diſtinctè deſcribit Eckſtormius, priorem in Ann. M. 3819. ante Chriſtum Natum 150. poſteriorem in Ann. Mundi 3823. ante Chriſtum Natum 146. U. C. 607. ponit. De utriuſquè eventibus, rerum viciſſitudini teſtimonium luculentum præbentibus, ibi vide. Diximus tunc de Carthagine & Corintho everſis. Chalcidem tunc dirutam apud Auctores non invenio. At Thebas, illas ſcillicet Ægypti Anno demùm Mundi 3937. indice Funccio ex Euſebio. Sed quid hoc ad Cometam ante 100. annos viſum?

XXXIV. *Anno Mundi* 3829. *U. C.* 617. *Cometa, Attalo Rege in Pergamo imperium tenente in Italia Præneſte, unà cum face ardenti, primo adſpectu parvus, paucos autem poſt dies circa circulum æquinoctialem latiſſimè verſùs baculum Jacobi ſe extendens apparuit. Quamvis aliqui ex probatiſſimis quoquè auctoribus ſint, qui opinantur, Anno Mundi* 3831. *ante Chriſtum Natum verò* 132. *in ſigno Geminorum apparuiſſe, nociſſeque* 83. *arſiſſe affirmant. Hunc devaſtatio Antiochi Regis in Judæa mox ſecuta eſt, qui Urbem quoquè Hieroſolymam obſedit. Quæ etiam prætereà impia, inter Simonem principem Judæorum, & filios duos, generumque ejus, qui omnes interfecit, acciderint, in l.* 1. *Macch. cap.* 15. *ſcripta ſunt.* 70000. *militum in Sicilia conjurationem fecerunt, bellaque truculenta geſſerunt, aliæque ſeditiones quoquè plurimæ tunc temporis ortæ ſunt. Soria vel Numantia Civitas Hiſpaniæ, poſtquam per* 20. *annos contra Romanos bellum geſſit, tandem à Scipione Æmiliano penitus deleta eſt. Marcus Claudius Prætor Teracinæ in navi fulmine conflagravit. Lacus Tucinus per* 5000. *paſſuum in omnes partes exundavit.* Rockenbachius.

PRior ille Cometa Eckſtormio annotatus, nobis eſt xxvi. poſterior ignoratus, ideo cenſum Cometarum auget. De eventibus prioris actum eſt ſuo loco, ita verò ut cum poſterior paulò poſt ei ſucceſſerit, ad eum quoquè ibi dicta pertineant, nec plura congerere attineat. Quem enim perpetua rerum viciſſitudo latet? Anno

Anno M. 3853. *ante Chriſtum Natum* 110. *Cometa per* 15. *dies in Signo Cancri unà cum luce ſplendida veſperi apparuit. Paulò poſt Cimbri in Illyriam impetum fecerunt, Papiniumque Conſulem Romanum cum toto exercitu in fugam verterunt. Samaria ab Hircano devaſtata eſt. Territorium Syriacorum propter inteſtinas diſſentiones in poteſtatem Romanorum redactum eſt. Bella contra Jugurtham Romani plurima geſſerunt, caritateſque annonæ maximæ propter bella ortæ ſunt.* Rockenb.

XXXVIII.

COmeta hic in Hiſtoria nobis eſt xxix. nunc xxxviij. (novenario auctâ Cometarum familiâ) in eundem à mundi origine annum, ſed in 116. ante Chriſtum Natum poſitus. Eventus eum ſecutos, quos Rockenbachius annotat, ibi vide.

XLI. *Anno M.* 3879. *Anno U. R.* 667 *ante Chriſtum Natum* 84. *Cometa in Virgine, per* 94. *noctes flagrans apparuit. Hoc tempore bellum civile inter Marium & Octavium ortum eſt. Cinna autem ab Octavio in exilium poſtquam pulſus eſt, ſe Mario cum magno exercitu Romam veniens, aſſociavit, viroſque præſtantiſſimos miſerè interfici ſtatim juſſit, ſed paulò poſt Cinna à ſuis militibus quoque interfectus eſt. Nicomedes Rex Bithyniæ, & Ariobarzanes Rex Cappadociæ à Mithridate Rege Ponti ex ſuis territoriis expelluntur. Sed paulò poſt Regis Mithridatis milites à Sylla vincuntur, multaque* 1000. *interficiuntur.* Rockenb.

ISte Cometa accuratiùs à Rockenbachio quàm ab Eckſtormio deſcriptus, ibi xxxij. fuit, hîc XLI. eſt. Eventus ejus ibi vidimus.

XLIII. *Anno Mundi* 3903. *ante Chriſtum Natum* 60. *Cometa per ſpatium* 9. *dierum apparuit. Poſt hunc Catilina ab Antonio in bello non tantùm vincitur, ſed etiam interficitur, Urbs Hieroſolyma à Pompejo occupatur, Judæique imperio Romanorum ſubjiciuntur. Tigranes Rex Armeniarum & Syrorum mortuus eſt, Octavianus autem Auguſtus naſcitur.* Rockenb.

VIdimus ſuprà hunc Cometam à Ricciolo annotatum, qui ibi XXXIV. hîc XLIIJ. eſt. Vidimus ibidem eventus ejus.

XLVI. *Anno M.* 3922. *A. U.* 710. *ante Chriſt. Nat.* 41. *Cometa horrendæ magnitudinis (in ſigno Scorpii ut aliqui volunt) unà cum aliis miraculis in cælo, poſt mortem Julii Cæſaris primi Imperatoris, qui Romæ in Curia à Caſſio & Bruto,* 15. *Martÿ viginti tribus vulneribus confoſſus eſt, per noctes* 7. *arſit, anteque Solis occaſum exortus eſt, apparuit. Hunc bella civilia* 5. *magnæque clades ſunt ſecutæ. Solis præterea lumen caligine obſeſſum eſt, totoque illius anni ſpatio globus pallens, & ſine ſplendore oriens, imbecillem ex ſe emiſit calorem, inde aëris intemperies maximaque frugum caritas ſecuta eſt. Plutarch. in Vita Cæſaris. Plin. l.* 2. *cap.* 30. *Bella plurima, ſeditiones, ſtrages ſanguinolentæ per totum terrarum orbem ſunt auditæ. M. Cicero anno ætatis* 64. *interfectus eſt. Anno M. verò* 3924. *Gothi in Germaniam irruunt, eamque per decennium integrum affligunt, Anno M.* 3928. *Finis regni Maccabæorum inſtat, cùm anteà per annos* 129. *floruiſſet. Hieroſolyma ab Herode occupata, ſceptrum de Juda ademtum eſt.* Rockenb.

VIdimus & hunc Cometam cum eventibus ejus, ibi Numero xxxvij. qui hîc XLVI. eſt, qui à Rockenbachio in ann. ante Natum Chriſtum 41. ab Eckſtormio in 43. à Ricciolo in 44. ponitur.

Anno

XLVII. *Anno Mundi* 3935. *ante Christum Natum* 29. *Cometa in Libra per* 95. *dies flagrans apparuit. Eodem anno Octavius Cæsar, Antonio devicto, totam Ægyptum subegit & tributariam fecit, eiquè Cornelium Gallum præfecit. Triumphavit de Ægyptiis Romæ, & ornamenta Cleopatræ Reginæ in templo posuit. Herodes Arabibus bellum infert. Terræ motus horribilis in Judæa ortus est, in quo* 10000. *hominum perierunt.* Rockenb.

HUnc quoquè cum eventibus vidimus, ibi Numero XXXIIX. qui hîc XLVII. est.

XLIIX. *Anno Mundi* 3940. *ante Christum Natum* 23. *Cometa per aliquot dies in Signo Tauri apparuit. Hunc fames & pestis horrenda in Judæa secuta est. Francus Rex, à quo Franci nomen habent, cum magno exrcitu in Galliam proficiscitur, ibique ferro & igni omnia devastavit, multaque millia hominum interfecit. Hispania à Cæsare Augusto debellata est.* Rockenb.

HIc Cometa non est ab Eckstormio, Ricciolo & Alstedio annotatus. Itaque hic est Num. XLIIX. Quod ad eventus rerum qui secuti eum sunt, attinet, consulemus primùm Funccium, Rockenbachii ducem. Is ante hunc Cometam annotat bella Augusti adversùs Cantabros & Astures Galleciæ, hos victos, Gothos Germaniâ pulsos, Thebas Ægypti ad solum dirutas. Post Cometæ verò apparitionem refert Herodis regnum iterum auctum, ut tertius Romani Imperii Rector diceretur, ab Augusto verò pacem cum Parthis lætam, utpote glorioſam & utilem initam, templum Domini Dei renovari cœptum, & Samariam ab Herode reædificatam ac Sebasten dictam. Interim famem illam in Judæa, Francum in Gallia sæviisse. Hæ sunt illæ rerum vices. Atquè hic est Cometa ex benè constitutis & illustratis ac correctis rationibus Rockenbachii XXXII. ordine vel fortè XXXIII. (nam ad Annum M. 3798. & 3799. duo ejusmodi phœnomena, non tamen sine dubitatione ponit) & ante Christum Natum ultimus, quem duo à nobis ex Ricciolo & Alstedio annotati sequuntur, ut ita tota Cometarum ante Christum Natum familia numerum L. impleat. Quia tamen facilè fieri potest, ut alicui videatur unus Cometa bis numeratus fuisse, licet nos nil temerè hîc fecerimus, & sat validis rationibus computationem nostram asseruerimus: ideò Cometas ante Christum Natum ad numerum quinquagenarium reducimus. Ita verò isti post Christum Natum ab unitate supra quinquagesimum incipient. Quò autem cuivis rationes nostræ melius pateant, Catalogum præcedentium Cometarum, ex diversis Auctoribus compositum, in tabella damus.

Catalogus

CATALOGUS COMETARUM,

Ante Christum Natum in Historia nostra ex Eckstormio, Alstedio & Ricciolo & cum Rockenbachio compositus.

Eckstorm.	Alst.	Ricc.	Rockenbachius.
1.	A.M. 1657.	—	1. 1657. I.
			2. 1944. II.
2.	2018.		3. 2018. III.
3.	2128.		4. 2128. IV.
4.	2237.		5. 2237. V.
5.	2454.		6. 2453. VI.
			7. 2770. VII.
			8. 2795. VIII.
6.	3489.		9. 3488. IX.
7.	3503.	——	—— X.
8.	3519.	——	—— XI.
9.	3538.		10. 3537. XII.
10.	3557.		11. 3553. XIII.
11.	A°. ante C.N. 410.		—— XIV.
12.	——	——	400. —— XV.
13.	A.M. 3596.		12. 3592. XVI.
14.	3614.		13. 3609. XVII.
15.	3628.		14. 3624. XVIII.
16.	A°. ante C.N. 336.		—— XIX.
			15. 3743. XX.
17.	A. M. 3765.		16. 3767. XXI.
18.	A.M. 3767. diebus		19. 17. 3769. XXII.
diebus	80. ante C.N. 194.		18. 3769. XXIII.
19.	3769. ante C.N. 200.		XXIV.
20.	3785.		19. 3780. XXV.
			20. 3789. XXVI.

Eckst.	Alst.	Ricc.	Rockenbachius.
			21. 3795. XXVII.
21.	A.M. 3801.		22. 3798. XXVIII.
22	3803.		23. 3799. XXIX.
23	3804.	——	—— XXX.
			24. 3809. XXXI.
24	3819.		25. 3819. XXXII.
25	3823.	——	—— XXXIII.
26	3833.		26. 3829. XXXIV.
			27. 3831. XXXV.
27	A°. ante C.N. 130	——	XXXVI.
28	——	——	119 —— XXXVII.
29	A.M. 3853.		28. 3853. XXXVIII.
30	3870.	——	—— XXXIX.
31	3876.	——	—— XL.
32	3879.		29. 3879. XLI.
33	3882.	——	—— XLII.
34	A°. ante C.N. 60.		30. M. 3903. XLIII.
35	A.M. 3889.	——	—— XLIV.
36	A°. ante C.N. 47.	——	XLV.
37	——	——	45. —— XLVI.
38	——	——	43. (44) 31. M. 3922. XLVII.
39	A.M. 3939.		32. 3935. XLVIII.
			33. 3940. XLIX.
40	A°. ante C.N. 13.	——	L.
41	A.M. 3947. paulò ante C.N.		LI.

CATALOGUS
COMETARUM



Nº. 62.

Tabula exhibens Cometas à Nato Christo quorum saltim situs ex Histori haberi potuit




90
85
80
75
70
65
60
55
50
45
40
35
30
25
20
15
10
5
5
10
15
20
25
30
35
40
45
50
55
60
65
70
75
80
85
90

SECTIO SECUNDA.

COMETAS

à Christo nato complectens.

LI. *Nolo tacitus præterire stellam illam augustissimam, quæ Christo Domino recens nato Magis in oriente apparuit, ipsisque Hierosolymâ Bethlehem versùs ad adorandum Christum euntibus præivit, stetitque suprà locum, ubi erat puerulus.* Matth. 2.
Stella hæc aliis nova, aliis Cometa, aliis Angelus fuisse putatur. Eckstormius.

ROckenbachius hujus stellæ non meminit. Eckstormius nil de ea definit, sed rem in medio relinquit. Refert autem Augustinum Serm. 31. & 34. (dummodo illa, saltem omnia, ejus sint) de tempore, tùm & primo inter 17. novissimos docere, stellam illam fuisse admirabilem & incomparabilem, magnificam linguam cæli, quæ narrârit gloriam Dei, & inusitatum Virginis partum, inusitato fulgore clamârit: eandemque biennio fulsisse: idemque asserere Epiphanium l. 1. T. 1. contra Herodianos. Adducit & ea quæ annotavit de ea Paradinus in Symbolorum Heroicorum eo, cujus inscriptio est: *Monstrant Regibus astra viam: Signum seu pictura est stella cum Corona. Huic* (inquit) *adscribit ille quæ sequuntur. In æde sacra ad Sanctum Ovenum, Gallici regni sub anno redempti Orbis* 1351. *à Rege Johanne publicè institutus ordo Stellatorum fuit. Signum hoc adfixum ostendebant ejus fœderis Equites togâ, capitio, locovè conspicabiliori. Tàm honorificam stellæ celebritatem credibile est ortam fuisse à commemoratione sublimis istius ostenti siderei, quod Magos ab Oriente adduxit in locum filio Dei natalem: Quo etiam referri posse videntur versus illi, alioqui à Virgilio Pollionis filio dicati, (imò *Julio Cæsari, ob Cometam, qui se post mortem ejus ostendit) Ecloga* IX.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:
Astrum quo segetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

Vocat autem hanc sententiam Paradini piam. Ita ab ea non abhorret, imò ei confirmandæ sententiam Bezæ adjungit, qui in epigrammatis stellam illam mirabilem 1572. vocat Cometen, & eundem esse cum hac stella Magorum duce putat. Et memorat quidem Eckstormius Basilium in Homilia εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν & multos alios, referente Chytræo in enarrat. numerorum ad stellam hanc accommodare vaticinium, quod Balaam Vates Moabiticus de stella ex Jacob oritura Numeri 24. ediderit. Sed testatur in aliis Interpretibus Christianis id explicari de adventu & regno Christi, quem Balaam in spiritu Prophetico viderit, longo post tempore è stirpe Jacob ceu stellam illustrem processurum: quam explicationem dictis Scripturæ Sacræ confirmat, Flaccium Illyricum & alios secutus.

Ita non obscurè significat se potius Paradini & Bezæ, quàm Basilii & aliorum accedere sententiæ. Origenes quidem l. 1. contra Celsum hanc stellam in natali Christi Cometis temporaneis æqualem fuisse docens ita scribit: Τὸν ὀφθέντα ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ καινὸν ἐναι νομίζομεν, καὶ μηδενὶ τῶν συνήθων παραπλήσιον, οὔτε τῶν ἐν τῇ ἀπλανεῖ, οὔτε τῶν ἐν ταῖς κατωτέρω σφαίραις: ἀλλὰ τῷ γένει ἀστῶν γιγνέναι, ὁποῖοι κατὰ καιρὸν γινόμενοι Κομῆται, ἢ πογωνίαι ἢ πίθοι, ἢ ὅπως ποτε φίλον Ἕλλησιν ὀνομάζειν τὰς διαφορὰς ἀστῶν. Κατασκευάζομεν δὲ τοῦτον τὸν τρόπον τὸ τοιοῦτο. Ἐπὶ μεγάλοις τετήρηται πράγμασι, καὶ μεγίσταις μεταβολαῖς τῶν ἐπὶ γῆς, ἀνατέλλειν τοὺς τοιούτους ἀστέρας, σημαίνοντας ἢ μεταστάσεις βασιλειῶν, ἢ πολέμους, ἢ ὅσα δύναται ἐν ἀνθρωπίνοις συμβῆναι, σεῖσαι τὰ ἐπὶ γῆς δυνάμεια.

* Vid. h. l, illustratum apud Sueton. in Julio c, 88. Ovid. l. 15. Metamorph. Propert. l. 4. el. 6. Horat. l. 1, Od. 12. Plin. l. 2. c. 25. Lucan. l. 7.

δωκάμενα. ἀνέγνωμεν δ' ἐν τῷ περὶ κομητῶν. Χαιρήμονος τὸ Στωϊκὸν συγγεγραμμένα, τίνα τρόπον ἐθ' ὅτε μὲν ἐπὶ χρηστοῖς ἐσομένοις κομῆται ἀνέφηναν, καὶ ἐκλήθησαν τὴν περὶ τούτων ἱστορίαν. Εἰπερ ἦν ἐπὶ βασιλείαις καινοποιοῖς, ἢ ἄλλοις συμπεπλεγμένοις ἐπὶ γῆς ἀνατέλλει ὁ καλούμενος κομήτης, ἢ τις τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἐστὶν: τί θαυμαστὸν ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ ἀνθρώπου, καὶ διδασκαλίαν ἐπεισαγειν ἐ μόνον Ἰουδαίοις καὶ ἀλλὰ Ἕλλησι, πολλοῖς καὶ δὲ βαρβάροις ἔδοξεν. ἀστέρα ἀνατεθαλκέναι; Ἐγὼ δ' εἰκότως ἂν, τῶν μὲν τῶν κομητῶν ἑκάστοις ἀσήμοις σφήλεσι φέρειν, ὡς ὅτε καὶ τὴν δὲ τὴν βασιλείαν, ἢ τὰς δὲ τὰς χρόνους ἀνατέλλει τοῦ δὲ κομήτου. Περὶ δὲ τοῦ ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ Ἰησοῦ ἀνατείλαντος προφήτευσε Βαλαὰμ, λέγων ὡς ἀνέγραψε Μωϋσῆς· Ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακὼβ, καὶ ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐξ Ἰσραήλ. id est. *Stellam, quæ in Oriente visa est, novam fuisse opinamur, nec ulli è notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus: sed ejus generis, quales Cometæ visuntur temporanei, docides, pogoniæ, pithi aut quomodocunque libet Græcis variis nominibus signare horum differentes figuras. Hanc nostram opinionem hoc pacto astruimus. Observatum est quoties res magnæ insignesque mutationes fiunt in terris, existere hujusmodi stellas, significantes aut translationes regnorum, aut bella, aut quicquid potest. Legimus autem in Cæremonis Stoici commentario, quem de Cometis scripsit, quomodo interdum etiam res bonas futuras exorti Cometæ præsignaverint, idque declarat exemplis petitis ex historiis. Ergo si ad regnorum novationes, alioſque insignes casus interris stella, quæ vocatur crinita, exoritur, aliudvè sidus simile, quid mirum id factum in nativitate renovaturi genus hominum, introducturique doctrinam Judæis, Græcis & Barbarorum plerisque communem? Equidem dicerem de Cometis quidem nullam prophetiam ferri, illo regnante, vel quod illo tempore talis Cometa exorietur: de hac vero stella, quæ Jesu nascente orta est, prophetasse Balamum his verbis, quæ Moses scriptis suis* (Num. 24. 17) *inseruit: Exorietur stella ex Jacob, & exurget homo in Israël.* Allegat hanc Origenis sententiam re & nomine Magnus HUGO Annot. ad Mat. 2. & non pauca pro Cometis docet egregia. An tamen illa stella Cometa fuerit, nec ne, in medio itidem relinquit. Maldonatus, recensitis variis Doctorum Ecclesiæ sententiis, subjicit: *Plerique alii Cometam fuisse dicunt. Ego aut Cometam aut Angelum dixerim.* Pro Cometa stat & Calvinus apud Marloratum, & Beza: tùm Cardanus, Libavius, Joh. Bapt. Mantuanus, nec non ipse Joan. Adamus Osiander, in acuta de stella insolita luce & duce Magorum Dissertatione nuperâ, dummodo non æthereus, sed sublunaris sit, quod & Adamus Tannerus *q. 7. de cœlis* ante eum observavit: quales Cometas dari posse alibi diximus. Ricciolus Almag. *l. 8. sect. 2. c. 19. N. 3.* plures allegat, qui negant stellam illam Cometis annumerandam esse, variisque rationibus contra hanc sententiam pugnat, quod & Basilius illâ oratione in S. Christi Nativit. facit. Sed si Cometa sublunaris, quales dari Ricciolus largitur, fuisse statuatur, magnum isti sententiæ remotum est impedimentum. Quicquid verò tandem de eo sit, mihi sufficit tot testimonia antiquorum & recentiorum pro hoc Cometa, qualiscunque statuatur, si vel insolitus cursus & apparitionis tempus ei tribuatur, adduxisse. At quis non videt hoc phœnomenon toti orbi fuisse, si quod unquam, lætum & salutare?

LII. *Anno à Nato Christo primo, Cometa, vel ut aliqui volunt, fax ardens in signo Leonis, una cum Eclipsi Lunari per 3. noctes visa est. Hunc miserrimus status in Judæa, viciniſque locis secutus est. Herodes enim tyrannus, non tantùm infantes innocentes interficere tunc temporis jussit, sed etiam alia mala plurima, seditionibus & exactionibus injustis cædibusque exercuit. Paulò autem post, genere mortis horribili, ut Josephus dicit, mortuus est.* Rockenbachius.

SI stella illa dux Magorum non tantùm in Natali Christi, sed & biennio post visa est Magis Hierosolymam venientibus, iste Cometa Rockenbachii illa ipsa stella foret. Sed sententiam illam, quæ est Epiphanii l. 2. hær. 30. refutat Ricciol. Almag. l. 8. Sect. 2. c. 9. de Novis Stellis Num. 9. Illud autem ipsum exemplum sævissimi infanticidii ab impio Herode perpetrati (quâ tempestate & filius Antipater jussu ejus occisus est; ideò **Augustus, malle se Herodis porcum, quàm filium esse dixit*) tùm verò ejus horrendæ mortis, deniquè servati Christi, & in Judæam ex Ægypto reducti, tristes & lætos eventus Cometis succedere docet. De illa infantum immani cæde &

* Macrob. l. 2. Saturn. c. 4. p. 270. edit. Joan. If. Pontani.

mirabili

mirabili Christi conservatione egregiè in hanc rem scribit Origenes l. 1. contra Celsum: Ὁ δ' Ἡρῴδης ἀνεῖλε πάντας τοὺς ἐν Βηθλεὲμ καὶ τοῖς ὁρίοις αὐτῆς παιδία, ὡς συναναιρήσων τὸν γεννηθέντα Ἰουδαίων βασιλέα. Οὐχὰρ εἶδε τὴν ἀκοίμητον φρουρὸν δύναμιν τῶν ἀξίων φρουρεῖσθαι καὶ τηρεῖσθαι τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων, ὧν πατρῶος παντὸς ἡμῖν καὶ ὑπερέχει πίστις μείζων ἢ ὁ Ἰησοῦς. Βασιλεὺς δ' ὡς Ἡρῴδης ἦεθ', ἐσόμενον ἀλλ', ὡς ἔπρεπε τὸν θεὸν δι' ἄνην βασιλείαν, ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν βασιλευομένων, τοῦ δὲ μέσου καὶ διαφέρον (εἴ γε ὄντως νομίσω) εὐεργετήσοντα τοὺς ὑποτεταγμένους, ἀλλὰ νόμοις ἀληθῶς θεοῦ παιδεύσοντα καὶ ὑπεξοντα αὐτούς. *Id est, At Herodes necavit omnes infantulos, quotquot erant in Bethlehem oppido ejusque finibus, quasi perditurus simul recens natum Regem Judæorum, non enim videbat potentiam nunquam dormitantem, custodem hominum dignorum salute atquè tali custodiâ. Quorum omnium honoratissimus erat* Jesus, *futurus Rex, non qualem Herodes putabat, sed qualem decebat esse, qui divinitùs regnum acciperet ad beneficentiam exhibendam subditis, eamque non mediocrem, (& sic loquar) indifferentem, quantum ad subjectos, sed quæ legibus verè divinis erudiret eos & subderet.*

LIII. *Anno à Christo Nato 12. Cometa per noctes 32 in signo Arietis apparuit. Hunc bella diuturna & terribilia sunt secuta. Romani totam Germaniam peragrantes, Illyriam & vicina loca suæ ditioni subjecerunt. Quintilius Varus à Germanis duce Arminio cæsus est.* Rockenbachius.

Ricciolus Cometæ hujus c. 5. p. 34. mentionem facit ante mortem Agrippæ. Sed intelligere eum annos ante Christum natum suprà vidimus. Novit verò Vir Doctissimus Principes & ante Cometas mori, & post Cometas nasci, idque hic etiam docet. Iste Cometa ab Alstedio in annum à Christo nato 13. refertur, estque illi numero primus, cui Varianam illam cladem pariter subjicit. Scio tunc Tiberium in Germaniam trajecto Rheno, bellum transtulisse. At verò Cometam, ipso Funccio, quem Rockenbachius sequi solet, ad annum Christi 10. referente, præcessit bellum Illyricum post bella Punica omnium gravissimum. Tiberius totum Illyricum, quod intra Italiam regnumque Noricum & Thraciam ac Macedoniam, interque Danubium fluvium & sinum maris Adriatici patet, trienno perdomuit. Cometam verò excepit Illyrici subactio A. C. 13. & A. 15. triumphus de Illyrico à Tiberio actus. Bucholzerus Varianam cladem in annum à Christo nato 10. Ita & Calvisius & Helvicus. Sed istis annus epochæ vulg. 10. est epochæ veræ 12us. Alstedius hîc cladem hanc in annum 13. at alibi p. 297. ad ann. 10. refert. Ita clades hæc Cometam præcederet. Quicquid verò de eo sit, præcesserunt hunc bella Germanica & Pannonica, tùm & ingens fames, referente Calvisio ad annum à Christo Nato 5. & sequentes.

LIV. *Primus post Christi ortum Cometes in historiam relatus est is qui Anno 14. Christi propè Augusti obitum visus est, ut refert Fiornovellus.* Ricciolus. *Sanguinolenti Cometæ denunciarunt mortem Augusti Cæsaris A. C. 16.* Alstedius. *Anno Christi 17. Cometa per spatium 20. dierum in signo Arietis apparuit. Post hunc mors Augusti Cæsaris, anno sequenti Nolæ urbis in Campania, secuta est. Claudius Tiberius Cæsar in locum ejus successit, qui postquam per aliquot annos contra Germanos bellum gessit, sæpiùs à Germanis victus est. Terræ motu civitates Asiæ 12. celeberrimæ perierunt, pestisque sæva grassata est. Harminius Dux Germanorum, instinctu Tiberii Cæsaris, à consanguineis suis anno 22. interficitur, quo etiam anno urbes 3. terræ motu, Ephesus videlicet, Magnesia & Sardis absorptæ sunt.* Rockenbachius.

Discrimen hoc annorum oritur ex illo discrimine epochæ Christi veræ 5 quæ vulgarem duobus à plerisque Chronologis, vel etiam pluribus annis à nonnullis annotatis superat. Quod diligenter notandum est, eò quòd tale discrimen & in sequentium Cometarum rationibus occurret. Non meminit hujus Cometæ Suetonius, diligens alioqui historicus, qui etiam ejusmodi portentorum lætorum tristiumque non

exiguam

exiguam copiam annotare ſolet. Mortem Auguſti refert Funccius in A. C. 16. (cùm autem Rockenbachius hunc in putandis rationibus ſequi ſoleat, niſi error ſit in numero admiſſus, videri poſſet Auguſtum ante viſum Cometam eſſe mortuum) ita & Alſtedius & Helvicus, ſecundùm Epocham veram, ut Calviſius, Pantaleon, Petavius & alii Anno 14. ſecundùm Epocham vulgarem, Bucholzerus intermedius in anno 15. refert. Sed largiamur Auguſtum à viſo Cometa mortuum eſſe. Imo verò ſtatuimus eum Ann. 15. vulg. 17. vero obiiſſe. Atqui Tiberius ei ſucceſſit. Nempe *Principes ſunt mortales, Reſpublicæ autem immortales*, ex veteri ſcito. Auguſti mortem exceperunt multa Romanis læta. Tot victoriæ, licet quandoque, ut fieri ſolet, Cadmeæ, partæ. Tot Germaniæ populi Cheruſci, Marſi, Catti, Bructeri & alii hîc à Germanico, ibi à Stertinio aliiſque fuſi, fugati, ſubjugati. Germanicus de iis triumphat: idem Orientem luſtrat & condit legibus, Zenonem Armeniis Regem conſtituit, cum Artabano & Parthis fœdus pangit. De his inter alios videatur Corn. Tacitus Scriptor Auguſtus, nunquam tacendus, nunquam etiam ſine cura vel dicendus vel legendus. Interea temporis Romam terræ motus leviter concuſſit, Tyberis inundavit. Sed talia ſæpè citra ullos Cometas Roma videt. Motus autem ille notabilis terræ in Aſia, quem memorat Rockenbachius, paulò quidem poſt Cometam accidit. Sed quis neſcit talia in orbe nullis quoquè apparentibus Cometis accidere? Pariter Principum Natales, ut tunc Vitellii, Cometis ſuccedere, & ſine prævîis Cometis Viros illuſtres & præclaros mori? Hoc enim illius temporis exempla Germanici laudatiſſimi Principis, veneno extincti, Piſonis, qui de illo parricidio ſuſpectus, in ſeipſum paulò poſt ſæviit, Druſi Cæſaris filii Tiberii veneno itidem à Sejano necati, & aliorum docent. Motus tamen ille quo 13. urbes in Aſia conciderunt, *longius mihi* à Cometa videtur remotus. Funccius enim eum in annum Chriſtum Nati 22. refert, Euſebii rationes ſecutus: ut & Harminii viri certè Clariſſimi, & fortiſſimi Germaniæ contra invaſores Romanos defenſoris, mortem. Imò verò hunc Bucholzerus & Calviſius biennio integro infra illum terræ motum ponunt. Tunc verò *lætas Romanorum* & triumphis celebres de Numidis, Thracibus aliiſque victorias *plures* videre licet. His ſine ullo Cometæ portento theatri ad Fidenas caſus, *qui* 50. millia hominum oppreſſit, mors Liviæ Auguſtæ, & res Romanorum in Galliis, Armenia, Mæſia & alibi negligentiâ Tiberii inclinatæ, & clades à Friſiis illata, aliaque triſtia ſucceſſerunt.

LV. *Anno Chriſti 40. poſt obitum Tiberii Cæſaris, imperium tenente Cajo Caligula, (qui à capitaneis ſuis anno 43. 24. Januarii interfectus eſt) Cometa in ſigno Geminorum apparuit. Hunc exilium Herodis, qui Joannem Baptiſtam capite plexit, ſecutum eſt. Seditiones in Judæa hoc tempore ortæ ſunt plurimæ. Pontius Pilatus ſeipſum interfecit. Caritas annonæ maxima per aliquot annos continuos durans, de qua Actor. cap. 15. ſcriptum eſt, toto terrarum orbe fuit. Bella in Anglia magna & multa fuerunt. Herodes Agrippa, qui Jacobum fratrem Joannis gladio interfecit, à vermibus devoratur; de quibus Actor. Cap. 12. Judæi & gentes veram Eccleſiam ferro & igni perſecuti ſunt. Homines ſeditioſi multi, ſub ſpecie nominis Chriſti, tumultus plurimos excitarunt, inter quos Ægyptius præcipuus ex numero illorum fuit, qui à præfecto prætorii oppreſſus eſt. Vide cap. 21. in Actis Apoſtolorum.* Rockenbachius.

UT multa acerba quæ hunc Cometam anteceſſerunt, præter illa ſuperiùs enumerata, præteream, atrociſſimam Sejani mortem tacere non poſſum. Is enim potentiæ nimius, nec tantùm Senatui aſtutâ Cæſaris crudelitate preſſo, ſed & illi ipſi à Roma abſenti, inque mollitiem & deſidiam prolapſo, gravis, utriuſque odio oppreſſus eſt. Et ita quidem, ut nihil ad ſævitiam & ignominiam omitteretur: egregio documento, Miniſtros Principum fidem & modeſtiam eis ſervare, & intra fines æquæ auctoritatis manere debere. Quod ad eventus illos triſtes à Rockenbachio annotatos attinet, nonmirum triennio à viſo Cometa Caligulam occiſum. Nam & ante viſum

Cometam

Cometam occiduntur Tyranni, moriuntur ut & naſcuntur Principes. Ante hunc Cometam Pilatus injuſtus ille Judex, qui Chriſtum reclamante uxore & conſcientiâ proprià ad crucem damnavit, in Galliam relegatus & multis calamitatibus divexatus, paulò poſt vitam ſibi ipſi ademit. Meritiſſimo quidem. Quia vitam adimi vitæ datori, cujus perſpectam habuit innocentiam, permiſerit. Tiberii etiam mors, quod ipſe Rockenbachius fatetur, Cometam hunc præceſſit. In hac videre eſt potentiſſimos quoque & peſſimos Tyrannos (qualis iſte fuit, eò pejor & nocentior, quò magis vafer, verus Afer) & ſine Cometarum portentis mori, & miſerè mori. *Sunt* enim *qui putent venenum ei à Cajo datum, lentum atquè tabificum. Alii in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti negatum: nonnulli pulvinum injectum, quum extractum ſibi deficienti annulum mox reſipiſcens requiſiviſſet*; teſte Suetonio c. 73. Credo non ſine divina providentia ignorari quo mortis genere iſte Tyrannorum Romanorum primus obierit, cum is diverſo genere mortis plures, inediâ verò etiam Druſum & Agrippinam, illum filium, hanc conjugem Germanici, alioſque ſuſtulerit. Herodes ille Antipas, ab Areta Rege Arabum bello Anno Chriſti 37. impetitus, Agrippa verò frater ejus Anno 39. à Tiberio in vincula conjectus eſt, referente Funccio. Hæc Cometam præceſſerunt ſecundùm ipſius Funccii rationes. Calviſius bellum ob ſpretam Aretæ Regis filiam, & impuram illam Herodiadem ſuperinductam & cladem illatam in Ann. Chr. 35. Wichmannus in 37. ponit. Res Judæorum tunc erant miſeræ, quòd eos Caligulæ crudelis arrogantia ad idololatriam cogere vellet. Sed non mirum eſt interfectores Chriſti Salvatoris variis jam tunc modis caſtigari cœpiſſe. Ideò & Pilato ante Cometæ apparitionem divina vindicta meritam exſilii pœnam irrogavit. Fames Judæam anno Chr. 46. affligens, & ſueto rerum curſu evenit, & tàm divinæ circa pios providentiæ, quàm piorum erga pios beneficentiæ documentum præbet. Bella in orbe hîc vel illîc aſſidua. Cauſſæ horum ad vitia hominum non ad aſtra referendæ: cujus rei hîc illa veſana Herodis libido documentum præbet. Fames autem illa quæ in Græcia & aliis orbis partibus graſſabatur, in Ann. Chr. 48. & ſequentes: Seditiones Judæorum in 49. & ſequentes, tumultus impoſtorum in 54. cumprimis illus Ægyptii impoſtoris rebellio in 55um. referuntur. Hæc cùm à Cometa 15. annis diſtent, nullâ veri ſpecie ad eum referri poſſunt. Rectius ad eum referre licet natales Agricolæ & Titi, eodem anno, quo luxit Cometes, auctam à Claudio Anno 41. tetrarchiam Agrippæ, ab hoc & procuratam apud Cæſarem Judæis religionis, & datam tributorum libertatem; tùm victorias Romanorum de Cattis, Marſis & Britannis, & triumphos lætos. At enim quæ his læta, illis ſunt acerba. Non aliud nempe rerum humanarum fert viciſſitudo.

LVI. *Anno Chriſti 48. Cometa apparuit, pluitque ſanguinem, & fulmen de cælo in ſigna militum Prætorianorum cecidit, templumque Jovis Victoris ſuâ ſponte eſt apertum. Poſt hunc Claudius Imperator, inſtinctu Agrippinæ à Jocuſta veneſica veneno eſt ſublatus, ac deinde ex ſingulis generibus Magiſtratuum, ſinguli mortui ſunt.* Rockenbachius.

VIderi poſſet hunc Cometam referendum eſſe cum hac prodigioſa pluvia in annum Claudii ultimum. Innuit id Rockenbachius: indicat Eckſtormius & Alſtedius, quorum ille in An. Chr. 54. (epochæ ſcilicet vulgaris) iſte in 56. epochæ veræ Cometam hunc refert. Verùm Rockenbachius expreſſè hunc Cometam diſtinguit ab illo qui ultimo Claudii anno præceſſit. Triſtia verò ſunt illa quæ Rockenbachius affert. Quibus ex Funccio famem Romanam, ſed & nuptias Claudii cum Agrippina, Neronis matre, & res à Romanis contra Britannos & Judæos rebelles feliciter geſtas addere licet. Longè tamen remotam Claudii mortem, & quidem Cometæ *Anni 56.* ut videbimus, à ſemet-ipſo ſubjectam Rockenbachius hùc retulit.

LVII.

LVII. *Anno Christi* 51. *Claudii* 9. *Cometa apparuit.* Cent. Magdeb. l. 2. c. 13.

NUllus Chronologorum, quos vidi, Cometam hunc annotavit. Quem præcedenti proximum illa triſtia & læta attingunt. Nec opus eſt alia conquirere. Aliàs præter hæc nil invenio, quod in rationes referri poſſit. Addo tamen non tantum in hiſtoria Cometarum omiſſum eſſe hunc Cometam ab Eckſtormio, ſed in eundem annum tres Soles referre in Hiſtoria Pareliorum. Funccius quoque ad hunc annum tres Soles notat.

LVIII. *Anno Christi* 56. *Cometa in ſigno Cancri perquè ſpatium* 4. *menſium, ut alii volunt, flagrans, & curſum ſuum à Septentrione verſus ortum dirigens obſcuroque lu apparuit. Hunc varias calamitates ſecutas eſſe, hiſtorici referunt. Claudius Cæſar venen hoc tempore extinctus eſt. Seditiones plurimæ in Judæa fuerunt. Clodomer Rex Francorum bellum infert Gallis. Paulus Apoſtolus captus eſt, Felicique Præfecto traditus. Vide* 21, 22, 23. *Act. Terræ motus Romæ anno* 60. *maximi fuerunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 54. *Cometa longo tempore viſus eſt, pluitque ſanguinem, & fulmen de cælo in ſigna Prætorianorum militum cecidit, & templum Jovis victoris ſuâ ſponte apertum eſt. Hæc ſigna anteceſſerunt mortem Claudii Cæſaris & imperium Neronis.* Eckſtormius ex Plinio, Seneca, Tacito, Suetonio & Oroſio.

Anno Christi 56. *Tempore Claudii viſus eſt Cometa, pluitque ſanguine. Hoc anno obiit Claudius: cujus in imperio ſucceſſor fuit Nero, qui matrem, uxorem & præceptorem Senecam interfecit & perpetuum latrocinium exercuit.* Alſtedius.

Anno Christi 54. *Paulò ante mortem Claudii Cæſaris Imperatoris Cometa comparuit L. Aſinio Marcello & M. Acilio Aviola Coſſ. de quo Suetonius in Claudio c.* 46. dicens: Præſagia mortis ejus præcipua fuerunt exortus crinitæ ſtellæ quam Cometam vocant, tactumque de cælo monumentum Druſi patris, & quod eodem anno ex omnium Magiſtratuum genere pleriquè mortem obierant. *Hic Cometa teſte Senecâ l.* 7. *c.* 21. à Septentrione ortus perrexit in Orientem ſemper obſcurior. *Periit porrò Claudius ex veneno, ideoque Plinius l.* 2. *c.* 25. *cùm Cometam dixiſſet eſſe* terrificum magnâ ex parte ſidus, ideoque non leviter expiatum, *adjecit:* in noſtro verò ævo circà veneficium, quo Claudius Cæſar imperium reliquit Domitio Neroni, *intellige, non leviter expiatum fuiſſe Cometen.* Ricciol.

HIs Authoribus Rockenbachium conciliare non poſſum. Quem enim ille Cometam, in Annum Chr. ut vidimus 48. poſuit, & morti Claudii alligavit, hunc iſti in Ann. Chr. Epochæ vel vulgaris 54. vel veræ 56. ponunt. Id autem & ipſe Rockenbachius fecit, qui neſcio quâ de cauſſâ Cometam illum anni 48. in cenſum retulit. Eventus enim rerum illi Cometæ ſubjecti hùc pertinent. Nobis & ſententiam quam putamus meliorem liberè dicere, & tamen fidem auctorum in texenda Cometarum hiſtoria ſequi integrum eſt. Eventus hunc Cometem triſtes exceperunt, ſcriptoribus illis memorati. Quibus addere licet & mortem Britannici veneno percuſſi à Nerone. Nempe is ſibi à digniore metuebat, licet nondum in feram illam & inhumanem beſtiam degeneraverit, ſed quinquennium illud laudatum, à quo *Trajanus Princeps multis nominibus laudatus, imò Optimi cognomen meritus, Optimos Principes longè abeſſe judicavit, abſolveret. Non deerant tamen illis temporibus eventus felices, & qui læti vel etiam boni dici merentur. Nam Corbulo Syriæ Proconſul Tyridatem, qui Armeniam, Romani Imperii provinciam, à fratre Vologeſe Parthorum Rege copiis inſtructus invaſerat, & Regis nomine tenuerat, fugavit. Multi verò Britonum ad fidem Chriſti converſi ſunt, ut notat Funccius ad ann. Chriſti 60. Paulus Apoſtolus malevolorum invidiæ ſubtractus, glorioſè teſtimonium, apud Feſtum Præſidem in oculis & auribus Agrippæ Regis & tot illuſtrium hominum, dedit

* Vid. Sueton. in Nerone c. 9 & 10.

veritati

veritati. Et vinctus quidem Romam mittitur, ac naufragium patitur & Romam perducitur, ibique in carcerem datur, sed hoc fine ut tantò illustrius in eo & divinæ providentiæ & invictæ Herois Christiani fortitudinis exemplum eluceat. Nam & in vinculis plurima egregia & salutaria ore & manu peregit, & coram Nerone causſam, licet ab omnibus desertus, dixit, & ex ore illius sævissimi Leonis liberatus officium facere non destitit. In illa quoque tempora, scilicet A.C. 59. Janum V. clausum Bucholzerus ex Goltzio memorat. Calvisius verò ad ann. 58. hoc pacis terrâ marique partæ signum locat. Is etiam notat res à Romanis prosperè contra Frisios & Ansibarios, tùm Hermundurorum contra Cattos gestas.

LIX. *Anno Christi 56. apparuit Cometa in Cancro.* Eckstormius ex Herlicio.

VIdetur hic Cometa idem esse cum priori ratione signi cælestis in quo, & anni quo apparuit. Sed ostendimus, quod ad tempus attinet, hunc Cometam biennio mortem Claudii secutum esse. Hæc cum à Rockenbachio & Alstedio in ann. Chr. 56. secundùm epocham veram, ab Eckstormio autem & Ricciolo in A. Chr. 54. secundùm epocham vulgarem ponatur, secundùm computationem verò accuratissimam in ann. 55. (57) ponenda sit, hic Cometa ab Eckstormio in Ann. C. 56. secundùm epocham vulgarem positus, secundum rationes Rockenbachii & aliorum in Ann. C. 58. vel 59. est referendus. Eventus nullos huic Cometæ subjicit Eckstormius. Sed nec nos alios dabimus præter illos, quos Cometæ proximo subjecimus. Communes enim utriquè in tanta vicinia erunt.

LX. *Anno Christi 57. Visus est Cometa & tres Soles sub initium Imperii Neronis, quod fuit merum latrocinium, si excipias vulgo jactatum quinquennium ipsius.* Alstedius.

PUto Alstedium more suo epocham sequi veram, & intelligere annum epochæ Christi vulgaris 55. Neronis primum completum, vel secundum inchoatum. Eckstormius in historia Pareliorum hos tres Soles non annotat. Funccius eos in A. Chr. 53. Claudii 11. refert. Ita enim intelligendus est verborum ejus contextus, licet illos Soles in Ann. Chr. 54. Claudii 12. referre videatur: ne Plinio Parelios istos in Coss. Claudium & Cornelium Orfitum, & sibi ipsi hos Consules in A. C. 53. Claudii 11. U. C. 803. ponenti contradicat. Ad eventus istius Cometæ quod attinet, alii annotari nequeunt quàm qui supra annotati sunt.

LXI. *Anno Christi 60. arsit Cometa sex mensibus. Seneca. Corn. Tacitus l. 14: de hoc Cometa sic scripsit:* Sidus Cometes inter hæc effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem Regis portendat. Igitur quasi jam depulso Nerone, quisnam eligeretur inquirebant: Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Julia Familia. *Sed is monitus à Nerone cum Antistia conjuge & paucis familiarium concessit in Asiam, ubi illi aviti erant agri: Paulò tamen post jussu Neronis est occisus, capite ejus amputato & Romam perlato.* Seneca adulatus Neroni dixit: Cometen tunc fulgentem polliceri magnam felicitatem orbi terrarum propter imperium Neronis. Ille verò & sævitiam, quam postea Nero exercuit, & Neronis tragicum exitum, & Judaicæ gentis interitum portendit. Milich. in lib. 2: Plinii cap: 25: *Suetonius de eodem hoc Cometa sic habet* c. 36: Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cæperat: Anxius eâ re Nero, ut ex Babilo Astrologo dicit, solere Reges talia ostenta cæde aliquâ illustri expiare, atquè à semet in capita Procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit: Eckstormius.

NOn levem hîc animadverto difficultatem, ex diverſis auctorum ſententiis ortam. Nam Cometam ſub Nerone unum tantùm annotat Calviſius; Funccius duos, ſicut & Ricciolus: Rockenbachius tres: Alſtedius quatuor. At Eckſtormius quinque. Nos pro virili noſtra conabimur diſſidentes auctores conciliare. Itaque tabellam hanc, quò res lectori melius & uno obtutu pateat, damus.

Cometæ ſub Nerone viſi.

1.	A°. Chr. vero 57. Alſted. vulg. 55.	Sive Anno Chr. vulg. & vero	55 } 1.
			57 }
2.	A. C. vero 58. vulg. 56. Eckſtorm.		56 } 2.
			58 }
3.	A. C. vero 62. Rockenb. Funcc. Alſt. vulg. 60. Calviſ: Eckſtorm. Ricciol.		60 } 3.
			62 }
4.	A. C. vero 63. vulg. 61. Eckſtorm.		61 } 4.
			63 }
5.	A. C. vero 64. vulg. 62. Eckſtorm.		62 } 5.
			64 }
6.	A. C. vero 66. Funcc. Rockenb. Alſted. vulg. 64. Eckſtorm. Ricciol.		66 } 6.
7.	A. C. vero 68. & 69. Alſted.		68 } 7.
			69 }
8.	A. C. vero 70. Rockenb. vulg. 68.		70--8.

Hæ non parum differentes Auctorum ſententiæ ſi ita ſubſiſtere poſſunt, *non mirum* viſis intra 13. annos & menſes 8. quibus imperavit Nero, (ut *aſſerit* Dio, Funccius, Bucholzerus, Calviſius, Helvicus, Alſtedius) de octo Cometis dixiſſe Tacitum, ſidus Cometes Neroni illuſtri *ſemper* ſanguine expiatum l. 15. Annal. & Plinium l. 2. c. 25. Cometam *aſſiduum propè* ac ſævum Neronis Principatu fuiſſe. Hoc enim longè juſtius de tot Cometis, & duobus quidem ſemeſtribus dicere uterque potuit, quàm de uno ſemeſtri, quæ Milichii ſententia eſt in illum Plinii locum. Fateor tamen in tanta annorum vicinia & velut confinio, dici poſſe illos duos priores A. C. 55. 56. ſive 57 & 58. tùm quartum & quintum A. C. 61. 62. ſive 63. 64. tùm etiam ſeptimum & octavum Anno 68. 69 & 70. tres tantùm, non ſex fuiſſe. Ita Cometarum horum Catalogus ad quinarium numerum ab octonario reduceretur. Sed noſtrum eſt fidem ſcriptoribus præſtare, & huic innixos Indiculum componere. Itaque ad noſtrum Cometam redeamus. Calviſius & Ricciolus eum pariter, ut Eckſtormius *in A.* C. 60. Coſſ. Neronem IV. & Coſſum Cornelium Lentulum referunt. Hic eſt A.C. 62. Funccio, Rockenbachio & aliis. Rationes rectè conveniunt inter ſe obſervato epochæ veræ & vulgaris diſcrimine. Rockenbachius de hoc Cometa ait, eum ſex menſibus fulſiſſe, curſumque ſuum ab Oriente partim verſus Occaſum, partim etiam verſus Meridiem direxiſſe. De eventibus idem, quod in Eckſtormio vidimus, refert, de Rubellio Plauto. Addit autem: *Hiſce igitur diebus nimia cupido luxus, periculum & infamiam Neroni attulit. Mutationes maximæ multorum præſtantiſſimorum Virorum propter mutationem imperii, mortuo Nerone, ſunt ſecutæ.* 80000. *Anglorum in bello uno die occubuerunt, ut Tacitus refert. Nero Imperator varii generis ſcelera & tyrannidem erga matrem exercuit.* Miror eum mutationes magnas mortuo Nerone ad hunc Cometam referre, cùm duos mox Cometas morti Neronis præfulſiſſe dicat. Idem & Alſtedius ad hunc Cometam A. C. vero 62. fecit & ſemeſtrem vocat. Rockenbachio verbo reſpondemus: Mutationes rerum in orbe volubili ſunt perpetuæ & immutabiles. Bella quoque aſſidua. Britannorum illa tempeſtate 80000. ceciderunt, ſed ibidem paulò ante 70000. Romanorum ceciderant. Milichio & Eckſtormio itidem ut & Goclenio & Keckermanno aliiſque reſpondemus pro Seneca, eum meritò excuſari poſſe, ſi non tantùm

tantùm laudando imperium Neronis (quem noverat intus & in cute) lætam virtutis imitationem ei commendare ſtuduit, ſed & ex initio imperii ejus, vix dum exacto laudato illo quinquennio, feliciorum temporum ſpem concipere voluit. Hâc, imò & gratiâ Cæſaris vitâque ipſâ quòd exciderit, culpam falſi augurii bono animo dati præſtare non tenetur.

LXII. *Anno Chriſti* 61. *fulſit Cometa.* Eckſtormius ex Schoſſero.

NUllus Auctorum, quos vidi, hunc Cometam: nec Eckſtormius ullos ejus eventus annotat. Sed hi iidem ſunt quos ad Cometam proximum vidimus ſuprà, & infrà videbimus.

LXIII. *Anno Chriſti* 62. *fulſit Cometa, ut ſcribit Herlicius. Caterùm hoc anno Nero repudiavit & occidi mandavit Octaviam uxorem, cujus caput amputatum, latumque in urbem vidit Poppæa à Nerone ducta.* Eckſtormius ex Tacit. lib. 14.

CAlviſius hanc Octaviæ cædem itidem in hunc annum vulgarem refert, Funccius in A. Chr. 64. verum, Bucholzerus mediam viam anni ſcilicet 63. tenet. Meritò hîc memorabimus Jacobum Minorem Epiſcopum Hieroſolymitanum à Judæis trucidatum. Tùm verò etiam rem à Romanis contra Parthos primùm dubio, mox propitio Marte geſtam, ita nimirùm ut Romanum nomen venerantes pacem peterent, ejuſque certis legibus adſtringi ſe paterentur.

LXIV. *Anno Chriſti* 66. *anno* 10. *imperii Neronis, Cometa apparuit de quo Cornelius Tacitus l.* 15. *Significavit autem hic Cometa, ut eventus docuit, non ſolùm ſeditionem, ſed etiam mutationem in toto imperio Romano, & inprimis excidium regni Judaïci. Albinus Judææ Procurator mortuus eſt, & Ceſtius Florus ſucceſſit, ſub quo Judæi contra Romanos rebellarunt.* Rockenbachius.

IN eundem annum refert Cometam Funccius, veram Epocham ſecutus. Ita & Alſtedius, qui eum itidem ſex menſibus apparuiſſe, & terræ motum, quo Laodicæa, Hierapolis & Coloſſi in Natolia fuerint afflictæ, præceſſiſſe memorat. Eckſtormius & Ricciolus eum in ann. Chr. vulgarem 64. ponunt. Referunt ex Tacito ſidus Cometes ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum. Referunt ad eum & Romæ urbis juſſum incendium 9. diebus atrociter graſſans, & triſtes Optimatum, & inter eos Senecæ & Lucani, ſed & Poppææ illius adulteræ cædes. Calamitoſa ſanè, virtuti infeſta, & aliàs triſtia illa tempora fuerunt. Seditiones enim & cædes Judæorum, urgente eos juſtâ Dei vindictâ, indies augebantur, & in apertum bellum ferocia erumpebat. Nero verò Trojam in incenſa & ardente Roma cum gaudio ſibi figurans, & *præſentia mala vetuſtis cladibus*, ut ait Tacitus, *aſſimulans*, tanti criminis culpam in Chriſtianos conjecit, & in eos exquiſitiſſimis cruciatibus & horrendis mortibus ſæviit. Multos præterea tunc viros præſtantiſſimos & innocentes, ipſum etiam Senecam, ſuum olim, & virtutis ſemper Magiſtrum, mortalium ſæviſſimus ſuſtulit, ita ut virtutem ipſam exſcindere velle videretur. Motus terræ in Natolia & aliis locis, quæ mare alluit & ſubeundo excavat (non exceptis tamen & montoſis, ſcilicet mediterraneis, utpote ſpongioſis & multum halitum continentibus *) frequens & naturalibus cauſſis depurandus, ut abſquè ullis Cometarum apparitionibus accidit, ita nil portenti in ſe habet. Campaniam nunquam ſecuram hujus mali Seneca l. 6. Nat. Qu. c. 1. dicit: ſed poſtea addit: *Non Campaniæ (nec Tyri*, ut ex Britannico codice legit Doctiſſimus Grovius) *nec Achaiæ, ſed omnis ſoli vitium eſſe malè cohærere, & ex cauſſis pluribus reſolvi, & ſummam manere, partibus ruere.* Sed Alſtedio infrà ad Cometam N°. LXX. de terræ motibus

* Plin. l. 2. c. 80.

motibus plenè satisfaciemus. Inter læta tamen illius temporis acta retuleris, constantiam invictam Christianorum, & innocentiam glorioſè manifestatam, cum & Tacitus nomini Christiano alioquin infensus, *non perinde in crimine incendii quàm odio humani generis convictos fuisse*, memoriæ prodiderit. Ita patientia non tantùm duris, sed & dulcedine superstitis gloriæ gaudet. Eluxit illâ tempestate lætum divinæ circa pios providentiæ documentum. Narrant enim Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, Christianos qui tunc à Jesu Nazareno Nazaræi vocabantur, trans Jordanem in Pellam Syriæ oppidum fugientes ibidem servatos esse. *Magnificentissimum Tyridatis Regis Armeniæ regnum petentis, introitum & spectaculum Romæ lætitiâ unâ mille terrores & calamitates dispungenti, ut haustum frigidæ ardenti febri vexato, non eripimus invidi.

* Sueton. c. 13. Xiphilin.

LXV. Proximo Cometæ subjicit Ricciolus illum de quo Seneca l. N. Qu. 7. c. 28. (non 29.) scribit:

Fecit is Cometes, qui Paterculo & Vopisco Consulibus apparuit, quæ ab Aristotele Theophrastoque sunt prædicta; fuerunt enim maximæ & continuæ tempestates ubique. At in Achaia Macedoniaque urbes terrarum motibus prorutæ sunt. Addit Ricciolus: *Crediderim autem hos fuisse Consules suffectos aut honorarios: nam in Catalogo Ordinariorum Consulum eos non reperio.*

DIfficile est certum assignare tempus istis Coss. & Cometæ: cùm illorum nomina in Fastis Consularibus & aliàs apud auctores non inveniantur. Nos conjecturâ veritatem assequi tentabimus, habitâ ratione Paterculi & sequentium tempestatum ac terræ motûs in Achaia Macedoniaque, quibus urbes terrarum prorutæ sunt. Si intelligeret motum illum, quo 12. (vel 13. si Eusebio credimus) urbes Asiæ corruerunt Anno U. C. 769. ut putat Funccius, Bucholzerus & Calvisius, à Christo Nato 17. ut Calvisius: 18. ut Bucholzerus: 19. ut Funccius numerat, facilè illi anno vel præcedenti Consulatum illum Paterculi & Vopisci atquè Cometam aptaremus. Sed obstat id quod l. 6. Nat. Qu. c. 1. scribit: *Asia 12. urbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam quæcunque est ista vis mali, quæ incurrit: nunc Campaniam læsit.* Ubi terræ motum, quo Achaia & Macedonia concussa est, ab illo Asiatico distinguit. Sed an illo Asiatico, vel hoc Campano priorem, & sic inter utrumque medium hunc Achaicum & Macedonicum terræ motum ponat, in incerto est. Alterutrum sit oportet. Asiaticum casum vidimus. Ab hoc Campanus 45. annorum intervallo distans in Cometas quidem Neronianos, quibus terræ motus malorum ominum infamiam conciliarunt, incidet, sed à Paterculi temporibus longius aberit. Is enim sub Tiberio virili maturæque ætati convenientibus honoribus pace belloque defunctus 16. Tiberii anno scripsit, ad extremos Neronis annos pervenire non potuit, imò ut Clarissimus Lipsius solidè colligit, à Tiberio in omnes Sejani amicos, nec imbelli turbâ sequioris sexûs, cui ipsa feritas parcere solet, exceptâ, immaniter sæviente oppressus est: utpotè Sejani usquè ad adulationis infamiam laudator. Ita ætatem & Consulatum ejus ac illam Achaiæ & Macedoniæ tempestatem cum Campana illa adeò remota conjungere non possumus. Reliquum est, ut verba illa Senecæ: *anno priore Achaiam & Macedoniam, quæcunque est ista vis mali, quæ incurrit: nunc Campaniam læsit*: intelligamus de annis casu Campano longè vel etiam Asiatico paulò prioribus. Si illud placet, referendus foret Paterculi Consulatus & ille Cometa in Annum ab U. C. 767. quo terræ motus accidit, notante Dione, sed & exundatio Tyberis, sicut vis illa ventorum terram concutiens ut ignes & saxa ejicere, sic & undas sedibus suis expellere solet. Illo autem anno potuit Paterculus favore Sejani gratiâ nimiâ tunc apud Tiberium pollentis Consul suffici Druso Cæsari, Vopiscus Norbano Flacco. Id enim sæpiùs fieri solebat. Quòd si infra Asiaticam procellam Consulatum hunc ponere placeat, referri fortè posset ad Annum ab U. C. 771. quo M. Junio Syllano & L. Balbo Coss. ad VII. Idus Julii Thia Insula enata est, præcedentis motûs terræ documentum, naturâ

LI STELLA MAGORUM *Matth. 2.*



LXXXVII A.C. 367.

LXVI. *Cometa Hierosolymitanus* A.C. 68. 69. n°64



CXV. A.C. 457.





Facies et Cursus horribilis illius Cometæ CI(α) A.C. 405. *cui plane similis refertur.* C.(β) A.C. 399. 400. *ut non immerito possit idem haberi.*



CXXIII A.C. 540



M. C. Xsenius del.

CXXX



Stopendael sculp.



turâ quæ hîc abſtulit illîc veluti penſante. Quòd ſi verò etiam rectè ſe habent rationes Funccii, qui fide Euſebii in annum proximum Aſiaticam tempeſtatem refert, meritò Seneca anno priore Achaiam & Macedoniam læſiſſe dixit. Quicquid tandem de Conſulatu Paterculi in Tiberiana tempora ante Sejani cladem rejiciendo, & Cometa illo tunc apparente fiat, non mirum tempeſtatem & terræ motum ei ſucceſſiſſe, ſæpè enim & præcedere Cometas ſolet. Qua de re ad proximum Cometam nonnihil diximus, etiam ex ipſo Seneca, cujus ſunt & iſta de hoc argumento: *Circuit fatum, & ſi quid diu præteriit, repetit. Quædam rarius ſolicitat, ſæpiùs quædam. Nihil immune eſſe & innoxium ſinit. Non homines tantùm, qui brevis & caduca res naſcimur, urbes oræque terrarum & litora & ipſum mare in ſervitutem fati venit.* l. 6. N. Q. c. 1. Sunt nempe rerum vices à divina providentia ſancitæ. Inter quas Cometæ lucent & quemque officii admonent.

LXVI. *Anno Chriſti* 68. *&* 69. *Cometa gladio flammivomo ſimilis & iminens Urbi Hieroſolymæ in Judæa, & alibi eſt viſus, qui excidium Urbis Sanctæ portendit.* Alſted.

Anno Chriſti 69. *hoc eſt primo Veſpaſiani Imperatoris ſupra civitatem Hieroſolymam ſtetit ſidus ſimile gladio, & per annum perſeveravit Cometes. Joſephus l.* 5. *c.* 12. *de bello Judaico. Altero anno urbs capta eſt, & perierunt fame & gladio decies centena millia Judæorum.* Peuc. in divin. loco de Meteor. Eckſtormius.

APparuit hic Cometa ſub extrema Neronis tempora, quod teſtatur & Jo. Sifardus Cygnæus in ſpeculo Cometarum, cui hic Cometa anni 69. eſt Num. I. Nero enim cùm exquiſitorum crudelitatis ingeniorum artifex, & aliàs peſſimarum artium ſectator, nec amicum nec inimicum inveniret, propriâ periit manu. Anno Chriſti verò 69. ut Bucholzerus, Helvicus & Alſtedius putant: Calviſius & Petavius in Ann. Chriſti 68. Onuphrius in 69. Aventinus in 70. ſed vulgarem: Funccius verò in 70. annum verum refert, & cum eo Rockenbachius, qui hunc Cometam in Ann. Chriſti 71. collocat (alios in 72. annum collocare eundem ait) in dodecatemorium verò Virginis, diem etiam Azymorum, qui menſis Aprilis octavus fuit, aſſignans. Ricciolus in Ann. Chriſti 69. ponit hunc Cometam annuum. Quanquam prodit à Tychone, Fromondo, Glorioſo & Cottunio Cometam hunc pro ſupernaturali & extraordinario portento haberi. Quomodo igitur tanto intervallo diſſidentes auctores conciliabimus? Nam ſi Cometa apparuit Anno Chriſti 69. Veſpaſiani primo, ut ait Eckſtormius, utique Nero periit Anno Chriſti 68. quæ Calviſii & Petavii ſententia eſt, ut vidimus. Quòd ſi Cometa viſus eſt A. Chriſti 70. Veſpaſiani I. ut Ricciolus putat, Neronis mors in A. Chriſti 69. ponenda erit. Atquè hæc eſt accurata computatio, ſecundùm æram vulgarem: vera autem mortem tyranni in A. C. 71. refert, quæ & Taraphæ auctoritate confirmatur. Quippe ab ejus interitu initium Veſpaſiani uno anno & 22. diebus, & morte trium Imperatorum violenta (Galbæ, Ottonis & Vitellii) diſtat. At majori intervallo ortus & occaſus Cometæ. Rockenbachii rationibus favet Wichmannus, Veſpaſiani imperium in A. C. verum 72. diem 1. (non 3.) Julii, obſidionem verò Hieroſolymæ in annum ſequentem confert: ut ita Cometa ſecundùm eum A. C. 72. fulſiſſe dicendus ſit. Nos ne tot magni nominis auctoribus præjudicemus, rem in medio relinquemus. Cometæ iſtius apparitionem ſecutum eſt excidium urbis, gentis & Reipublicæ Judæorum omnium ab ultima memoria atrociſſimum. *Nam undecies centena milla fame, gladio, & ſervili crucis ſupplicio, quo Chiſtum antea affecerant, perierant; centum verò millia vendita erant eorum, qui vitam datoris vitæ 30. argenteis nummis emerant. Triſtem illam panolethriam exceperunt lætiſſimus Veſpaſianorum triumphus & Paci templum ædificatum. Romani quoquè rem proſperè in Syria contra Antiochum Comagenorum Regem geſſerunt: In Britannia pariter ſecundam fortunam experti. Achajam verò Lyciam & alias regiones ac urbes ſuis antea legibus viventes ſubjugarunt.

* Vid. Aventin. Annal. Bojor. l. 2. p. 92, 97. & 98.

LXVII. *Anno Christi 70. Cometa in signo Geminorum, sicut & antea, tempore Neronis duo conspecti sunt. Hunc mutationes & persecutiones in Ecclesia Dei maximas secutæ. Petrus & Paulus in prima Christianorum persecutione tertio Cal. Julii Martyrio sunt coronati. Roma Urbs jussu Neronis intra spatium 6. dierum igni devastatur. Laodiceæ, Hierapolis, Colossæ urbes in Asia celeberrimæ terræ motu sunt absorptæ. Nero Imperator cives primarios Urbis Romæ, unà cum matre & præceptore Senecâ diversis terficere jussit: Pestilentia sæva Romæ grassata est, in qua 30000. hominum periere. Galliam & Hispaniam Julius vindex, miles fortis contra Neronem excitavit. Cumque Sergius Galba Neronem, qui ex Roma urbe discesserat, persecutus esset, terra motu tantus fuit, ut dehiscere quasi videretur. Appropinquantibus igitur in fuga Neronis equitibus Galbæ, ut Neronem occiderent, ipse statim hoc resciscens, gladio seipsum confodit. Nerone mortuo, magnæ clades, inter Sergium Sulpitium Galbam, Silvium Ottonem & Vitellium de regno contendentibus sunt secutæ. Silvius Otto curavit, ut Roma Sergius Galba interficeretur, seque deinde Imperatorem nominari voluit. Idem in Germania & Vitellius fecit. Otto hoc ægre ferens cum magno exercitu se illi opposuit. Cumque in tribus præliis Victor evasisset, Otto in quarto à Vitellio victus est. Atquè ita decimo spatio quatuor mensium Otto post mortem Galbæ seipsum interfecit.* Rockenbachius.

VIdimus jam dissensum Rockenbachii & aliorum auctorum de Cometis Neronianis. Hic Cometa à Rockenbachio in Ann. Christi verum 70. relatus, in annum vulgarem 68. Neronis 14. & ultimum est referendus. At hîc loci nemo Auctorum Cometam posuit. Meritò itaquè hic Cometa seorsùm ponitur. Eventus qui eum secuti sunt, suprà in tanta Cometarum frequentia & annorum vicinia vidimus.

LXVIII. *Anno Christi 72. Cometa in signo Libræ per 40. continuos dies apparuit.* Rockenb. Eckstorm. ex Herlicio.

NIl amplius de hoc Cometa nominati auctores referunt. Alii, quos vidi, eum non numerant. Eventus nulli ad eum referuntur à Rockenbachio & Eckstormio. Hi etiam ad superiores Cometas videri possunt. Juvat tamen dicere, Cometæ huic proximè successisse Vespasianorum illum triumphum, res prosperè in Britannia, Syria & aliis regionibus, quas diximus, gestas, multasque victorias à Vespasiano IV. Tito III. Coss. obtentas, notante Tacito, ideò sæpiùs Imperatorum appellationem consecutos esse, & pace populo Rom. terrâ marique partâ, clausum vi. Janum, ac Romæ templum pacis dedicatum, ut Funccii & Bucholzeri, quos Rockenbachius & Eckstormius sequi solent, rationes docent.

LXIX. *Anno Christi 73. Cometa, qui à jaculi similitudine acontias dicitur, apparuit.* Alstedius.

Anno Christi 77. Anno imperii Titi 5. & Vespasiani patris 7. anno U. R. 828. Anno verò Christi 78. (alii 79. annum ponunt) Cometa ab aliis acontius dictus, à jaculi similitudine nomen habens in signo Tauri, versùs ortum Solis conspectus est, quem quinto Consulatu suo Titus Imperator præclaro carmine (ut Plin. l. 2. dicit) perscripsit. Hinc mox sequentia sunt secuta miracula: Tres civitates Cypri terræ motu corruerunt, & clades tanta anno sequenti orta est, ut per aliquot dies in Ephemerides 10000. hominum mortuorum sint relata. Anno sequenti Vespasianus, postquam colonias deduxit, profluvio ventris, in villa propria circa Sabinos, anno ætatis 69. mortuus est. Rockenbach.

Anno Christi 78. tertio anno ante mortem Vespasiani Imperatoris apparuit Cometa ejusdem specie, seu acontias, qui arsit 180. dies, hoc est 6. menses. Eckstormius; qui etiam pestem illam Romanam gravissimam, Rockenbachio memoratam, & impia Cerinthi & Ebionis dogmata huc refert.

Anno Chriſti 76. Cometa prælonga in jaculi formam juba emicuit, quo viſo Veſpaſianus, ut narrat Aurelius Victor, facetè dixit, illum pertinere ad Regem Perſarum, vel, ut Dio habet, Parthorum, cui Capillus eſſet effuſior. Addit Dio, ſecutam memorabilem ſiccitatem & ignea prodigia circa Veſuvium & vaſtas hominum imagines, quas Gigantes aëreos vocavit vulgus: & cineres proflatos non modò Romam uſquè, unde obſcuratus ſit Sol, ſed in Africam uſque atque in Ægyptum. Ricciol.

DE hoc quoquè Cometa non exigua oritur difficultas, niſi ſit error in Alſtedii computatione. Quæ ſi ita corrigatur, ut pro 73. anno ponatur 76. epochæ veræ, conveniet eadem cum Eckſtormiana vulgari, & ferè cum Rockenbachiana. Sed nequè ſic tamen de natalibus hujus phœnomeni convenit Auctoribus. Ricciolus enim, ut vidimus, in annum vulgarem 76. eum refert. Adhæc ſi ſeptimo Veſpaſiani anno, ut Rockenbachius & Eckſtormius ait, Cometa apparuit, ſecundùm rationes Alſtedii & Helvici referendus iſte Cometa foret in Annum Chriſti verum 78. vulg. 76. at ſecundùm Bucholzerum, Calviſium & Petavium 76. quod pro Ricciolo eſt. Funccio annus Conſulatûs V. Titi (qui eſt, Plinio teſte, tutiſſima hujus Cometæ epocha) eſt Chriſti 77. Veſpaſiani 6. Wichmanus poſt omnes Veſpaſiani annum ſeptimum in Ann. C. vulgarem 77. verum 79. medium, ſcilicet Kal. Julii completum ponit. Atquè hoc mihi, ut poſt accuratam computationem, & Wichmanianarum rationum cum aliis comparationem, eſt certiſſimum, ita maximè videtur conciliandis Auctoribus percommodum. *Alſtedianæ computationi ſubſcribere hîc non poſſum*: multo minus hunc Cometam ab illo, quem Titus carmine laudavit, contra apertam Plinii mentem, *diſtinguenti*. Nec audiendus etiam Milichius eſt, qui hunc Cometam ait *cœpiſſe conſpici ante excidium Hieroſolymorum, & integro anno arſiſſe*. Hoc enim contra rationem temporum eſt, ut vidimus. Quod cùm indicaſſe ſufficiat, in confeſſo apud omnes eſt, Cometam Tito quintum Conſule apparuiſſe. Ad eventus quod attinet, non paucos annotarunt Scriptores. Non temerè Titus, Princeps non tantùm genio optimus, (unde amor & deliciæ generis humani dictus eſt) ſed & ingenio, Cometam hunc præclaro carmine decoravit. Titum dico. Nam Tiberium hîc legi debere gratis adhuc à quibuſdam dicitur, invito ſcilicet Plinio, qui dum hæc ſcriberet, iſtum Cometam ſe vidiſſe ait, invitâ & hiſtoriâ Cometali, quæ hîc non illîc Cometam hunc jaculi formâ ponit. Idcircò indicem potiùs auctorum Plinii quàm textum ejus corrigendum, & pro Tiberio Titum reponendum eſſe non dubito. Tanto magis cum & Titus *in fingendis poëmatibus promtus & facilis ad extemporalitatem uſquè*, teſte Suetonio, fuerit. Videtur autem eum id non fuiſſe facturum, ſi talia phœnomena nil boni portendere credidiſſet. Nequè verò Cometæ hujus ſignificatio longè extenda eſt. Id vult Plinius. *Acontiæ jaculi modo vibrantur ocyſſimo ſignificatu*. l. 2. c. 25. q. d. celer eorum motus, celeres indicat eventus. Et tamen hos Rockenbachius ad mortem Veſpaſiani proferens, quinquennium attingit. Illa enim putante Funccio, quem ille ſequi ſolet, in A. C. 81. incidit. Quanquam mihi Veſpaſiani decennale, ſex diebus minus imperium A. C. 70. (72.) à Kalendis Julii & Anno 80. (82.) ad 24. Junii certò circumſcribitur. Terræ motum, quo tres urbes conciderunt, & peſtem Rockenbachius Cometæ imputat. Utrumque quatuor annis poſt Cometam, ut Funccius putat, accidit. Sed audiat quid idem Funccius ad A. C. 244. ex Capitolino dicat. *Tantum ſcilicet terræ motum fuiſſe, ut civitates cum populis terræ hiatus abſorpſerit*. Et paulò poſt ad Annum Chriſti 254. *peſtem maximam multas orbis provincias occupaſſe, maximè Alexandriam & Ægyptum, ita ut hâc occaſione B. Cyprianus librum de mortalitate ſcripſerit, memorat*. Ad annum verò 264. (vide hîc poſt annum 244. & 254. periodos decenniis & malis, ut illius temporis bella Perſica, Gottica, aliaque civilia & externa taceam, nullis autem Cometis diſtinctas) *peſtem maximam Romæ & in aliis locis graſſatam eſſe, terræ motus multos & maximos & tenebras multis diebus fuiſſe*, teſte Trebellio in Gallieno. Ut nihil dicam de fame & peſte, quâ notante Alſtedio Anno Chr. 1125. tertia hominum pars periit nullo viſo Cometâ, illæ duæ paginæ in Chronologia

gia Funccii, 103. & 104. omnia mala quæ Cometis Rockenbachius adscribere solet, ipsi etiam nullo Cometâ apparente evenire demonstrabunt. Illa nempe tempestate nulli Cometæ conspecti fuêre. Talia verò exempla plurima in historiis occurrunt. Verumtamen & bona ac læta ibidem apud Funccium & aliàs, ut sunt res humanæ, diligens lector inveniet. Ibidem apud Funccium multas hæreses ortas sine ullo Cometa Eckstormius videbit. Is tamen ad hunc Cometam Cerinthi & Ebionis dogmata immeritò refert. Nam si Funccii rationes consulamus, Cerinthum & Ebioneos circà Ann. Christi 95. exortos videmus. Calvisius, Helvicus & Alstedius, auctoritate Eusebii Cerinthum & Ebionæos post annum Christi 70. ponunt. Idem ait Epihanius hær. 30. de Ebionæis, ortum eis post excidium Hierosolymitanum assignans. De his tamen juvat addere testimonium Origenis. Nam l. 5. contra Celsum scribit: Ἔστωσαν δὲ τινες καὶ τῶν Ἰησοῦν ἀποδεχόμενοι, ὡς παρὰ τοῦτο χριστιανοῖ εἶναι ἀνχοῦντες, ἔτι δὲ καὶ κατὰ τὸν Ἰουδαίων νόμον, ὡς τὰ Ἰουδαίων πλήθη βιοῦν ἐθέλοντες, οὗτοι, δι' εἰσιν οἱ διττοὶ Ἐβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντες ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγέννησθαι, ἀλλ' ὡς τοὺς λοιπὸς ἀνθρώπους. *Id est: Sunt alii etiam Jesum recipientes, eoque Christianos se jactantes, servantes nihilominus Legem, & viventes Judæorum moribus: videlicet Ebionæi duorum generum, vel nobiscum fatentes Jesum natum è Virgine, vel non ita, sed reliquorum more hominum.*] Videtur innuere hoc discrimen Ebionæorum & Epiph. hær. 30. nisi quòd diversas & absurdas opiniones eis tribuat, quod à Judaico genio non abhorret, verumtamen Christum eos Filium Dei credidisse, & hujus solius nomine gloriatos esse fateatur. Atquè hoc gratiâ veritatis & antiquitatis amantium hoc loco dissimulandum non erat, occasione eorum quæ Eckstormius ad hunc Cometam dixit. *Huic etiam tribuitur siccitas, spectra ignea & Vesuvii incendium. Ita est, in tanta Cometarum frequentia sequi hæc sæpius. Nec tamen semper, Vidimus id toties suprà, & infrà videbimus ad Cometam LXX. & LXXI.

* Vid. Aventin. l. 2. Annal. Bojor. p. 99.

LXX. *Anno Christi 78: Cometâ facto apud Cyprum & alibi multæ urbes horribili terræ motu corruerunt.* Alstedius.

INter proximum & hunc Cometam, qui Alstedio post Christum Natum N°. 8. & 10. ponit idem Auctor Cometam N°. 9. à Tito carmine descriptum, quem cum proximo eundem esse ex Plinio & aliis scriptoribus novitiis demonstravimus, ne augendo Cometarum catalogo ex uno duos facere videamur, quamvis Alstedius unum illum Cometam in diversos annos 73. scilicet & 77. à Christo Nato posuerit. Ad hunc Cometam dicendum primum est, quòd non annotatus sit ab aliis. Ad Terræ motum quod attinet, qui Cometam illum secutus est, remitto Alstedium ad Alstedium. Nam post Cometam anno Christi 459. annotavit inter mirabilia Dei pag. 301. terræ motum qui anno 480. tres hebdomades duravit, & rursus p. 306. secundum & tertium & quartum anno 1126. 1170. & 1183. qui post Cometas ab eo ad ann. 1112. & 1145. enumeratos acciderunt. Et ille quidem ultimus fuit maximè terribilis, & multis hominum millibus in Sicilia perniciosus. Annotat & p. 307. terræ motum, qui universum orbem anno 1289. concussit, & alterum anno 1298. quo 15. arces in Alpibus perierunt, antè quos visus Cometa anno 1264. longo intervallo distat, ita ut ad eum illi casus referri nequeant. Ita & pag. 309. memorat motum terræ ingentem in Regno Neapolitano, qui deleverit 30000. hominum, & totam Neapolin concusserit anno 1450. atqui Cometa 1444. eum sex annis amplius præcessit. Eodem referente terræ motus 1601. fuit magnus, quem Cometa 1596. antecessit. Ita Cometam 1607. motus terræ qui 4. hebdomadas duravit anno 1612. & illum 1618. demum 1627. secutus est terræ motus omninm maximus. Multas enim urbes, pagos & arces ac sylvas & 170. millia hominum in Italia absorpsit ad 200. milliaria patens, quod ipse Alstedius pag. 314. Chronologiæ suæ refert. Hinc nemo non videt maximos & horribiles terræ motus in orbe accidere, ita ut Cometis longius dissitis adscribi nequeant. Horum suorum exemplorum Alstedium meminisse oportuit.

LXXI.

LXXI, *Anno Christi 79. Stella crinita visa est paulò ante mortem Vespasiani Imperatoris, de qua tamen jocatus dixit, pertinere eam ad Parthorum Regem, qui esset capillatus. Sequuta est pestis, quanta vix unquam adflixit Romam.* Eckstormius ex Suetonio & Eutropio,

Anno Christi 79. Cometam exceperunt horribiles venti, terræ motus, & pestis, nominatim Romæ. Hunc Cometam cùm monstrarent Vespasiano, ille per jocum dixit, pertinere hoc prodigium ad Regem Parthorum, qui comam nutriret. Sed Vespasianus paulò post mortuus est. Alstedius.

Anno Christi 81. Cometa ante mortem Vespasiani Imperatoris apparuit. Post hunc mox monumentum Cæsaris Augusti suâ sponte est apertum. Mons Vesuvius in vertice ruptus tantum incendii ex se ejecit, ut regiones vicinas, & multas urbes cum hominibus exureret. Caussam incendii cùm inquirere vellet Plinius, ipse quoquè periit. Anno sequenti Musonius Ruphus à Tito ab exilio revocatur, urbsque Roma, incendio per triduum durante, magnum damnum passa, pestisque sævissima ibi grassata est. Titus Imperator, eò morbo & in eadem villâ, quâ pater, anno ætatis 42. mortuus est. Rockenbachius.

SIfardus hunc Cometam in Ann. Christi 81. itidem annotat, eosdemque effectus ei tribuit N. 11. Unus idemque Cometa iste est, in diversos annos secundùm diversam epocham Christianam positus. Rectiùs verò ad hunc quàm illum N°. LXIX. facetum illud Vespasiani dictum refertur. Quod etiam Ricciolus prudenter monuit. *Paulò*, inquit, *ante Vespasiani mortem alter ad ipsum propius pertinens visus est.* p. 5. Et infra hunc Cometam in Ann. Christi 80. refert. p. 34. Diximus autem & nos Vespasianum Anno Christi vulg. 80. vero 82. d. 24. Junii mortuum esse, qui fuit annus periodi Jul. 4792. Julianus 124. ab U. C. 830. Olymp. 214. 2. quod me Doctissimus Wichmannus docuit. Vix aliàs obtulit se tàm commoda infaustos eventus, quos auctores accumularunt, à Cometa amoliendi occasio. Faciam id itaque nec immeritò, nec invitus. Et cum ab hoc Cometa ad Ann. Christi 130. secundùm Rockenbachium & Ricciolum, secundùm Eckstormium ad 160. at secundum Alstedium ad 181. nullus Cometa apparuerit, quivis per se animo percipere potest, tanto temporis intervallo, etsi nullus in cælo visus sit Cometes, multa tamen in orbe mala evenisse. Dabimus itaque tabellam, quæ uno obtutu Lectori id ob oculos ponat, quot & quanta mala post Cometam Anno 81. visum ab Anno 86. ad 130. saltem acciderint.

Cometa nullo proximè viso

Principes moriuntur. Domitianus Anno Christi 95. vulg. 97. verò (mihi cum Wichmanno Anno 97. vulgari, 99. verò) interfectus. Nerva 97. vulgari, 99. verò (mihi ibi 99. hîc 101.) Trajanus 117. 119. (mihi 118. 120.) Agricola 93. Richimer Rex Francorum 113. (115.) Odemar 127. (129.) fato functi. Decebalus Rex Dacorum Anno 105. manus sibi violentas infert.

Respublicæ mutantur. Dacia & Arabia à Trajano Anno 103. subacta, ab eodem Oriens 105. & sequenti domitus, & triumphatus Anno 113. Armenia, Assyria, Mesopotamia in provinciæ formam redactæ. Anno 110. & sequentibus: Parthi Romanas subeunt & mox respuunt leges.

Bella geruntur. Dacicum imperante Domitiano & Trajano ab Anno 88. ad 105. annis 16. Judaicum longè atrociissimum & diuturnum, 20. amplius annis scilicet ab Anno 114. (116.) ad 135. (137.) Sarmaticum & Roxolanum Anno 120.

Seditiones & cædes fiunt atrocissimæ. Judæi, ut multa alia immaniter in Cyrene & alibi agunt, ita Anno 114. ad 200^m. hominum in Ægypto *trucidant*, Calvisius, Funccius (*trucidantur*, Helvicus, Alstedius) & mox in Cypro Anno eodem 114. ut Calvisius & Helvicus, vel 117. ut Funccius putat, 240^m. hominum occidunt. Anno 116. infinita eorum millia pereunt. Bucholz. Anno 115. Calvisius.

Homicidia & latrocinia ac deprædationes. Anno 89. Domitianus multos Senatores interficit & in exilium pellit. Sicarii acubus veneno illitis multos in multis lo-

cis interficiunt. Anno 94. Nordmanni Frisios expilant. Anno 118. Adrianus præstantissimos Viros per invidiam & metum, & initiò quidem principatûs (quod lætum esse solet imperium inchoantibus, utilem nempe clementiæ famam ducentibus) è medio tollit.

Clades exercituum multæ & magnæ. Anno 86. Agricola 10m. Britannorum delevit. Anno 91. Gottorum 20m. à Saxonibus & aliis Fœderatis interfecta. Anno 93. multi Romanorum exercitus in Mæsia, Dacia & Germania amissi. Anno 101. tàm acre commissum est inter Romanos & Dacos prælium, ut vulneratorum Romanorum copia omnem linteorum copiam absumsisset, Trajano in hunc usum suam supellectilem concedente.

Casus notabiles contingunt. Anno 110. 111. 112. Pantheon Romæ fulmine dejectum. Funcc. Helvic.

Terræ motus accidunt gravissimi. 1. Anno 107. (109) quo 4. urbes Asiæ, duæ Græciæ, tres Galatiæ corruerunt. Funcc. 2. Anno 114. (115) quo Antiochia ferè tota, vix evadente Trajano Imperatore & cum damno totius orbis, corruit, asserente Calvisio, qui hic Evagrii & Bucholzeri ad Ann. 111. hanc tempestatem referentium errorem corrigit. 3. Anno. 121. (122) quo Nicodemia & magna pars Niceæ eversa est. Funcc. 4. Anno 128. (129) qui Necopolin & Cæsaream absorpsit. Funcc. Calv.

Persecutiones piorum fiunt crudelissimæ & universales. Post Annum Christi 90. sub Domitiano (quæ Bucholzero, Helvico & Alstedio est secunda à Neroniana, Funccio tertia à Judaïca) Post Annum 100. sub Trajano. Anno 126. sub Adriano & Antonino Pio.

Hæreses exoriuntur & grassantur. Anno 88. Nicolaitarum. Anno 94. Menandrianorum, Cerinthianorum & aliorum. Anno 118. Carpocratis & Gnosticorum plurimæ.

Cometâ nullo proximè viso.

APPENDIX.

Fames. Anno 409. sæva in Hispania fuit, ut ad carnes humanas perventum sit. Calvisius. Sed & Anno 851. dira fames grassata est, ut liberi & parentes belluino quodam furore sese mutuò devorarint, Bucholz. Alsted. & alii. Ita & Anno 1374. maxima pestis Italiam pressit.

Pestes sævissimæ hominum multa millia absumunt. Anno 165. fames & pestilentia maxima Romæ. Funcc. & toto orbe vehementissimè grassatur. Calvisius. Anno 252. Æthiopica pestis 15. ut Alsted. 10. ut Calv. putat, annorum spatio orbem exhausit. Illa quoquè pestis exurens Anno 1089. sine Cometa sævit. Funcc. Posthæc Anno 1125. fames maxima Germaniam vastat. Verbo: Fames & pestes aliaque divina supplicia sequuntur & vindicant hominum peccata, quod docet injustæ cædis inter alia exemplum Anni Chr. 316. Calv. qualia plura annotat Funcc. ad Ann. Christi 375. 1080. & aliàs. Imò historia non tantùm profana, sed & sacra, quæ tamen nusquam Cometarum meminit, talium plena est.

Vesuvii incendia horrenda & noxia exæstuant. Anno 203. Calv. 471. Alst. 472. Sigon. Calv. & tunc quidem cineribus totam Europam ferè, testantibus Scriptoribus, incendium hoc operuerat: tùm Anno 512. & 993. cum magno damno totius Italiæ, maximo verò Romæ. Ut taceam frequentia integrarum Urbium misstissima incendia & conflagrationes, quæ nullis præviis Cometis acciderant, & nunc etiam accidunt.

Maris & Tiberis aliorumque fluviorum exundationes maxima inferunt damna. Paucissima ex innumeris exempla adnotabo. Anno ab U. C. 512. gravissimam aquarum cladem gravior ignis vastatio secuta est, ita ut ignis temporarius æternum Vestæ extinxerit & obvia depopulatus fuerit. Funcc. Calv. Anno à Christo Nato 516. Frisiam totam Oceanus inundavit, ut præter plura pecudum, sex

Cometâ nullo proximè viso.

sex hominum millia perierint. Calv. Pariter Anno 1170. mare Frisiam totam ferè inundavit, qua tempestate terræ motus in Oriente Antiochiam totam cum omnibus templis, Laodiceam aliasque plurimas urbes, & multa hominum millia absorpsit. Calv. Funcc. Ita & Anno 1250. Frisiam, Anno verò 1324. Hollandiam, & iternm 1421. quo 72. pagi perierunt, & ut multa alia loca, quæ mare vel alii fluvii finibus suis egressi hauserunt, præteream, Anno 1658. multos pagos ad Dordracum eadem calamitas oppressit. Tyberis Anno 717. muros Urbis Romæ transcendit.

Venti horribiles magno cum impetu arbores, columnas, domos & arces evertunt. Anno 647. Constantinopoli, quâ tempestate Romam & terræ motus, & inundatio aquarum, & clades à Longobardis illata, & Sacracenorum in Africam irruptio afflixit post visum ante 14. annos Cometam. Ita & Anno 1170. in Frisia, 1432. in Germania. Contrà verò Anno 1382. integro, ut nullus ventus per totam Germaniam, ita magna annonæ abundantia fuit, notante Funccio, licet illo anno fulsisse Cometam, Rockenbachius, Eckstormius & Alstedius asserant.

LXXII. *Anno Christi* 130. *Cometa in Signo Aquarii & Capricorni per* 39. *noctes conspectus est. Hunc terræ motus maximus secutus est, in quo Nicopolis & Cæsarea Urbes in terra Sancta sitæ, absorptæ sunt. Barcochab Capitaneus seditiosus Judæorum potens, subque se arces* 50. *& civitates* 980. *habens, Messiamque se esse dicens, inque terra Palæstina Christianos duriter affligens, ab Adriano Imperatore (postquam per triennium & 6. menses urbem Bethoron obsedit) victus, & in potestatem suam redactus est. Bencochab autem interfecto, ultrà quinquies centena millia Judæorum trucidata, & pestilentiâ fameque correpta & mortua sunt. Atque ita potestas Judæorum hoc tempore penitus debilitata & fracta est. Antinous Nobilis adolescens in Ægypto mortuus est, cumque ab Adriano honorificè sepeliretur, inter Deos deinde relatus, ejusque nomine urbs appellata deinceps est. Basilides, Carpocrates, Saturninus Hæretici hoc tempore prodierunt, dogmatibusque suis multos seduxerunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 130. *visus est Cometes faustissimus Usuardo Angliæ Regi, qui Carduela tyranno subacto; multas sibi ac Deo provincias adjunxit.* Ricciolus.

SAtisfecimus Rockenbachio & omnibus aliis cuncta tristia, nulla autem læta ad Cometas referentibus, illo in tabula exhibito malorum catalogo, quæ sine apparentibus Cometis orbem toties & tàm graviter afflixerunt, ut pateat & sine Cometis mala evenire, imo ut ante hos ista, sic & post hos bona contingere. Verumtamen ille terræ motus in annum 129. & sic ante Cometam, ponitur à Funccio, Rockenbachii magistro. In eundem annum ponitur & à Calvisio. Is etiam memorat in Ann. 128. ab Eusebio illum casum referri. Recedit autem Rockenbachius à Funccio, qui 50. Judæorum millia cæsa esse dicit. Ille enim quinquagies centena ponit. Ita & Alstedius Chronol. p. 298. Petavius quingenta octoginta millia, Calvisius quinquaginta & octoginta, ubi quinquaginta pro quingenta positum esse res ipsa & editio Lipsiensis docet. At verò hæc paulò longius à Cometa distant, Anno Christi 135. gesta Funccio & Petavio, Helvico verò in 137. verum hæc referente. Ricciolus candidè agit, Cometam hunc inter faustos referens. Idem facit infra cap. 5. p. 34. Non dissimulo autem videri mihi hunc Cometam referendum esse in Ann. Christi 633. secundùm Calvisium Bedæ rationes secutum, vel 636. circiter secundùm Funccium. Huic & Polydori (qui Regem illum Anglorum Northumbrorum consueto nomine Oswaldum, ut & Rolevinckius, Jovius, Pantaleon, Funccius, Laurentius Surius, Petavius &c. tyrannum verò Cadovallonem vocat, & ex eo Funccius & alii) rationes favent. Nil tamen hic Doctissimo Ricciolo præjudico, imò responsum de hac quæstione ab eo exspecto.

LXXIII. *Anno Christi* 145. *Tempore Antonini Pii Imperatoris, Cometa in Aquario per 6. noctes flagrans apparuit. Hunc, ut Julius Capitolinus scribit, fames dira & pestilentia sæva, itemque terræ motus ingens, quo Rhodus & alia illustria loca horrendè concussa sunt, & exundationes aquarum plurimæ sunt secutæ. Angli ab exercitu Imperatoris sæpius in pugna victi sunt. Valentinus & Cerdon hæretici impia sua dogmata inter homines sparserunt. Narbo in Gallia, Antiochia & forum Carthaginis, hoc tempore igni perierunt. Tiberis, non solito more, omnia loca inundavit.* Rockenbachius.

SI voluisset Rockenbachius, potuisset ad Cometam hunc meliori jure referre natalem Severi Imperatoris Ann. Christi 147. & incunabula, ut sic dicam, Francofordiæ ad Oderam & Suinoniæ, nunc Sundæ, Funccii rationes, tùm pacem Mauram & victorias de Germanis, Dacis & Alanis obtentas, Julii Capitolini, quem allegat, historiam secutus, quam vel Valentini & Cerdonis hæreses, à Funccio in Ann. 141. positas, vel alia longo intervallo à Comete dissita. Nam ille motus terræ in Ann. Christi 150. Tiberis verò exundatio in 154. incidit, notante Calvisio. Is autem illas Anglis illatas clades in Ann. Christi 144. ponit. Sed & Capitolinus longè ante Cometam hæc refert. Ita & illam famem, & terræ motum, & Tiberis exundationem, pariter & incendia Narbonensis civitatis & Antiochensis oppidi & Carthaginiensis fori, apparitione Cometæ præponit. Eidem verò subjecit læta nec pauca, nec exigua. Pharusmanes Rex ad Antoninum Romam venit, plusque illi quàm Adriano detulit. Antoninus Pacorum regem Ladis sive Lazis, populo Scythiæ, dedit. Parthorum Regem ab Armeniorum expugnatione solis literis repulit. Abgarum Regem ex Orientis partibus solâ authoritate deduxit. Sed & alia ab Antonino præclarè facta, imperio Romano gloriosa & læta idem Capitolinus commemorat. Aventinus singulari fide & industria, paucis tamen multa complexus, naturâ omnium principum clementissimum & placidissimi ingenii fuisse scribit: ac meritò cognomen Pii à virtutibus fortitum esse judicat. Pacis amantem, largum sui, alieni abstinentem fuisse, & exteras nationes positis armis ipsum ut patrem, ut numen aliquod veneratas esse memoriæ prodit. Annal. 2. Sed de Antonino mox plura dicendi locus erit.

LXXIV. *Anno Christi* 146. *Cometes per totum orbem diu apparuit. Stumpius in historia de rebus gestis Henrici IV. teste Keckermanno Syst. Phys.* l. 6. c. 5. p. m. 908. qui id Synechdochicè dictum putat, quòd scilicet Cometa per magnam orbis partem visus fuerit.

NUllus Auctorum, quos vidi, in hunc annum Cometam ponit. Eventus qui eum secuti sunt, alii quàm quos ad proximum vidimus, esse non possunt. Ibi autem & læta fuêre. Quibus addas licet M. Aurelii Cæsaris, Principis illius laudatissimi, cum Faustina Antonini Imperatoris filia nuptias, *usque ad donativum militum*, ut ait Julius Capitolinus, *celeberrimas*, & ad Tribunitiæ potestatis excelsæ evectionem. Nec quidquam hîc cogitare potes, quam perpetuam populi totiusque Imperii Romani lætitiam, quam bonus & pius, qualis ille re & nomine fuit, Princeps, ut Oceanus flumina in subjectas terras diffudit. Antoninus enim solus omnium propè Principum prorsus sine sanguine civili & hostili, quantum ad se ipsum pertinet, vixit: quique ritè comparatur Numæ, *cujus felicitatem pietatemque & securitatem ceremoniarum* que semper obtinuit: ut testatur Capitolinus. Tantò magis cùm bonus Imperator Optimum & Sapientissimum Principum Marcum Aurelium & generum & imperii socium assumsisset: qui in exemplum Principibus propositus amorem in dies majorem omnium sibi conciliabat: quum *frugi esset sine contumacia, verecundus sine ignavia, sine tristitia gravis*, ut Capitolinus asserit.

* Vid. Sext. Aurel. Victor. Avent. Ann. Bojor. l. 2. p. 107. Egnatius & alii.

LXXV.

LXXV. *Anno Chriſti* 160. *Obiit Antoninus Pius, ſub ipſo arſit ſtella crinita* Eckſtormius.

NEquè hunc Cometam alii Scriptores annotant. Non exiguum autem opinionis incertum hîc occurrit. Non enim exprimit Eckſtormius, quo Antonini imperii anno Cometa apparuerit. Adhæc iſtius mors in Ann. Chriſti 161. ponitur à Funccio, Calviſio, Petavio, Helvico & Alſtedio (niſi quòd iſti duo ſimul ſecundùm Epocham veram mortuum Ann. Chriſti 163. dicant) at à Bucholzero, quem Eckſtormius ſequi ſolet, in Ann. Chriſti 162. refertur. Sed ſicut non miramur natum eum Ann. Chriſti 86. Epochæ vulg. poſt Cometæ apparitionem quinto, ita ne miremur eum uno & altero anno poſt eandem denatum eſſe. Oſtendimus autem imperium ejus fuiſſe moderatum, laude dignum, populo gratum & Reipublicæ ſalutare. Oſtendimus etiam Marcum Aurelium Socero omnibus virtutibus ſimillimum extitiſſe. Nam hoc ſublato è vivis, fuit *per omnia moderatiſſimus in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonis, ex bonis optimos:* teſte eodem illo Capitolino. Qui etiam ideò addit: *Eum in amore omnium imperaſſe, atquè ab aliis modò fratrem, modò patrem, modò filium, ut cujuſque ætas ſinebat, & dictum & amatum*, & conſentiens prudentia judicat, *ærumnis publicis quaſi defenſorem objectum*, * *& ad conſervandam nominis Romani majeſtatem, quæ alioqui uno lapſu concidiſſet, natum fuiſſe.* Verbo: Marcus *omnium hominum, qui unquam principatum tenuerunt*, judice Dione, *Optimus*, & quem, ut Eutropius ait, *mirari facilius quis quàm laudare poſſit*, fortunatam reddidit Rempublicam & virtute & manſuetudine, illâ inquam ſincerâ & æquabili in omni vita, quam Dio celebrat, regnum ejus *aureum* appellans.

* Vid. Avent. Ann. Bojor. p. 139.

LXXVI. *Anno Chriſti* 181. *Viſus eſt Cometa, qui à barbæ ſimilitudine appellatur pogonias. Tum temporis ſubitò conflagravit templum pacis, multa bella ſecuta ſunt, & Roma plurimis maximiſque incommodis laboravit, quorum cauſam homines in Commodi flagitioſam vitam retulerunt.* Alſtedius.

IN hunc ipſum annum Calviſius refert pacem Eccleſiæ à Commodo datam fuiſſe, & ad fidem Chriſti converſos toto diviſos orbe Britannos. At illa triſtia quæ Alſtedius Cometæ huic tribuit, longè ab eo diſtant. Nam pacis templum incendio conſumtum Anno 191. Capitolium fulmine dejectum Anno 188. eodemque Maternus latro Galliam & Hiſpaniam vaſtavit, & in Italiam vim armorum tranſtulit, paulò tamen poſt trucidatus. Peſtis Anno 189. fames 190. Rômæ ſæviit, annotante Calviſio. Videtur autem Alſtedius hæc incommoda, quibus Roma laboravit, intelligere. Itaque hic etiam videmus quàm ſtudeant homines triſtia, licet longius remota, ad Cometas referre, ut eos infamiâ malorum ominum gravent.

LXXVII. *Anno Chriſti* 190. *viſus eſt Cometa, quem excepit incendium Capitolii, peſtis item & bellum.* Alſtedius.

Anno Chriſti 192. *occiſus eſt Commodus Imperator: in cujus morte Cometes apparuit, & à multis templis, quæ in urbe erant, cum ſimulacris Deorum effigies quoque abire viſæ ſunt.* Eckſtormius ex Fulgoſi lib. 1. c. 4.

Anno Chriſti 188. *alii* 187. *Antonino Commodo imperante Cometæ, aliaque ſigna ignea & ſtellæ per totum diem apparuerunt, quædam etiam in longum productæ, medio quaſi aëre ſuſpenſæ viſæ ſunt. Strages magna Parthorum, Commodi dolo ſecuta eſt. Inde civilia bella orta ſunt, anni ſpatio 5. Cæſaribus oppreſſis, bello tribus, Didio Juliano, Peſcenio Nigro, Albino, duobus fraude, Commodo & Pertinace oppreſſis. Capitolium Romæ, fulmine*

fulmine & tonitru, unà cum aliis ædificiis pretiosis & Bibliotheca combustum est, sicut & templum Serapidis Alexandriæ. Palatium quoque Romæ, orto prius terræ motu, igni eodem modo periit. Romæ caritas annonæ maxima hoc tempore orta est, pestilentiaque dira per Italiam grassata est. Severus Imperator, Christianos miserè persecutus est. Bellum sanguinolentum inter Severum Imperatorem à militibus ad imperium vocatum (Commodo & Pertinace à Præfecto militum Læto nomine occisis) & Pescenium Nigrum, Præfectum Syriæ, & Clodium Albinum Britannum, quod imperium anno 193. *Sulpitianus Præfectus prætorio Romæ, & Didius Julianus impudenter affectarunt.* Rockenbachius.

NEc istud Cometes sidus ita clarè in historico orbe lucet, quin nebulæ spissæ diversarum opinionum proinde & incerti lumen ejus obfuscent. Has ut radii industriæ & veritatis dispellant, dabimus operam. Alstediana primùm discutiemus. Is cum Calvisium sequi soleat, hîc in diversum it, & ab eo non parùm recedit. Nam ad proximum Cometam refert illud Romæ incendium, quo templum pacis, ad hunc autem alterum incendium quo Capitolium conflagravit. At verò Calvisius, ut vidimus, hoc ad annum Christi 191. illud ad 188. retulit, Dionis rationes secutus. Sed & Funccius Capitolii incendium ad Ann. 188. istud alterum ad 192. posuit, Eusebii auctoritatem allegans. Quæ cùm ita se habeant, Alstedio non potest benè cùm Calvisio & Funccio convenire, nisi incendium, quo templum pacis huic Cometæ, alterum verò quo Capitolium conflagravit, priori Cometæ subjiciatur. Pestem etiam ad hunc Cometam anni 190. Calvisius in annum 189. refert. Quod si vera epocha hîc ponenda sit, pestis in Ann. 191. Cometa in 192. erit collocandus. Ælius Lampridius in vita Commodi stellæ crinitæ imperio ejus visæ facit mentionem, sed tempus non annotat. Herodianus enumerat prodigia, sed Cometæ non meminit. Ante prodigia verò memorat pestem & famem in Urbe grassantem, & Cleandri ex infimo loco, ut ait, ad supremum fastigium evecti, dein rursum deturbati, exiguo atque insperato fortunæ momento, cædem. Sed nec Dio meminit Cometæ, licet prodigia recenseat, & tàm illam famem quàm pestem & incendium urbis describat. Nescio itaque quâ ratione Rockenbachius & Herodiani verba exscribens, Cometam prodigiis adjungat: tùm hunc in Ann. 187. vel 188. ponat, & ferè 17. annorum gesta ab Anno scilicet 187. ad 204. quo Severus Imperator Christianos persecutus est, ut & Funccius refert, confundat. Imò quod majus est & Parthorum stragem dolo Commodi factam memorat. At verò hujus Dio & Herodianus faciunt mentionem, sed in altero Antonino, hoc non meliore, cui Caracalli vel Caracallæ cognomen, à penula discissa & multis partibus consuta, sive vestimento ad talos demisso & in vulgus distributo inditum erat. Hujus etiam mortem non illius Commodi portendit incendium Alexandrinum, Rockenbachio hîc memoratum, quod omnem interiorem partem templi Serapidis invasit, & quo solus gladius quo Caracallus fratrem interfecerat, conflagravit, cæteris omnibus ab injuria ignis conservatis, ut testatur Dionysius. Adeò longo temporum intervallo dissita Rockenbachius hîc miscuit & huic Cometæ imputavit. Illa enim inaudita in Parthos inter simulatarum nuptiarum apparatus trucidatos exercita perfidia Ann. Christi 216. (218.) ut Funccius & Calvisius putat, facta est. De seditionibus, cædibus & bellis aliisque malis, sæpè ea citra ullam Cometarum apparitionem accidere, jam Rockenbachio & aliis superiori tabellâ satisfecimus. Atquè hæc occasione erroris gemini in incendio Alexandrino & cæde Parthorum à Rockenbachio admissi dicta sufficiant. Quanquam idem nec persecutionem Christianorum Ann. 204. sub Severo factam ad Cometam hunc referre, nec circa annum 193. inter Pertinacem, Didium Julianum, Nigrum, Albinum & Severum crudeliter pro ambitione gestis eandem præponere, sed solius Commodi cæde, quæ potius commemoranda erat, contentus esse debuit. Hujus vita tàm crudelitatis quàm libidinum plena dignum habuit exitum, & hunc omni Cometâ certius portendit. Oppressus enim est à Martia concubina & conjurationis consciis certissimo exitio destinatus. Nempe Commodi tyrannide grassante, & Roma, Senatus Populusque Romanus,

nus, & menses & omnia erant Commodiana nomine, re autem verâ incommodis innumeris referta. Vitio scilicet Ministrorum ignavia & luxuria Principis ad avaritiam & cædes abutentium: sed & ipsius vitio Principis, οὐ Τυραννίδι μόνον ἀλλὰ καὶ πράξεσιν ἑαυτὸν ἀλλοκότοις ἐκδόντος (non tyrannidi tantùm sed & prodigiosis flagitiis dediti) Zosimo hist. l. 1. quem Henrico Stephano debemus, ille Leunclavio Viro Clarissimo, judice. *Ideò incommodus ille Commodus alter Sylla, alter Nero, alter Caligula, alter Domitianus dictus, & hostis humani generis etiam mortuus judicatus est.

* Vid. Avent. Annal. Bojor. p. 112.

LXXVIII. *Anno 195. tempore Severi conspectus est Cometa, de quo Romæ fuit opinio, eum magnum aliquod malum portendere.*

ALii auctores, quos vidi, Cometam in hunc annum non ponunt. In hunc verò annum & sequentes referuntur victoriæ insignes & res à Severo in Oriente præclarè gestæ, quæ ei cognomina Parthici, Arabici & Adiabenici pepererunt, tùm & victoria de æmulo Albino obtenta.

LXXIX. *Anno Christi 204. Anno 10. imperii Severi Imperatoris, Cometa Romæ per multos dies apparuit, fuitque opinio, eum magnum aliquod malum portendere. Paulò post Plautianus ob maximam licentiam & crudelitatem est interfectus. Cetus maximus in eo portu, quem Augustum vocant, captus est. Cujus Ceti figura, in Amphitheatrum introducta, quinquaginta ursos devoravit.* Rockenbachius.

HUnc Cometam cùm proximo unum esse suspicor. Sed sine magna apertæ veritatis necessitate fidem neutri Cometographorum celeberrimorum, Rockenbachio & Alstedio detrahere volo. Tantò magis cum notabili annorum 9. discrimine uterque Cometa distent. Mors Plautiani in Ann. Christi 205. à Calvisio refertur. Merita autem hunc & Christianorum persecutorem, & alioqui hominem maximè ut avarum, ita divitem & licentiosum divina vindicta assecuta est. Illa immania cetæ apud auctores, qui ad manum sunt, non invenio. Sed si omnes casus tristes, qui in vita hominum eveniunt, ad Cometas referendi forent, sine intermissione, ut quidam statuunt, Cometæ lucere deberent, atque sic non aliter quàm ordinaria cæli signa aut nihil, aut boni quid vel mali portenderent.

LXXX. *Anno Christi 213. ante mortem Severi visus est Cometa.* Ricciolus.

NUllus hunc Cometam annotavit. *Nec ipse Ricciolus eum in Catalogo posuit, sed tamen infrà eum numerat inter eos, qui mortem Principum præcesserunt. Habebit autem dubio procul Vir diligentissimæ eruditionis dicti fundamentum, auctoritatem testis idonei. Mors Severi incidit in Ann. Christi verum 213. ut & Funccius, Polydorus Vergilius, Aventinus, Helvicus & Alstedius, sed in ann. vulgarem 211. ut Calvisius & Petavius putant.

* Almagesti l. 8. sect. 1. c. 3 & 5. de Cometis, p. 5. & 34.

LXXXI. *Anno Christi 217. stella per multas noctes visa est ab Occidente ad Orientem Solem tendens.* Xiphilin. *Eodem anno victus & occisus est ab Eutychiano Macrinus Imperator.* Eckstormius.

Anno Christi 220. imperante Antonino Caracalla, Cometa per 18. dies, in Signo Piscium apparuit, qui ab Oriente in Occidentem motum suum habuit. Hunc paulò post mors Caracallæ est secuta, qui cùm antea Hapirianum Juris-consultum occidisset, aliaque horrenda

venda facinora Romæ & Alexandriæ exercuisset, ipse tandem hoc ipso anno à suis satellitibus interfectus est. Macrinus in bello, contra Artabanum bis victus est, magnaque pecunia pacem emit. Heliogabalus Imperator à suis militibus in latrina interfectus est. Post cujus obitum, mater quoque ipsius Semis (*quæ etiam Soænis & Semea & Semiasyra vel Semiamira) *dicta, unà cum aliis, qui auctores scelerum fuerunt, interfecti sunt. Alexander Severus bellum intulit Orientalibus contra Persas, in quo Regem Artaxerxem vicit, qui prius Artabanum Regem Parthorum interfecerat. Deinde bellum quoque versùs Occidentem Germanis intulit, sed mater ipsius Mammæa, à rusticis seditiosis Moguntiæ cum filio interfecta est. Anno* 230. *&* 237. Rockenbachius.

NOn dubito eundem esse Cometam, licet illud triennii intercedat discrimen. Eventus Cometam hunc secuti, docent de eodem Auctores loqui. Calvisius eum in annum 218. sed mortem Macrini in 217. refert. Principes & ante Cometas mori & post Cometas nasci, toties vidimus. † Vidimus & Caracallæ dignum vita exitum. Docet is Tyrannos odium subjectorum & mortem sibi accersere. Sed & Macrini à puerulo Pseudantonino (cujus *ne nomen quidem cognoverat*, ut ait Dion) oppressi, qui quamvis crudelem, dominum tamen immisso percussore sustulit, docet similis exitus, homicidia, præsertim parricidia in Principes, impunita à Deo non relinqui. Hîc etiam illustre exemplum videmus, ut luxuriâ Principis ignava ad nimiæ potentiæ arrogationem Ministris abutendum non esse, ita malum Principem corrigendum quà licet, vel tolerandum potius quàm tollendum esse. Sed nec potestate dará licentiùs utendum, quin eam potius, præsertim ex infima sorte ad imperium evecto, moderatè habendam, & beneficio ac specimine virtutis omnes ei pariter *divinciendos* esse, eodem exemplo docemur. Macrinum in bello contra Artabanum *Persarum* Regem (ille est quem dolo circumventum Caracalla clade affecerat) *bis* esse *victum* & pacem redemisse, docent. Cometis non tantùm bellum, sed & pacem succedere. Novi Dionem referre Macrinum belli adversum Parthos gesti fortunam iniquam expertum esse. Apud Herodianum tamen Macrinus ad Senatum scribit: *Parthicum bellum longè maximum, & in quo omne Romanum imperium fluctuaverit, ita confecimus, ut nec in acie fortiter dimicando hostibus cesserimus, & regem maximas secum trahentem copias victo fœdere ex inimico amicum reddiderimus.* Reliqua quæ Rockenbachius enumerat ad Alexandri Severi mortem & Ann. Christi 237. ut ipse ait, longè à Cometa distare & ad eum referenda non esse, nemo non videt. Alioquin ad eundem referenda forent & læta, quæ post Pseudantonini illius Heliogabali, hominis libidinosissimi, ut nihil supra, turpitudine Nerones, ‡ Vitellios & Commodos vincentis, & omnium non solùm bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimi cædem, imperante Alexandro Severo *ad remedium generis humani*, ut ait Lampridius *nato*, evenerunt. Fuit enim Vir & literis & virtutum præceptis à puero imbutus, aviæ Mæsæ & Matris Mammææ gravi auctoritati obsequens, & Virorum pace belloque præstantissimorum consiliis operâ salubriter usus. Ideò summâ justitiâ, æquitate, liberalitate & animi moderatione, clementiâ severitatem, à qua nomen habuit, temperante, & *citra sanguinem* Marci Aurelii exemplo, ut Herodianus testatur, & populi benevolentiâ cum publica salute & gloria imperium gessit. Adhæc dederat & Christianis pacem, imò & in Christum animo erat propensior, cujus etiam imaginem in larario, & frequenter illud; *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, in ore, & institutum de templo ei exstruendo & inter Deos recipiendo, in corde habebat. Si parum est, ter ab Herodiano repeti, eum *sine querela imperasse, & imperium modestissimè administrasse*, ut alia ejus elogia taceam, præstò est illud Lampridii: **Alexander quidem & ipse optimus fuit. Nam hoc nemo vult nisi bonus, & optimæ matris consilio usus est: ac tamen amicos sanctos & venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumventores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles, con-*

*Lamprid. in Heliogab. Eutrop. l. 8. Sex. Aurel. Victor. Egnat. in Heliog. Avent. Ann. Bojor. l. 2. p. 116. † Vid. Avent. Ann. Boj. l. 2. p. 115. ‡ Avent. Ann. Bojor. l. 2. p. 116. * Vid. Avent. Annal. Bojor. l. 2. p. 117.

tinentes

tinentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existimationem principis sui, sed amarent &c. Videantur plura apud Herodianum l.6. Eutropium l.8. & Joan. Bapt. Egnat. Lampridius cumprimis lætum ejus principatum describit: Victus scilicet Artaxerxes Rex Persarum, Artabani illius interfector & Parthorum victor: Persæ tunc primùm servi facti. Exercitus prædâ opimâ ditatus. Terræ Interamnanæ, Mesopotamiæ scilicet recuperatæ. Triumphus pulcherrimus actus. Acclamatio à Senatu facta: *Alexander Auguste, Dii te servent. Persice maxime Dii te servent. Verè Parthicus, verè Persicus. Trophæa tua & nos videmus, victorias & nos videmus. Juveni Imperatori, Patri patriæ, Pontifici Maximo: per te victoriam undique præsumimus. Ille vincit qui milites regit. Dives Senatus, dives miles, dives Populus Romanus!* Nonne lætis sunt accensenda, quòd Alexander inter publica gaudii signa & festiva gratulantium tripudia *levabatur omnium manibus, vixque illi per horas 4. ambulare permissum est, undique omnibus acclamantibus; Salva Roma, quia salvus est Alexander!* Paulò post Lampridius subjicit: *Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum: atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ, quibus in Senatu & apud populum lectis, omnibus nominibus est adornatus.* Itaque Alexandri Severi imperium, licet nonnullis adversis (ut sunt res humanæ) lacessitum, in exemplum tamen virtutis & prosperitatis proponendum & lætum, siniſtris eventibus à Rockenbachio annumerari non debuit. Lætum ejus principatum præsignificavit stella primæ magnitudinis die prima natalis toto die, referente Lampridio, visa, ut eum Alexandro Magno similem non tantùm nomen, & Olympias, quæ illi nutrix, & Philippus qui nutritor obtigerat, sed & stella nativitatem ejus, ut Cometa illius, nuncians, (& quidem ita, ut idem Alexandro Romano natalis, qui Macedoni fatalis fuerat) redderet, etsi per modestiam Magni cognomen recusaverit.

LXXXII. Anno Christi 307. *Arius Presbyter de Ecclesia ejectus pestilentem hæresin excitavit, & longè latèque sparsit: hanc hæresin Cometæ præcesserunt.* Keckermannus ex Peucero.

Anno Christi 308. *ante mortem Constantii Chlori, qui anno sequenti in Britannia mortuus est, Cometa apparuit. Hunc paulò post terræ motus horribilis prope Tyrum & Sidonem, bellaque cruenta plurima, inter Constantium Maximianum & Maxentium Imperatores sunt secuta, sed Constantinus Victor belli tandem evasit, monstrato illi divinitùs signo crucis, unà cum scriptura Græcis literis exarata: In hoc signo vinces. Maxentius bello victus est, ac cum magna multitudine hominum in Tyberi suffocatus est. Maximianus Massiliæ interfectus est. Diocletianus seipsum interfecit, Maximianus autem, postquam duobus præliis à Licinio victus est, tandem morbo pediculari obiit.* Rockenb.

INter hunc & proximum Cometam nullus ab Auctoribus annotatur Cometa. At intra 90. ferè annos, quibus ab se distant, multa tristia, sed & læta (ut sunt semper humana) evenerunt. Certè & motus ille terræ, quem ex Funccio magistro Rockenbachius affert, à Funccio in ann. 305. ab Eusebio in 306. à Sigonio in 302. quod & cum rationibus Bucholzeri, Calvisii & Helvici congruit, ponitur. Videas & hæreses, non minùs pestilentes, quàm Ariana fuit, exortas, & terræ motus & pestem (de quibus ad Cometam LXIX. egimus) seditiones militum, cædes ab eis factas Imperatorum, Maximinorum, Gordiani, Pupieni, Maximi, Balbini, Philippi Arabis, Galli, Volusiani, Æmiliani, Aureoli, Gallieni, Quintilli, Aureliani, Taciti, Probi licet verè probi, & aliorum ab aliis intra 30. annos perpetratas. Videas duras persecutiones sub Maximino, sub Decio, Valeriano & Diocletiano, ac nobile illud Thebææ legionis gladio, & integræ Ecclesiæ numerosæ igne peremtæ martyrium. Videas bella civilia inter æmulos imperii, & externa contra hostes, Germanos, Persas, Gotthos aliosque. Videas ubique tot funera Principum morte naturali de-

cedentium. Videas etiam victorias obtentas & triumphos actos, tùm regiones deditione acceptas & inita pacis fœdera. Videas fortiter certantem Christianorum adversus acerrimas insectationes constantiam, & pacem Christianis, urgente persecutores gravi vindictâ divinâ, datam, aliaque quæ enumerare longum foret. Nobis sufficiet breviter, quantum fieri poterit, hæc prosequi, quæ singulari cum curcenda sunt, cum maximam Imperii & Ecclesiæ mutationem contineant. Sed adhuc de ipso hoc Cometa & ejus eventibus nonnihil dicendum est. Non dubito, quid de Keckermanni ratione futurum sit, Cometam illum in A. C. 317. minimum ponere. Nam dum Chronologos & Historicos præstantissimos consulo, ita rationes ordinandas mihi esse video: nisi etiam producendæ paulùm sint, Sigonius enim, Bucholzerus &, ut colligo ex pace Ecclesiæ Anno C. 318. data (quam extemplò funesta dissidia secuta sunt) Pantaleon in A. 319. Funccius in 322. Calvisius, Helvicus & Alstedius in annum circiter 315. Arium & Ecclesiâ ab Alexandro Episcopo ejectum, & sic Orbi notum redditum, ac dogmata ejus adhuc inter privatas disputationes latentia pùblicè sparsa referunt. Facilè autem apud Keckermannum error anni 307. (quamvis ita impressum in variis editionibus invenio) pro 317. subrepere potuit. Sed ad Rockenbachium veniamus. Constantii mortem Ado, Onuphrius, Sigonius, Bucholzerus, Calvisius, Helvicus, Alstedius, Petavius & alii in annum Christi 306. ponunt. Funccius in 310. Pantaleon in 311. Franc. Tarapha in 312. proferunt. Sed quicquid de eo sit, constat Rockenbachii fide Cometam ejus mortiprælusisse, idque aliquanto tempore, ut ait. Ita mortem ejus & lætapræcesserunt, Cometæ autem apparitionem secuta sunt, sicut post tristes procellas benignius cælum gaudium affert. Nam post Diocletianum & Maximianum Imperatores sævos & arrogantes, Constantius ille Constantini M. pater gloriam boni Principis ad extremum retinuit, sicut laudes ejus præ cæteris Eutropius, Pomponius Lætus & Egnatius prædicant. Polydorus Virgilius videtur cuncta complexus esse, cum ait‡. *In eo fuit gravitas, moderatio, integritas, liberalitas: quippe qui beneficiis & munificentiâ magnus, adversus divitias animum invictum semper gessit: quin proprii commodi immemor dicere solebat: longè melius esse, publicas opes à privatis hominibus haberi, quàm à principe in arcas servari, utpote quæ nulli usui forent. Ex qua boni principis popularitate, provincia quas obtinebat, ocio honestissimo cumprimis florebant.* Ac proinde Sigonius eum † *cum summam ergà omnes humanitatem, tùm maximam ergà Christianos adhibuisse, constantes in fide laudasse & ad summas dignitates, perfidis desertoribus Christianæ religionis objurgatis & remotis, promovisse*, ait. Imò etiam ex Eusebio memoriæ prodit, eum *relicto gentilium Deorum cultu, unum Deum adorasse, neque propter religionem alicui negotium facessivisse, atque propterea reliquum vitæ beatissimè degisse. Ex quo factum est*, inquit, *ut Gallia, Britannia & Hispania non solùm posthac clades persecutionis non senserint, sed & in maxima felicitate Constantio imperante versatæ sint.* Hujus felicitatis & lætitiæ partem extremam viderunt tot regna lucente Cometâ, & dubio procul post tot diras persecutiones multi populi gavisi sunt. Idque eo magis, quo bonum Principem annum ætatis 56. agentem fatali metæ viciniorem viderunt,

Ut esse Phœbi dulcius lumen solet
Jam jam cadentis.

A morte Patris Constantinus *institutam in Occidente pacem Ecclesiæ, civitatibus justitiam, populis liberalitatem præstitit*, ut Sigonius testatur*. *Idem* † *provinciales omnes gaudio evectos fuisse, quòd Imperatorem ne brevi quidem temporis momento desideràssent, & hoc felicitatum fuisse Constantinum, & eximiam provincialium ergà se voluntateque præstantia conlætatum tendisse* scribit. Inprimis autem in eo laudat benevolentiam erga Christianos, & libertatem religionis omnibus concessam, ac dubio procul lætam. Adducit & Lactantii verba: *Cum dies ille felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad hominum Imperii culmen evexit, salutarem universis, & optabilem principatum auspicatus es, cum eversam sublatamque justitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti.* Quis contra

‡ Angl. hist. l. 2. † l. 2. de Occid. Imp. ab initio. * loc. cit. in Severo. † In Constantino.

tot teſtimonia & documenta neget Cometis læta quoque ſuccedere? Verum quidem eſt ſecutos poſtea eſſe magnos in Imperio motus. Nam Severus Cæſar & Maxentius, Maximiani filius, privatam vitam agens, ſed & ipſe Maximianus, reſumto ſtudioſè imperio, quod Diocletiani gratiâ invitus depoſuerat, mutuis odiis & cruentis armis certando imperium dividebant, amore imperii amorem quoque paternum ſuperante. Coorti erant & in Germania motus à Regibus Francis pace antiquâ violatâ excitati. Sed hæc ſunt humanæ imbecillitatis & rerum viciſſitudinis documenta, quæ ſine ullis etiam Cometis in orbe eveniunt. Conſtantino certè cuncta hæc pulchra & glorioſa fuerunt, licet multo ſudore & ſanguine conſtiterint. Paucis iſta, quæ ad mortem Maxentii & Diocletiani, quam Rockenbachius Cometæ eventibus, hos in A. C. ſecundùm Funccium 317. producendo, tribuit, geſta ſunt, fidem & induſtriam Sigonii ſequentes memorabimus. Victoriis certè memorabilibus, quas Conſtantinus mortuo Patre, de rebellibus & tyrannis obtinuit, anni ſequentes inclaruerunt. Etenim Francos quater 307, 308, 309 & 313. vicit, & ad pacem petendam coëgit. Vicit & confecit 309. Maximianum illum Herculium, tertio purpuratum, ſocerum perfidum, qui juſtas pœnas parricidii in Severum Auguſtum, antè biennium contra fidem datam perpetrati luit. Oppreſſo inſaniente patre & Maxentium filium furentem, mali corvi, ut eſt in proverbio, malum ovum, Anno 312. oppreſſit, & non tantùm urbi, ſed orbi maximum gaudium, redditâ ſalute, pace, libertate peperit. ‡Ideò triumphum omnium, qui unquam ab omni memoria viſi ſunt, longè maximum & lætiſſimum, præſertim cum victoria non tantùm felix, ſed & incruenta fuerit, egit. Quin imò ut titulum Maximi, ita arcum triumphalem & ſtatuam equeſtrem, tanquam liberator urbis, fundator quietis, vindex S. P. Q. R. meruit. Inter hæc Anno 307. ſponſalia cum Fauſta filia Maximiani eo præſente lætiſſimis animis celebravit. Dehinc Anno 310. qui erat imperii quintus, quem maximâ celebrare lætitiâ aſſueverat, ludos ſolennes Treviri magnâ populorum frequentiâ edidit. Poſtero Licinium imperii, & paulò poſt Conſtantiæ ſororis conſortem fecit. Anno 312. & 313. lætam libertatem religionis omnibus dedit. Hoc etiam anno Conſtantinum filium ex Fauſta uxore ſuſcepit. Licinius interim Maximino victo & oppreſſo Nicomediæ triumphat. Tunc etiam res Romanæ lætæ inprimis tranquillæque fuêre, ut ait Sigonius ad Ann. 313. Dum hæc in orbe geruntur, Eccleſia, ut multitudine ita diſſidiis creſcens, cruce & diris perſecutionibus preſſa, utcunque pacem domi ſervavit. Hanc poſtquam foris obtinuit, domi ferè amiſit ex Donati Schiſmate, mox hæreſi, tûm & Arii, ortis motibus concuſſa & diviſa. Verumtamen perſecutionibus liberata, pace verò & opibus beata, lætitiæ inſignis exemplum extitit. Quis in hoc theatro triſtia & læta, quæ Cometæ illi ſucceſſerunt, non videt?

‡ Sigon. de Occid. Imp. l. 3. ab initio.

LXXXIII. *Anno Chriſti 324. (alii 23. legunt) Cometa in Signo virginis apparuit. Hunc bellum horrendum inter Conſtantinum M. & Licinium ſecutum eſt, in quo Conſtantinus (miraculis terribilibus pugnam præcedentibus in aëre, flammis videlicet igneis) Licinium vicit. Dogma Arii, ab Epiſcopis 118. in urbe Bithyniæ Nicæa convenientibus, condemnatur. Bellum inter Suevos & Thuringos grave geſtum eſt, peſtilentia & fames in Cilicia & Syria ſæviſſimè graſſantur, Chriſtianique duriter & crudeliter ab impiis tractantur.* Rockenbachius.

ANnotat & Eckſtormius hunc Cometam in Virgine ex Herlicio. Alſtedius in annum 323. ponit, varioſque Cometas peſtilentem Arii hæreſim præceſſiſſe dicit. Vidimus ante Cometam ortas peſtiferas hæreſes. Vidimus bella domi foriſque geſta. Sigonius bella Romanorum illâ tempeſtate contra Scythas, Francos & Sarmatas geſta in Annum Chriſti 316. 318, & 321. perſecutionem vero à Licinio in Chriſtianos excitatam in 319. 320 & 321. ponit. Funccius Rockenbachii dux A. C. 314. refert ortum illud bellum civile inter Conſtantinum M. & Maxentium: anno verò ſequenti inter Licinium & Maximinum (Maximianum Victor & Eutropius & Zoſimus

Maximinum, reliqui à Maximiano Herculio eum distinguentes vocant) Orientis tyrannum & hostem Christianorum infensissimum, qui diro viscerum morbo repente periit. Horum autem bellorum mala non illi cælestes, sed terrestres Cometæ, sive ardentes ambitionis & avaritiæ faces, saltem magis hi quàm illi portendunt. Videmus id palam in bello illo inter Constantinum & Licinium gesto, quod Rockenbachius adducit. Audiamus de hoc Eutropium prudenter judicantem. *Constantinus*, inquit, *Vir magnus, & omnia efficere nitens, quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quamvis necessitudo illi & affinitas cum eo esset. Nam soror ejus Constantia, nupta Licinio erat.* Et mox: *Varia deinceps inter eos bella, & pax reconciliata, ruptaque est. Postremò Licinius navali & terrestri prælio victus apud Nicomediam se dedidit, & contra religionem sacramenti Thessalonicæ privatus occisus est. l.* 19. Idem judicat Sabellicus Enn. 7. l. 8 indicat Victor, innuit & Sigonius l. 3. de Occid. Imp. Urget Zosimus, solemnem perfidiam ejus arguens lib. 2. Sed ad Rockenbachium redeamus. Hic Synodum Nicenam, quæ detestandum Arii dogma Anno 325 (327) damnavit, nescio cur inter tristes Cometæ eventus ponat. Quod si voluisset vel candidè vel accuratè eventus Cometæ enumerare, habuit latos ei longè propiores. Nam, ut sequar ipsius Funccii, quem Rockenbachius sequi solet, vestigia, Anno 332. Constantinus M. per omnes Imperii Urbes templa Christiana extrui fecit, ministris eorum stipendia è publico dari jussit. Hâc tempestate, ut putat Funccius, sed secundum Sigonium & Calvisium (quibus & Petavii & Helvici computatio favet) A. C. 328. Imperator Byzantium muris, legibusque condidit, mox ritu solenni consecravit, & à suo nomine Constantinopolin vocavit. Anno 334 putante Funccio, Indi interiores, Anno 335. Iberi & Armenii fidem Christi susceperunt. At verò pestis illa & fames & Christianorum in Persidè *persecutio in Ann.* 336. refertur, quæ duodecim annis à Cometa remota referri *ad eum non possunt.* Quod si Sigonium adeamus, viciniora etiam Cometæ dabit: quinquennalia Cæsarum (Constantini Junioris & Constantii) lætissima Anno 330. tùm victoriam de Gothis invasoribus partam, & pacem pactam Anno 332. alia ut sileam.

LXXXIV. *Anno Christi* 335. *seu biennio ante mortem Constantini, qui obiit* 11. *Cal. Julii A C.* 337. *fulsit inusitatæ magnitudinis Cometa.* Eckstormius ex Eutropii lib. 10. (non 11.) & Orosii l. 7. c. 19.

Anno Christi 337. *Cometa denunciavit mortem Constantini Magni, & infinita mala, quæ secuta sunt. Nam tres ipsius filii de summa imperii contenderunt, & Christiani immanibus periculis fuerunt expositi.* Alstedius.

ANnotat hunc Cometam Eutropius l. 10. & Rolevinckius Fasc. Temp. auctor, sed tempus apparitionis neuter determinat. Sigonius de Occid. Imp. l. 4 in fine refert eum ad ann. 337. ex eo Bucholzerus ad eundem annum. Calvisius in edit. Lipsiensi 1605. ante mortem Constantini, quam in ann. 337. vulgarem ponit, Cometam paucis mensibus apparuisse memorat. Sed in edit. Francofurtensi 1620. hæc non extant. Neque verò mirum morti Principum stellas crinitas prælucere, cùm & ortui eorundem præluceant: pariter nec quinquennio, ut hîc, à viso Cometa bella oriri, cum quinquennio ante eum visum frequenter gerantur. Mortem ejus urgebat annis 63, ut Victor, 65. ut Eusebius, 66. ut Eutropius & Pomponius Lætus habent, gravis, & multus bellorum laborumque æstus, urgebant & vitia magna magnis virtutibus conjuncta. Vid. Victor, Eutropius, Pomponius Lætus & Egnatius. Hic sufficiat dixisse temporibus ejus non tantùm aliorum multorum, sed & necessariorum sanguinem fusum incutere ruborem. Nam non tantùm uxoris Faustæ patrem Maximianum, & fratrem Maxentium, tùm sororis maritum Licinium ejusque filium, sed & suum proprium filium Crispum, imò & illam suam Faustam, verè infaustum, licet unum Cæsarum matrem, & aliquando maritum insidiis à patre suo structis eripientem, necavit. O miseram sortem cruentorum præsidiorum indigam! Atque hæc inter laudes

Eusebianas

Eusebianas & criminationes Zosimianas mediâ viâ incedendo, de Constantino dicta sufficiant. Ejus filii docent exemplo suo vera esse illa antiqua scita, * raram esse concordiam fratrum, & omnem potestatem impatientem consortis esse, tùm & vitiis malè inter se convenire. Erat enim Constantinus præceps & alienorum incautè appetens: Constans deliciis deditus, ideò provincialibus & militi gravis: Constantius arrogans, credulus & temerarius, magnorum Virorum judicio. ‡ Illa verò intoleranda Constantini ambitio omni Cometâ certius bellum portendit. Sed & fratres ejus vitiis suis, velut proprio jumento, mala sibi & Reipublicæ accersêverunt.

* Vid. Avent. Annal. Bojor. l. 2. p. 138. ‡ Victor, Eutropius, Zosimus, Pomponius Lætus, Egnatius & Sigonius.

LXXXV. *Anno Christi* 340. *(alii* 341. *legunt) Cometa immensæ & terribilis magnitudinis in Signo Arietis per spatium* 6. *mensium &* 3. *dierum conspectus est.* Oros. *l.* 7. *Cap.* 19. *Eutrop.* 11. *Paulò post persecutio contra Athanasium aliosque pios Doctores ab Arianis orta est. Constantinus à militibus fratris sui Constantis victus & interfectus est. Urbes plurimæ, versùs Orientem terræ motu perierunt. clades magna inter Francos & Romanos orta est. Inde caritas magna propter bella diuturna est secuta. Synodi multæ & magnæ, ac anti-synodi de Dogmatibus veris nostræ Religionis & falsis hoc tempore sunt celebratæ. Magnentius postquam Imperatorem Constantem interfecit, Constantius frater magnum exercitum, videlicet hominum* 70000. *colligit, ut bellum inferret ipsi Magnentio, qui* 30000. *militum penes se quoque habebat. Sed cum jam in prælio victus esset Magnentius, Lugduni in Gallia seipsum interfecit.* Rockenbachius.

Riccíolus pariter in hunc annum Cometam istum ponit, & aliquot mensibus fulsisse ex Joan. Prætorio refert. Eventus annotatos quod attinet, persecutiones sacras sine Cometis frequentiùs quàm post Cometas fieri, septem persecutiones ex illis decem vulgo notis docent, ne quid de Liciniana dicam. Nempe *malè facere qui vult, nunquam non causam invenit*, ut vetus fert verbum. Principum tàm ortus quàm occasus post & antè Cometarum apparitionem cernitur. Ita & Urbium ac Rerumpublicarum conversio, eversio, & erectio ac constitutio. Sic & fames & bella, & cædes, quibus non Cometæ vel astra, sed vitia hominum artibus jurati hostis originem dant. Ideò nos hæc Cometis & aliis portentis assimilare solemus. Videmus hîc quoque istius rei exempla. Nam Magnentii & Nepotiani ambitio bella civilia, quæ secuta sunt, portendit. At verò bellum illud inter Magnentium & Constantium ad Cometam immeritò refertur. Nam ab ipso Funccio in A. C. 357. ponitur. Sed cui bono Rockenbachius hîc Synodos & Anti-Synodos multas & magnas inseruit? Equidem si veritas sine præjudicio dicenda est, luctuosa fuerunt illa tempora adeò sacrorum dissidiorum feracia. * Nam orbe Christiano non tantùm quiete & libertate, sed & divitiis ac honoribus partis, in duas potentissimas sectas (absit voci mediæ invidia) Homousianorum & Arianorum diviso, illi ab Anno 325. ad 380. sive intra Concilium Nicenum & Constantinopolitanum propè 20. isti verò plures etiam Synodos coëgerunt, mutuis anathematis & persecutionibus certantes. Vocem illam facta rei Ecclesiasticæ sub Constantino M. conversione, *Hodie venenum infusum est Ecclesiæ*, non soli Magdeburgenses Centuriatores & Wolfius Cent. 4. & Klingenhofer Clericus Argentin. in Chron. refert, sed & eventus rerum, ambitione, luxuriâ, avaritiâ & ferali discordiâ in Ecclesiam introductâ confirmat. Satis est Hilarium, licet Arianorum hostem acerrimum, in hæc verba erupisse: † *Post Nicenam Synodum nihil aliud quàm fidem scribimus, dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis, dum de auctoritatibus querela est, dum de studiis certamen est, dum in confessu difficultas est, dumque alter alteri anathema esse cæpit, propè jam nemo est Christianus. Proximi anni fides quid immutationis habet? Primum decretum Homousion decernit secundum: sequens rursus Homousion decernit & prædicat. Tertium Usiam simpliciter à Patribus præsumtam per indulgentiam excusat. Quartum non excusat, sed condemnat. Tandem*

* Vid. Avent. Annal. Bojor. l. 2. p. 92. † l. ad Constant. Imper. Vid. Sigon. de Occid. Imp. l. 5. & 6.

dem

dem eò processum est, ut NEQUE PENES NOS, NEQUE PENES QUEM-QUE ANTE NOS SANCTUM EXINDE ALIQUID ATQUE INVIOLABILE PERSEVERET. *Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus,* DECRETIS POENITEMUS, *pœnitentes defendimus, defensa anathematizamus, aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, & mordentes turbines jam absorpti sumus.*

LXXXVI. *Anno Christi* 363. *paulò ante mortem Juliani Apostatæ appparuit* Cometa. Riciolus.

APud nullum Auctorum, quos vidi, hunc Cometam invenio. Nec ipse Riciolus in suo accurato Cometarum catalogo pag. 5. eum numerat. Infrà tamen p. 34. in latercùlo Cometarum mortem Principum præcedentium, hunc quoque ponit. Constabit absque dubio Viro eruditione & diligentiâ eximiâ prædito hujus quoque dicti ratio, quâ de re, ut & aliis dubiis eum consulere non negligo, simul dum hæc commentor. Interim in argumentum hujus sententiæ adduco Ammianum Marcellinum describere facem flagrantissimam, cadenti similem visam, ante illud prælium cum Persis commissum, quo periit Julianus: cujus portenti & Sextus Aurelius Victor & Pomponius Lætus meminerunt. Dissimulandum non est Juliani Imperatoris mortem tunc multos in dolorem, imperium etiam in discrimen conjecisse. Nam Ammiani Marcellini * idonei satis testis fide, Princeps ille Alexandri M. Julii Cæsaris, Epaminondæ, Titi, Trajani & Marci Antonini, Principum egregiorum fuit imitator à temperantia, prudentia, justitia, fortitudine, rei militaris scientiâ, auctoritate, felicitate atque liberalitate, virtutibus Imperatoriis, commendatus. Sed omnes istas animi, aliasque ingenii & corporis dotes, sola à fide Christiana defectio, & Christiani nominis sicca quidem sed ingeniosa, eoque nocentior persecutio, contaminavit. Odium ejus in Christianos notat Ammianus & Eutropius. Prudenter & piè Egnatius de eo: *Sunt qui sagittâ è cælo missâ vulneratum* dicant. *Unde in nefariam vocem erumpens, vicisti Galilæe, (sic enim Christum appellabat)* occubuerit. *Christianos impio quodam odio adeò insectatus, ut studia & militiam hisce interdixerit: plerosque præmiis & illecebris, quasi machinis, à vera pietate averterit. Quin etiam Imperator (ita Deo visum) adversùs nos libros edidit: ille verò si ingenium indolemque egregiam, ad veram pietatem, quam puer imbiberat, convertisset, inter egregios principes adnumerari potuit &c.* Ut ita mors ejus Christiano nomini læta extiterit, nisi quòd magis læta fuisset, si Princeps prius ad fidem salutarem & in viam rectam rediisset, quàm è vita abiisset, licet hanc reposcenti naturæ ut debitorem bonæ fidei redditurum se exultârit, & Philosophorum generali sententia perdoctum quantum corpore sit beatior animus, & contemplantem quoties conditio melior à deteriore secernitur, lætandum esse potiùs quàm dolendum dixerit apud Marcellinum loco citato. Annotat verò Funccius, Calvisius & Sigonius, Nicomediam ante hoc portentum & mortem Juliani motu terræ concidisse, eodemque Niceam concussam esse, ita ut Synodus indicta celebrari non potuerit. Sigonius etiam ante mortem Juliani terræ motum Constantinopoli & Romæ incendium ponit ‡. Atque hæc sunt, quæ Cometam proximè antecesserunt. Alioqui si aliquot abhinc annorum gesta repetamus, invenimus assiduas ab Anno 356. Germanorum, Sarmatarum, Quadorum & aliorum populorum in provincias Romani Imperii incursiones, & assidua cum eis Juliani & Constantii prælia; tum hujus bella Persica parùm prospera. Invenimus ejusdem hostile contra Julianum odium, ex invida arrogantia & obtrectatione ortum, quod in bellum civile, Juliano dignitatem Augustam sibi recusanti obtrusam à militibus eorundem benevolentiâ & virtute vindicare volente, exarsisset, nisi mors subita ex animi ægritudine Constantium Anno 361 abripuisset.

* Lib 16. & 25. Vid. Eutrop. l. 10. Pomp. Lætus & Avent. Annal. Bojor. l. 2. p. 147. Bucholz. Calv. Helv. Alsted, Petav. Sigon. Onuphr.

‡ Vid. Amm. Marcell. l. 23.

LXXXVII. *Anno Christi* 363. *cum Jovianus ex Persia reversus est Antiochiam, per continuos dies multa visa sunt miracula & prodigia, & visa sunt interdiu sidera Cometarum.* Eckstormius ex Ammiani l. 25.

Anno Christi 367. *Imperatore Juliano bellum contra Persas gerente, & tandem in eo interfecto, Cometa unà cum aliis terribilibus miraculis die sereno conspectus est. Hoc tempore postquam Julianus Judæis in odium Christianorum concessit, ut templum unà cum tota Politia instaurarent, terræ motus tantus ortus est, ut terræ hiatibus ædificia, accedentibus etiam tonitru & fulminibus absorpta, multaque millia Judæorum interfecta sint. Templum etiam Delphicum à Deo terræ motu funditùs Delphis est eversum, nec amplius instauratum est. Bibliotheca Antiochiæ celebris incendio periit. Imperator Jovinianus, Anno* 368. *à Nato Christo die* 17. *Febr. cùm jam per menses* 7. *imperasset, mortuus, inque locum ejus Valentinianus à militibus, in Imperatorem electus est, magnaque bella contra Alemannos gessit, illosque repressit. Terræ motus quoque plurimi, caritatesque annonæ magnæ, itemque inundationes horrendæ hoc quoque tempore fuerunt. De quibus Funccius in Chronicis.* Rockenbachius.

IS Cometa, teste Ammiano, diversus est à proximo phœnomeno, licet utrumque confundat Rockenbachius, & hunc ponat in ann. 367. quo non vixit Jovinianus Imperator vel potiùs Jovianus. Quanquam apud Eutropium, Sextum Aurel. Victorem, Tarapham, Egnatium, ut Funccium, Bucholzerum, Helvicum & alios novitios taceam, Jovinianum video appellari. Ita & Pomponius Lætus in vita Constantii Imperatoris Jovinianum, sed postea (quod & Aventinus ubique facit) Juvianum vocat, & quum antesignani Juvianum clamassent, multos in medio exercitu Julianum revixisse, cum ingenti lætitia existimasse memorat: Ut ita meritò iste Imperator à Joviniano hæretico, adversus quem Hieronymus depugnavit, distinguatur. Sed hæc ἐν παρόδῳ dicta sunto. Illa enim annorum Joviani ratio ex Funccio desumta omnium Chronologorum & Historicorum, quos vidi, rationibus adversatur. Ideò & in Alstedii Chronologia Cometarum, ubi Cometa hic in Ann. Christi 367. ponitur, error est necessariò corrigendus ex ipso Alstedio (qui alibi p. scilicet 180. in Chronologia Monarchiæ Romanæ Joviani imperium in Ann. Christi 365. verum, vulgarem 363. collocat) ut scilicet pro Anno 367. annus ponatur 365. in quem eum ante Joviani mortem Sifardus quoque ponit. Ad ea, quæ Rockenbachius de hoc Cometa annotat, respondemus, ante & post Cometas ut nasci, ita & mori Principes, ac terræ motus fieri, bella geri, aliaque evenire tàm tristia quàm læta, quæ humana fert conditio. Bibliothecam Julianus ante Cometam hunc instruxit cum laude. Ante Cometàm verò dari incendia vidimus, etiam in sumtuosissimis Bibliothecis Alexandrina, Capitolina, & videbimus fortè infrà in Constantinopolitana omnium nobilissima, quam Anno 476. par casus abstulit. Attamen de conflagratione Bibliothecæ Antiochenæ nullus Auctorum, quos consului, quidquam memorat. Ammianus l. 22. & Calvisius. Daphnidis, Aventinus l. 2. Ann, Boj. Apollinis templum tunc conflagrasse refert. In Judæis, templum Hierosolymitanum restaurare, non tantùm permittente, sed & sumtibus immodicis ac omni studio juvante Imperatore, Christianæ religionis proditore & perditore, sed prohibente Deo, volentibus, insigne justitiæ divinæ habemus documentum. Sed & veritatis à Christo de urbis illius excidio & conculcatione prædictæ exemplum videmus. Cometæ huic successisse læta, ipse Ammianus, qui ex industria Cometas contemplatur, perhibet. Commemoratis enim quibusdam motibus domesticis; *His ita*, inquit, *tristibus lætum aliud addebatur, missos à Jovino* (magistro equitum) *milites adventare, quos capita Scholarum ordo Castrensis appellat, nunciantes æquo animo Joviani imperium amplecti exercitum Gallicanum.* Et mox Jovianum Ancyram & consulatum iniisse, & paratis ad pompam pro tempore necessariis in curuli Sella ex more vectum esse refert. Et Jovianus quidem paulò *post à viso* Cometes sidere mortuus est. Sed non longè post Valentinianus Imperator *filio cognomine* auctus est. Calvisius & Sigonius ad ann. 366. Et *is quidem commemoratis rebus*

bus contra Alemannos prosperè per Jovinum gestis, testatur Valentinianum ei Parisios redeunti lætum obviam processisse, & cumulatum inde lætitiæ Germanicæ fructum esse, quod per eosdem dies Procopii (æmulus is & invasor tyrannidis fuerat) caput à Valente transmissum advenerit. Et Valentiniani quidem Senioris imperium moderatum, ipsis etiam Arianis æquum, & licet judiciorum severitate asperum, tamen rebus ubique præclarè & feliciter gestis lætum fuit. At fratris ejus Valentis, hominis, ut Ammianus judicat, subrustici, turgidi, avari, in crudelitatem proclivioris, Arianâ labe infecti, genius atrox & tristis extitit. Valentinianus Anno 367. morbo liberatus Gratianum, licet impuberem, exercitu læto consentiente, non Cæsarem, sed novo exemplo Imperatorem renunciat, & coronâ ac Augustalibus ornamentis inductum osculatus, *En habes*, inquit, *mi Gratiane! amictus Augustos, meo commilitonumque nostrorum arbitrio, ominibus faustis delatos.* Plures eventus lætos, ut res prosperè in Britannia & Gallia gestas Anno 367. & 368. apud Sigonium, sed & apud Ammianum l. 27. videre licet.

LXXXVIII. *Anno Christi 370. Cometa per spatium septimanarum 11. in Ariete fulsit. Hunc terræ motus per totum ferè terrarum orbem secutus est. Tempestates & inundationes tantæ famesque dira paulò post ortæ sunt, ut mare littus egressum sit, atquè ita Sicilia multarumque insularum urbes, innumerabilesque populi oppressi sint. Valentinianus Augustus Saxones in terra Francorum oppressit. Theodosius bellum gessit contra Germanos, Silesii contra Ungaros. Imperator Valentinianus 17. Novemb. anno 379. mortuus est. Valens Imperator, postquam contra Christianos anno 381. magnam tyrannidem exercuit, in pugna contra Gottos graviter vulneratus est, inque villam rustici cujusdam à suis deportatus, & in ea ab hostibus eum persequentibus combustus est. Gratianus manus conferens cum Germanis, 30000. Germanorum propè Argentoratum interfecit.* Rockenbachius.

SEquitur Funccium Rockenbachius in putandis annorum Christi rationibus, & hunc Cometam novennio præcessisse Valentiniani mortem memorat. Attamen hanc etiam, imò & quæ Anno 382. gesta sunt, ad eum parùm providè refert. Reliqui illi Chronologi & Historici mortem Valentiniani in Ann. Christi 375. (377.) referunt. Has rationes si Funccianis & Rockenbachianis applicem, Cometa iste in Ann. Christi 366. (368.) ponendus foret. Et certè eventus à Rockenbachio annotati secundum Calvisium ab Anno. 365. ad ann. 379. extenduntur. Horum nonnullos ad proximum Cometam annotavimus & mixtos fuisse vidimus. Sed unde Rockenbachius hunc Cometam desumserit ignoro. Valens crudelitatis ob conscientiam & diversum in religione sensum exercitæ pœnas, 12. anno ab apparitione Cometæ secundum Rockenbachium tulit. Ita hæc potiùs iniquitas sacra jura majestatis divinæ, & ipsâm ejus, ut piè & prudenter Maximilianus 2. Imp. dixit, regiam invadens, quàm Cometa, isque tàm longè dissitus, divinæ vindictæ ictum Valenti portendit. Sed nos mox viciniorem dabimus Rockenbachio Cometam.

LXXXIX. *Anno Christi 375. diebus paucissimis ante mortem Valentiniani Imperatoris celsorum arsêre crinita sidera Cometarum.* Eckstormius ex Ammiano Marcellino.

VErba Ammiani ita se habent: *Diebus ante paucissimis ruinas fortunarum indomitarum celsarum arsêre crinita sidera Cometarum, quorum originem suprà docuimus.* l. 30. Sequentium temporum historiam Ammianus l. 31. auspicatur his verbis: *Interea Christianæ volubilis rota adversa prosperis semper alternans, Bellonam furiis in ætatem ascitis armabat.* Ita hoc etiam teste Cometam illum læta & tristia secuta sunt. Sigonius eum pariter in Annum 375. mortem verò Valentis in 378. refert. Hæc in eundem annum à Bucholzero, Calvisio, Helvico, Alstedio, Petavio & aliis ponitur. At hanc lene & benignum

benignum Gratiani, & mox ab anno 379, Theodoſii illius M. Principis laudatiſſimi, pacatum & amabile, repreſſis Arianis, excepit imperium. Res quoque contrà hoſtes, Valentis ſacrâ perſecutione coërcitâ, melius geſtæ ſunt. Nam & Germanorum tumultus oppreſſi, & Gotthi ſive Getæ victi, in gratiam recepti, & ad vitam quietè degendam per certa Imperii loca diſpoſiti ſunt. Parum tamen, ut poſtea exitus docuit, provido conſilio, & manifeſto documento barbarorum ſocietatem magnoperè cavendam eſſe. Quòd Valens, ut diſſentientium in fide perſecutor, ita parùm felix bellator, quia & magnarum opum intemperans appetitor, & laborum impatiens, nec bellicis ſtudiis eruditus, teſte Amiano, domare Gotthos non potuerit, imo ab iis diuturno & gravi bello fatigatus, tandem & clade, quâ Romanis nulla poſt Cannenſem, judicibus Ammiano, Sigonio & Alſtedio, exitialior fuit, affectus, miſerè perierit, docemur vitia hominum exitium eis, niſi ea exuant & abjiciant, certo portendere. Domitis Gotthis & contrà Scotos, Britanniam incurſantes, res proſperè geſta eſt.

XC. *Anno Chriſti* 377. *Cometâ facto, factus eſt terræ motus ferè per totum orbem, adeò ut mare egrederetur litora, & multæ urbes, innumerique populi opprimerentur.* Alſtedius.

SI motum hnnc terræ attendamus, Cometa iſte idem erit cum Rockenbachiano, qui nobis eſt N°. LXXXVIII. Talis enim motus terræ circà tempus ab Alſtedio poſitum non invenitur. Sed refertur à Funccio, ut vidimus in Anno Chriſti 369. à Sigonio in 365. à Calviſio, imò & ab ipſo Alſtedio Chronol. pag. 299. in 367. Si conjecturis locus eſt, puto in Alſtedio Cometam N°. 17. in Anno Chriſti 363. hunc autem N°. 18. in 367. vulgarem ponendum eſſe. In tanto tamen ſententiæ incerto, malui diſtinctè hunc Cometen annotare. Ut taceam me alieni erroris culpam præſtare non debere. Sed quocunquè Cometes ponatur loco, non dubito tàm læta quàm triſtia, tito illo viciſſitudinis rerum humanarum, ut ſic dicam, tramite, eum anteceſſiſſe & ſecuta eſſe.

XCI. *Anno Chriſti* 380. *Stella viſu mirabilis rotundæque figuræ, majorque Planeta Venere, quæque totum Horizontem illuſtravit, in ſigno Libræ, per ſpacium 4. menſium, à principio videlicet menſis Maji uſquè ad Septembrem ardens, conſpecta eſt. Hunc in Mauritania bella maxima & devaſtationes urbium horrendæ ſunt ſecutæ: Hæreticus potentiſſimus in Regem eſt electus: Siccitas aëris, caritas annonæ maxima, bella rumoreſque bellorum, peſtilentia, per aliquot annos durantia, ſunt ſecuta, tantaque hominum multitudo & pecorum mortua eſt, ut numerus illorum certus aſſignari ab hiſtoricis non potuerit.* Rockenbachius.

SOlus Rockenbachius hunc Cometam, eumque eximium memorat. Quadrimeſtris enim fuit. Quo temporis ſpatio pauci luxerunt, quos ſuo tempore, Deo volente, videbimus. Eventus ei aſſignatos apud nullum tot Auctorum invenio. Bella tunc, memorante Funccio, geſta ſunt aëria inter Francos & Romanos, hos & Gotthos, Longobardos & Vandalos, Hunnos & Gotthos: poſtea verò inter Theodoſium M. & Maximum. At is, qui pacis artibus dedito, & hoſtem pravo conſilio contemnente Imperatore Gratiano occiſo, & Valentiniano fugato, tyrannidem invaſerat, & Victorem filium Auguſtum fecerat, meritas arrogantiæ & perduellionis pœnas cum filio tulit. Sed de bellis illis in Mauritania (niſi Mœſia vel Macedonia forte legi debeat) maximis nil comperi. Ita nec de devaſtationibus horrendis urbium, præterquam quas belli iniquitas ſive adſit, ſive abſit, Cometa ſecum fert. Nec de ſiccitate aëris, fame, bellis, rumoribus bellorum, & peſtilentia, eaque maxima, aliquot annorum ſpatio durantibus, quidquam pariter invenio. Ipſe Funccius, Rockenbachii qui hæc memorat, magiſter, nil de his habet, ut nec Sigonius, nec Calviſius, qui talia diligenter annotare ſolent. Sed nec Alſtedius, in ejuſmodi tragicis caſibus annotandis præ cæteris

teris ſedulus, quicquam de his ad annum 380. vel circiter habet. Nequè etiam divinare poſſum quem intelligi Rockenbachius velit per potentiſſimum hæreticum, illâ tempeſtate in regem electum. Itaque hos eventus Rockenbachio relinquimus, ſatis certi talia frequentiſſimè abſque Cometis in orbe hîc vel illîc accidere. Sed ſi quis temporum illorum rationem & rerum faciem rubore quidem multorum malorum, ut ſit ſemper, ſuffuſam, plurium tamen bonorum præſentiâ lætam videre velit, adeat Sextum Aurelium Victorem præclarum & in Republica verſatum ævi illius Scriptorem. Videbit apud eum Theodoſii fortitudinem, clementiam, modeſtiam, bonorum & literatorum amorem, Reipublicæ ſtudium, iracundiæ moderationem, & alias virtutes, quibus optimum quoque Principum Trajanum ſuperavit. Ideo & ipſam cupidinem triumphandi uſquè eò deteſtatus fuerat, ut bella non moverit, ſed invenerit, & pacem coluerit. Pomponius Lætus lætum ejus principatum ab Anno 381. vero (ut Helvicus & Alſtedius affirmant) vel 383. ſecundùm Funccium, id eſt, paulò poſt viſum Cometam, verbis memorabilibus deſcribit: Hæc meritò hîc pono, tanquam ea quæ Cometam proximè ſecuta, & omnibus Principibus ſequenda ſunt. *Ille*, inquit, *labentem Rempublicam in priſtinas vires reſtituit: ſub hoc imperium Romanum, quod otio & negligentiâ trium principum conſenuerat, diſſenſione partium dilaceratum, velut rejuveneſcens lacertos movit. Ille pacatâ Europâ, ad Indos uſque arma intulit: hic prius auſpiciis atquè armis paternis aſſertâ Libyâ, attritâ bellicoſâ Germanorum gente, datâque ſuâ virtute toto Orienti pace, poſtremò ſubactis ardentiſſimis Gallis, non omiſſâ Britanniâ, parenti gentium urbi, Italiæque ſuæ, victrices aquilas reportavit: ſubque eo fortunæ ſimulacrum ruſquam prætorium mutavit.* Vide & Aventini & Egnatii & Sigonii Theodoſium. Is geſta ejus facundo ſtilo explicans, *Servatorem Orientis* eum fuiſſe docet. Itaque Cometa iſte non tantùm Theodoſio, ſed & toti Imperio conſervato auſpicatiſſimus extitit.

XCII. *Anno Chriſti* 383. *ſub Theodoſio Cometa illi Hieroſolymitano ſimilis fulſit.* Riccius ex Prætorio.

Anno Chriſti 383. *Cometa Lucifero ſimilis, qui à gladii ſimilitudine Xiphias appellatur, inter alia mala invaſionem Eugenii portendit.* Alſtedius.

LIcet ſuſpicari iſtum Cometam non rectè hîc poſitum eſſe, & ponendum eſſe in annum 393. ſicut ab aliis idem vel ſimilis Cometa ponitur. Sed duobus magnis auctoribus contradicere nolo, niſi quòd Eugenii invaſio integro decennio poſterior ſit, ut omnes auctores uno ore docent.

XCIII. *Anno Chriſti* 384. *Theodoſio & Gratiano imperante Cometa, columnæ per omnia ſimilis, aliquandiu conſpectus eſt. Hoc tempore Gothi & Vandali in Thraciam irruperunt, quos tamen Imperator Theodoſius, prope Conſtantinopolim repreſſit. Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, & Athanaricus Rex Gothorum mortui ſunt. Synodus Conſtantinopoli eſt habita. Gratianus Lugduni, à Maximo Præfecto Galliæ, anno ætatis ſuæ 29. interfectus eſt, ſed paulò poſt eodem modo & Maximus interfectus eſt.* Rockenbachius.

NUllus Auctorum, quos habeo, hunc Cometam annotavit. Neque verò videtur idem eſſe cum proximo, ſicut ex utriuſque deſcriptione patet. Dicerem errorem in annotando anno à Rockenbachio commiſſum eſſe. Talem enim Cometam ad ann. 394. magiſter ejus Funccius deſcribit, quem infrà videbimus. Sed eventus à Rockenbachio annotati illis temporibus non conveniunt. Adhæc ipſe Rockenbachius illum Cometam deſcribit & ab hoc diſtinguit. Huic verò adſcribit quæ infrà novem annos evenerunt. Hæc jam ſuprà vidimus, ſed & pluria ejuſdem generis. Homines in orbe naſci, mori, bello & paci ſtudere, perpetuum eſt. Hîc iterum miror, quam ob cauſam Rockenbachius Synodum Conſtantinopolitanam, ſi non illam Oecumenicam (quam Funccius in A. C. 385. Ado, Sigonius, Bucholzerus, Petavius, Calvi-

Calvisius Helvicus & Wichmannus in 381. Pantaleon in 833. Alstedius in 380. collocat) certè illam tertio ab hac anno jussu Theodosii Imperatoris habitam, quam Funcius in Ann. 387. Sigonius Calvisius & Alstedius in 383. ponunt.

XCIV. *Anno Christi* 386. *visus ille Cometes, de quo Claudianus in Panegyri Honorii.* Ricciolus.

LÆtus is annus fuit Consulatu Honorii Nobilissimi pueri, & victoria auspiciis patris ejus Theodosii de Grutingis Scythica natione obtenta, quam & Ausonius & Claudianus, uterque celeberrimi Poëtæ, sed ille Christianus, hic Ethnicus prædicat. Paulò vero post Theodosius Gallam Valentiniani sororem conjugio sibi junxit: & victor Magnus Maximi & sociorum ejus Valentiniano imperium restituit: ac mox cum Honorio & Valentiniano Romam cum triumpho init.

XCV. *Anno Christi* 389. *Cometa à Septentrione oriens, inque modum Luciferi ardens, in Signo Geminorum per* 20. *dies flagrans apparuit. Hunc grando crepitans per biduum continuum, multum damni pecudibus, arboribusque dedit. Longobardi Algemundum, Aaronis filium, ducibus eorum defunctis regem crearunt. Templum Serapidis apud Alexandriam, edicto Theodosii Imperatoris solutum est. Seditione Thessalonicæ orta, multi strenui Viri unà cum hominibus plebeis tunc temporis interfecti sunt. Inde Theodosius occasionem captans, aliquot millia militum eò misit,* 70^m *hominum interfecta sunt. Ambrosius autem tyrannidem Imperatoris rescíscens, eum banno tradidit.* Rockenbachius.

MEminit hujus Cometæ Keckermannus ex Lavatero, ut puto, qui mihi ad manum non est. Refert eum die vicesimo disparuisse circa caudam Ursæ majoris, & magnas clades denunciasse. Syst. Phys. l. 6. c. 5. Alstedius ad hunc annum Cometam Numero 20. ponit. Sed is in ann. 399. fortè & proximus ab eo in ann. 383. relatus in 393. referendus est. Quâ de re mox pluribus agemus. Quod ad eventus à Rockenbachio notatos attinet, talia non necessariò Cometam, nec sola sequi, suprà demonstravimus.

XCVI. *Anno Christi* 390. *ferè visus Cometa ille, quem Proclus, ut habet Peucerus apud Tychonem tom.* 1. *p.* 619. *&* 625. *& Cysatus p.* 56. *supra Jovem vidit.* Ricciolus.

XCVII. *Longè celeberrimus est is, qui paulò ante strangulationem Valentinianam, quæ accidit Maji Idibus Anno Christi* 392. Ricciolus: *qui & totam ejus historiam ex Niceph. l. 12. c. 37. recitat: Et infrà † inter eos ponit, qui ab Ortu in Occasum perrexerunt.

Anno Christi 393. *Inopinata & insolens stella in cælo, mediæ noctis tempore prope Luciferum refulgens, apparuit circa eum ipsum, qui Zodiacus dicitur, Circulum. Radiis & luce non admodum Lucifero cessit. Continuò ad illam alia vis stellarum aggregabatur. Spectaculum si vidisses, apum examini circà ducem suum in orbem obvolitantium contulisses. Quæ velut ex mutua & violenta concussione ab omnibus eis emicuit lux, in unam quandam commissa flammam evadebat, & gladii ancipitis magni & horrendi, cum terrore quodam relucens, faciem reddebat. Hoc quidem visum novum reddebat spectaculum: sed motus ejus prorsus à stellarum omnium cursu differebat. Primò enim ex eo loco, unde moveri incipiebat, cum oriebatur & occidebat, deinde paulatim ab illo absistens, seniter & pedetentim quasi ad ursas conversum cursum tenebat, & velut ad spectantes obliquè ad sinistram suâ gradiebatur viâ. Ambitum quidem eundem cum stellis aliis, ad quas accesserat, communem perficiebat. Proprio autem motu, qui ad quadragesimum

* Almag. l. 8. sect. 1. cap. 3. N. 11. † C. 4. N. x.

productus

productus est diem, vix tandem majorem Ursam attigit, atquè in media astri istius parte postremò effulgens evanuit. Nicephorus lib. 12. 3. 37. *Anno sequente hunc Cometen, occisus est Fl. Eugenius Imperator Occidentis, cui successit Fl. Honorius Theodosii filius.* Eckstormius.

ROckenbachius quoque istum Cometam Anno 393. prope Luciferum circà Zodiacum in signo Cancri 40. diebus fulsisse refert, & mala ac bella cruenta plurima portendisse ait. Nisi Cometa ille anni 383. iste ipse sit, saltem Eugenii invasio, ut ibi dixi, hùc est referenda, ut benè putat Eckstormius. Sed & Ricciolus prudenter dubitat, unde illam rem, adeò fidenter recitatam, quasi oculis suis visam habeat Nicephorus, cum vix antiquior sit Anno 1300. ut ex epistola historiæ dedicatoria colligitur. Luctuosus ille fuit Valentiniani casus, cujus auctor non Eugenius (ut Funccius refert) licet sceleris conscius, sed Arbogastes Gallus fuit. Hic Comitis in Aula locum propter insignem belli peritiam adeptus, & potentiæ, ipsi Majestati verendæ nimius, Valentinianum hanc reprimere volentem, apud Viennam Galliæ insigni perfidiâ strangulavit; homo non tantùm extremè ingratus, sed & parricida in Principem. Cujus morte, eo nomine plurimùm doluit, celeberrimus ille Mediolanensis Antistes Ambrosius epist. ad Theodosium, *quod exsors baptismatis, ut ait, excesserit, more tunc consueto. De quo Sigonius de Occid. Imperio l. 5. ad ann. 350. l. 9. ad ann. 392. & alibi. Sed quis sortem mortalium, etiam Virorum Principum, ignorat? Notum verò etiam est, è vestigio his tristibus læta successisse. Anno Christi 393. Theodosius Honorium filium suum Augustum appellavit, & consortem unà cum Arcadio Imperii Orientalis fecit †, maximâ cum populi lætitia, quam Claudianus descripsit. Anno verò sequente idem Theodosius memorabilem illam victoriam, militante ei æthere & ventis, ut ille ‡ ait, conjuratis ad classica venientibus, & pro eo quasi sponte carceris Æolii cedente obice erupissent, ut Pomponius Lætus ait, contra Eugenium Imperii invasorem & Arbogasten parricidam pugnantibus sibi peperit. Mox triumphum cum Honorio reportavit, ac victoriâ benignè usus est. Nam cùm Eugenium belli impetus, Arbogasten propria manus scelerata abstuliset, filiis hostium clementer ignovit, & sortem lætam reddidit. Egregiè Pomponius Lætus: *Victor ingenti gloriâ potitus, amplissimo triumpho liberati orbis, subactis undique domitisque tyrannis, administrationi reipublicæ animum adjecit.*

* Vid. Aventin. Annal. Boj. l. 2. p. 154: 155. † Vid. Sigon. de Occid. Imp. l. 9. ad ann. 393. ‡ Claudian.

XCVIII. *Anno Christi 394. stella quasi columna, velut aliqui volunt, columba ardens, teste Prospero in cælo ardens, lucifero non dissimilis versus Septentrionem, prope Luciferum in Zodiaco apparuit, perque dies 30. flagravit. Mox eodem mense, magna atquè cruenta seditio in Antiochia propter tributum à Theodosio extraordinariè impositum, orta est.* Rockenbachius.

FUnccius ad hunc annum, Calvisius ad 390. hoc phœnomenon refert. Is etiam seditionem illam Antiochenam in ann. 383. ponit. Ejusmodi seditiones & longè graviores sine ullis Cometis in orbe accidere notissimum, & à nobis suprà demonstratum est. Tributum illud insolens & alia quæ sæpè à Principibus vel Ministris eorum fiunt, cum oppressione aviti juris & subjectorum, si vel nullus conspiciatur Cometes, motus populi, præsertim libertati innutriti, portendunt.

XCIX. *Anno Christi 396. teste Aretio, Cometa apparuit. Hic mala multa & bella cruenta hominibus portendit. Theodosius non tantùm cum seditiosis & latronibus, de Imperio Romano certare, sed etiam Christianos defendere hoc tempore coactus fuit. Hanc ob causam ex Thracia in Italiam, quam Eugenius, magnâ hominum multitudine occupare voluit, cum exercitu suo profectus est, eumque ventorum turbine maximo orto in pugna victis,*

vicit, in hac pugna Eugenius captus, & à militibus capite plexus est. Argobastus autem seipsum interfecit.

Anno Christi 398. *Valentinianus Imperator, postquam strangulatus est à suis cubiculariis, instinctu Eugenii & Argobasti, Franci in Galliam cum exercitu magno profecti sunt, duodecimque millia Gallorum interfecerunt. Franci nolentes solvere tributum Valentiniano Imperatori, ultrà Rhenum in ditionem Romanorum irruerunt, Nanenus autem & Quitinus præfecti Civitatum Romanarum ex improviso Moguntiæ & in ditione Trevirensi opprimuntur, atquè in fugam usque ad sylvam Juliacensem vertuntur.* Rockenbachius.

MEminit & Ricciolus ad eundem annum visi supra Constantinopolin phœnomeni, flammæ scilicet ab Oriente venientis cum odore sulphureo urbi impendentis, quam describit August. l. de excidio Urbis. Sed ei non videtur Cometa fuisse. An de eodem phœnomeno uterque loquantur, non habeo dicere. In utramque enim partem vero similes non desunt rationes. Hinc unus annus & par portentum occurrit. Illinc animum subit non vana cogitatio, potuisse ad Constantinopolin hoc, alibi aliud phœnomenon videri. Ita distinguenda hæc forent. Temerè tamen id facere noluimus. Eventus quod attinet à Rockenbachio proditos, vidimus talia & longè atrociora ante Cometas geri, itaque nullo vinculo necessitatis alligari Cometis posse. Non leviter hìc Rockenbachius seriem temporum turbat. Mortem enim Valentiniani morti Eugenii & Arbogastis ejus interfectoris postponit, & in ann. 398. ponit, non satis, ut mihi videtur, rationes Funccii Magistri secutus. Cùm enim secundùm ejus computationem Theodosius contra Eugenium Anno Christi 398. pugnârit, inter mortem verò Valentiniani & pugnam, magno pietatis, demùm belli paratu instructam biennium & quatuor ferè menses effluxerint, docente Bucholzero, Calvisio & Sigonio, necessariò mors Valentiniani collocanda erit secundùm Funccium in annum 396. Coss. Arcadium II. & Rufinum, quibus eum periisse Calvisius, Petavius & Sigonius affirmant. In hoc postremo porrò, licet ejus diligentiam & stilum florentem & nitidum singulari laude & cultu prosequar, animadverto non levem errorem, dum Valentinianum anno ætatis vicesimo periisse dicit. Cùm enim natalem ejus in Ann. 366. mortem verò in 392. ponat, clarum est eum Valentiniano viginti sex annos circiter tribuere. Alioquin eum Anno 386. periisse dicendum illi foret. Atqui & Calvisius ex Fastis Siculis, & Petavius ex Idatio Anno 366. 18. Januarii natum, Anno 375. decennem (quod & ipse Sigonius ad annum 375. testatur) imperii insignibus decoratum, Anno 392. necatum asserunt. In eundem annum Onuphrius & Bucholzerus mortem ejus ponit. Et iste quidem annos imperii 16. m. 5. d. 24. ei tribuit. Helvicus & Alstedius in genere 17. annis imperium ejus circumscribunt. Itaque ex consentientibus tot præstantissimorum Chronologorum rationibus colligo firmiter Valentinianum Anno 366. (368.) 18. Januarii natum, Anno 375. (377.) ætatis decimo (secundùm Sextum Aurelium Victorem, quarto) 22. Nov. Augustum creatum, Anno 392. (394.) imperii decimo septimo, ætatis vicesimo septimo currente, die 15. Maji periisse. Nec accedo Egnatio, qui Valentinianum Eugenii tyranni dolis victum, laqueo seipsum necasse perhibet. Artibus enim Arbogastis, conscio tamen Eugenio, egregius Imperator cecidit.

C. *Anno Christi* 399. *horribilis Cometa arsit tempore Arcadii Imperatoris, cùm Gainas in urbem Imperatoriam irrupisset, & vastationem toti Romanorum regno inferre constituisset. Cometa fuit prodigiosæ magnitudinis, horribili aspectu, comam ad terram propè usque demittere visus, ex quo periculum ingens civitati portendi existimatum est.* Eckstormius ex Socrate, Sozomenide & Nicephoro, qui Cometam tradit ensis formam retulisse. l. 13. c. 6.

RIcciolus ex iisdem Auctoribus hunc Cometam memorat. Hi testantur talem nunquam antea visum esse, & ad terram usque pertigisse. Baronius ibidem apud

Ricciolum

Ricciolum in annum 400. Cometam refert. Eodem anno Funccius terræ motum fuisse & cælum arsisse testatur. De hac, ut puto, stella crinita Sigonius ad ann. Christi 401. scribit, memoratis Ruffini, Gildonis & Gainæ Comitum motibus, & Gothorum tùm excursionibus & rapinis in Oriente, tùm invasionibus in Dalmatiam & Pannoniam factis, ac decreta ad Italiam invadendam & Romam diripiendam expeditione cum totius Italiæ pavore conjuncta: *Auxêre etiam pavorem*, inquit *, *prodigia multa, quæ paulò ante minimè, ut fit, animadversa, nunc in omnem tristiorem partem à solicitis rerum futurarum mentibus trahebantur. Nam & insignes Solis, Lunæque defectiones inciderant, & stella crinita conspecta fuerat, quæ ab ortu Solis versùs Aquilonem profecta evanuerat, & grandines inusitatæ magnitudinis è cælo ceciderant, & loca multa tacta fulminibus fuerant, & multis in partibus fœda ædificiorum incendia casu evenerant.* Innuit enim Cometam, ut & alia prodigia, paulò ante visa esse. Eleganter verò & prudenter simul calamitosi illius temporis historiam pertexens, & librum 10. inchoans, à morte Theodosii simul etiam robur ac dignitatem ipsius titubare Imperii cœpisse judicat. Et mox horum malorum portenta non in cælo inter stellas, sed in terra inter homines ostendens, factum id esse tàm Imperatorum Arcadii & Honorii ætatis, illius juvenilis, hujus puerilis, quàm Tutorum Rufini & Stiliconis, tùm pro libidine omnia agentium, tùm discordium inter se, vitio, accedentibus insuper barbarorum ferocium invasionibus, deducit. Videat, qui volet, hæc vitiorum populi Romani tum Constantini M. & filiorum ejus portenta Reipublicæ fatalia apud Zosimum l. 1. & 2. Neque tamen Sigonius negat rem prosperè in Oriente contra Gotthos & Rufinum gestam, pacem Francis, Suevis & Alemanis imperatam, fœdus cum Francis pactum, tùm Gildonem in Africa, Gainam in Thracia oppressum, Mazescelem Gildone, fratre perduelli & crudeli, cæso ingenti victoriâ decoratum, eximiâ omnes lætitiâ cumulatos fuisse. *Nam Urbs*, inquit, † *atque Italia tota ingenti annonæ difficultate levata est. Senatus eo nomine Honorio triumphum decrevit.* Ut præteream nuptias Honorii cum Maria filia Stiliconis, ruinam Eutropii, hominis pagani, avari & arrogantis, natales Placidiæ & Theodosii Junioris, & alia urbi & imperio læta. Dehinc Anno Christi 400. multæ & graves barbarorum incursiones Imperium Romanum afflixerunt. Verumtamen illi ipsi quoque memorabilibus cladibus attriti, Romani verò inter tot acerba, divinæ providentiæ argumenta multa experti sunt. Non esse autem hîc spectandas ullas Cometarum vires, sed solitas rerum humanarum vices, prudenter Sigonius, factâ Cometæ mentione, Gotthorum in Italiam irruptioni sequentia Imperii mala tribuit. Hanc verò Zosimus imprudentiæ Constantini M. necessario militum præsidio limites imperii nudantis, Sigonius paulò ante facilitati Valentis barbarorum arma sibi sociantis tribuit. Hæc sunt illa malorum portenta. Ideò hîc Sigonius ait: *Hunc in modum, quæ omnibus ante esse formidini solita fuerat, ipsa immanem ex ultima barbarie gentem* (Gotthicam) *horrere demùm Italia cœpit, ita ut ab hoc tempore usque ad Caroli M. Imperium omnium calamitatum aut præsentium terrestu, aut impendentium metu perculsa, nunquam quieverit, verùm humanorum malorum extrema omnia passa sit. Atque Ecclesia Dei, quæ paulò ante constituta per Constantinum inde per annos centum in aliqua esse dignitate ac potentia cœperat, maximam ex omni parte jacturam, labemque contraxerit.* Magnum verò lætitiæ argumentum præbuit tunc magnanimus Stilico, qui Rhætos aliosque Alpinos populos, metu vel fiduciâ Gotthorum tumultuantes, missâ delecta militis manu, & mox insperato adventu suo, ad officium redegit, ac è vestigio Honorio Imperatori genero suo Hastæ obsesso, tempestive cum exercitu ex Rhætia reducto, & legionibus Gallicos & Britannicos limites custodientibus contractis advolavit, atque secum Urbi Romæ & toti Italiæ solatium & lætitiam attulit. Mox verò ad Pollentiam rem à Duce pagano (alii Judæum vocant) cui Sabbati nomen erat, improvidè gestam restituit, & memorabilem de Gotthis retulit victoriam. *Captivi Italici omnes recepti* (verba sunt Sigonii) *& castra Gotthorum opulentissima capta, tantaque præda parta, ut damna sarcire à Gotthis per multos ante annos illata potuerit. Inter cæteros nurus etiam Alarici venerat in potestatem.* Mox hoste, ne desperatione virtus acueretur, dimisso, & fœderis nexu devincto, pacem Imperio reddidit. Cùm autem

* L. 10. de Occid. Imp. ad ann. 401. † L. 10. de Occid. Imp. ad ann. 398.

hostis

hostis iterum fortunam belli tentaret, eundem, ut perfidum, maximâ clade affecit, & ad fugam arripiendam coëgit. Porrò quum Honorius Anno 403. Ravennam venisset, *ibi Legati Romani eum convenerunt*, (iterum verba Sigonii exscribo) *ac victoriam Gothicam gratulati, Senatûs nomine petiverunt, ut Romam post multos annos revisere, & triumpho nobilissimo acto, civitati antiquam formam, & meritum honorem restituere, atque ibi felicissima sua decennalia solvere vellet. Justis Senatûs precibus Honorius nihil abnuit. Itaque Ravennâ digressus, per Umbriam iter suscepit, ac demùm ab omnibus civitatibus præ rei actæ lætitia gestientibus incredibili gratulatione receptus, ad Urbem venit. Assiduus ante constitutum triumpho diem per noctem imber effusus, vehementer animos Romanorum in spem splendidissimæ spectandæ pompæ erectos, aliqua ex parte turbavit. Verùm mox subsequuta matutina serenitas pristinam Urbi hilaritatem, civibusque perceptæ fructum lætitiæ retulit.* Ut taceam reliqua magnificentiæ & lætitiæ publicæ argumenta, nisi addam, pacem tunc cum Alarico fuisse constitutam.

CI. *Anno Christi 405. post obitum Rufini, Tutoris Arcadii, filii Imperatoris Theodosii, Capitaneus Gotthorum, Cainus dictus, natione Arianus, contra Arcadium denuò seditionem movit, in qua Deus Urbem Constantinopolin, Arcadiumque conservavit. Cometa formam gladii referens, flammasque igneas usque ad terram spargens, visus est, de quo Historici scribunt, terribiliorem hôc à nemine nullum antea visum esse. Radagisus, anno post Cometam Christi 406. bis millena millia Gotthorum in Italiam duxit. Quia autem fames tantam hominum multitudinem afflixit, dissipati tandem, & à Stilicone oppressi sunt. Radagisus in fuga deprehensus, à militibus deinde strangulatus est. Chrysostomo miserè in finibus Armeniæ Anno Christi 411. mortuo.* Rockenbachius.

Anno Christi 405. quo Stilico Getas vicit, Cometes apparuit à Claudiano descriptus in poëmate de bello Getico. Ricciol. Is infra hunc Cometen ab Oriente versùs Occidentem, sed obliquè tranasse, & mox ex Claudiani descriptione ab ortu æstivo, aut citra per Ursas in Occasum perrexisse ait.

VIdetur Rockenbachius hunc Cometam cum illo circa ann. 400. viso confundere, quatuor annis ultrà aliorum rationes cum Funccio excurrens. Verumtamen in eundem annum 405. Ricciolus accuratè descriptum, sed & Alstedius refert Cometam, quem Arcadii mortem (quæ in ann. 408. vulgo 410. verum refertur) significasse ait. Nec mirum Arcadium intrà triennium à viso Cometa mortuum. Colligo enim eundem paulò post Cometam, quem Anno 365. lucentem vidimus, natum esse, utpote qui Theodosio rebus humanis 395. exemto, annum decimum nonum, teste Sigonio, vel decimum octavum teste Petavio, agebat. Rufini & Caini sive Cajani (qui & Gaina) singulari gratiâ Imperatoris ad libidinem & tyrannidem abutentium, casum superiùs vidimus. Illius enim mors in Ann. 395. hujus in 400. incidit, ut affirmant Sigonius, Calvisius, Petavius & alii. Quod ad invasionem Radagasi, quam memorat Rockenbachius, attinet, hæc quidem à Pantaleone in ann. Chr. circiter 402. à Blondo in in 404. à Funccio in 409. sed à Prospero, Bucholzero, Calvisio & Sigonio in annum 405. ab Alstedio in 407. verum scilicet refertur. Terribilis ea sanè initiò fuit, cum se quadringenta armatorum millia, ut Zosimus, saltem ducenta (ut Orosius, Marcellinus, & ex his reliqui habent) Italiæ ab incursione Gothica ægrè respiranti, infuderunt. Sed mox immensa illa multitudo, quæ sibi ipsi gravis fame quotidie atterebatur, centum millium clade, idquè sine ullo Romani sanguinis impendio, ad Florentiam felici & veloci Stiliconis virtute affecta, & Fæsulas capto & interemto cum filiis duce, ad deditionem coacta, vili pretio vendita, tandem morbis ex diuturna inedia & pravitate ciborum contractis deleta est. Ita hæc res & Florentiæ arctâ obsidione pressæ, & Romæ trepidanti, & toti Italiæ afflictæ læta erasit. Paulò post Vandali & Alani assumtâ multarum gentium vi anno 406. exeunte Trajecto Rheno Galliam iniverunt, & hostili potentiâ inundarunt. Anno autem 407.

Bri-

Britannicus miles primò Marcum, dein Gratianum, tùm his non juſtius occiſis quam ad Auguſtam dignitatem evecti erant, Conſtantinum quendam Imperatorem eligunt, qui totam Galliam peragravit & Arelate ſedem cum Conſtante filio, quem Cæſarem fecerat, fixit. Inter hæc Alaricus cum magnis Gotthorum copiis ex Epiro in Pannoniam & Noricum ingreſſus, quum rem ex compacto cum Stilicone ageret, eo procurante pacem iniquam & fidem lubricam Romæ, vitam auro redimenti, ut Hieronymus ait, magno vendidit pretio. Concuſſus & Oriens Anno 408. morte Arcadii Imperatoris, qui filio Theodoſio octavum ætatis annum ingredienti, Regem Perſarum ex hoſte amicum, demùm ſocium, ſcripſit teſtamento tutorem, plus ei quàm fratri fidens. At magis extemplò concutiendus erat Oriens ambitioſis Stiliconis conſiliis, occidere Theodoſium & filio imperium tradere molientis. Sed hæc, rem Olympio Viro illuſtri dignitate, prudentiâ & fide prædito, vacuas Principis aures adepto detegente, oppreſſa ſunt. Ita tamen, ut hæc non tantùm Stiliconem eodem anno Kal. Septembribus Ravennæ, ut Sigonius & Petavius, vel Romæ, ut Pomponius Lætus ait, jugulatum; ſed & Occidentis Imperium à barbaris exhauſtum, tandem & oppreſſum perdiderint. Ita cecidit Stilico Imperatorum trium affinis, unius bis Socer (gratis enim id Pomponius Lætus in Theodoſio invitis omnibus ſcriptoribus negat) ac nulli, Imperatore excepto, ſecundus. Hunc conſcia inſolitæ felicitatis virtus & regiæ affinitatis confidentia, fortunæque nimiæ impatientia ad res in Imperio turbandas, & ſic piſcandum in turbida induxit. Adeò ejus perfidia eò nocentior quò occultior fuerat, & difficile illi fuit in ſumma fortuna tenere modum. Ambitio ejus credens ad invadendam in Oriente tyrannidem ſibi eſſe apertam portam, è veſtigio mortis portam apertam ineundam vidit. Verè Egnatius: *Si quam operam in perdendo ad Feſulas Radagaſo cum ducentis Gotthorum millibus præſtiterat, in aſſerendo Imperio præſtitiſſet, nec Romam Alaricus Gotthorum Rex unquam cepiſſet, nec orbem totum cladibus aſſiduis involviſſet.* Hic etiam viciſſitudinis rerum humanarum egregium exemplum habemus; ſed & monitum Principibus neceſſarium ac boni publici ſtudio obſervandum, ne quem ex Miniſtris unquam ad metuendam ſibi potentiam evehant. Rockenbachium quadriennio aliorum rationes excedere, docet Chryſoſtomi exemplum. Hunc enim ille Ann. Chriſti 411. at Bucholzerus veterum auctoritatem allegans, Calviſius, Helvicus, Petavius & alii Anno 407. mortuum ponunt. Itaque niſi Alſtedius & Ricciolus Cometam Anno 405. annotaſſent, ego hunc Rockenbachianum proximo adjungere non dubitaſſem.

CII. *Anno Chriſti 412. Cometa in ſigno Capricorni per ſpatium 4. menſium, ab æſtate mediâ uſque ad finem autumni viſus eſt. Quamvis aliqui fuerunt, qui dixerunt eam non eſſe ſtellam crinitam, ſed fulgorem quendam in cælo, & qui in comam non abiit, neque ſtellæ prorſus ſpeciem retulit, ſed lucernæ cujuſdam veluti magnam flammam. Motu quoque variaſſe ſcripſêre quidam. Nam eâ parte, quâ Sol per æquinoctium oritur, fulgor is moveri cœpit, & inde juxta eam, quæ in Urſæ cauda ſita eſt, ſtellam ultimam ſenſim evadens, ad Occidentem curſum tenuit. Poſtquam autem cælum eſt emenſus, motu ſuo 4. menſibus perfecto, evanuit. Hoc autem miraculum, ingentium bellorum, & incredibilis hominum interitus, indicium fuit. Terræ motus enim eſſe cœperunt, qui non facilè cum prioribus conferri potuerunt. Cum terræ motibus ignis quoque cælo quaſi rupto, lapſus eſt, ſalutis ſpem omnem præcidit, cladem tamen hominibus non intulit. Divina namque benignitas, vento vehementi demiſſo, & igni undiquaque provoluto, in mare projectus eſt. Tantique quoque terræ motus in locis multis fuerunt, ut laquearia & tecta ædium à ſeipſis magno cum ſonitu & fragore dirimi viſa ſint, ut qui intus in domibus fuerunt, clarè oculis cælum adſpicerent. Poſt rupturam autem ita rurſus ſunt ædibus conjuncta, ut nemini tàm novæ rei ſignificationem præbuerint. Arcadius Imperator Conſtantinopolitanus primo Maji hoc anno mortuus eſt. Roma hoc anno à Gothis, auctore Caſſiodoro, Blondo &, aliis vaſtata eſt poſt Arcadii mortem, Utice terra, per dies 7. mugitus edidit. Stilico, regnum Honorii Imperatoris affectans filio ſuo Eucherio, reipublicæ damnum intulit, barbaras gentes alias regno obtudens, alias conſenſu ſuo*

Figura faciem cursumq; Cometæ XCV (α) A.C. 389, nec non C11 (β) A.C. 413 secundum Rockenb. vel potius 408. exhibens.





suo fovens, unde rabies gravior, inprimis verò Vandalorum per Galliam orta est. Rockenbachius.

COmeta is in A. C. 408. ponendus est, hîc quoque Rockenbachio aliorum computationem quatuor annis excedente, duce Funccio. Docet me id annus mortis Arcadii, quem hoc anno, quo Cometa luxit, mortuum esse scribit. At Arcadius, ut ex aliis demonstravimus, A. C. 408. fatis cessit. Ita & Stilico, quem etiam Rockenbachius hîc loci interfectum memorat. Utriusque fatum paulò ante vidimus. Reliqui eventus à Rockenbachio annotati, rationibus nostris favent. Nam ingentem procellam cum terræ motu Constantinopolin concussisse ad ann. 407. apud Calvisium invenio. Apud Sigonium verò A. 409. vertente à morte Arcadii anno, illum terræ mugitum septem dierum auditum esse. Stiliconis mortem Eucherii filii mors *ab* Imperatore imperata, & paulò post Serenæ uxoris, Imperatoris, Sororis & *socrûs* de Gotthis ad urbem accitis suspectæ, à Senatu & Placidia Imperatoris Sorore decreta, secuta est. Sævitum & in Stiliconis familiares ac amicos: sed & in reliquorum barbarorum (qui Stiliconis patrocinio adhuc tuti inclinatis Christianorum rebus insultabant, eosque ad resumendam impietatem sollicitabant) uxores & liberos: ibi Imperatoriâ, hîc militari licentiâ. Utrumque 30_m. barbarorum militum ab Honorio avertit, & Alarico rebus ejus ex vicinia insidianti conciliavit. Inter tot tristia non deerant *divino munere læta. In Occidente* Sarus Honorii dux Inclytus Justinianum Constantini tyranni *ducem vicit. Romani* obsidionis Gotthicæ incommodis pressi pacem cum Alarico *faciunt, necessariam magis* quàm utilem vel honestam, aureis & argenteis hastis pugnantes. Magnâ enim vi auri atrocem hostem mœnibus accubuum repulerunt. Honorius ad consortium Imperii Constantinum ex necessitate admisit, & pace factâ promissâ suppetiarum retulit. Idem pacem ab Alarico oblatam habuit, sed propriâ culpâ, malo publico, stolido consilio, ut Sigonius & Petavius ajunt, sprevit: idque sæpius, quamvis & justa & honesta pax offerretur, & tàm à Senatu quàm à Pontifice Romano urgeretur. Quæ etiam ad ultimum rata fuisset, sicut inter minas & iras potentis hostis nec vano metu, imo præsenti periculo omnium oculis obversante fieri expediebat, nisi temerarium Jovii Prætorio præfecti, tùm & ipsius Imperatoris jusjurandum obicem potuisset. Sed neque sic ad extrema ventum erat, Alarico insignem animi moderationem semper monstrante. Urbe enim A. 409. dedita Placidiam Imperatoris sororem tanquam fidei obsidem à se petitam, à Senatu accepit: & imperium, quod sumere poterat, Attalo Urbis præfecto contulit, ipse præfecturâ militum pedestri contentus. Sed hunc stolidum, ferocem, arrogantem & parùm felicem, ideoque imperio indignum, & tantis rebus gerendis parùm idoneum videns, de rebus ejus desperare cœpit. Honorius autem 6. millibus militum ex Oriente acceptis audentior malo suo & publico factus est. At Constans æmulus, Constantini tyranni filius, in Hispania res suas stabilire volens, Maximum tyrannum (quartus is tunc erupit, quasi ad distrahendum Imperium magnitudine sua laborans, tres illi cum hoste valido Alarico non sufficerent) reperit sibi oppositum. Ita Maximi factio Vandalos ex Gallia in auxilium accivit. Quibus Franci in Galliam irrumpentes resistunt, eosque cædunt. Quâ clade fracti Vandali & Alani superatis Pyrenæis jugis, in Hispaniam & Lusitaniam Anno 408. ut Orosius, vel 409. ut Prosper, Cassiodorus & Jornandes testantur, penetrarunt. Inter hæc res in Oriente singulari prudentiâ & auctoritate Pulcheriæ Virginis Augustæ, & Anthemii prætorio præfecti consilio, prosperè gerebatur.

CIII. *Anno Christi* 410. *Conspectus est Cometa ensiformis, qui multa portendit mala. Nam Roma capta fuit ab Alarico Rege Gotthorum. Calamitates in Oriente & Occidente variæ acciderunt. Tanta enim eo tempore cædes hominum facta est, quantam ætas nulla à condito mundo novit. Tota Europa periit: Asiæ pars non exigua attrita est: Africa quoquè non fuit horum malorum expers. Bellum, fames, siccitas & pestis certatim infe-*

starunt

ſtarunt orbem. Tanta etiam fuit Solis Eclipſis, ut ſtellæ medio die refulſerint. Alſtedius.

Anno Chriſti 413. Cometa in Signo Virginis per ſpatium 4. menſium flagrans, apparuit. Paulò poſt Gothi & Vandali Galliam miſerè devaſtarunt. Alaricus Romam per biennium obſedit, eamque debellando I. die Aprilis A. 414. occupavit, Româ jam vitiâ, Alaricus milites in Campaniam & Syriam duxit, quò poſtquam Rex Gotthorum venit, in finibus Italiæ ægrotare cæpit, ibique mortuus eſt. Vandali poſtquam in Galliam irruperunt, cum Francis congreſſi ſunt, Modigiſilumque Regem cum 20m. Vandalorum deleverunt. Rockenbachius.

HIc iterum videre licet quadriennium, quo Rockenbachius & Funccius reliquos excedunt. Plerique enim Urbem captam Anno Chriſti 410. (412.) affirmant Bucholzerus, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Sigonius, Petavius qui omnes veterum fide nituntur. Commodum autem accidit, ut Aventinus, Sabellicus, Pantaleon & alii in Ann. 412. cladem illam conjiciant. Ita enim annus iſte diverſas ſententias conciliat, his veram, illis communem epocham ſequentibus. Alſtedius coacervavit multa ad invidiam Cometæ conciliandam, etiam aliena. Nam ante Cometam hunc clades illæ, quas ſuprà vidimus, per Gotthos, Vandalos, Alanos, Suevos & alios populos, tùm per Gildonem, Gainam & alios humani ſanguinis ſitientes Duces illatæ, Aſiam & Europam ac Africam attriverunt & exhauſerunt. Ideò & ipſe Alſtedius alibi has in annum 401. 407 & 409. in Chronologia mirabilium Dei, p. 300. refert. Porrò Eclipſin Solis magnam (de qua loquitur) Eckſtormius in hiſtoria Eclipſium Solarium ex Nicephoro & Eccl. hiſt. cent. 5. ſed & ipſe Alſtedius in Chronol. Eclipſ. p. 59. in Anno Chriſti 404. refert. Ideò ille Gotthorum irruptionem in Italiam, hic Romæ captivitatem poſt Eclipſin aliquo tempore factam dicit. Et Alſtedius quidem accidiſſe Eclipſin Cyclo ☉ 22. ☽ 7. lit. Dom. A. Quæ applicata rationibus aliorum, produnt apud Calviſium & Helvicum ann. 405. Horum rationes ſi iterum cum Funccianis, Conſulum reſpectu, conferamus, annum 409. produnt. Eckſtormius eclipſin cum anno Honorii decimo conjungit: qui ſecundùm Funccium Chriſti 406. ſecundùm Sigonium, Calviſium, Helvicum, Alſtedium & Petavium 402. (404.) erit. Vandalorum cladem, quæ eorum Regem Modigiſium, ut Aventinus, Funccius, Tarapha & Rockenbachius eum appellant, ſive Godegiſium, ut eum vocat Sigonius, Calviſius & alii, & viginti fermè hominum millia abſorpſit, & mox ſecutam Hiſpaniarum invaſionem, Idatius, Oroſius, Sigonius, Petavius, Calviſius & alii ante Romam captam accidiſſe uno ore dicunt. Hæc cuncta docent, injuſtè tot mala in Cometam derivari. Non diffitemur interim calamitoſa & luctuoſa fuiſſe illa tempora. Urbs enim illa olim terrarum Dea gentiumque dicta, mundi domina & orbis caput, imperii ſedes, toties victrix, non avis, quam Honorius Imperator Romam vocabat, & in deliciis, ut Procopius & alii vulgarunt, habebat, & quam captam eſſe paulò ante ludentem putabat, capta eſt. Capta eſt autem proditione Gotthorum, quos Alaricus injuriâ ſuis in Gallia agentibus à Saro Honorii duce illatâ irritatus, ſimulatâ in Gallias profectione Romanis dona ferentem hoſtem non metuentibus dono dederat. Et triduo quidem eam militi diripiendam permiſit: tectis tamen & hominibus parcere militem juſſit. Sed & in ipſa præda manſuetudinem victis exhibuit. Ideò Pomponius Lætus non multâ prædâ onuſtum ſexto die egreſſum urbe, Egnatius eandem majore ignominiâ quàm damno populatum eſſe dicunt. Pariter Sigonius *Romanos, qui in Vaticanam baſilicam confugerant, aut vicina urbi loca petiverant, in urbem ſe ilicò retuliſſe, ac cum cæteris, quos Urbis fortuna ſervaverat, ſtatim priſtinam urbi faciem reddidiſſe, nulla fermè niſi rei familiaris & precioſæ ſupellectibilis, quam plerique etiam ſervaverunt, jactura facta,* ait. Imò Oroſius apud eundem dicere non dubitat, *Irruptionis per Alaricum factæ quamvis recens memoria ſit, ſi quis ipſius populi Romani & multitudinem videat, & vocem audiat, nihil factum eſſe, ſicut etiam ipſi fatentur, urbem habitur, niſi aliquot adhuc exiſtentibus incendiis fortè doceatur.* Ita

Ita neque illâ tempeſtate tantæ calamitati deerat lætitiæ mixtura. Eſt autem non poſtremum ſolatii argumentum, inundante adeò gravis metûs & periculi procellâ, nec publicè nec privatim obrui & ad extremum miſeriæ non veniſſe. At verò è veſtigio ſecuta tunc ſunt meliora. Alaricus enim direptâ Italiâ inhians Siciliæ repugnantibus ventis adire eam non potuit. Cùm autem in Calabriam revertit & Conſentiam validam urbem expugnavit & diripuit in medio curarum & victoriarum æſtu. Anno 411. & ipſe rebus humanis exemtus eſt, & Italiam adeò felicis & rapacis hoſtis potentiâ trepidantem magno exemit metu. Hujus affinis & ſucceſſor Ataulfus eodem temporis articulo Placidiam Imperatoris ſororem captivam, honeſtè tamen habitam, quòd natalium ſplendore, formâ & moribus placeret, uxorem duxit. Cujus prudentiâ inſtitutum ejus de Roma evertenda & in Gotthiam convertenda impedivit, & ad ſervandas pacis cum Imperatore initæ leges perduxit. *Quæ dum aguntur**, (Sigonii verba ſunt) *Honorius, Urbe cum Pontifice Innocentio repetita, Vicennalia uno anno anticipata peregit, credo, ut mœſtam ex accepta calamitate civitatem ſacro aſpectu ſuo, atque Auguſtralis Aulæ præſentia, & hilari ſolemnis ludicri lætitiâ recrearet, atque in ſpem fortunæ melioris erigeret.* Dehinc Conſtantinus ille tyrannus, homo inquietus, unà cum Conſtante jam tyranno oppreſſus, cum Hunnis, qui Aſia & Thraciâ edomitâ in Pannoniam ſe effuderunt, Honorius cùm reſiſtere eis non poſſet, *conſilio meliore* †(ut verbis Sigonii iterum utar) *animo ad pacem converſo fœdus cum eis, datis acceptiſque obſidibus fecit. In Oriente Theodoſius Auguſtus annum ætatis agens undecimum, Imperii verò decimum Conſtantinopoli decennia celebravit. Sequenti anno* 412, *Honorio nonùm, & Theodoſio quintùm Conſulibus, Ataulfus tandem cum omni Gotthorum exercitu Italiâ ceſſit, atque in Galliam tranſgreſſus, ſedem Narbone, atque in proximâ regione ſibi, & Gotthis ſuis exſedere, Conſtantio concedente, locavit. Quo facto, Honorius Romam repetiit, ac lætus, tanquam exoneratâ aliquando tandem incumbentium Gotthorum mole Italia, ſecunda Vicennalia ludorum apparatu magnifico edidit, populo Romano poſt diuturnas tenebras lucem ſe tandem aliquam otii ac libertatis aſpicere gratulante.* Hæc autem ad annum 412. referuntur, & inſignem triſtium & lætorum viciſſitudinem monſtrant.

*l. 11. de Occid. Imp. ad ann. 411. † Ibid.

CIV. *Anno Chriſti* 412. *viſus eſt Cometa.* Eckſtormius ex Herlicio.

COmeta iſte non eſt idem cum proximo, ut computatio Eckſtormii cum computatione Alſtedii & aliorum collata docet. Adhæc ſi Cometa ille Eckſtormio, in annotandis triſtibus Cometarum eventibus communem ut ſententiam ita diligentiam ſequenti, cognitus fuiſſet, nequaquam Urbis captivitatem ſilentio præteriiſſet. Huic verò noſtro Cometæ nullos eventus aſſignat. Nos præter illa læta, quæ ad proximum Cometam diximus, pauca addemus, ſed aliquantùm mixta malis. Ataulfus ex pacto in Gallias profectus ſedem regni Narbone fixit. Conſtantius Honorii Dux reliquias tyrannorum perſequens, Jovium, qui inter Arvernos, & Maximum, qui in citeriore Hiſpania tyrannidem invaſerat, vicit. Et ille quidem ex Galliis pulſus, frater verò ejus Sebaſtianus parem perfidiam parans, tempeſtivè cùm ſociis ſceleris opprimitur. Maximus, licet victus & vinctus, quia *humilitas hominis*, ut judicat Sigonius, *nullam excitare invidiam poterat*, dimittitur. Ita citerior Hiſpania virtute Conſtantii recuperata, mox & Heraclianus tyrannus, Deo pro legitimis Dominis ſemper ſtante, Panico terrore perculſus, maximamque claſſem, qualem, ſi Adoni & aliis credimus, nec Xerxes, nec Alex. M. nec ullus Regum unquam habuit, deſerens, nec tantatâ prælii fortunâ, fugit & perit, & æternâ ignominiæ maculâ, nomine ſuo è publicis tabulis raſo & ad perpetuam infamiam, genero verò Sabino adexilium damnato, notatur. Sic & tyranni profligati, Vandali ex Galliis pulſi, Gotthi pacati, & mox Burgundiones; qui Sociorum Vandalorum fortunam in Hiſpaniam non ſecuti, & bellum averſati; quietas in Gallia Rheno aſſita ſedes adepti ſunt. Has cum eis inviderent Franci, qui ex variis populis, ut cum Cluvero Petavius judicat, collecti,

collecti, libertatem, à quâ nomen acceperunt, contra Romanorum dominationem defendebant, duce Marcomere Rhenum transeunt, & ut alia oppida, ita præcipuè Augustam Trevirorum capiunt, & exhaustam igni delent. Sed mox Deo meliorem causam tutante, à Burgundionibus & Romanis victi, trans Rhenum fugantur. Atque hæc de gestis A°. 413. proximè à Cometa viso, dicta hîc sufficiunt. Plura enim jam jam damus.

CV. *Anno Christi* 413. *apparuit Cometa in Signo Virginis.* Eckstormius ex Herlicio.

NOn temerè conjicio hunc Cometam eundem esse cum illo Rockenbachiano anni 413. Annus quo, & signum cæleste in quo Cometes apparuit, hoc ut sentiam postulant. Sed à Rockenbachio subjecti illi Cometæ eventus, A°. 410. (ut ibi diximus) conveniunt. Itaque hos illi Cometæ relinquimus, illum verò Cometam hùc transferimus, nisi forte & ibi & hîc Cometa in eodem signo Virginis apparuisse probari à quopiam possit. Nullos eventus huic Cometæ Eckstormius tribuit. Hos paucis nos dabimus. A°. 414. Attalus ille, ab Ataulfo, fidei pactorum & monitorum uxoris salubrium negligente, ad resumendam tyrannidem incitatur. Sed in hoc, ut paulò post cum ambitionis incentore Ataulfo in angustias redigatur, ab eo deseratur, à legitimo domino capiatur, & meritâ pœnâ (quæ amputationem dextræ & exilium, ut plures consentiunt, non excessit) afficiatur, vera rotæ, quâ humana volvuntur, imago, sed & perfidiæ tàm ab Alarico actore, quam ab Honorio vindice punitæ exemplum memorabile. Verè & acutè Ado Viennensis, postquam de prioribus Tyrannis Constantino, Constante, Maximo, Jovino & Sebastiano verba fecisset, de Attalo subdit: *Alaricus Attalo imperatore facto, infecto, refecto ac defecto, citius his omnibus penè quam dictis seu Mimus, risum & ludum expectavit imperii.* Eundem mox *inane imperii simulacrum* vocat, & eodem, quo diximus, modo, punitum dicit. Eodem anno Pulcheria Theodosii Soror Augusta Constantinopoli renunciatur. Sequente templum Constantinopolitanum restauratum dedicatur; Vandali Gothorum in Africam transitu territi mittunt ad Honorium Legationem, cujus verba fuêre, referente Sigonio: *Tu cum omnibus pacem habe: ab omnibus pacem accipe. Nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus, immortalis verò erit quæstus reipublicæ tuæ, si utrique pereamus.* Procopius tradit cùm Gunderico Vandalorum rege, concessâ eis innoxiâ in Hispania habitatione, pacem tunc fuisse compositam. In quam Ataulfus, Placidiæ uxori & æquitati obsequens, dum animo propendet, à servo, cujus dominum interfecerat, justo Dei judicio Barcinone interficitur, ut Olympiodorus prodit. Sigonius à Gotthis *(Vessogetas Aventinus vocat, alii Visigothos) ferocibus & pacem perosis per fraudem occisum ait, immisso, ut puto, illo percussore mortis herilis vindice. Certè & Sigericum (Gensericum Sabellicus Enn. 8. l. 1. vocat, affinitate nominis contra consensum aliorum inductus, cum tamen Gensericus & Vandalorum Regulus & tempore paulò inferior fuerit) ejus successorem quod ad pacem inclinaret, post dies 7. (ut Petavius addit reliquis præteritum) trucidarunt, Deo injurias Placidiæ illatas ulciscente. Quam Vallia in Regem electus honestè habuit, & mox frustra tentatâ in Africam trajectione, Hispaniam Vandalis eripiendam, & contrà eos sanguinis sui impendio tutandam sibi dari pactus fœdus cum Romanis instaurat cum Constantio percussum. Is tot tyrannorum & hostium Victor, Galliæ & Hispaniæ defensor, &, ut Sigonii verbis utar, *unicum rerum Honorii Imperatoris præsidium*, Romam cum Placidia redit. Quam cum Consulari dignitate in mercedem fidei & virtutis uxorem, ita volente Imperatore, accepit. *His actis Honorius lætus* (verba sunt Sigonii ad annum 417) *quod Italiam, Galliam Hispaniamque provincias, tyrannis deletis, barbarisque compressis, pacassset, undecimùm cum Constantio iterum consul inivit. Ac Romam regressus, magno apparatu, atque insigni pompa urbem de Gotthis, & Attalo tyranno triumphans intravit, Attalum ipsum vinctis post terga manibus ante currum ducens. Quem postea de*

* Vid. Avent. Annal. 2. p. 161.

more pompæ, truncatâ in pœnam repetitæ perfidiæ dextrâ Liparas relegavit. Eodem anno Sigonius res à Vallia prosperè contrà Vandalos gestas, & plures ac memorabiles victorias partas, sequenti verò 5. Non. Julias Valentinianum 3. Constantii & Placidiæ filium Ravennæ datum esse, & Patrem ejus, uti in Hispania contrà Vandalos, ita in Lusitania contrà Alanos & Suevos victorem evasisse memoriæ prodit. At Petavius in annum 417. & nuptias Constantii cum Placidia & natales Honoriæ filiæ ejus, Valentiniani verò natales in annum sequentem 6. Non. Julii ex Prospero refert. Utrique sententiæ auctoritas non deerit. Sigonius sequitur Pomponium Lætum, cujus in Theodosio hæc sunt: *Placidia jubente Honorio nupsit claro viro Constantio, quem Dux Cæsarem & consortem imperii simul fecit. Ex quibus nuptiis Ravennæ quinto Nonas Sextilis natus puer est Valentinianus.* Et mox: *Post obitum Constantii Placidia cum filiis Valentiniano & Honorio* *(puto legendum, Honoria) *jussu Augusti pelluntur, & ab Theodosio Arcadii filio, qui Orienti præerat, hospitaliter excipiuntur.* Sabellicus quoque aliquanto illo superior (cujus ideò ille, ut iste Platinæ imitator est) Enn. 8. l. 1. à nuptiis Placidiæ cum Constantio Valentiniani natalem ponit. Idem & Calvisius ex Olympiodoro indicat, & ante eum Funccius.

*Vid. Avent. Annal. 2, p. 162.

CVI. *Anno Christi 418. Cometa apparuit, qui ad mensem usque Septembrem hominibus conspiciendum se præbuit. Hunc deinde multæ ac miserabiles clades sunt secutæ. Videlicet Judæi omnes factione Cyrilli Episcopi mox hoc ipso anno ab Alexandria ejecti sunt. Deinde Heraclianus consilio Sabiniani, classem 4700. in Africam misit, quam cum deinde Romam misisset, Marinum & ejus confœderatos, ut oppugnaret, à Marino victus, & fugâ auxilium sibi cum quæsivisset, Carthaginem scaphâ petens, à militibus ex improviso captus & interfectus est.* Rockenbachius.

IN eundem annum Cometam hunc ponit Eckstormius, (qui ex Herlicio in Libra visum esse dicit) & Alstedius seditionem in universa Italia & Hispania ei tribuens, & Sigonius, qui ab Oriente per Septembrem mensem refulsisse ait. Is memoriæ prodit A. 419. Valliam Gothorum Regem, & victoriis contrà Vandalos pluribus nobilitatum, & Romano nomini amicum, in præmium virtutis pace conventâ, Aquitaniam secundam (quæ postea Vasconiæ nomen sortita est) ad quietas sedes ibi figendas accepisse, & sic Tolosam in regni sedem elegisse. Ita tunc temporis & Gallia tribus dominis, Romanis, Gotthis illis Visigothis S. Westgothis, id est, Occidentalibus Gotthis & Burgundionibus, & Hispania pariter Romanis, Gotthis & Vandalis parebat, assiduumque virtutis & industriæ certamen ex necessitate subeundum præbebat. Eodem anno, ut diximus, Constantius ille & filia Honoria & dignitate Augusta, quòd Honorius liberis carens digniorem imperio invenire non posset, auctus est. Anno autem 420. Wallia fractis Alanis (qui ideò Vandalis regimen detulêre) Victor & ovans Tolosam, & mox viam mortalitatis inivit. Sed & Constantius à Theodosio (vide quid invidia ambitiosa etiam adversus sanguinem suum possit) pro Augusto non agnitus, mortem ex ægritudine animi oppetiit. Sequenti anno Theodosius, animi & ingenii bona fortunæ præferens, Athenaidem Leontii Philosophi filiam, Ludociam dictam, matrimonio sibi junxit, & vertente anno filiam Eudoxiam ex ea suscepit. Inter hæc Castinus & Bonifacius Honorii Duces, initio concordes, multa contrà Vandalos in Hispania prosperè 422. anno egerunt. Iidem ad ultimum discordiâ ex ambitione ortâ causam communem prodiderunt & perdiderunt. *Nam Castini iniquâ arrogantia Bonifacius offensus, socium deseruit. Quem Vandali, ferè jam fracti, deletis ejus copiis, insigni clade affecerunt. Ita & hic verum est prudentissimum illud scitum: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur: § Eodem anno* (verba sunt Sigonii) *Honorius Romæ imperii sui tricennalia celebravit, ludis omnis generis regia magnificentiâ editis, ac tristem superioris calamitatis memo-*

* Sabell. Enn. 8. l. 1. § De Occid. Imp. l. 11. ad ann. 422.

riam

riam prorsus obliterare, novæ hujus hilaritatis ac pompæ lætitiâ studuit. Dum autem ludos, populo præsente, spectabat, Maximus & Jovinus quondam tyranni conspectui ejus redditi, ejus ludicri gaudium cumularunt, omnibus bonum omen animo concipientibus, finem adesse civilium seditionum, domesticarumque turbarum ex oblatis in tanta populi gratulatione tyrannis. Idem temporis victoriâ & pace Persicâ insignitum fuit. Quem hic vicissitudo rerum latet?

CVII. *Anno Christi* 423. *Honorii Imperatoris mortem crinita stella per multos fulgens dies præcessit.* Sigonius, Marcellinus, Bucholzerus & Calvisius.
Anno Christi 423. *horribilis Cometa arsit, quem secuti sunt multis in locis graves terræ motus.* Eckstormius ex Schossero.

PRoximè, sed & toties suprà vidimus, Principes longo tàm ante quàm post Cometarum apparitionem, tempore mori, ut & mox post eandem nasci. Terræ motuum pariter, qui sine ullis Cometis acciderunt, multa exempla dedimus. Præcedunt & sequuntur Cometæ tristia & læta. Terræ motus paulo post Eudociam Theodosii conjugem Augustâ dignitate, postremas Kalcherias Januarias decoratam, Constantinopoli multos accidisse, Honorium verò die 15. Augusti mortuum esse, Calvisius ex Fastis refert. Cometa porrò multis diebus, non mensibus, mortem Honorii præcessisse dicitur. Inde non levis conjectura oritur, terræ motus Cometa priores fuisse Anno quo Cometa fulsit, Bononiensis Academia, & paulò post A°. 425 Constantinopolitana à Theodosio, Principe ut multarum virtutum, ita literarum laudibus egregio, erectæ sunt. Tunc temporis Joannes Honorii scriba, *Ducibus Castino & Aetio* (ille Crastinus, hic Etius nonnullis scribitur) apud *Ravennam invasit tyrannidem*, tot recentium exemplorum pernicioſæ ambitionis *oblitus*. Aetius quidem Hunnos ex Pannonia multo auro ei in auxilium adduxerat. Attamen felicibus Theodosii Augusti, Placidiæ Augustæ, & Valentiniani Cæsaris auspiciis, A. 424. captus est, Asparis ducis (cujus patrem Ardaburem tempestas in manus Joannis tyranni tradiderat) industriâ, cum Ravenna Joannes patrem ejus captivum ibidem tenens, qui paulò post 40. eodem ambitiosæ temeritatis pœnas dedit. *Ita imperium legitimo successori, quem Theodosius Valentinianum sex (secundùm Aventinum octo) annos natum, & matris imperio subjectum A. 424. renunciârat, Deus custos imperiorum asseruit. Sequenti anno Valentinianus Augustus renunciatur, & cum matre ac imperio ex dignitate tributo in Italiam mittitur, Hunnis in Pannoniam redeuntibus. Gothi, posthæc Vandali, & alii barbari provincias Romani Imperii vexabant, quorum conatibus muliebria & puerilia consilia Occidentem tenentia, & ambitiosorum Ducum dissidia opportuna fuêre, Castinus ille exul, Africam invadens, à Bonifacio victore rejectus est. ‡ Sed hic ipse fraude Aetii A. 426. ut Sigonius, Calvisius & alii putant, in periculum vitæ conjectus, Vandalorum Gotthicis & Romanis armis in Hispania continuo pressorum, propositâ mercedis vice Mauritaniâ, socia arma quæsivit & facile obtinuit. Quæ postea rejecit, in gratiam Placidiæ Augustæ, fraudemuli Aetii detecta A°. 428. reductus, Aetio interim rem A°. 426. contrà Theodoricum regem Gotthorum, fidei violatorem, in Galliis prosperè gerente. Et ita quidem, ut A°. 427. victor Theodoricum ad pacem petendam cögerit, & ita secundo bello Gotthico finem feliciter imposuerit. Sequenti anno & contra Clodionem Pharamundi primi Francorum Regis filium & successorem, qui transito Rheno ac sublatis Romanorum præsidiis Belgicam secundam invaserat ac subegerat, rem prospere gessit. Hostem enim repulit, & illam Galliæ partem Rheno proximam recepit, ut Sigonius, Funccius, Calvisius, Petavius & alii putant, Aventino in anteriora, Serre & aliis in posteriora tempora id rejicientibus. Per id tempus Burgundiones assiduis Hunnorum invasionibus fatigati, ad Christum cælestem Regem confugiunt, eique nomen dant, ut Sigonius, Bucholz. Calvisius & allii testantur,*

* Annal. 2. p. 162. ‡ Avent. Annal. 2. p. 162.

CVIII.

CVIII. *Anno Christi* 434. *Cometa apparuit, quem deinde paucos post dies, terribilia hæc secuta sunt miracula, nimirum sanguis in magna copia apud Talisam* (Tolosam puto legendam) *de cælo pluit. Gizericus Hipponem in Africa obsedit, quæ obsidio cum aliquot menses durasset, S. Augustinus tertio mense obsidionis, eodem anno diem suum obiit.* Rockenbachius.

SI Funccium ipsum Rockenbachii ducem consulimus, eodem anno Judæi Cretenses à Pseudopropheta qui se Mosen dixit, decepti, Burgundiones, & mox Britanni ad fidem Christianam conversi sunt. Paulo post Burgundiones ab Aetio domiti, tum & Vandali certa parte Africa inclusi pacem obtinuerunt. Valentinianus Eudoxiam Theodosii filiam uxorem duxit. Alia ut taceam, circa ann. 442. gesta, tristia & læta belli & pacis argumenta. Juvat tamen alios quoque auctores consulere. Sigonius, Bucholzerus ex Prospero & Posidonio, ex eodem Petavius (qui tamen eum Possidium vocat) Calvisius ex Socrate, in Anno Christi 430. Aventinus in 432. Alstedius verò in 429. Obsidionem Hipponis regii conjiciunt. Demonstravimus autem & obsidia & excidia urbium, imo ruinas gentium sine ulla Cometarum apparatione fieri. Non mirum itaque quòd talia quandoque eidem succedant. Successit verò & pax Vandalis & Burgundionibus A°. 439. data, *ingenti gratulatione*, ut ait Sigonius, *ab omnibus Italiæ populis excepta*: tum publica Romæ lætitia, Valentiniano tunc decennalia imperii magnificentissimè celebrante. Posthæc Gotthorum perfidia, quæ plus metus quàm mali conflaverat, edomita. A°. verò 437. Valentiniani & Eudoxiæ *sponsalia magnâ lætitiâ, teste* Sigonio & reipsa, *Thessalonica sunt celebrata.* Interim hæc & alia prospera lætaque adversis distinguuntur. Litorius enim præfectus prætorio, homo gentilis, invidis oculis gloriam Aetii respiciens, ex emulatione improvida Gotthos ex Gallia pellere conatur. Et Tolosam quidem expugnat. Sed mox à Theodorico Rege, nequicquam bellum deprecante, & pacem per Episcopos orante, pietate & armis simul cum impietate & confidentia hostis certante victus captivus ducitur in urbem, quam paulò antè victor iniverat. Valentinianus autem misso Aetio pacem instaurat. At longè deterior rerum ratio in Africa fuit, ubi Anno 440. Gensericus Carthagine & simul tota Africa potitus est. Sed & Franci, Clodione duce, ut Aventinus refert, Belgicam secundam tunc invaserunt, postquam paulò ante Pharamundi (Variomundum ille vocat) mortem trans Rhenum in Galliam irrupissent, & ab Aëtio in Germaniam magnam repulsi essent. De sanguinis ad Tolosam fluxu mox dicemus.

CIX. *Anno Christi* 442. *post conspectum Cometam Attila Rex Hunnorum irruptione factâ Thraciam & Illyricum vastavit.* Eckstormius ex Schossero.

IN eundem annum Cometen hunc Calvisius ex Marcellino annotat. Sed irruptionem Hunnorum in Thraciam & Illyricum non tantum Bucholzerus, quem aliàs Eckstormius sequi solet, sed & Sigonius, Calvisius & Alstedius in ann. 441. referunt. Ita anno prior Cometâ fuit sæva illa Hunnorum invasio, quæ multas Imperii provincias opibus & hominibus exhausit. Fieri autem talia nullis quoque apparentibus Cometis supra demonstravimus. Attamen eodem anno cum Genserico, sequenti autem cum Attila pax composita. Ille certæ portioni Africæ acquievit, tributum pependit. Hic acceptâ magnâ vi auri in Scythiam rediit, annuum pactus stipendium, tributum non injuriâ dicens. Et paulò quidem post, Anno scil. 446. Attila iterum Theodosio bellum indixit. Sed mox fidei violator victus, pacem cum Theodosio instaurat, quam & Valentinianus ratam habuit. Per hæc tempora Scoti Picti (qui & Pictones) Britannos vexabant. Qui cùm à Romanis bello Hunnico occupatis auxilia impetrare non possent, Anglo-Saxones (qui sedibus ibi fixis, pulsis incolis regno nomen dederunt) circa Ann. 446. ut Polydorus, Funccius, & alii ex Beda putant, Bucholzero in Ann. 447. Calvisio in 448. at Pantaleone in 443. circiter id referente, vocant,

cant, & quàm ſemper periculoſa, ſæpè & noxia ſocia arma ſint, exemplo ſuo docent.

CX. *Anno Chriſti* 443. *apparuit Cometa & apud Toloſam ſanguis fluxit.* Alſtedius.

NUlla præter vicinitatem adeſt conjectura, ut putem hunc Cometam eundem eſſe cum præcedenti. Verùm ſubit animum cogitatio vel Rockenbachium ibi ad Cometam anni 434. vel Alſtedium hîc ad Cometam 443. facili numerorum tranſpoſitione fluxum ſanguinis ad Toloſam retuliſſe. Nihil de eo apud Auctores qui præſtò ſunt, invenio, niſi quòd Aimoinus de geſtis Francorum l. 1. c. 9. memoriæ reliquerit imperante Leone in Oriente, in Occidente Antemio, è medio urbis Toloſæ toto die ſanguinem largiſſimo fluxiſſe rivo. Sed hoc poſt Ann. 466. demùm factum ſit oportet. De hoc prodigio diſputare nolo. Scio à rerum naturalium interpretibus dari hujus rei cauſas naturales, & materiæ affluentis ex venis telluris ſeu fodinarum proximarum ac Soli tribuere; eamque non adeò raram eſſe, imò frequenter ſine Cometis contingere. Funccius annotat aliquot exempla, ſcilicet Ann. M. 3729. U. C. 517. quo flumen ſanguinis in Piceno effluxit. Anno Chriſti 935. fons ſanguinis Genuæ fluxit. Ut taceam pluvias ſanguineas Anno M. 3783. U. C. 571. Anno M. 3852. U. C. 640. Anno Chriſti 874. & 1456. indice eodem Funccio. Ita & in Anglia circa ann. 1096. ſanguis triduo fluxit, auctore Polydoro l. 10. p. 176. nullo Cometa orto. Non tamen iſthæc prorſùs ἀσημα dixero. Significant enim Dei ad vindictam parati iram, & homines ad eam, promtâ & ſeriâ pœnitentiâ placandam excitant. Sed ad Cometen redeamus. Secuta eſt eum proximè pax cum Attila à Theodoſio inita. Sed, quæ rerum humanarum viciſſitudo! dum motus belli deſinit, motus terræ Italiam concutit, ut pateat in terra ſimul hîc læta illîc triſtia accidere. *Proximus annus* 444. *Theodoſio* XVIII. *& Albino Conſulibus, pace utroque Imperio latè partâ fuit inſignis*, ut ait Sigonius. Qui etiam mox ait: *Valentiniano VI. & Nonio conſulatum Anno* 445. *gerentibus, cum eadem quâ ante pace florerent omnia, Valentinianus lætus Romam ad vicennalia ſua peragenda conceſſit.* Et paulò poſt: *Ab hoc anno* 446. *ſummam Reipublicæ atque Eccleſiæ pacem atque tranquillitatem gravis bellorum hæreſiumque tempeſtas excepit.* Nempe quòd hæreſin Eutychianam Chriſti humanitati iniquam, quæ mox magnus motus in Oriente dedit, deſcribere aggrediatur. Tum demùm Britannorum à Pictis & Scotis oppreſſionem, & reſtauratum ab Attila bellum, famem & peſtem Anno 446. memorans, ſequentem annum victoriâ de Attila & pace inter hunc & Theodoſium, ac Valentinianum compoſita inſignit. Egregiè hîc Ado Viennenſis de fame Britannica ait: *Famem præſentem magna frugum abundantia, opulentia, luxuria & negligentia: negligentiamque lues acerrima & mox acrior hoſtium novorum, id eſt, Anglorum plaga ſecuta eſt.* Non obſcurè portenta calamitatum vitia hominum facit. Atque hæc profectò prænunciant ex ſanctione juſtitiæ divinæ ſecuturas calamitates certius quàm ulli Cometæ vel alia ſigna, quæ in cælo vel terra videntur, & ſæpenumerò cauſas ſuas in natura habent.

CXI. *Anno Chriſti* 448. *atteſtante Herlicio, viſus eſt Cometa in ſigno Leonis.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 448. *Cometa per multos dies continuè flagrans viſus eſt. Hunc paulò poſt terræ motus in Oriente horribilis ſecutus eſt. Attila Rex Hunnorum, poſtquam fratrem ſuum Bledam dictum & confœderatos ad ſe vocavit, maximæ parti Italiæ bellum intulit, in quo multas urbes penitùs devaſtavit, ac exulibus tunc congregatis Urbs Venetia in maris exſtructa eſt.* Rockenbachius.

AD eundem annum Alſtedius Cometam eoſdemque eventus ad eum refert. Sed tàm Rockenbachius à Funccio, quàm Alſtedius à Calviſio & Helvico magiſtris ſuis recedendo, rationes temporum (quod pace tantorum Virorum dixerim) confundunt.

dunt. Rockenbachius enim refert Attilam cum Bleda fratre (ita enim à quibusdam, *sed ab aliis ipsisque Hungaris † Buda vocatur, & Budæ metropoli, quæ olim Sicambria dicta fuerit, nomen suum indidisse, ideoque occisus esse scribitur) bello Italiam aggressum esse. Atqui Bleda secundum Funccium Anno 448. fratris ferocis & impii fraude occubuit. Ut taceam ab aliis scriptoribus ‡ & Chronologis illius fratricidæ execrandum facinus in tempora prælio Catalaunico & expeditione Gallica sive una, sive gemina fuerit, priora, & annum 444. (446.) poni. Bucholzerus & Petavius ex Prospero, Jornande & Cassiodoro, Calvisius & Helvicus, Sigonius in ann. 445. cum Marcellino refert. Alstedius autem Venetias conditas circa ann. 450. (quo scilicet Attilam in Germaniam progressum esse alibi ait, pag. 301.) putat, cum tamen Calvisius in annum 429. Helvicus in 423. (425.) id referant. Blondus & cum eo Sigonius & Petavius post Annum 450. factum id affirmant. Egnatius certum annum non definit in Theodosio Juniore: *Sed hoc Principe felicissimis auspiciis mediis in aquis Venetias habitari cœpisse, quum Honorius adhuc viveret*, qui Anno 423. (425.) obiit. Bucholzerus ad annum 452. enumeratis diversis sententiis, nihil concludit.

Nos hac occasione pauca, velut in transitu, addemus, sequendos hîc esse Scriptores Venetos vel rerum Venetarum peritos & antiquitatis studiosiores. Contarenus quidem de Republica Veneta l. 1. ad tempora Attilæ urbis patriæ originem refert. Sed & de his Scriptores dissentire notum est, & nos alibi diximus. Nempe & Bonfinius, occasione dissensûs auctorum, an Attila in Galliam priusquam Italiam invaderet, rediérit, nec ne, *eos qui de Attila nonnulla scripsêre, inter se nimiâ dissensione delirare* intrepidè pronunciat. Ille verò etiam urbis Venetæ initium ad ea tempora, quæ eversam Aquilejam luxerunt, refert. Ita & Ritius, & Olahus & alii. Nicolaus Crassus in annot. emendat Contarenum, & affirmat ex monumentis antiquis, Urbem cœpisse cum dedicatione templi Jacobæi ad Rivum Altum appositi Anno 421. 25 Martii. Sed & Sabellicus in histor. Veneta l. 1. & Enn. 8. l. 1. non procul ab initio hanc sententiam affirmat. Idem facit Chronicorum Venetorum Anno 1640. Italicè editorum Auctor cap. 1. Sed & Auctor *dello squitinio della libertà Veneta*, accuratissimus censor & observantissimus antiquitatis, brevissime dicit c. 1. *l'anno 421. che fù l'anno della fondatione.* Favet huic sententiæ Nauclerus & Helvicus. Calvisius, ut diximus, in 429. Onuphrius in 430 rejicit. Donatus Janottus utramquè de Anno 421 & 456. sententiam (nam de illis intermediis, quæ Originem urbis illius in Anno 430 & 452 vel 453. ponunt, nil voluit dicere) recitat, & prudentèr concludit his verbis: *Mà questa varietà non è d'alcuna importanza al proposito nostro. Basta, che per il gran concorso di quelli, che fuggivano gli assalti de gli Unni, la città divenne ultra modo grande.* id est: *Sed ista varietas non est alicujus momenti in proposito nostro. Sufficit quòd per grandem concursum illorum, qui fugiebant assultus Hunnorum civitas devenerit ultra modum grandis.* Atque hoc extra dubium est, Attila Italiam invadente urbem illam ex ruinis Aquilejæ & aliarum urbium crevisse, postquam ante 29. annos prima ejus fundamenta jacta essent. Quia verò & tunc Hunni duce Attila Illyricum in oculis Italiæ & Venetiarum fædè lacerabant, factum est, ut multi ex priscis Venetis, maris Adriatici accolis, in illo loco, ubi nunc urbs Veneta stat, & à natura munito & commodo, urbem velut asylum & refugium trepidantium condiderint, ut Sabellicus docet. Hinc illam diversitatem sententiarum exortam esse puto. (a) Cæterum F. Leander Alberti litem dirimit, dum primam conditionem in ann. 421. secundum in 456. refert: quod indicasse sufficiat.

Sed esto secundùm rationes Rockenbachii & Alstedii, paulò post apparitionem stellæ trinitæ urbem illam pulcherrimam & toto orbe celeberrimam initium sumsisse, hoc argumento foret, etiam læta ejusmodi phœnomenis succedere. Tunc temporis, Anno scilicet 449. Meroveus tertius Francorum rex, transito Rheno, regni sedem in Gallia & Merovingorum familiam fundavit. Cæterum illam Hunnorum in Italiam expeditionem magis quàm Cometa portendit (ut hac voce liceat Ethicè subinde uti) barba-

* Chron. Alex. Marcellin. Prosp. Jornand. Sabell. Avent. Callim. Sigon. Bucholz. Calvis. Petav. † Chron. Hung. Olahus, Bakschai. Bonfin. Ritius. ‡ Callimachus in Attila. Bonfin. rer. Ung. dec. 1. l. 3. & 5. Bucholz. Calvis. apud quos vide plures auctores. (a) In descript. Italiæ.

ræ gen-

ræ gentis ferocia, & ex paupertatis duritie orta alienorum appetendi libido. Accesſêre his alia, quæ ipſe Attila apud Sabellicum enumerat. Occaſio rerum omnium gerendarum mater, diminutâ Romani imperii potentiâ, & Italiâ præſidiis neceſſariis ac forti Duce poſt occiſum Aetium deſtitutâ, atque Valentiniani Imperatoris nec bello nec paci idonei ignaviâ, compertâ. Tum verò & aliorum barbarorum feliciter contra Romanos belligerantium exempla. Denique opimæ prædæ ſpes & promiſſio propè certa. *Hæc*, ſubjicit Sabellicus, *quia non magis ſpecioſa dictu quàm facilia factu omnibus qui aderant viſa ſunt, ob acciſas Romani imperii opes, cuncti ingenti gratulatione ſunt Attilæ orationi aſſenſi.* Enn. 7. l. 1. p. 227. Itaque hæc potius in terris portenta, quàm cæli ſigna, illa dico potius à libertate humana quàm hæc à naturali neceſſitate provenientia, pietati & prudentiæ formandæ, ac inter præcipitia medio tramite explicandæ, ſunt nobis conſideranda.

CXII. *Anno Chriſti* 450. *viſus eſt Cometa, poſt quem facta eſt cruenta iſta pugna in campo Catalaunico Aetii Romanorum Ducis & Attilæ Regis, quâ ab utraque parte* 180. *millia hominum occubuerunt.* Eckſtormius.

DE hoc Cometa ita Nicolaus Olahus in Atila c. 6:* *Multa prodigia hujus prælii atrocitatem prænunciarunt. Luna binam eo anno paſſa eſt eclipſin; plurimæ urbes repentino terræ motu corruerunt: cælum cruento hiatu apertum, mutuis haſtis ignitis id obliquè ſcindentibus. Viſus præterea Cometes aliquot noctibus radios ſuos Occidentem verſus porrigens.* Pugna illa victoriam & gloriam magnam Aëtio Duci Valentiniani, & Meroveo Regi Francorum, tùm Theodorico regi Gotthorum attulerat. Aliàs de omnibus actum erat, ab illo 700. millium armatorum colluvie opprimendis. At enim Theodoricus tunc cecidit. Ita ſunt humana, & hæc fert bellum. Hunc ſolum ex Ducibus cecidiſſe Pomponius Lætus, Sabellicus, Nicolaus Olahus, Bonfinius & alii ex Gregorio Turonenſi ac veterum monumentis referunt. Gundicarium regem Burgundionum ſocium fati Theodorico addit Sigonius, Aventinus verò ac Ritius etiam Meroveum regem Francorum, ſed omnibus, quod ſciam, invitis. Callimachus in Attila Gundicarium ante prælium ab Attila cæſum ait. Sed ad rem. Hunc Cometam anteceſſit mors Placidiæ Auguſtæ Anno 449. ut Calviſius (Sigonio eam in ann. 451. referente) putat. Sed ſecuta eſt mors fratris ejus Theodoſii Anno 450. vulgari, indictione tertiâ, ut affirmat Bucholzerus ex Theodoro Lectore & aliis. At enim indictio tertia à Funccio in Annum 461. mors autem Theodoſii in 454. refertur. Bucholzero aſſentit Calviſius, Helvicus & Alſtedius. Eadem computatio in Sigonio & Petavio reperitur. Funccio ſuffragatur Pantaleon. Aventinus Annum 453. ponit. Sed non puto hanc computationem ſequi doctiſſimum Ricciolum, & ab illa recedere, dum mortem Theodoſii in annum 454. refert. Conjicio itaque potius ſcribæ vel librarii errore ann. 454. pro 450. pag. 6. & 34. poſitum eſſe. Sed ne ſic quidem Ricciolus ſine rationis & auctoritatis fundamento computationem ſuam poſuerit. Quâ de re eum conſulere pro jure amicitiæ non negligam. In hunc annum 450. ponitur à Scriptoribus graviſſima fames in Italia, in ſequentem irruptio Attilæ in Germaniam, &, Hercyniâ ſylvâ in lintres trajiciendo Rheno aptos converſâ tranſitum ei præbente, in Galliam, tùm celeberrima illa in campis Catalaunicis victoria. Hanc tamen, Attilâ maximè cum victus eſſet, inſolenter ferociente, invaſio Italiæ, Anno 452. ut plerique Chronologi putant excepit. Vid. Sigonius, Calviſius & Alſtedius. Sed mox anno ſequenti pax cum Attila inita, & à feſſis crebra irruptione barbarorum Italicis populis, æſtuarium maris Adriatici accolentibus, Urbis Venetæ potentiſſimæ veterem Imperii Romani majeſtatem repræſentaturæ, ac fortiter ſæviſſimum Aquilonarium hoſtium impetum excepturæ origo ſecuta eſt. Eodem anno Thoriſmundi Regis Gotthorum de Attila vicinos ejus Alanos armis petente victoria inſignis fuit. Dehinc res in Gallia cum Thoriſmundo Anno 454. compoſita eſt. Tandem Attilæ mors (qui poſt-

* Vid. & Callimach. in Atila.

(M)

poſtquam domum revertit, puellam formoſiſſimam matrimonio ſibi junxit, eodemque momento in thalamo & tumulo, miro viciſſitudinis rerum documento, cernitur) à Sigonio annotatur. Euſebius quoque in 454. mortem Attilæ ponit. Sigeberrus, pariter Aventinus, Sambucus, Sabellicus, Pantaleon, Funccius, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Petavius & alii, qui iſtos, & quos hi ſequuntur.

Verum tamen Auctores Hungarici Anno 445. eum obiiſſe aſſerunt, quâ de re alibi agemus. Inter hæc Marcianus Auguſtus, ductâ in uxorem Pulcheriâ, diſſidia ſacra componebat. Sed & in republica adminiſtranda, laudabili exemplo pacis, ſtudia excoluit. Egregiè de eo Pomponius Lætus: *Cum Vandalis fœdus percuſſit. Arma nunquam niſi provocatus movit. Quietis amator, quietem Orientem habuit. Dicere ſolebat; donec liceret in pace vivere, non decere principem ſumere arma.* Hunc pacis amorem humano generi ſalutarem & Egnatius in eo commendat, tùm Aventinus aliique.

CXIII. *Anno Chriſti* 453. *terræ motus aſſidui, Cometæque & ſigna varia apparent in cælo.* Eckſtormius ex Palmeiro, Eccl. hiſt. Cent. 5. c. 13. & Nicolao Olao in Attila.

CXIV. *Anno Chriſti* 454. *Cometa apparuit, & cumplurima alia ſigna in cælo, in terra verò terræ motus maximi & aſſidui. Cælum veſperi verſùs Septentrionem ut ignis, ut ferrum rubrum viſum eſt, cui limæ clariores, ſpeciem haſtarum repræſentantes, admixtæ fuerunt, per ruborem igneum tranſeuntes, aliaque horrenda, unà cum eclipſi Lunari tunc temporis ab hiſtoricis, quæ viſa ſunt, annotantur. Secuti ſunt autem hæc jam dicta prodigia, mox anno ſequenti effectus hi terribiles, ut videlicet Attila Rex Hunnorum Occidentale Imperium occuparet, à Parmeniis* (legendum puto Pannoniis) *egreſſus, adjutus operâ non ſolùm Walamechis* (Valamirum vocant alii) *Oſtrogothorum, ſed etiam Arderici Gepidarum Regis, aliarumque gentium auxilio.* Rockenbachius.

NIcolaus Olahus, quem Eckſtormius allegat, in Attila c: 16. ita de hoc Cometa ſcribit: *Ante mortem Attilæ viginti circiter noctibus ad Ortum Solis vernum Cometes viſus eſt.* Callimachus in Attila eadem ferè habet. *Sed & cælo*, inquit, *ejus viri* (loquitur de Attila) *curam fuiſſe teſtatus eſt Cometes, qui antè obitum ipſius ter ſeptem noctes ad vernum Solis exortum apparere perſeveraverit.* At enim Olahus Attilam anno Chriſti 445. mortùum eſſe contendit, & ita in hunc annum Cometen ponit, quem hîc Eckſtormius in Anno Chriſti 443. refert. Sequitur hic Trithemium Funccius, hunc Rockenbachius, ſed & Ricciolus, ut diximus, cui hic annus eſt Valentiniani Imperatoris XXVI. quem tamen Sigonius, Petavius & alii Valentiniani imperium ab anno 425. arceſſentes, in ann. 450. completum, Theodoſiani imperii XLIII. currentem, ut & hujus mortem ponunt. Rockenbachium & Eckſtormium conciliat Alſtedius, Cometas, minimùm duos, in annum 453 & 454 ponens. Sigonius & Calviſius ex Marcellino tres lapides è cælo in Thracia decidiſſe, ad annum 452. referunt. Et ille quidem cæleſtia prodigia multa in vulgus nunciata fuiſſe ait. Cometas non nominat. Fortè tamen innuit. Funccius Cometen apparuiſſe, cælum arſiſſe & haſtas ardentes in cælo viſas eſſe ait. Sed huic Cometæ Attilæ irruptionem in Galliam & pugnam Catalaunicam ſubjiciunt Funccius, Sigonius, Rockenbachius, Alſtedius & Ricciolus. Ergo idem cum proximè præcedenti videri poteſt. Ego tamen ſeparavi, imò hic duos poſui. Nempe Eckſtormius diſtinctè Cometas enumerat: anno 450. ut vidimus, ponit unum. Hîc plures innuit: ita & Alſtedius, qui & duobus annis fulſiſſe eos dicit. Quam ob rem duo minimum fuerint. Itaquè quicquid de pugnæ Catalaunicæ ſede Chronologica, ibi & hîc à diverſis auctoribus poſita, ſtatuendum ſit, ille Cometa ab iſtis ſeparatim ab eis ponitur. Rockenbachius, qui hîc cum Funccio rationibus aliorum Chronologorum vicinior factus eſt, Eclipſin Lunarem circa hunc annum 454. accidiſſe memorat. Hanc Calviſius ex Trithemio in ann. 452. refert: quo multa in cælo portenta viſa eſſe & Sigonius retulit. Sed ad eventus Cometarum ipſorum veniamus. Vidimus jam nonnullos qui his ipſis annis, quibus viſi ſunt Cometæ, contigerunt, uſque ad caſum

Attilæ vino, ſomno, amore morteque ſepulti, in quo Reges etiam potentiſſimos & orbis victores, gulâ & libidine vinci, & gaudiis luctus miſceri, lucentibus inter hæc & officii mortales commonentibus ſtellis crinitis, manifeſtò videmus.

Tanti tyranni, gentium terroris mortem, diſſidium ejus filiorum & Gepidarum, aliorumque populorum, quos ſibi ille ſubjecerat, victoriæ, & vindicata libertas, ac quietæ ſedes ab Imperatoribus impetratæ ſecutæ ſunt. Inter hæc Pulcheria Auguſta, inter ſorores 4. natu ſecunda, moribus & dignitate prima & pulcherrima, ut & Thoriſmundus Rex Gotthorum Anno 454. naturæ debitum perſolvit. Valentinianus autem, matre Placidiâ paulò ante defunctâ, velut pudoris cuſtode remoto, in vitia præceps lapſus, eodem anno, fidei conjugalis & dignitatis Imperialis immemor, uxorem Maximi Senatoris & Patricii, fruſtrà jam antehàc tentatâ ejus pudicitiâ, per dolum in Palatium accerſitam, inſano & ſceleſto amori indulgens, violat. Quod facinus in Palatio commiſſum Cometæ & triſtis prodigii vicem explevit. Uti enim illud Sexti Tarquinii olim Tarquiniis regnum, ita hoc Valentiniani ei paulò poſt, artibus Maximi, injuriam atrocem callidè ulciſcentis, dextram manum, & quidem ſiniſtrâ manu amputatam, (ſicut nonnemo amicorum ei de occiſo per eum Aêtio, Viro illo fortiſſimo, Hunnorum Orbis Victorum victore & Imperii defenſore in faciem dixit) & ſic velut dextrâ orbo ac inermi vitam, & imperium, huic verò ipſi præſidium ademit. Factum id Anno 455. qui victoriâ Walamiri ducis Oſtrogotthorum (quibus quietas in Pannonia ſedes gratia Imperatoria oſtenderat) de filiis Attilæ invaſoribus obtenta, inſignis extitit. Qui lætus nuncius ad fratrem Victoris Theodemirum cùm eſſet allatus, eodem die natus ei eſt filius Theodoricus, ille celeberrimus, qui poſtea regnum Weſt-Gotthorum in Italiam introduxit. Ita eodem die duobus lætis *nunciis* beatus eſt, ſuppar Philippo Macedoni, quem uno die tres nuncios lætos, *de gemina ſcilicet victoria & nato filio*, accepiſſe ſuprà vidimus. Niſi quòd iſte *Gotthus tunc & fratrem Victorem accepit*, & ſe victorem ſimul eſſe, Hunnis utrique ex æquo imminentibus, ſenſit. At res Romana ſub Maximo, qui onus imperii prægrave ſentiens, ſe Damocle illo, unius prandii rege, inferiorem felicitate agnovit, labi cœpit. Mox enim urbs à Genſerico Vandalo (quem Eudocia Auguſta, prioris mariti Valentiniani mortem in poſteriori marito Maximo parricidium, novæ nuptæ improvidè confitente, peſſimo & publicè privatimque noxio conſilio vindicare volens, ex Africa advocârat) nullo, ut in inexſpectato ſit periculo, reſiſtente capta, atrociter direpta, & intra 14. dies vaſtata. Ita calamitas iſta illam Gotthicam quæ quinto abhinc acciderat novennio, ſed & nuperrimam Hunnicam procellam ſuperârat. Maximus interim & Eudocia juſtas luit pœnas. Ille quòd injuriam uxoris cæde heri ultus ſit, fraude poſterioris uxoris interemptus. Hæc quòd mariti mortem mariti alterius morte & periculo publico vindicare voluerit, in captivitatem cum filiabus abducta, Viro, imperio & libertate orba. Eodem anno 455. *Romani poſtquam hoſtem è finibus exceſſiſſe ac conſcenſis navibus perveniſſe in Africam didicerunt, alacribus* (verba ſunt Sigonii) *ut in tantis calamitatibus, animis patriam receperunt, præter eos, quos hoſtilis libido captivos abduxerat, quia pecuniæ ad ſe redimendos facultas defuerat. Ac mox ſævis urbis vulneribus mederi, quæ populatio ac flamma intulerant, inſtiterunt.* Mox Avitus à Theodorico non tantùm pacem impetrat, ſed ad ſumendam Auguſtam dignitatem cogitur, &, ut erat vir cordatus & ſolers, Reipublicæ vulneribus mederi ſtudet. Quæ tamen, Avito imperium (ultrò an neceſſitatis vi compulſô, dubium) deponente, dehinc magis magiſque variis morbis domi foriſque laborare, ad vitæ, ut ſic dicam, exitium non deſtitit. Sed hæc poſt annum 456. facta à Cometa noſtro longius diſtant. Itaque ulterius gradum promoveamus.

CXV. *Anno Chriſti 457. ſuper inſulam Britanniæ. Stella miræ magnitudinis apparuit, cujus radio gladius igneus, draconi ſimilis, adhærebat. Ex cujus ore duo radii procedebant, quorum unus ultra Galliam ſe extendebat, alter verò verſus Hyberniam tendens, in ſeptem minores radios terminabatur.* Eckſtormius ex Sigeberto.

Apud

APud nullum Auctorem quos habeo, hoc phœnomenon invenio. Præcessit illud terræ motus in Pannonia ingens, bellum inter Gotthos & Suevos acre, invasio reliquæ Africæ per Genſericum, aliaque. Anno autem 457. Marcianus Imperator Orientalis, exeunte Februario, ut Sigonius & Calvisius, vel Januario, ut Onuphrius & Petavius putat, è vita exiit, an ante vel post stellam istam visam, cujus apparitionis tempus non est annotatum, ignoro. Sed satis benè novimus Principes & ante apparitionem talium signorum mori, & post eam nasci. Mortem Marciani Pantaleon in Ann. 459. Aventinus & Funccius in 460. at Helvicus & Alstedius in 456. (458.) ponunt. Marciani locum occupavit Leo Thrax, qui Imperium Occidentale, rectore orbum, Majoriano Viro egregio ex auctoritate commisit. Hujus Imperii initium læta de Alemannis, Romani Imperii terras invadentibus, obtenta victoria, prudens Reipublicæ constitutio & Campaniæ contra aggressorem Genſericum, victis non solùm Maurorum præmissis, sed & Vandalorum auxiliaribus copiis, defensio decoravit. Sequenti anno nec impigrè nec infeliciter rem contra Genſericum in Mauritania, non tamen in Africa gessit. Anno tamen 460. & Theodoricum pactorum negligentem & Genſericum acerrimum hostem ad petendam pacem coëgit. Eadem Theodorici paulò ante contra Suevos fortuna fuit. Aventinus Majorianum & cum Suitonibus, qui Helvetiorum loca ad Rhenum occupaverant, pacem composuisse memorat.* Inter hæc Majoriannus Galliæ pristinam tranquillitatem & lætitiam reddidit, redditurus, ut spes erat, imperio avitam, domitis barbaris (quæ votorum ejus summa erat) dignitatem, nisi Anno 465. ut Funccius, *vel potius, ut Sigonius, Bucholzerus, Calvisius, Helvicus, Alstedius & Petavius aliique putant, 461. ingrati animi & parricidii execranda scelera non veriti, Richimeris magistri militiæ, verius malitiæ, & Severi patricii artibus oppressus fuisset.*

* Annal. 2. p. 169.

CXVI. *Anno Christi 459. Cometa visus est, & alia acciderunt prodigia post quæ inguinaria pestis multos absumsit.* Alstedius.

HUnc Cometam illa exceperunt læta, quæ anno 459. & sequentibus gesta retulimus, non sinè tristium mixtura, quæ in orbe est perpetua. Quæ ex anno 461. gestis reliqua sunt, persequamur. Severus, qui juvante Richimere tyrannidem invaserat, Genſerico Romanarum Provinciarum Africæ litori objectarum, Siciliæ scilicet, Sardiniæ & Insularum Balearidum (quæ nunc Majorica & Minorica) perfido aggressori occurrit. Et factum id quidem *tanta virtute atque animorum mole, ut imperium ejus, alioqui justum ac moderatum, inprimis constans, ipsa littorum insularumque defensio illustrâvit,* referente Sigonio. Id temporis pace inter Svevos & West-Gotthos in Occidente, & in Oriente paulo post inter Ostgotthos (qui & Ostrogothi) Pannoniæ incolas, & Leonem Augustum, persolutis muneribus annuis, quæ tunc quoquè Viris fortibus in mercedem dabantur virtutis, initâ insignitum fuit. Inter hæc Leo Magnus Pontifex Romanus naturæ debitum persolvit. In Gallia Theodoricus novos motus excitavit. *Per eosdem dies,* (verba Sigonii iterum exscribo) *ut Jornandes in Annalibus prodidit, crebris in Gallia portentis est laboratum. Villæ, homines, pecudes passim de cælo tacti; &, quod horrorem majorem incussit, duo juvenes adusti cadaveribus concretis inventi, Viennæ mœnia frequentibus terræ motibus conquassat, ignibusque accensis caducæ culminum cristæ, superjecto favillarum monte. Quin etiam lupi, ac cervi portas urbis ingressi, atquè impunè per forum vagati, terrorem ingentem in hominum mentibus excitarunt.* Ita hæc Sigonius ad annum 462. & tempora Childerici Regis Francorum, ut & Bucholzerus refert. At Calvisius, qui ex ejus diligentia suam instruxit, ad ann. 466. sed Gregorius in epitome gestorum regum Franciæ c. 16. tùm & hist. l. 2. c. 34. rege Clodovæo, filio ejus (qui primus regum Francorum Christo Regi Regum nomen dedit) hoc accidisse memorat. Ita hæc secundùm Sigonium in A. C. 504. at secundùm Calvisium in ann. Christi 500. referenda forent. Annum 464. præter alia læta, felicissima Richimeris contrà Alanos Italiæ invasores victoria,

ctoria, & Romæ reſtitutæ ſplendor illuſtravit. De peſte inquinaria Auctores mei nihil ad illa tempora annotant.

CXVII. *Anno Chriſti* 488. *Cometa inſolitæ figuræ & magnitudinis, aliaque ſigna terribilia in cælo viſa ſunt. Accidit autem paulò poſt, ut Theodoricus Oſtrogothorum Rex, cùm à Myſia egreſſus, & in Italiam profectus eſſet, Odoacrem Italiæ regem, cum quo bis præliando congreſſus eſt, in fugam verterit, cumque Papiam fugiſſet, per triennium eam obſedit. Eodem anno Eorico Viſigotthorum rege mortuo, Alaricus filius in regno ei ſucceſſit. Hoc tempore quoque Chriſtiani perſecutionem acerrimam paſſi ſunt, ab Hamerico rege Vandalorum, Theoderico & Venantio Coſſ. in qua perſecutione multis non ſolùm linguæ mutilatæ, ſed etiam abſciſſæ ſunt, quos tamen divinitùs curatos eſſe rurſus hiſtorici annotant, & ita, ut etiam ſine linguis locuti ſint. Hoc tempore tyrannus quoque Honoricus octavo anno ſui regni morte ſatis miſerabili, cùm corpus jam vermibus corroſum & putrefactum eſſet (utpote tanto ſcelere præmium dignum) vitam ſuam finivit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 488. *Inſoliti Cometæ apparuerunt, & ſecta Arianorum longè lateque graſſata eſt, procurantibus Oſtgotthis.* Alſtedius.

MUltos Principes ſinè prænunciis Cometis mori, hîc quoquè docemur. Nam antè hunc Cometam anno 465. Severus parricidium in Principem Majorianum commiſſum, prudenti & ſolerti Reipublicæ adminiſtratione emendans, dolo Richimeris, qui auctor illius flagitii fuerat, oppreſſus eſt. Pari ſcelere & Anthemius, Severi ſucceſſor, ſceleſti iſtius barbari (qui tribus cordatis Principibus, quorum quiſquè Rempublicam reſtituere poterat, ſublatis, quàm peregrinorum nimia potentia Reipublicæ ſit noxia, & quàm omni Cometâ certius vitia Rerumpublicarum mutationem portendant, docet) ſocer anno 472. ut juniores Chronologi contra Funccium & alios antiquiores aſſerunt, exſtinctus eſt. Inter hæc Hilarius Pontifex Maximus Romanus & Theodoricus Rex Gotthorum 467. Olybrius Imperator vix deguſtatâ ſuavitate imperii anno 472. Leo Imperator 474. & poſt paucos menſes Leo Junior, Auguſtus ab avo creatus, Genſericus ille Vandalorum Rex, Romanorum toties victor, ſemper terror anno 477. vel 478. naturæ debitum perſolvit.

Egidius Rex Sueſſionum & Childericus Francorum Anno 481. Hunericus Genſerici filius, mali corvi malum ovum, quia paternæ crudelitatis in tuendo Arianiſmo æmulus, & alios ſubjectos exactionibus exhauriens, ſævo morbo laniatus Anno 485. ut reliquos taceam ſacros & profanos Principes, naturali morte obierunt. Violentâ verò plures ſublati ſunt. Nam Marcellinus Leonis Dux à Vandalis, ſocio Baſiliſco rem communem contra Genſericum fortem & callidum prodente & propè perdente Anno 468. oppreſſus. Romanus Patricius & Aruandus ob affectatam tyrannidem Anno 470. ſicut & paulò poſt Aſpar, itidem Patricius & Ardubarius filius ejus Cæſar renunciatus, capitali ſupplicio affecti. Baſiliſcus ille paulò poſtquam invaſit imperium Anno 476. à militibus trucidatus. Quo anno, accendendæ contra tyrannum invidiæ, accenſâ urbe Conſtantinopolitanâ inſtructiſſima 120. millibus librorum Bibliotheca & præſtantiſſima monumenta exuſta ſunt. Oreſtes Auguſtuli ultimi Imperatorum Occidentalium pater, & Imperii pro filio puero rector, ac Paulus frater ejus ab Odoacre eodem anno occiſi. Julius Nepos Imperator, qui ab Oreſte imperio exutus ad Glycerium, Anno 474. à ſe imperio exutum, & ad Salonam Dalmatarum pallio Epiſcopali indutum anno vertente confugerat, à malevolis Anno 480. in villa ſua trucidatus. Sceleris auctores Viator & Ovida, ab Odoacre ægerrimè id ferente, intra annum meritas ſubière pœnas. Ricimer ille toties perfidus & parricida in Principes, alter Aſpar & Stilico, diris morbi tormentis excruciatus anno 472. impiam exhalavit animam. Ut taceam alios Tyrannos cruenta morte peremtos (longum enim eſſet enumerare omnes ante annum illum 488. quo ſtella crinita poſt illam anni 459. effulſit, miſerabiliter ſublatos) ad oculum quivis hîc videt, tàm brevi temporis annorum ſcilicet 30. ſpatio plurimos Principes

cipes Sacros & Profanos vario mortis genere deletos fuiſſe. Conſtantinopolis 4. Auguſtos, duos ſcilicet Leones, Zenonem & Baſiliſcum & quintum Cæſarem, hujus filium intrà annum vidit. Roma verò à Severo ad Auguſtulum, qui & Romulus Momyllus dictus, adſpexit. Miro quidem fato. Nam in hoc Auguſti nominis & imperii ſplendor, qui à Romulo intra centum ſeptuaginta quinque annorum ſeptenarios, ſive centum triginta ſex novenarios annorum, ab Octaviano verò Auguſti appellatione ex auctoritate Senatûs ornato, intra octies novem ſeptenarios (ut alias periodos præteream) totum orbem colluſtrârat, inſtar Solis exorientis, meridie lucentis & cadentis, in Occidente occidit. Memoravi alibi ſæpè nomen in omine & certas rerumpublicarum periodos dari. Id exemplo hoc Auguſto confirmatum ibi dedi. Idem in Oriente ibidem demonſtravi in Conſtantino Helenæ filio primo & ultimo Orientis Imperatore. Ubi etiam periodus centum ſexaginta ſeptenariorum obſervatur. Oſtendi etiam Darios in Perſia, tum Brutos Romæ libertatis vindices*. Addo Seleucidarum primum & ultimum Antiochum in Syria regnaſſe. Bucholzerus in hunc cenſum refert Philippos in Macedonia. Sed Perſeum ultimum Macedoniæ Regum (niſi forte & ille Philippus, qui ſe Perſei filium mentiebatur, numeretur) fuiſſe notum eſt. Eodem jure poſſent in Gallia Childerici ſive Chilperici monſtrari. Meliori jure ibidem monſtratur † Carolus Martellus, vel Carolus M. & Carolus Ludovici V. frater, vel certè patruus, ille Lotharingus, & vel hic vel ille cum filiis Ludovico & Carolo, (quibus Hugo Capetus conſentientibus Ordinibus in regno prælatus eſt) vel Carolus Simplex: hic enim captus regno renunciare coactus eſt, quanquam poſtea ejus filius Ludovicus IV. nepos Lotharius & ille Ludovicus V. pronepos, tum Carolus alter vel nepos, vel pronepos (diſſentiunt enim Auctores, & Petavius quidem ſecum ipſo) aliquo tempore, ſed inter motus Procerum regno inhiantium, regnârint. Sed de his in præſens ſufficiant tàm illuſtri Auguſtorum occaſione dicta, quæ etiam futuris uſibus, Deo volente, inſervient. In exilium pulſo Auguſtulo Anno ut diximus 476. quæ caſum ejus anteceſſerunt & ſecuta ſunt triſtia, præceſſerunt etiam Cometam. Nam Anno 465. Vandali varias Imperii Romani provincias infeſtarunt. Anno 467. terræ motus Ravennam, inter hæc bellum Vandalicum graviter Imperium concuſſit, utpote variâ fortunâ Anno 468. geſtum. Oſtgothi in Pannonia Anno ſequenti ferocientes, vicerunt Hunnos. Anno 470. bellum contra Weſtgothos, ſequenti contra Vandalos geſtum. Eodem anno Oſtgothi primùm à Suevis, mox vertente fortunæ rota, hi ab illis victi. Anno 472. ex diſcordia Anthemii & Ricimeris Roma in auguſtias famis & calamitatem peſtis conjecta, mox à Ricimere capta, direpta & fœde lacerata eſt. Anno 472. Veſuvii incendium, poſt illud belli civilis, omnem Europam minuto cinere cooperuit. Anno 473. Oſtgothi Italiam & Illyricum invaſerunt, Weſtgothis ſe junxerunt, & ſic demùm res ſuas in Gallia & Hiſpania magis firmarunt. Hinc victis Sarmatis Romanorum provincias diripuerunt, eoſdemque iterum Anno 474. aggreſſi ſunt, ita ut in Galliis bellum acerrimum Anno quoque 476. fuerit geſtum. Odoacre verò Rege Anno 477. terræ motus per dies 40. Conſtantinopolin quaſſavit. Bellum inter Francos & Saxones geſtum eſt. Hi ad petendam pacem compulſi. Illi Alanos ex Gallia exturbarunt, rege Clodoveo, qui victricium armorum potentiâ & famâ totam Europam replevit. Anno 484. Hunericus in Africa hæreſi Arianæ patrocinium præbens, diſſentientes graviſſimè perſequi cœpit, ut deſcribit Victor, & ex eo Sigonius aliique: ut ita perſecutio illa, quæ poſtea Anno 490. recruduit, ab Alſtedio huic Cometæ tanquam ſingulare quid eum reſpiciens tribui non debuerit. Anno 485. Clodoveus victo & occiſo Syagrio, illius Egidii filio, reliquam Galliæ partem, quæ Romanis adhuc parebat, tenente, Romanos, qui eam per Fabium Max. & Fabricium Luſcinum alioſque duces domitam, à C. Julio Cæſare ſubjugatam tenuerant, omni in eam imperio exuit. Odoacer quoque Anno 487. Rugiam Norico vicinam occupavit & vaſtavit, & mox Rugos omnes in Italiam tranſtulit. Longobarbi verò Rugiam vacuam occuparunt. Theodoricus Amalus Oſtgothorum Rex honoribus à Zenone Im-

* Reinecc. in familia Seleucid. † Aimoini Supplem. l. 5. c. 44. Serres in Ludov. V. & Hugone, Petav. Rat. Temp. p. 1. l. 7. c. 16. & 19. Mich. Ritius de regib. Franc. l. 1. in fine, & l. 2. in principio.

peratore

peratore exhibitis & deliciis ſatiatus, urgentibus ſuis, quorum egeſtati, ſed & libidini rapinis aſſuetæ, pax cum opulento vicino gravis & incommoda fuit, Romanas provincias hîc & illîc aggreſſus expilavit. Atque hæc ſunt ante ann. 488. quo ille Cometa apparuit, geſta. Quis hîc non videat inſignem rerum humanarum ubique gentium ferè viciſſitudinem, quam nullus Cometa præſignificaſſe dici poteſt. Hoc anno quo ſtella hæc viſa eſt, pax cum illo Theodorico redintegrata, poſtero Theodoricus de Bulgaris invaſoribus geminam obtinuit victoriam. E veſtigio, velut obice remoto, ad aſſerendam à tyrannide Odoacris Italiam ab Imperatore ſibi conceſſam profectus eſt, ibique poſtea rem fortiter & feliciter geſſit, & fracto aliquot præliis, ac tandem ſublato Odoacre, regnum Italiæ legitimè accepit. Hujus Regis, licet Arianâ labe pollutus eſſet, moderatio & ſolertia Italiæ ſalutaris extitit. Sed nos ulterius progrediamur, mox tamen de his plura dicturi.

CXVIII. *Anno 500. circiter Imperatori Anaſtaſio Dicoro, Bulgari iterum in Illyricum faciebant impreſſionem, quidam ex Romanis tribunis cum ſuis legionibus ſe illis oppoſuerunt & turpiter victi ſunt. Eam cladem ſtella crinita præſignificavit, & Corvi, qui & ſuprà & ante illos proficiſcentes volitabant*, Eckſtormius ex Zonara.

TOties ante hac, ſed & proximè vidimus, clades & ſtrages exercituum ſine apparentibus Cometis accidere. Hunc Cometam interitus Odoacris cum ſuis in convivio anno 493. à Theodorico conſortem poteſtatis non ferente, peremti, tùm Gelaſii Pontificis Romani ſcriptis clari anno Chriſti 496. & Gundabundi Vandalorum Regis anno 497. anteceſſit. Tùm verò & graviſſimum anno 495. circitèr, *ut Sigonius*, Bucholzerus, Petavius & alii, vel circa ann. 499. ut Funccius, Calviſius & Alſtedius aliique putant, ortum inter Alemannos & Francos bellum, cujus occaſione Clodoveus voti damnatus religionem Chriſtianam cum trium millium turbâ ſuſcepit. Per id tempus Anaſtaſius Imperator Zenonis ſucceſſor, initio quidem moderatus, & in diſſentientes æquus, tandem ad excitandam in Homouſianos perſecutionem animum convertit. Anno 498. Anaſtaſius Pontifex Romanus mortuus eſt. Sequens annus bellum inter fratres Gundobadum & Godiſilum, regulos Burgundiæ vidit, cum iſte illum potentiâ Clodovei ſubvertere vellet. *Annus verò quingenteſimus, ut novo* (verba ſunt Sigonii) *ſic optato Theodorici Regis Romam adventu fuit nobilitatus. Semper ejuſmodi quidem res magna Italiæ proſequentis frequentia, ac majore populi Romani occurrentis lætitia ſolita eſt celebrari, tùm verò cuncti ſe ipſos in ejuſmodi functione muneris ſuperarunt. Quippe quos non officii modò cura, ſed etiam ſtudium ſummi, atque omnibus jucundi regis inſpectandi acueret. Itaque Theodoricus cum magno atque illuſtri comitatu, totâ fermè citeriore comitante Italiâ, Romam progreſſus, felicem illam veterum pomparum, ac triumphorum ſpeciem, atque amplitudinem oculis omnium viſus eſt retuliſſe, neque enim magnifico ejus ingreſſu Roma quidquam per multos annos vidit ſplendidius. Totius gratulantis ac plaudentis civitatis occurſu, incredibilique omnium alacritate, & ſplendido rerum omnium apparatu exceptus eſt, corpus regiæ indolis armis in primis inſignibus honeſtantibus.* Sed & in poſterum Theodoricus non exiguo temporis ſpatio virtutes ſuas in adminiſtratione Reipublicæ explicuit. Sub hujus enim felici imperio plurimæ urbes renovantur, munitiſſima caſtella conduntur, admiranda palatia conſurgunt, *magniſque ejus operibus antiqua miracula ſuperantur*, teſte Viro illuſtri Caſſiodoro, quem Sigonius & Bucholzerus allegant. Quamvis autem ille Arianus eſſet, tamen in omnes æquus & moderatus pacem non tantùm in Republica, ſed & in Eccleſia procurare ſtuduit. Sufficiat verba Sigonii adduxiſſe: * *Juſtitiâ, fortitudine, ſapientiâ atque omni denique laude regia præſtitit: quo factum eſt, ut Italia per multos ante annos revocato in priſtinam ſecuritatem, atque prope etiam ſplendorem Imperio, aut pace firmiore aut otio uberiore, quàm ipſo regnante, non ſit uſa.* Itaque duo Cometæ, qui eo rege apparuerunt, nullâ adverſorum labe ab eo aſperguntur: præſertim cùm uterque ante luxerint, quàm virtus ejus defectum pateretur. Bulgari gens nova ex

* Vid. Avent. Annal. Bojor. l. 2. in fine.

Mœſia

Mœſia (ſive Myſia) provincias Orientalis Imperii infeſtare Anno 402. cœpit. Sed contra hos Theodoricus, ex fide Imperatori data, rebus ejus dubiis auxilium ferre volens, miſſo cum delectâ militum manu Duce Petza, rem in Pannonia feliciter, aliaque proſpera pro Republica magnâ cum omnium lætitia geſſit. Documento eſt monumentum, in quo non tantùm *victor ac triumphator & ſemper Auguſtus, ſed & bono Reipublicæ natus, cuſtos libertatis & propugnator Romani nominis ac domitor gentium* appellatur. Bella hâc tempeſtate varia geſta ſunt, his, quæ eſt perpetua bellorum ratio, triſtia, illis læta. Gundobadus ille fratrem Godigiſilum, Viennâ, illâ ſenatoriâ, Galliæ Narbonenſis, aſtu architecti aquæductibus præfecti urbe pulſi, captâ, in templo interemit. Ita & tunc fraterno maduerunt ſanguine muri, & quidem ſacri, ut pateat, ubi regni ſocium ferre neſcii res agitur, raram vel nullam gratiam fratrum eſſe. Ortum & inter Alaricum Gotthorum & Clodoveum Francorum Reges bellum, quod initio Theodorici pacem conciliantis laudabili ſtudio compoſitum erat. Sed paulò poſt Clodoveus, invidiâ religionis, & regionis cupidine flagrans, bellum Alarico intulit. Hoc iſti mortem, illi victoriam, gloriam, regnum hoſtis, tùm verò & Conſulis ac Auguſti titulum cum diademate ab Anaſtaſio Imperatore, famâ nominis ejus percito Anno 507. attulit. Ita & poſt Cometam læta quoque in variis mundi partibus evenerunt.

CXIX. *Anno Chriſti 519. Cometa viſus ejus formæ, quam Pogoniam à barbæ ſimilitudine nominant, fuit in Oriente, & radios verſus occaſum miſit.* Calviſius ex Cedreno.
Anno Chriſti 519. Viſus eſt Cometa barbatus, qui portendit terræ motum, quo multæ urbes & homines perierunt. Alſtedius.

COmetam hunc præceſſit ortum Anno 508. bellum inter Clodoveum & Theodoricum, nimiæ ejus potentiæ ex æmulatione & metu reſiſtentem, Variâ fortunâ geſtum: cædes Regis Britanni Nazaleod, & clades Britannorum, & Italiæ litorum depopulatio per Anaſtaſium Imperatorem, Theodorico ob ademtam Pannoniam iratum. Anno ſequenti pace inter Theodoricum & Clodoveum compoſitâ, bellum ab utroque affinitatis vincula rumpente, Gundabundo infertur. Eorum victoriam, mors Gundubundi Anno 510. hanc anno ſequenti Geſalrici, qui Alarici ex concubina filius tyrannidem invaſerat, à Theodorico pupilli Amalarici tutore pulſi, cædes excepit. Anno 512. Veſuvius exuſtuans & pulvereis fluminibus ſæviens Campaniam vaſtavit, imò ut Sigonius addit, *cineribus provincias quoque Tranſmarinas obruit.* Anno 513. Eſca Hengiſti illius Celeberrimi Cantaurienſis Regis, quo duce Anglo-Saxones Britanniam invaſoribus Pictis & Scotis ereptam ſibi vindicárant, filius: Anno proximo 514. Symmachus Pontifex Romanus de vita ceſſit. Pariter Clodoveus inſignis ille bellator, Francorum Rex, ſicut Funccius, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Serres & alii putant. At ex Gregorio Turonenſi, ut diverſæ operum ejus editiones, Victor Giſelinus in Chronologia vitæ B. Martini, Sigonius & Petavius in anno 511. (in quem Clodovei, S. Ludovici & Theodonis I. Reguli Bojorum mortem Aventinus ponit) ab exceſſu videl. S. Martini Centeſimum duodecimum (ſicut & Ado putat) mortem ejus referunt. Verum tamen Gregogio S. Martini mortem in annum à paſſione Chriſti CCCCXII. l. 4. c. ult. Sigonio autem in 397. à nativitate ponente, Petavio mors Clodovei in 558. Sigonio in 509. à Chriſto nato, utpote à morte S. Martini CXII. erat collocanda. Sic & Petavio cum Sigonio conveniret, ſi ille Clodoveum ſexaginta ſex annis ante Sigebertum (cujus mortem in 575. ponit) obiiſſe cum Gregorio l. 4. c. ult. docente (vid. & epit. geſt. Franc. c. 73.) dicere velit. Bucholzerus utramque ſententiam de anno 511. & 514. memorat, At Aimoinus nil certi ex epocha Chriſti, librarii tamen vel potius vetuſtatis vitio ponit l. 1. c. ult. Quod ſi, ut Magnus Scaliger docet l. 6. de emend. temp. anni illi in Gregorio à paſſione Chriſti corrigendi & pro CCCCXII.

tantùm CCCLXII. ponendi, & annus Christi 395. quod & Christianus Massæus l. XI. Chron. vult & affirmat, morti S. Martini tribuendus est, dehinc annus Christi 507. utpote ab excessu S. Martini 112. morti Clodovei erit assignandus. Sed adhuc obstat, quod Georgius Hornius in suis ad 2. ep. Sulpici Severi notis probet Anno Christi CCCCII. S. Martinum obiisse. Ita dehinc annus CXII. esset Christi ille DXIV. quo Clodoveum mortuum esse tot auctorem fide diximus. Ariadna quoque Imperatoris uxor Anno 514. obiit. Anno 516. Oceanus Frisiam inundavit. Anno 517. Palæstina siccitate & inopiâ pluviæ per quinquennium afflicta est, terræ verò motus ille, quem Alstedius memorat, quo scil. 24. Castella momento eversa sunt, Anno 518. in Dardania accidit, notante Calvisio, Alstedii magistro. In eundem annum refertur à scriptoribus mors Anastasii Imperatoris, qui initio moderatus & in dissentientes de fide ex fide datâ æquus, tandem hâc violatâ acerrimus Chalcedonensis Synodi defensorum persecutor, ita ut & ad quaternitatem in divinis confitendam homines adigeret, * in medio sacra tyrannidis æstu fulmine extinguitur, ut plerique tradiderunt. His temporibus bellum Theodorici contrà Alemanos Sigonius adscribit. In annum 519. quo Cometes apparuit, Sigonius maximum Romanæ urbis novi Consulis Eutharici, qui gener Theodorici Regis fuerat, & liberalitate ergà Romanos semetipsum vicerat, munificentiam sibi gratulantis refert. Calvisius verò etiam regnum West-Saxonum in Anglia institutum, & Wachonis Longobardorum Regis mortem: in 520. verò cædem Vitaliani, nimiæ potentiæ suspecti, & ad invadendam tyrannidem parati, sed & pacem cum Persis initam & Imperatoris Justini in constituendis Ecclesiæ rebus curam. Aventinus verò cladem Romanis à Theodone 2. regulo Bojo illatam ponit. Dehinc Calvisius *anno 521.* publicam lætitiam ex magnificentia & munificentia Justiniani *Consulis populo* creatam memorat. Hic Consulatus contrà legem Marciani adeò *insignis fuit ludis atque* muneribus, ut facilè priores superaverit, Pomponio Læto judice. *Eodem anno* Dyrrachium & Corinthum terræ motibus concussas & eversas, ac Justini Imperatoris liberalitate instauratas; sequenti Vandalos à Mauris victos, illorum Regem Thrasamundum mortuum, Colchorum sive Lazorum Regem ad Christum conversum esse Calvisius scribit. Funccius tamen & Petavius hujus conversionem in annum 525. removent: illius mortem Funccius etiam in 522. at Sigonius in Annum 524. refert.

* Theophan. Zonoras, P. Diacon. Blondus. Pompon. Lætus. Aventin. Sigon. Pantal. Funccius, Egnatius, Bucholz. Calvis. Petav.

CXX. *Anno Christi 531. Imperii Justiniani V. conspectus est Cometa, qui ob radios sursum instar facis porrectos Lampadias dicebatur, & per dies 20. fulgebat.*
Secuta est seditio in urbe Constantinopolitana, in qua 2. millia civium sunt cæsa. Eckstormius ex Zonaræ Ann. Tom. 3. in Justin.
Anno Christi 533. sub Justiniano ardet Cometa: quem sequitur terræ motus decendii, seditio Constantinopoli, pestis Antiochiæ & alibi locorum. Alstedius.

DIscrimen annorum facilè hîc discrimine epochæ vulgaris & veræ tollitur. Tristia in orbe sine Cometis evenire, & hîc verbo monebo. Theodoricus ille tantoperè laudatus, postquam à priori integritate, & à semetipso fortunæ blanditiis victus, degenerasset, & in Joannem Pontificem Symmachum & Boëthium ejus generum, Viros consulares & per omnia Clarissimos, injustè ad mortem Anno 526. sævissset, ipse paulò post, serâ pœnitentia ductus, obiit †. Multi subitò nusquam comparuisse, auctore Aventino, prodiderunt. Antiochia verò ingenti terræ motu & sex dierum incendio, postquam annos 800. stetisset, periit. Sigonius Anno 525. & Constantinopoli & Antiochiæ gravissimo terræ motu laboratum esse, ait. Longobardi Pannoniam occuparunt. Bella domestica in Burgundia exorta sunt. Anno 527. Justinus Aug. & Oldibaldus Rex Frisiæ mortui sunt, Hermenfridus Thuringiæ Rex à Theodorico Francorum Rege ingenti prælio victus & occisus: (quod tamen Sigonius

† Annal. 3. p. 191.

Anno

Anno 521. accidisse affirmant.) Persæ Romanos Colchis auxiliantes discordes Anno 528. vincunt, & mox conversâ belli fortunâ & instauratâ, novi Ducis ab Justiniano Imperatore missi adventu concordiâ vincuntur. Eodem Anno Antiochiæ nova ædificia cum 4870. hominum ruina corruerunt terræ motu, qui horam integram cum horribili mugitu duravit. Anno 530. Hildericus Vandalorum rex infelix & desès à fratre Gilimere regno spoliatus, cum liberis carceri inclusus. Theodoricus Rex Francorum bellum in Almaricum regem Gothorum parans, tùm Felix Pontifex Romanus, & Dioscorus in ejus locum electus, morte extincti sunt. Anno sequenti exorta est quorundam Patriciorum contra Justinianum Imperatorem seditio, quæ cum sanguinis effusione per Belisarium sopita est: tùm & mors Almarici Gotthorum in Hispania Regis, (Taraffa hunc in Anno 523. refert) tùm Bonifacii Pontificis Romani & Cabadis Regis Persarum, & inter hæc bellum contra Persas à Belisario successu dubio gestum secutum est. Inter hæc Amalasuntha Athalarici & Almarici, si Taraffæ credimus, cum Sigonius Almarici matrem Theudetusam vocet, mater, de Theodorico præpotenti Francorum Rege, Clodovei filio, nobilem reportat victoriam, & Burgundionum Regem ad obsequium reducit, sicut Cassiodorus apud Sigonium refert. Eodem Anno 532. pestis inguinaria orbem miris & diris cruciatibus & symptomatis, ut Sigonius memorat, afflixit. Sed talia aliaque plura naturali rerum cursu sine apparitione ullius stellæ crinitæ accidere, supra toties vidimus. At verò eodem illo Anno 532. pax cum Persis inita est missis invicem muneribus, ut notat Calvisius. E vestigio secutum est bellum injustum & infelix Francorum contra Gotthos in Hispania, at felix Belisarii, deditâ Carthagine, contra Gilimerem crudelem Vandalorum Regem, qui fratrem Hildericum excæcatum, diu captivum, tandem cum pluribus Proceribus injustè trucidaverat: Hildericum quoque, Amalefredæ reginæ viduæ innocentis interfectorem divinâ assequente vindictâ.

Gilimer regno, imò & libertate exutus, ac Constantinopoli Anno 534. in triumphum ductus, vanitatem rerum, jam olim à Sapientissimo & Ditissimo Clarissimoque Regum Salomone agnitam, confessus est. Inter hæc annum 533. *& tertium Consulatum suum Justinianus longè Africanæ victoriæ splendore fulgentem, simul etiam memorabili horum librorum editione insignem posteris relinquere voluit. Ac mense Novembri Institutiones, Decembri verò Digesta vulgavit, edicto proposito, ut hæ leges vim haberent à tertio Kalendas Januarias, tertio consulatu suo, quo sibi Deus concessisset, ut victoriam nobilissimam, Carthagine, Africaque receptâ ex Vandalorum gente, referret*, ut ait Sigonius. Annus ille 534. insignitus est Constantinopoli illo ditissimo & splendidissimo triumpho, at fame in Italia, quæ tamen Cassiodori Prætorio Præfecti industria & beneficentia allevavit, ita ut illud malum vix sentiretur. Idem annus nobilitatus est morte Joannis Pontificis Romani ac Cerdicii Occidentalium Saxonum Regis in Anglia primi, tùm Atharici Regis Gotthorum, cui pravitas morum morbum & mortem acceleraverat, nec non Amalasunthæ (Amalovindam Aventinus l. 3. Ann. vocat, & mortem in Ann. 532. ponit) matris ejus, fœminæ prudentiæ & magnanimitate sexum superantis, & omnibus virtutibus ad miraculum, ut Sigonii verbis utar, exornatæ, à Theodato rege, quem illa ipsa ad regnum promoverat.

Sed eodem anno natos Principes, quis annotavit? Nati tamen illi erant qui eis successerunt. At verò eodem anno postquam Vandalorum in Africa regnum, quod ab anno 428. intra 15. septenarios & 12. novenarios annorum (ut multorum rationes ferunt, Aventinus enim tantùm 94. Helvicus autem 96. annos regno eorum tribuit, quod tamen solum ad occupatam Carthaginem, ipso Helvico indice & Petavio judice referendum est) steterat, in Gilimere desiisset, Africa recuperata, & in 7. provincias divisa.

Fœdus quoque cum Iberorum Rege, qui Constantinopoli cum uxore, liberis & Comitibus baptismi Sacramento suscepto, in verba Regis Regum juravit, percussum, aliaque læta evenerunt.

CXXI. *Anno Christi 535. Hâc hyeme cum Sol in Capricorno esset, ingens Cometa apparuit in Sagittario.* Calvisius ex Proconio.

Anno Christi 539. Cometa mense Decembre in Sagittario visus est. Quem postea mox bellum cum Gothis in Italia secutum est, sed tandem gens ista penitus à Narsete, auxilio Longobardorum, victa & deleta est. Rockenbachius.

NOn dubito eundem esse Cometam. Nam circumstantiæ temporis & signi cœlestis, tùm verò & ratio eventuum secutorum id docet. Imo verò hæc postulat, ut apud Rockenbachium annus 535. ponatur, siquidem ei cum Magistro Funccio benè convenire debeat. Funccius enim belli illius Gotthici, omnium celeberrimi, initium, quod ferè cum Cometa Rockenbachius conjungit, in annum 535. ponit. Videbimus quidem mox Cometam 540. in Sagittario, imò & priorem Cometam Anno 538. & 539. sed isti cum hoc non sunt confundendi. Rerum enim seriem in Rockenbachio & aliis Scriptoribus ante omnia specto. Ita Rockenbachio benè & cum Calvisio conveniet, qui pariter, ut & Bucholzerus cum Procopio, belli initium ad eundem annum, Consulatu solius Belisarii insignem, refert. Ita & Pantaleon, Sigonius, Sabellicus, Helvicus, Petavius ex Marcellino, & alii quos nominare omnes non attinet*. Aventinus autem belli initium in Ann. 537. finem in 555. ponit. Cometæ apparitionem, quæ in Decembri evenit, præcessit mors Joannis II. Pontificis Romani & Gorani Scotorum Regis, alios Viros illustres ut taceam. Neque verò tàm Cometa bellum istud, quod 18. annis duravit, portendit, quàm inveteratum Imperatorum adversùs Gotthos Italiæ invasores odium, tùm recens Theodahati Regis eorum facinus meritò detestandum. Is enim, ut diximus, Amalasuntham, Reginam illam laudatissimam, linguarum scientiâ Cleopatræ & Mithridati similem, & de Italia benè meritam fœminam, quæ in societatem thori †, si Aventino contra alios credimus, eum assumserat, perfidus & parricida simul nefariè sustulit. Incitaverat Justinianum ad recuperandam Italiam felicitas imperii Africâ recuperatâ, & victoriâ de Persis partâ ‡: Invitaverat autem mater illa rerum gerendarum occasio, primùm discordiâ res Gotthorum labefactante, deinde rege Theodato ignavo, & libris potius scribendis quàm rebus gerendis aptiore, & ut ob avaritiam suis, & quidem Thuscis libertati & liberalitati assuetis, ita ob parricidium plerisque, Reginæ partes sequentibus, exoso, Italiam tenente, frustrà verò Constantinopolin ad ingentes divitias & fruendum Italiâ relictâ literarium otium invitato. Auxit prosperi successûs spem societas armorum cum Regibus Francis inita. Itaque antequam Cometa fulsisset, occasio & spes recuperandæ Italiæ Justiniano affulserat. Innuit hoc Sabellicus, indicat Petavius, explicat Aventinus & Sigonius. *Recepta* (inquit iste ad Ann. 434.) *Africa lux aliqua recuperandæ Italiæ est objecta*, & quæ sunt alia plura, quæ apud Auctorem egregium videantur. Itaque ad hanc priorem, non illam posteriorem stellæ crinitæ lucem referatur bellum istud Gotthicum, quod judicio Sabellici, *pro Italiæ libertate cum Gothis est in ipsa Italia gestum, fortunæque varietate, urbium & populorum cladibus tàm insigne & memorabile quàm memoratissimum aliud à condito ævo in ipsâ terra gestum.* Atque à talibus cupiditatum & occasionum in terra ardentibus, non ab ullis Cometarum vel aliorum phœnomenæ facibus in cælo ardentibus, bella cuncta, quibus assiduò flagrat orbis, accenduntur. Annus ille 535. Helici Consulis & Ducis Belisarii virtute recuperatam Siciliam, rem in Dalmatia primùm æquâ fortunâ gestam, mox Dalmatiam & Liburniam pariter recuperatam vidit. Anno sequenti Neapolis stratagemate capta Theodahatus occisus, Vitiges in regem à Gotthis electus, filiam Amalasunthæ matrimonio sibi junxit, Francos Galliâ & pecuniâ traditâ ab Imperatore retraxit. At Belisarius Romam & infirmo tàm Gotthorum præsidio, quàm civium erga eos affectu custoditam, nullo negotio inivit, urbem muris & annonâ munivit, & multas urbes & provincias Italiæ deditione accepit. *Quo pacto Italia tota*, ut Sigonius ait, *à freto Romam usque juris Romani effecta est.* Anno 537. res ambiguo Marte gesta, tàm à Bessa

* l. 3. Ann. p. 195 & 197. † Vid. Platina, Taraph. Sabell. Sigon. ‡ Vid. Avent. Annal. Bojorum l. 5. p. 195.

quàm

quàm à Beliſario, qui non procul ab urbe inſperatò in Gotthicas copias incidens fortiter cum exigua manu contra eos pugnavit, etſi ab hoſte per tranſfugas agnitus ſagittarum nimbis appeteretur, *fortunâ in eo ſecundiſſimâ uſus, quòd ab omnibus petitus nullo vulnere ſit affectus*, ut Sigonius refert. Mox urbs à Gotthis obſidione annuâ cincta eſt: cujus incommoda vix illa ſentit, prudenter à Beliſario in tempore paratâ annonâ, & inutili turbâ, fruges conſumere natâ, Neapolin initio obſidionis miſſâ, ac re fortiter & feliciter per omnia geſtâ, ita ut Gotthi & peſtilentiâ & Romanorum virtute afflicti, veriùs obſidionem perferrent, quàm inferrent, omnibus rebus neceſſariis intercluſi, & ad pacem petendam & obſidionem Anno 538. ſolvendam compulſi, imò advolante cum auxiliaribus copiis Narſete Eunucho, Viro belli ſcientiſſimo & acri, in anguſtias redacti. Inter hæc Anno 537. Conſtantinopoli Juſtinianus templum magnum Sophiæ dedicavit, quod olim à Conſtantino Magno ædificatum, & nuper conſumtum, ipſe tantâ operis magnificentiâ reſtituerat, ut ſe viciſſe in eo officio vel ipſam Salomonis gloriam, Sigonio referente, prædicaret.

CXXII. *Anno Chriſti* 538. *Cometi ſubſecuta tanta fames, ut homines ſuas carnes vorarent.* Ricciolus ex Idatio.

NOllem profectò unquam Cometam unum bis ponere. Quamobrem cum hoc Cometa eundem eſſe puto illum quem Eckſtormius in ſigno Libræ viſum, annotante Herlicio, in Anno Chriſti 539. *Juſtiniani* 12. ponit, quo Coſroës Perſarum Rex ruptâ pace Ciliciam & Syriam invaſit & Antiochiam cœpit. Fateor tamen me inter diverſas Chronologorum tabulas animi dubium hærere. Nam annus Juſtiniani duodecimus anno Chriſti 519. Calendis Auguſti finem accipit, conſentientibns Sigonio, Funccio, Bucholzero, Calviſio, Petavio & aliis, ut ita annus Chriſti 539. Juſtiniani decimus tertius, currens ſcilicet à Kal. ſextilibus, Helvico dici poſſit. Sed ſi Coſroïs irruptionem & progreſſus belli reſpiciamus, ſecundùm Sigonium & Funccium rectè ſe adhùc habent rationes. At Calviſius & Petavius hoc in 540. referunt. Ita Cometa Eckſtormianus Anni 539. poſſet ab illo Ricciolano anni 538. diſcerni. Quod ſi firmis rationibus adſtrui poſſit, non invitus de ſententia cedam. Triſtia quæ Cometam hunc præceſſerunt, anno ſaltem 537. ad Cometam qui proximè præceſſit videnda. Annus 538. læta triſtiaque attulit. Læta Romanis Narſetis cum auxiliari exercitu in Italiam adventu gaudentibus, & rem proſperè contra Gotthos hîc & illîc ſe dedentes, ſine ſanguine quoque gerentibus. Ita enim Urbinum, ita tota Æmilia recepta. Triſte verò & luctuoſum evenit Mediolani deditio Gotthis, & per eos fidei datæ immemores, urbis everſio, & 300. millia hominum cædes facta. Ex eo Mediolanenſis & Picenus ager belli, ut fit, fructum, diram famem & peſtem, tulit. Hæc tamen an præceſſerint an verò ſecuta ſint ſtellæ crinitæ apparitionem ex auctoribus non apparet. Proximo anno novus Cometes, ſed in terra arſit. Nam dum fortuna belli Romanis magis propitia eſſet, *Franci afflictas Gotthorum vires audientes, cupiditate occupandæ Italiæ exarſerunt* (verba ſunt Sigonii) *ac fœderis cum Gotthis & Romanis icti oblitî, cum centum hominum millibus, Theodeberto rege duce, in Liguriam deſcenderunt, ac, Pado tranſmiſſo, ad caſtra Gotthorum venerunt, qui eos tanquam ſocios auxilio veniſſe rati, hilariter exceperunt. Verum mox caſtris exuti Ravennam ſe trepido agmine contulerunt. Franci binis caſtris, ſed ſine milite, potiti, res neceſſarias inventas brevi abſumſerunt, & carne bubillâ, & aqua Padi repleti (neque enim aliud in iis locis eſculentum, aut potulentum erat) partim dyſenteriæ morbo correpti ſunt, ac tertia pars perierunt. Beliſarius ubi Francos adeſſe, & Joannem Martinumque victos fugam cœpiſſe audivit, literas ad Theodebertum ſcripſit, monens, ut fœdus ſervare, neque Imperatorem bello laceſſere vellet. Quibus lectis, Theodebertus pudore captus, multis ex ſuis amiſſis, domum repetiit.* Hæc mala iſte vicinior ambitionis Cometes portendit. Paulò poſt Beliſarius Fæſulas & Auximum deditione accepit. Mox admoto Ravennæ exercitu cum Vitige, Francorum amplis promiſſis tertiora Beliſarii præferente, pacem contra Gotthorum, modeſtiam ſuam regni Italici obla-

oblatione tentantium, & Narſetis aliorumque æmulorum artes ſalvâ per omnia & ſuâ fide & Imperatoriâ majeſtate, & hoſtis ipſius hoc rerum ſtatu petitione, compoſuit, ac Vitigem cum uxore & regia præda in Orientem, quo ad bellum Perſicum propulſandum vocabatur, abduxit.

CXXIII. *Anno Chriſti* 540. *hoc eſt, anno imperii Juſtiniani* 13. *Cometa pluribus diebus apparuit, primâ quidem parte viri magnitudine in Occidentem verſus, poſteriore autem longè major in Orientem ſpectans: Solem in Capricorno exiſtentem, ipſe in Sagittario ſequebatur. Xiphiam vocant, quòd longè in acutum tendat, nonnulli Pogoniam. Haud dubiè Hunnorum ſævitiam & lanienam horribilem, quam in tota ferè Europa exercuerunt eo ipſo & ſequentibus annis deſignavit.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccleſ. cent. 6. cap. 13. & ex Procopio lib. 2. de bello Perſico.

HIc annus urbi Conſtantinopolitanæ & Orienti novam lætitiæ lucem attulit. Adductus enim eſt Rex Vitiges cum uxore, Proceribus & prædâ eximiâ. Beliſarius ab Imperatore omnibus honoribus exceptus, quamvis in curru non triumpharet, triumphabat certè in animis populi. Nam cuncti ore duas victorias quas retuliſſet, quales nemo ante vidiſſet, & quòd reges duos captivos (illum ſcilicet Gilimerem & hunc Vitigem) adduxiſſet, & opibus ærarium locupletaſſet, tum corporis & animi dotes celebrabant. Res inter hæc Gotthorum proſtrata in Italia, Ducibus Imperatoris privatæ magis quàm publicæ rei curam gerentibus, erigi, & mox inter Gotthos obortâ diſcordiâ inclinare cœpit. Ildobaldus (qui & Theudibaldus, *Vitigi ſubrogatus*, orto inter ſe & Vrajam ducem ſtrenuum ex levi uxorum offenſâ *diſſidio*, eundem oppreſſit, & mox ex cauſſâ uxoris defuncti, quam proco Beſſæ præreptam Gottho cuidam in matrimonium tradiderat, ab illo interfectus eſt. Egregia hîc exempla conſideranda veniunt, quæ monſtrant privatas res & diſcordias & inſanos mulierum amores publicæ rei ſemper nocere. Liceat hîc quoque dicere, illam muliebrem contentionem, meliori jure, quam ſtellam crinitam maritis necem portendiſſe. Hic etiam annus proſperis Perſarum contra Romanos ſecundum Calviſium & Petavium, & Romanorum duce Beliſario contra Perſas, ſecundum Sigonium & Funccium, ſucceſſibus inſignis extitit.

CXXIV. *Anno Chriſti* 541. *Cometa in feſto Paſchatis una cum aliis terribilibus cœli ſignis, quod ardere viſum eſt, ac verus ſanguis in veſtimenta hominum pluit, in diverſis Galliarum partibus apparuit. Hæc paulò poſt ſequentia ſunt ſecuta prodigia: terræ motus univerſalis per totum terrarum orbem factus eſt, quo præ reliquis urbibus Epidamnus Urbs, quæ hodie Dyrrachium dicitur, unà cum Corintho in Græcia ſita, & Anaxerbo gentis Ciliciæ civitate maximum damnum paſſa eſt. Quas tamen urbes omnes, Juſtinianus Imperator magnis ſumtibus reſtituit. Civitas quoque Edeſſenorum, Felix dicta, quæ populoſiſſima & opulentiſſima in provincia Oſcænorum fuit, exundatione amnis, qui Scirtus dictus eſt, ita eſt lacerata & devaſtata, ut non tantùm multa ædificia corruerint, ſed etiam magnam hominum multitudinem ſubmerſerit. Hæc ubi facta ſunt, ſtatim inſtar torrentis per mediam urbem profluentis, exundatio illa evanuit. Malum autem hoc ubi ceſſavit, ſtatim tabula marmorea apparuit, literis Hieroglyphicis hæc ſignificans:* Saltabit civi ſaltum ſaltator acerbum.

Deinde Perſarum Rex Coſroës dictus, quater in territorium Romanorum irrumpens à Beliſario repulſus eſt. Poſtea Beliſarius, Perſico bello præfectus, Siſauranum deditione occupavit. Artabanes Africam & Carthaginem à Gontharidis tyrannide liberavit. Heruli Sclavinos apud Iſtrum vicerunt. Rockenbachius.

IN eundem annum Eckſtormius ex Schoſſero Cometam, & ad eum morbos inopinatos, qui ſecuti ſunt, ulceraque refert. Eventus à Rockenbachio notati non parum

parum nobis faceſſunt negocii. Primùm enim illa prodigia à Gregorio Turonenſi * in annum ſeptimum Childeberti Regis, Chilperici & Gunthrammi viceſimum primum, qui ſecundùm Funccium eſt Chriſti 585. referuntur, ubi & morborum malignorum, ulcerum & inguinariæ peſtis mentio fit. At motus terræ, qui Dyrrachium & Corinthum afflixit, in 521. à Calviſio ponitur. Hæc quomodo conciliari poſſint non video. Quanquam & de annis Childeberti & Chilperici non levis occurrit difficultas. Sigeberti enim (cui Childebertus ſucceſſit) necem à Fredegunde Chilperici uxore, dum ab eo cum marito Tornaci obſideretur, procuratam Funccius in ann. 578. Calviſius in 579. at Petavius in 575. ponit. Chilperici verò regnum Funccius Anno 565. Serres ab Anno 578. ille 22. hic 14. annos regni tribuens, ibi ſcilicet ante mortem hîc poſt mortem fratris Sigeberti. Sed in Serre neceſſario pro 14. annis regni, licet expreſſè poſitis, ponendi ſunt anni decem. Nam & Chilpericus in univerſum 24. annos, aſſerente Calviſio, vel 22. Funccio & Helvico putante regnavit, & ipſo Serre teſte ab Anno 578. regni primo ad 588. vitæ ultimum decem tantùm anni intercedunt. At enim Petavius mortem ejus, uxoris Fregedundis & Landrici adulteri artibus accerſitam in 584. Childeberti 9. refert, annum 588. conſentientibus Funcio, Calviſio, Helvico, Alſtedio & Serre. Sed hæc Chronologis relinquimus, & ad Cometam noſtrum redimus. Eventus ei ipſe Rockenbachius ſubjecit mixtos, lætos ſcilicet & triſtes; nec tantùm his lætos, illis triſtes, ut ſunt victoriæ, urbium expugnationes vel deditiones aliaque (cuncta enim hîc conſideramus ratione utriuſque partis, vel etiam univerſi generis humani habitâ) ſed etiam omnibus proſperos & lætos. Hujus generis eſt urbium terræ motu afflictarum reſtitutio, munificentiâ Imperatoris facta, & noxia exundatio hiatu terræ abſorpta. Annus ille 541. celebris extitit electione & morte Ararici, quem ad regiam dignitatem evexêre Rugi Gotthorum ſocii, his invitis, qui etiam ideo facilè regiam poteſtatem Totilæ viro forti & cordato detulerunt. Is dehinc lætum ſuis principatum reddidit, re proſperè geſta contra Romanos, qui multitudine & diſcordia ducum, veteris exempli in Caria obliti, tum laxiori diſciplina rem ſæpius improſpere egerunt. Totila contra expedito imperio, diſciplinâ ſeverâ in milites, clementiâ verò in ſubjectos, benignitate in captivos, res ſuas prudenter non tantùm tutatus eſt, ſed & auxit. Ita enim Anno 542. navali prælio Demetrium ducem vicit, Neapolin in deditionem accepit, & alibi tàm hoſtes virtute vincit & terret, quàm ſuos devincit, ipſoſque captivos ad voluntariam defectionem allicit. In annum 541. à Calviſio, à Funccio in 543. Adad Æthiopum Regis converſio, ille verò terræ motus, qui per univerſum orbem fuit, in 543. ab illo, 544. ab iſto refertur. Anno 543. Beliſarius in Italiam denuò miſſus rem propè perditam reſtituere incipit, induciæ in quinque annos cum Perſis factæ, eodemque anno pax omnibus Afris rediit, ut ex Procopio Calviſius refert.

* l. 6. c. 14.

CXXV. *Anno Chriſti 550. Cometa in forma lanceæ apparet. Roma capitur à Totila. Hunni devaſtant Franconiam & Thuringiam.* Alſtedius.

TAlem Cometam in Annum 557. ponit non tantùm Funccius, ſed & Eckſtormius, ut videbimus. Sed ille cum hoc quâ ratione conjungi poſſit non video. Nam ſi apud Alſtedium annum 556. legamus, eventus ab eo nominati longè poſteriores ei ſubjici non poterunt. Romam enim iteratò Totilas occupavit Anno 550. ut Funccius & Calviſius putant. Sigonius autem, Bucholzerus & Petavius Anno 549. factum dicunt. Sed en novam difficultatem! Nam illa Hunnorum in Franconiam & Thuringiam irruptio à Funccio & Calviſio (vid. Gregor. l. 4. c. 23. Aimoin. l. 3. c. 11.) in Ann. 567. ponitur. Sed his diligentiæ Chronologorum relictis, ad Cometen redeamus. Præceſſit eum fames, quæ Placentiam obſeſſam Anno 546. graviſſimè afflixit. Sed longè gravius Romam, quam & hoſtis potentia quaquaverſùm commeatu ademto, & præfectorum vecors avaritia (ſicut & tempore Alarici factum eſt) ad

extrema

extrema inediæ adegerat. Eodem anno Totilas proditione Isaurorem urbem occupavit, & parum abfuit quin eam everteret, nisi scito Belisarii dilemmate, id, sive victor sive victus evaserit, ei non convenire, à proposito abductus fuisset. Eodem anno Belisarius urbem vacuam repetiit, Totilas verò ab hoste custodiri cœptam aggressus est, & mox digressus Roscianum 548. anno obsessum, sequenti anno deditione accepit & Perusiam cœpit. Eadem tempestate, Franci, Gepidæ, Longobardi & Heruli, dum vident res Gotthorum inclinatas, & Italiæ inter potentium exercituum certamina ruentes, ad diripiendam (ut cadente quercu quivis ligna colligit) animos & arma convertunt. Proximo ante Cometam anno Roma à Gotthis obsessa, & iterata Isaurorum stipendia sibi non exsolvi ægre ferentium, proditione capta est. Tunc & Rheginos fame domitos Gotthi in deditionem acceperunt, & Siciliam impunè populati sunt, & Verum Romanorum Ducem ad Ravennam internecione deleverunt. Dum hæc in Italia aguntur, Anno 546. bellum Laziis ad Persas deficientibus Romani Anno 546. inferunt. Proximo autem Gepidæ Longobardos adorti post 60 millium stragem mutuam, vincuntur, occiso Rege, & amissâ sede, quam Hunni occuparunt. Anno 548. inter Danos & Frisios irruptionibus & rapinis certatur. Theudius Rex Gotthorum in Hispania trucidatur †, Successor ejus Theodisilus post annum moritur, ut quidem Calvisii rationes ferunt, aliis aliter putantibus. Anno 547. ut Funccius putat, vel, secundum Calvisii rationes Anno 548. Constantinopolin & vicina loca terræ motus, Ægyptum Nilus magis quàm unquam antehac exundans afflixit. Proximo ingens conspiratio adversùs Justinianum detegitur, seditio oritur, Constantinopolis incenditur, Imperator coronam, octavo demùm mense inventam, & Theodoram Augustam, Theodebertus verò rex Francorum vitam amittit. Quæ Cometam secuta sunt, mixturam lætitiæ & tristitiæ rebus mortalium *solemnem confirmant*. Sclavini namque Romanorum provincias invaserunt. Narses *ille Eunuchus* Anno 551. in Italiam reversus rem Romanam restituit. Gotthos ad Anconam, portum toto orbe celeberrimum, navali prælio vicit, & mox in Sicilia domuit. Hi contrà Corsicam & Sardiniam occuparunt. At Anno 552. magno prælio ad Apenninum victi, fusi & fugati Totilam amiserunt, qui Theodorico antequam is degenerasset, justitiâ, prudentiâ, aliisque virtutibus Regiis meritò comparari potest. Narses tantæ victoriæ fructum, non tantùm Romam, sed & universam Italiam (frustra, etsi fortiter repugnantibus Gotthis duce Teja, quem Totilæ suffecerant, quique paulò post in prælio occubuit), Anno 553. fœdere cum Gotthis percusso, tulit. Non tantum enim eam anno postquam ab Odoacre * Anno 476. occupata erat septuagesimo septimo, postquam verò Theodoricus primam, ut ait Sigonius Anno Christi septuagies septimo, id est, 490. iniit, novies septimo, in libertatem asseruit, sed & gubernandam auctoritate Imperatoris accepit, & in pristinam dignitatem restituit. Idem postea non tantùm Gotthos Francorum sociorum, qui partem Italiæ, Liguriam scilicet, Alpibus Cottiis adjacentem occupaverant, potentiæ confisos rebellantes, sed & Francos altero duce Leuthari peste rabida, altero Buccellino peste quidem attrito, sed acie deleto Anno 554. fregit. Ita sinè metu Italiam obtinens, in id omni studio incubuit, ut suos in media pace lætitia rerumque omnium abundantia, continentiæ & modestiæ finibus septos contineret.

† Vid. Ritius & Tarapha de regib. Hisp. & Funcc. * Vid. Avent. Ann. Boj. l. 3.

CXXVI. *Anno Christo 557. arsit Cometa, quem proximè sequenti anno secutus est terræ motus magnus & pestilentia vehemens.* Eckstormius ex Schossero.

COmetam hunc & Funccius ex Annalibus & Ricciolus ex Prætorio ad annum 557. annotat. Præcessit eum terræ motus, qui Anno 555. ut refert Sigonius, non tantùm Constantinopolin, sed & plurima Orientis loca, & anno sequenti alter, qui Constantinopolin afflixit. Tùm & cruenta seditio Judæorum & Samaritanorum Cæsarienſium contra Christianos excitata, nec non cruenta illorum turbonum coërtio, quæ

quæ magnos in Oriente tumultus excitavit. Eodem tempore Narſes Gotthicum quendam & Francicum Ducem coërcuit. Anno verò 557. *Sindualdo*, Rege Longobardorum ingrato & perfido, oppreſſo, totam Italiam quietè obtinuit. *Atque hic quidem earum cladium exitus fuit*, inquit Sigonius, *quas omnium atrociſſimas ab anno quadringenteſimo, ut ſupra diximus, Barbari, ac præcipuè Gotthi Italiæ intulerunt. Per quas ipſa urbibus, armis, viris, opibus ac dignitate multata, ac paſſim igne ferroque ſæviente, ultima ſtragis atque immanitatis exempla perpeſſa, ex ſummo florentis fortunæ gradu ad infimum, ac propè miſerabilem eſt deducta. Quorum caſuum ea magnitudo atque varietas fuit, ut vix inveniri poſſe quenquam tanto animi robore putem, qui tot fortunæ ludibria, clades urbium, fugas hominum, cædes populorum aſſequi mente, nedum complecti oratione queat. Ceterum, Italia ſingulari Dei beneficio poſt annum ferè centeſimum ſexageſimum liberata, Narſes animum ad eam inſtaurandam, atque à ſuperioribus calamitatibus ſublevandam convertit.* Hæc ille. Idem ſequentibus læta, quæ virtute & induſtria Narſetis & Pelagii Pontificis Romani Italiæ obvenerant, fuſè perſequitur, ita ut Anno 558. Italiæ ſtatum ad quietem decoremque formatum dixerit. Sed alibi alia rerum facies. Nam Orientem illuvionis, peſtilentiæ, tempeſtatis & terræ motûs mala, mox & Italiam afflixerunt. Eodem anno ingens terræ motus Conſtantinopolin decem diebus concuſſit. Qui fortè idem ille eſt, quem Alſtedius in ann. 533. ut vidimus, retulit. Anno 559. Sigonius memorat magnam peſtilentiam, quæ quatuor menſibus urbem Conſtantinopolim attrivit. Ibi videre quoque eſt Hunnorum, qui Abares vel Avares dicebantur, in Mœſiam irruptionem, hoſtili exemplo agros, anno ſequenti & in Thracia populantem. Anno 560. Saracenica invaſio Siciliam, inguinaria verò peſtis Orientem & Occidentem vaſtavit. Sed hæc & his ſimilia ante Cometas evenire, hîc quoquè vidimus. Qui ſequentium aliquot annorum geſta perluſtrare velit, multa quidem triſtia, lætis tamen temperata videbit. Ita nempe res humanæ conſtitutæ ſunt. Exemplum non longè hinc, anno 569. habemus. Is enim Longobardos, quos ex Pannonia Narſes, contumelioſo Sophiæ Auguſtæ dicto exacerbatus, privatam injuriam famæ ſuæ & ſaluti publicæ anteponens, ad occupandam Italiam accerſiverat, Italiam ineuntes & magnâ ex parte occupantes vidit. Sed idem *inſigni rerum, quas terra fert, omnium ubertate fuit latiſſimus*, ut teſtatur Sigonius de regno Italiæ l. 1.

CXXVII. *Ante cladem Arvernaram magnam, anno quo mons in Gallia ultrà duos menſes mugitum edens, tandem ab alio monte avulſus præceps in Rhodanum ruit, ſtella quam quidam Cometen vocant, radium tanquam gladium habens, ſuper Arverniam per annum integrum apparuit, & cælum ardere viſum eſt, & multa alia ſigna apparuêre.* Gregor. l. 4. c. 31.

Difficile eſt iſti Cometæ annum à Chriſto nato aſſignare. Gregorius hæc in ann. poſt Chriſtum Natum 560. ponit. Prodigium illud de monte in Rhodanum lapſo Sigonius & Calviſius in 562. collocant. Sed an eodem anno Cometam apparuiſſe Gregorius dicat, ipſe addubito. Tanto magis cum faciat mentionem eclipſis Solis, quæ eodem anno Kal. Octobribus acciderit tanta, ut nec quarta quidem pars in eodem lucens remaneret. Sed hanc non annotat Calviſius, nec Eckſtormius in hiſtor. Eclipſium. Talem tamen Eclipſin Solis, qualem Gregorius deſcribit, iiſdem verbis (quod mirandum non eſt, cùm & aliàs tales Eclipſes annotentur Gregor. l. 10. c. 23. Aimoin. l. 3. c. 80.) ad ann. 572. refert, cujus & Alſtedius meminit. Hoc verò cladi Arvernæ ſive peſti inguinariæ non convenit. Hanc quidem Sigonius ad ann. 562. non deſcribit. Libro tamen primo de Occidentali. Imperio eam ante mortem Juſtiniani, quæ in annum 565. incidit, accidiſſe refert. Gregor. l. 4. c. 5. in tempora Clotharii id mali retulerat. Sed hæc lues ab illa diverſa eſt, quod ibi inter alia electio Catonis Presbyteri, hic mors ejuſdem docet. Quin & res ipſa diſcrimen hoc indicat. De illa enim lue c. 5. de hac cap. 31. agit. Huic paulò poſt mortem Athanoldi & Leuvanis, (qui aliis Athanagildus & Leubra) tùm Juſtiniani Imp. memorat, quæ omnia rectè

conveniunt. Ita Cometæ huic annus Christi 562 vel 563. non temerè assignari potest. Præcesserunt eum multa tristia. Hunnorum nempe irruptio, Saxonum rebellio, domestica bella Francica, mortes Principum aliaque, quibus nusquam orbis caret. Paulò posthæc, scilicet anno 565. tres summos & Principes viros mortuos video. Justinianum scilicet Imperatorem, Lotharium Regem Francorum, Regis Regum gravem potentiam in morte inexspectata agnoscentem (cujus mortem in annum 558. à Gregorio, in 567. à Serre referri non dissimulo) & Belisarium illum Ducem belli Clarissimum & cuique veterum meritò comparandum. Eodem verò anno, ut Funccius putat, vel paulò antè pestilentia miserabili strage Italiam, & præcipuè Liguriam affecit. Anno 566. Justinus novus Imperator inter publicæ lætitiæ & votorum solemnia populo & donativum (quod ei, ut militi congiarium, dari solitum erat) largitus, & de consulari dignitate, quæ post annum 542. intermissa erat, restituenda gratificatus est. In annum 567. Calvisius nuptias Sigeberti & Chilperici Franciæ Regum, cum duabus illius Athanagildi Regis Hispaniæ filiabus Brunechildi & Geleswintha ponit. Inter hæc, anno scilicet 564. ut Funccius refert, Arethas Saracenorum Rex ad Justinum veniens, filios & regnum fidei ejus commendavit. Cæterùm hoc singulare in isto Cometa observandum venit, quòd dicatur à Gregorio durasse annum integrum, nisi mensis pro anno legi debeat.

CXXVIII. *Anno Christi* 570. *Cometa visus, & Longobardi Narsete Eunucho duce Italiam occuparunt, sed Alboinus anno* 571. *necatur.* Ricciol.

TRistia quæ hunc Cometam præcesserunt ut præteream, illa quoque Longobardorum ex Pannonia †, quam sexies septem tenuerat annis, in Italiam irruptio Cometam hunc anteceſſit. Nam Funccius eam in Annum 569. at Aventinus, Sigonius, Bucholzerus, Calvisius, Helvicus, Alstedius, & post omnes Petavius in Ann. 568. ponunt. Is tamen secundum epocham veram 570. erit. At Alboinum periisse Funccius, Sigonius, Calvisius Anno 574. referunt. Bonfinius * in 571. ut & Sambucus, dum utriusque rationes compono, Petavius verò in 572. ponit. Longobardicam invasionem vel aliud Reipublicæ malum, certius quàm Cometa portendit illud inconsultum consilium & improvida injuria, à muliebri petulantia, Narseti Viro fortissimo, Gotthorum victori & Italiæ liberatori illata. Tales enim Viri impunè non lacessuntur, dum privatas injurias publicis utilitatibus condonare nolunt. Læta per an. 570. & sequentes evenerunt non pauca, nec tamen omnibus. Mediolanum Alboinus 570. in deditionem accepit & Rex Italiæ proclamatus est. Dehinc *quantò bellum minoris negotii, tantò mitior victoria fuit*, ut ait Sigonius. Ticinum anno demum 573. obsidionis tertio in manus Alboini devenit. Ubi maxima eluxit lætitia & salus populi, Rege dum juratum urbis excidium exsequi parat, mirabili omine ad revocandum votum & salutem populo dandam permoto. Sequens demum annus, & Alboinum Rosimundæ uxori, non tantùm cæsum à se patrem ejus insultantem, sed & ostenso ac in poculum verso patris cranio, ad bibendum cum patre invitantem ‡, astu improbæ mulieris, & hujus adulterum veneni ab illa ipsa præbiti dimidiâ parte epotâ & illam ipsam ad exhauriendum, quod ex veneno reliquum erat, coactam, concidisse vidit.

† Bonfin. rer. Ungar. Dec. 1. lib. 7. sub fin. Sambucus in Chronol. Ungar.
‡ Aimoin. l. 6. c. 17. Bonfin. l. c.
* Rer. Ungar. Dec. 1. l. 8. Chronol. Pannon.

CXXIX. *Circa Annum Christi* 583. *mortuus est Samson, Chilperici Regis Francorum filius, & stella in medio Lunæ fulgens visa est.* Aimoin. l. 3. c. 23. Ad marginem notatur *Cometes visus.* Vid. Epitom. poster. gest. Franc. c. 80. & Gregor. l. 5. c. 24.

QUid de hoc phænomeno statuendum sit, ignorare me fateor. Vir quidam eximius, & ut aliis studiis, ita & Mathematicis eruditus, hac in urbe degens, mihi Cometam aërium Lunæ subjectum, & in linea recta inter oculum observatoris & Lunam

Lunam ſitum, perque aërem noſtrum trajicientem conjicienti, hiſce reſcripſit verbis. *Cometa in Luna aut prodigium fuit, aut fabula eſt. Cometæ motus & Lunæ non patiuntur, ut aliquandiu poſſit hærere in Luna Cometa. Pauciſſimarum horarum fuit NB. & non ubique e terrarum apparuerit, ob parallaxin inſignem: quod videmus in eclipſibus Solaribus.* Hæc ille. Ab aliis amicis, Mathematicis Præſtantiſſimis, quos de hac re conſului, nondum quidquam reſponſi accepi. Verumtamen ex alio quopiam Viro docto, in hac Urbe paritèr degente didici, poſſe hoc phœnomenon pro Cometa aëreo ſub Luna accenſo, & ad hujus celeritatem æquabilitèr moto, reputari. Ego ut in medio rem relinquo, ita me non temerè hoc phœnomenon inter Cometas numerare credo. Nunc ad rem accedo. Eandem hiſtoriam de Samſone recitat Gregorius l. 5. c. 23. ſed prodigia demùm poſtea eveniſſe capite ſequenti refert. Difficile verò eſt morti Samſonis, tanto magis phœnomeno illi, certum annum deſignare. Natus eſt Samſon eo anno, quo Sigebertus patruus ejus, patrem Chilpericum Tornaci obſidens, confoſſus eſt. Dehinc luſtro nec perfecto defunctus eſt, teſte Gregorio l. 5. c. 23. Ita naſcente nepote moriebatur patruus. Ante cujus mortem fulgur per cælum diſcurrit, eodem Gregor. l. 4. c. ult. referente. Factum id anno Chriſti 578. ut geſta Franc. epitom. c. 32. & Funccius, Calviſius verò ſequentem indicant. Dehinc intrà quadriennium phœnomenon illud viſum & mors Samſonis accidit. At verò Petavius in 575. mortem Sigeberti refert. Sic phœnomenon in annum circiter 580. eſſet ponendum. Tempora illa bellis civilibus (quæ teſte Aventino, Serre & Petavio, infida regni ſocietas, invida, mulierum præſertim, ambitio, & commoda occaſio, antiqua & phœnomenis cæli certiora bellorum portenta, prænunciarunt) & cædibus Francorum Regum inclaruerunt. Quorundam ex illis, etiam ipſius φεγῆς à natura ergà parentes, filios & fratres inſitæ immemorum, apparuit tunc malitia. Cæterum illa tempora etiam victoriis Romanorum contrà Perſas, fœderum & juſtitiæ negligentes, nec non Francorum contrà Longobardos, eorundem & Suevorum contrà Saxones invaſores nobilitata ſunt, elucente ubique divinæ vindictæ juſtitiâ.

CXXX. *Anno V. Childeberti Regis, (qui fuit nonus decimus Chilperici atque Guntranni) in Turonico manè priuſquam dies illuceſceret, fulgor per cælum concurriſſe viſus eſt & ad Orientis plagam cecidiſſe. Cælum quoque ardere viſum eſt.* Gregor. l. 5. c. 34. Aimoin. l. 3. c. 33.

Liceat nobis hoc phænomenon accenſere Cometis. Vidimus enim Eckſtormium ad A. M. 3765. 3803. & 3833. & Rockenbachium ad annum Chriſti 394. columnam ardentem, & alia quæ ſunt trajectionum ſpecies & meteora ſublunaria, inter Cometas poſuiſſe. Hic autem ſuſpicari poſſumus, fuiſſe caudam alicujus Cometæ Soli vicinioris quàm ut corpus ejus videri potuerit, præſertim cum lumen illud ante diluculum apparuerit. Vidimus enim nuper in poſteriori Cometa ſolam caudam per cælum coruſcantem conſpectam fuiſſe. Non exigua verò hic offert ſe difficultas in Scriptoribus Gallicis, qui ferè annos tantùm Regum computant. Ego annum hunc à Chriſto nato 583. vel 584. eſſe judico, tùm Gregorii & Aimoini, tùm Funccii & Calviſii ac Helvici rationibus in conſilium adhibitis. Childebertus enim patre Sigeberto extincto, vel 578. vel 579. exeunte, regnum quinquennis puer iniit, indice Gregor. l. 5. c. 1. Helvico iſte annus eſt 576. quio Sigeberto annos tantum 12. tribuit, cum alii tribuant quindecim. Hoc tamen phœnomenon eſſe à proximo diverſum, ſi vel utrumque anno 583. (hoc quidem in annum 583. ponendum eſſe ex Calviſio, qui in diluvia Galliam tunc affligentia, hunc ponit annum, colligo) viſum fuerit, apparet ex collatione hiſtoriæ Gregorii l. 5. c 24. & c. 44. tùm Aimoini l. 3. c. 23. & c. 33. ubi iſta phœnomena diſtinctè deſcribuntur. Cæterùm Galliam variis in locis Ligeris, Flavaris (qui & Elacer) Rhodani & Araris diluviis afflictam ante phœnomenon iſtud Gregorius narrat. Dehinc Burdegalam terræ motu concuſſam, eundem & in Hiſpaniam tranſiviſſe, incendiis varia Galliæ loca conflagraſſe, & in agro Car-

notenſi ſanguinem de fracto pane fluxiſſe, uterque refert. Neuter tamen, an hæc adverſa præceſſerint vel ſecuta fuerint illa phœnomena, nec ne, exprimit. Verum tamen tàm hoc quàm proximè antecedens phœnomenon præceſſit fames urbis Romæ à Longobardis anno 579. obſeſſæ, mors Benedicti Pontificis Romani, & anno 580. Italorum perſecutio à Longobardis impiis excitata, & anno 582. mors Tiberii Imperatoris, alia ut taceam. Ipſo autem illo anno 583. tot portentis nobili Chilperico regi filius natus eſt, nomine Theodoricus, & Mauritius Imperator anno ſequenti rem contrà Perſas felicitèr geſſit: ac Clotharius vel Lotharius, ultimus Chilperici filius & regni ſucceſſor natus eſt. Hæc ſunt, quæ ad iſtud phœnomenon annotare voluimus, additis probabilibus conjecturis, ob quas inter Cometas referri poſſe videtur. Quasſi quis admittere, & phœnomenon Cometis annumerare noluerit, inveniet hîc & illic Cometas, quos, licet ab Auctoribus in diverſos annos & diverſa cœli ſigna poſiti fuerint, nos non diviſimus, ſed potius conjunximus, & ex duobus vel tribus unum, ex novem quatuor fecimus, (ut præcipuè infra circa mortem Ludovici Pii) unde Lector numerum Cometarum, etſi hic vel ille expungatur, ſupplebit ex æqui ratione.

CXXXI. *Anno* VII. *Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntranni* XX. *ſtella Cometes apparuit in feſto Paſchæ.* Geſt. Franc. epit. c. 87.

ANnum hunc Chilperici & Guntranni eſſe XXI. expreſſe teſtatur Gregorius l. 6. c. 14. & Aimoin. l. 3. c. 39. tùm etiam Regum anni ſupra in rationes redacti. Quotus autem hîc ſit à Chriſto nato, non æque in aperto eſt. Diximus ad Cometas Numero CXXVII. & CXXX. in diverſos annos poni mortem Sigeberti *patris & initium* Childeberti filii. Hîc quoque dolendum eſt rerum priſcarum *memoriam ſpiſſis* vel ignorantiæ incerti tenebris obfuſcatam, & nondum nativo *fulgori certi* & veri reſtitutam eſſe. Exſpectabimus qui de annis Sigeberti, Childeberti & Chilperici diſcrepantes illas rationes non tantùm cum alienis, ſed & ſecummet pugnantes, ut vidimus, conciliet, & intrà terminos indubitatæ veritatis figat. Interim liceat nobis ea quæ propiora videntur eligere, & ut Sigeberti necem, ita & Childeberti initium imperii in Ann. 579. exeuntem (niſi in 580um. ineuntem id eſt ſexageſimum ſextum à Clodovei ſecundùm Gregor. l. 4. c. ult. neceſſe utrumque referre habeamus) ponere. Ita ſeptimus Childeberti & viceſimus primus Chilperici & Guntranni erit annus 586. Fateor tamen non deeſſe rationes legitimas, ut ibi annus 578, hîc 585. ponatur. Sed hoc excutere noſtri non eſt inſtituti. Tantò minus Serris vel Petavii ſententiam. Nam illius computatio ſibi ipſi adverſatur. Hujus longè à reliquis abeſt, ut vidimus. Cometam iſtus præceſſit nefanda *mors* Regii pueri Clodovei, quem impiæ Fredegundis * novercale odium & patris Chilperici credulitas & crudelitas, ſimul cum matre Audovera, cui Fredegundin *ancillam* ſuperinduxerat, ſuſtulit. Alios Chilperici & Fredegundis filios Theodoricus *ille puer* vix uno ætatis anno exacto ſequitur, Deo parentum impietatem juſtè caſtigante, his divinam pœnam in homines incantationum prætextu injuſtè devolventibus. Præceſſit Cometam & mors Chilperici, ſecundùm Petavium, qui eam in ann. 584. Childeberti nonum refert. Sed nonus Childeberti annus nobis eſt 588. vel certè 587. Quatuor menſibus nativitas Lotharii mortem ejus anteceſſit. Ita poſt tot filios elatos, hoc ſolatii ille Nero & Herodes alter, ut ait Gregorius †, tulit, ut ſe ſucceſſorem relinquere videret. Maxima verò tunc lætitia affectus erat, ita ut omnes captivos libertate donârit. ‡ Præceſſêre mortem Chilperici varia flagitia, quæ eam portendiſſe dici poſſunt. Libido ſcil. & crudelitas inſana. Nam uxorem uxori, vel concubinam inducens, Audoveram & Galſuntham, tum ex illa natos Meroveum & Clodoveum, fratremque Sigebertum ſuſtulit, inaudito & pluſquam barbaro exemplo, alia vitia ut taceam. Præceſ-

* Epit. geſt. Franc. c. 84. Aimoin. l. 3. c. 54. Gregor. l. 5. c. 40. Epitom. prior. c. 31. Aimoin. l. 3. c. 43. Epitom. poſter. c. 60. 84. † l. 6. c. 46. Gregor. l. 4. c. 28. l. 5. c. 40. ‡ Epitom. poſter. geſt. Franc. c. 88. Aimoin. l. 3. c. 5. 6. 23.

ſerunt

CXXXI



CXLVIII. A.C. 677.



A.C. (CXXXIV) 594





CL. A.C. 684.



CLXIII. A.C. 812.



CLIV

A.C. 729

CLIII





CLXXI

A.C. 837 Eckstorm.

CLXXII





(α) CLXIX. A.C. 829. Eckst-Ricciol (β) CLXXIII. A.C. 839. Funcc.



CLXXIII. A.C. 838. Cabriſ.



M. C. Iſenius del.

nodus

S. Stopendaal ſculp.

ſerunt di
manifeſt
& filios
Ado, A
cet exem
ante hun
exundavi
etiam l. 6
(inquit)
Comas. P
apparebat
& ſanguin
inguinaria
ſtem han
qui gravit
victoriam
& illam à
589. nup
men ded
nius aqua
riam ann
merò tal

CXXX
Zona

COme
9. Ch
à parte aq
nientes ite
nali plaga
æquè ut a
Anno 58
licus dicit
rex Long
ſperè geri
& victori
factam ſuc
non immo
haris vidu
Ducem vi
religionis
utilitatis, in
res merifice
rata, capti
ut & pacem

* Vide Tarapl
Vita Ree
c. 39. l. c

CXXXII
torum

ſerunt dico, magna crimina, quæ juſtam Dei vindictam portendere ſolent. Id autem manifeſtè hîc videmus, dum per illam Fredegundin, propter quam in duas uxores & filios ſæviit Chilpericus, & per adulterum ejus Landricum, ut Epitomator prior, Ado, Aimoinus & alii, Gregorio excepto, teſtantur, occiſus eſt. Qui etiam nos docet exemplo ſuo, per quæ quis peccat, per eadem à Deo puniri. Porrò acciderunt ante hunc, de quo agimus, Cometam quædam prodigia. Nempe arſit cælum. Ligeris exundavit. Ventus auſter multa damna intulit, referente Gregorio l. 5. c. 42. Qui etiam l. 6. c. 15. in circuitu iſtius ſtellæ crinitæ magnam nigredinem fuiſſe ait: *Et illa* (inquit) *tanquam in foramine aliquo poſita, ita inter tenebras elucebat ſcintillans ſpargenſque Comas. Prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magni incendii apparebat à longè. Viſa eſt autem ad partem Occidentis in hora noctis prima.* Refert tunc & ſanguine pluiſſe, & ſucceſſiſſe peſtem, ac præcipuè illam in Narbonenſi provincia inguinariam. Attingit hæc & Aimoin. l. 3. c. 39. Funccius & Calviſius ex Diacono peſtem hanc in annum 586. Mortem Leovigildi * regis Hiſpaniæ in 588. motum terræ, qui graviter Antiochiam afflixit, mortem Chilperici (nativitate Lotharii præteritâ) victoriam Recaredi regis Hiſpaniæ, de Boſone Guntranni † regis Franciæ ignavo Duce, & illam à Germano Mauritii duce de Perſis invaſoribus obtentam refert. Denique in 589. nuptias Atharitis Regis Longobardorum in Italia, qui paulò antè Chriſto nomen dederat, cum Theudelinda Garibaldi regis Bavariæ ſeu Bojariæ filia ponit. Sigonius aquarum illuviem maximam & Tiberis exundationem ac peſtem illam inguinariam anno 589. magna damna attuliſſe, memorat. Sed, ut toties diximus, ſæpenumerò talia Cometas præcedunt, & hic quoque videmus Cometis læta ſuccedere.

CXXXII. *Anno Chriſti* 587. *Mauritii* 4to. *viſus eſt Cometa Byzantii.* Ricciol. ex Zonara.

COmetam hunc alii Auctores non annotant: Niſi quòd Gregorius l. 6. c. 33. anno 9. Childeberti, qui nobis eſt 587. vel 588. memoriæ reliquerit apparuiſſe tunc à parte aquilonis nocte mediâ radios multos, fulgore nimio relucentes, qui ad ſe venientes iterum ſeparabantur uſquequò evanuerunt. Sed & cælum ab ipſa ſeptentrionali plaga ita reſplenduiſſe tradit, ut putaretur auroram producere. Cometam hunc æquè ut alios anteceſſerunt & ſecuta ſunt triſtia lætaque. Poſteriora iſta ferè ſunt. Anno 587. ‡ ut Calviſius notat, Reccaredus rex Hiſpaniæ Arianiſmo abjecto Catholicus dicitur, in conjugem Galliæ Regis Chilperici (*a*) filiam petit & obtinet. Antharit rex Longobardorum proſperè in Iſtria, Philippicus Dux Mauritii in Perſia rem proſperè gerit. His quorundam Regum occaſum, ſed & ortum aliorum, triſtia bella & victorias lætas, tandem pacem in oriente cum Perſis in perpetuum Anno 591. factam ſucceſſiſſe annotat. Eadem vel ſimilia apud Funccium videre licet, quibus non immoror. Apud Sigonium memorabile exemplum extat. Theodelinda regina Atharis vidua, (quam Aventinus muliebris ſexus unicum decus vocat) quæ Agilulfum Ducem virtutibus Regalibus ornatum Anno 590. & imperii & thori, imò & ejuſdem religionis, cùm ille adhuc Arianam ſequeretur, conſortem effecit. *Per hoc multùm utilitatis,* inquit Paulus Diaconus, *Eccleſia Dei conſecuta eſt:* quin imò (*b*), teſte Sigonio, *ea res merifice totius Italiæ animos recreavit.* In annum 591. Italia Dei munere à peſte liberata, captivorum Longobardorum apud Franos redemtionem à novo Rege Agilulfo, ut & pacem cum Francis ab eodem factam Sigonius ponit.

* Vide Tarapham in Lymbæ vel Luybæ vita. † Fredegar. Chron. c. 10. Aimoin. l. 3. c. 77. ‡ Vid. Tarapha in Vita Recharedi, ubi hæc paulò aliter quod ad circumſtantias attinet, refert. (*a*) Epit. geſt. Franc. c. ult. Greg. l. 5. c. 39. l. 6. c. 45. l. 7. c. 9. 10. Aimoin. l. 3. c. 56. (*b*) Vid. Avent. Ann. l. 3. p. 209.

CXXXIII. *Anno Chriſti* 589. *Cometa per integrum menſem apparuit, poſt quem multorum Principum mors ſecuta eſt. Mahometus, anno ab hoc quarto, magnus Dei Pro-*

pheta,

pheta, qui Saracenis leges dedit, in Arabia natus est. In Italia, & inprimis Romæ, diræ tempestates ortæ sunt. Unde Longobardi Romam obsidentes, assiduis imbribus, vique turbinum deterriti, obsidionem dissolvere coacti sunt. Estque tanta aquarum vis secuta, ut infinita tùm hominum tùm pecudum multitudo per Italiam & inprimis Romæ tunc temporis perierit. Cadaverum corruptionem pestis secuta est maxima, in qua etiam Pelagius Pontifex, postquam per 11. *annos eam* (addendo puto *dignitatem*) *obtinuit, mortuus est. Hormisdæ filius, capto patre, Persarum regnum invasit. Romani à Persis victi sunt.* Rockenbachius.

ALstedius pariter in hunc annum Cometam & victoriam Mauritii de Persis ponit. Hæc quidem à Calvisio in 587. sed ab Helvico in 589. ponitur. Quanquam & Calvisius hoc eodem anno quædam à Duce Mauritii Commenciolo contra Persas prosperè gesta refert. Rockenbachius multa funera Principum Cometæ subjicit. Sed quis & de natalibus dubitat? Mahumetis impuri seductoris natales immeritò hùc retulit. Nam ut taceam hos à Calvisio in annum 570. referri, Funccius certè in 597. & cum eo paulò post ipse Rockenbachius refert. Ad Pelagii mortem, inundationem, pestem & bella, quæ cuncta Cometæ Rockenbachius subjicit, quod attinet, vidimus & videmus talia toties ante Cometam. Hîc post Cometam videmus pacem in Oriente cum Persis initam, victoriam in Occidente de Longobardis à Smaragdo Exarcho, ut Funccius notat, partam. Nam Sigonius hanc victoriam in ann. 583. assentiente Calviso, refert.

CXXXIV. *Anno Christi* 594. *sub imperio Agilulfi Regis Longobardorum, Cometa mense Januario apparuit, qui per integrum mensem matutino & vespertino tempore visus est. Hôc eodem mense Joannes Archiepiscopus paulò post Ravennæ, sicut & Eoinus dux Tridentinus mortui sunt. Deinde eodem tempore, Bajoariorum* 2000. *virorum à Cacano interficiuntur, dum irruptionem in Sclavos nullâ datâ occasione faciunt. Tertio patritius Romanus primus, Exarchus Italiæ à populo Romano creatus est contrà Longobardos, qui officio magistratus antea apud ipsos non est functus. Quartò Agilulfus, cum Cachano Rege Hunnorum, intercessione Legatorum, è Pannonia venientium, & pacem petentium tunc sancivit.* Rockenbachius.

IN eundem annum refert Cometam Funccius ex Palmerio, Eckstormius ex Diacono, & Alstedius. Ille hoc & sequenti anno Priscum Mauritii Ducem Sclavinos ad Istrum vicisse & deprædatum esse refert. Iste huic horribili Cometæ successisse multa mala, nominatim siccitatem, annonæ caritatem, bellum Longobardorum in Italia, & agmina locustarum ibidem, memorat. Ricciolus quoque hunc Cometam in eundem annum refert, famemque & siccitatem ei subjicit. Eckstormius ipse lætam victoriam, Alstedius verò Cometæ tribuit ea quæ eum præcesserunt. Nam siccitatem illam & locustas annonæque caritatem Funccius in annum 593. Sigonius in Annum 591. Calvisius in 592. refert. Bellùm inter Longobardos & Romanos anno 593. ut Sigonius, Calvisius & alii referunt cœpit. Causam ejus Sigonius non incœlestem Cometam, quem invitis aliis in annum demum 595. ponit, sed in terrestrem, ut sic dicam, Cometam, sive avaram ambitionem, rejicit. Ita enim ille: *Romanus Exarchus quinquennio jam, nullâ re memorabili actâ, in Exarchatu consumto, nomini suo deforme ratus, nisi præfecturam eximio aliquo facinore nobilitatam relinqueret, animum ad Perusiam, & vicinas ejus regionis urbes recuperandas adjecit, ante aliquot annos Longobardis à Ducibus occupatas. Itaque Ducem Perusiæ Mauricionem sollicitatum, occultè ad partes suas traxit, & caussa Romanæ adeundæ Urbis excogitata eò cum exercitu ornatissimo proficisci contendit.* Cometam hunc præcessit mors Antharis Regis Longobardorum anno 590. ut Sigonius, vel 593. ut Calvisius, tum Luybæ 2. Regis, & mox Victerici parricidæ & tyranni Hispaniæ anno 592. ut Tarapha putat: tum Ceaulini & Ellæ Regum Angliæ, tum denique horribilis pestis inguinaria anno 590. secundum Calvisium. Nec tamen læta

læta desunt hunc Cometam secuta. Illa nempe victoria de Sclavinis. Tùm nuptiæ Reccaredi Regis Hispaniæ cum Clodosuintha Childeberti Regis Francorum apud Mediomatricum sorore, (filiam vocat Tarapha, * invitis scriptoribus Gallicis, qui vel Chilperici filiam fuisse affirmant, & Rigundin vocant, vel filiam Sigeberti illam Clodosuintham Childeberti sororem) unà fœderis vinculum inter utramque gentem, quæ in annum 594. Calvisius refert. Anno sequenti memorat Longobardos fraude Romani Exarchi occupata recuperasse: anno vero proximo Christianæ religionis initia in Anglia, operâ Gregorii Romani Pontificis, fuisse proposita. Eundem Pontificem pacem inter Longobardos restituere anno 595. magno, nec improspero studio voluisse, hanc autem ab ambitioso Exarcho Romano rejectam fuisse, Sigonius memorat. Atque hæc ipsa ambitio sequentium malorum, vice Cometæ, fuit portentum.

* Epitom. gest. Franc. c. ult. Gregor. l. 5. c. 39. & l. 6. c. 45. l. 9. c. 16. 25 & 28. Aimoin. l. 3. c. 56. 60 & 72.

CXXXV. *Anno Christi 597. Cometa aspectu terribilis Bizantii visus est, concurrentibus aliis multis unà hoc tempore in cælo prodigiis, quæ quia Mahometus hoc anno natus est, qui Saracenis tanquam Propheta Dei leges tulit, simul etiam calamitates plurimas, generi humano unà portenderunt. Præterea Guntranus mortuus est, cui Hildebertus fratris filius ex testamento in imperio successit.* Rockenbachius.

INcipit eodem modo describere Cometam, quo Ricciolus illum anno 587. indicavit. Sed ibi non est error, cum ab illo Cometa anni 570. ad hunc anni 587. annos septemdecim Ricciolus numeret. De natali Mahometi jam nonnihil diximus. Hîc addimus & à Krentzheimio & à Bucholzero annum 570. à Mercatore 569. at à Sigonio 630. tribui. Sed Funccius Sabellici rationes ferè sequitur, qui dum eum anno 692. (quæ & Bucholzeri computatio est) obiisse, triginta quatuor vixisse ait, natum eum anno 598. esse innuit. Funccius anno 597. natum anno 631. Christi, ætatis verò 34. mortuum esse putat. Calvisius autem 5. Maji anni 570. ad 17. Junii 631. annum ætatis 62. iniisse affirmat. Annum mortis Funccio & Calvisio Helvicus & Petavius assentiuntur. Pomponius Lætus & Egnatius anno ætatis 40. veneno exstinctum putant. Guntranni mors an præcesserit vel secuta sit Cometam, nescio. Obiit enim ille mense Martio decurrente, anno Christi, ut Funccius Calvisius & Helvicus putant 597. sed secundum Petavium 593 vel 594, Annus 567. Anglorum cum Rege Edelberto conversione, proximus pace Italica, licet brevi lætus extitit.

CXXXVI. *Anno Christi 599. Cometa hoc anno apparuit.* Calvisius ex Aimoino.

COnsului de hoc Cometa Aimoinum, qui l. 3. c. 83. memoriæ prodit post pugnam inter Francos & Britones (quæ accidit anno 2. Childeberti in regno Burgundiæ, quod post Guntranni patrui mortem obtinuit) anno scilicet tertio Childeberti, id est Christi 599. Cometam apparuisse. Quæ eum antecesserunt vidimus; nisi addamus hîc mortem Gundemari, quam contradicentibus aliis in annum 595. Michaël Ritius & ex eo Franciscus Tarapha ponit. De eventibus qui eum secuti sunt, pauca ex Aimoino dicemus. Eodem illo anno accidit expeditio Francorum in Italiam contra Longobardos, quæ non tàm ad Cometam hunc quam potius ad invidam Childeberti & instigationem Imperatoris Mauritii, qui hîc oleum camino affudit, referenda est. Et tamen cum ejus auxilia ad constitutum tempus non comparerent, Franci morbis attriti ad sua redierunt. Anno vertente Childebertus cum uxore veneno extinctus. Pax cum Longobardis rupta est, quod non Cometæ, sed Callinici Exarchi iniquitati, qui Agilulfi Regis filiam cum marito interepit, tribuendum est. Eodem anno Chaganus Hunnorum Rex provincias & exercitus Romanorum atterit, magnam captivorum multitudinem interficit. Horum quoque facinorum culpa non est in Cometam derivanda, sed in peccata Imperatoris & populi, in socordiam & perfidiam

Ducum

Ducum & avaritiam Imperatoris, uno aureo animum cujuſvis captivi redimere à Barbaro id poſtulante, nolentis.

CXXXVII. *Anno Chriſti* 601. *Cometa immenſæ magnitudinis per dies multos coruſcans viſus eſt, quem paulò poſt mors Mauritii regis Romanorum unà cum aliis multis prodigiis ſecuta eſt: mulier in Thracia puerum peperit eodem anno, planè monſtri ſimilem, videlicet oculis, palpebris & ſuperciliis carentem, manibuſque & brachiis, cui quoque cauda piſcis propè coxendices dependebat. Quod portentum ubi Mauritius Imperator ante obitum vidit, id ut interficeretur, mandavit, gladiumque ſtatim mandato perfecto oſculatus eſt. In ſuburbanis civitatis vicis, multa quoque alia monſtra nata ſunt, puer videlicet, 4 pedes habens, & alter biceps, uterque verò ferro diſſectus eſt. Priſcus & Commentiolus, præfecti regionum Europæ, ſolutâ pace, quam cum Chagano Abare arte quadam pepigerant, clam jubente principe, Iſtrum ratibus trajecerunt. Cumque primum in Viminacium Inſulam, in Iſtro ſitam, veniſſent, & ſubitò cum barbaris, & aliis quibuſdam ipſis adjunctis populis, unius menſis ſpatio manus conſeruiſſent ſæpius, ultra* 30000. *Abarum, Gepidum & Sclavinorum diſtinctis præliis interfecerunt, & ultra* 15000. *ceperunt. Victoria hæc tali & tantâ cum potiti eſſent, qualem vix unquam populum ab hoſtibus reportaſſe legitur, domum rurſùs ad ſuos ſe contulerunt.* Rockenbachius.

NUllus Auctorum, qui ad manum ſunt, Cometam ad hunc annum annotat. An ante vel poſt Cometam viſum bella inter Priſcum & Chaganum, tùm Callinicum & Agilulfum orta fuerint, ex Auctoribus rerum circumſtantias reticentibus non patet. Patet tamen jam ſatis bella prænuncios Cometas non exſpectare. Habent enim ſemper alios qui ea portendunt, Cometas. Ita tunc in Oriente violatio fœderis, ut ipſe Rockenbachius fatetur, cum Chagano, initio facta à Commentiolo & Priſco Mauritii Ducibus, in Occidente pariter fracta à Callinico, ut diximus, pax, utrumque ipſe Mauritius Imperator graviter ferens, Chagano captivos reddidit; Callinico autem remoto Smaragdum Exarchum conſtituit. Itaque tanto magis Agilulfus iracundiâ, eaque non injuſtâ (ut ipſe Sigonius judicat) exarſit. Hâc de cauſa vel ante Cometam exarſit bellum: quod mox ſecuta eſt peſtis, ut fieri ſolet, Theodelindâ Agilulfi uxore inter hæc domi ſtudiis pacis Anno 602. intentâ. Conſtantinopoli autem maxima cum magnificentiâ & lætitiâ Mauritius nuptias Theodoſii filii cum Germani patricii filia eodem anno menſe Febr. celebravit. Prodigia ſine Cometis in cælo & terra videri, multa exempla docent: Illum quoque puerum quadripedem & bicipitem, quem Rockenbachius Cometæ ſubjicit, Funccius magiſter ejus in annum 596. refert. Sic quinquennio circiter ante Cometam illud monſtrum viſum fuerit.

CXXXVIII. *Anno Chriſti* 602. *conſpectus eſt Xiphias, hoc eſt ſtella gladii nitore, ſine ullis radiis, eadem nocte quâ Mauritius Imperator ſomniavit ſe Phocæ militi ſuo jugulandum tradi.* 8. *Cal. Decembris Mauritius Imperator cum uxore & liberis miſerè occiſus eſt à Phoca ſucceſſore.* Eckſtormius ex Zonara in Mauritio.

Anno Chriſti 603. *Cometa per duos menſes integros Septembrem ac Novembrem continuò flagravit, unà cum aliis multis terribilibus prodigiis, qualia vix ab aliis Hiſtoricis annotata ſunt, apparuit. Hac, mors Mauritii Imperatoris, à Phoca interfecti, ſecuta eſt.*

Bonifacius Pontifex III. multis ſollicitudinibus tunc temporis impetravit, ut Roma caput Eccleſiarum & diceretur & ab omnibus haberetur. Peſtis ſæviſſima Ravennam, & finitimos maris hoc anno & ſequenti, ac cum agro Veronenſi homines habitantes ita afflixit, ut dimidia pars vix reſidua manſerit. Theodoperto Francorum rege, cum Clotario patruele ſuo bellum gerente, ſignum ſanguineum tunc in cælo, quaſi haſta ſanguinea, & lux clariſſima per totam noctem, quæ ab omnibus viſa ſunt, apparuit, quæ Theodoper-

tum

tum bellum gerentem, graviter afflixit. Gregorius & Agilulfus Rex Longobardorum, qui Faroaldo apud Spoletum succesſerat, poſtquam cum Theoderico Francorum Rege pacem iniit, anno ſequenti mortuus eſt. Rockenbachius.

Anno Chriſti 603. *Mauritii ultimo, Cometes Xiphias conſpectus, quo anno Mauritius cum tribus filiabus interemptus eſt. Natus autem eſt ſub hoc Imperatore Mahometus: quo tempore refert Johannes Prætorius crinitum ſidus per* 6. *menſes apparuiſſe, & fortè fuit unum ex prædictis.* Ricciolus Almag. part. poſter. T. 1. l. 8. ſect. 1. c. 3. p. 6.

RIcciolus infra pagina 24. ubi de duratione Cometarum agit, hunc Cometam ſemeſtrem fuiſſe ait. Aſſentit ei Clariſſimus Gravius diſput. de Comet. theſ. 7. Mauritii necem Anno 602. die 23. Novembris contigiſſe Sigonius, Bucholzerus, Calviſius, Helvicus, Petavius & Alſtedius affirmant. In annum 603. confert Sabellicus & Funccius, quorum rationibus favet Indictio ſexta, quâ factum id eſſe Petavius ait. Hæc enim à Beda, Calviſio & Helvico in annum 603. refertur. Quod Chronologis conciliandum relinquimus & ad Cometam noſtrum venimus. Hunc in 603. annum ponit Funccius cumque eo Rockenbachius; ita & Prætorius, cumque eo Ricciolus. In 602. Bucholzerus, Eckſtormius & Alſtedius. Sabellicus & Calviſius Cometæ non meminerunt. Wernerus in Faſciculo temporum eum ante Phocæ imperium, ut & alia prodigia ponit, ſed certum annum non annotat. Sigonius Anno 602. haſtas ſanguineas in cælo viſas eſſe, & per noctem lucem clariſſimam fulſiſſe ait. Ante oculos Mauritii duo filii ejus, ut Aimoinus 14. c. 3. habet, trucidati ſunt, eo nil niſi illud pium, *Juſtus es Domine & juſtum judicium tuum*, inclamante. Funccius quinque filios interfectos in ejus oculis ait. Sigonius, Calviſius, Petavius & alii numerum non determinant. Anno 607. Conſtantinam Mauritii viduam, cum tribus filiabus cœnobio extractam & decollatam Calviſius teſtatur. Ita & Petavius, niſi quòd triennio poſt mortem mariti, Indictione 8. quæ Calviſio & Helvico in annum 605. incidit, occiſam dicat. Funccius in 608. hæc confert. Tantam Imperatoris & Domûs ejus cladem præceſſit ſtella Cometes, ſed & extrema avaritia, ob quam nec captivos illos levi pretio redimere, nec ſtipendia militi perſolvere volebat, quæ Dei vindictam & populi ac militum odium, denique cædem ejus, omni phœnomeno & ſigno cæleſti certius portendit. Quum Phocas ſe Catholicam diſciplinam defenſurum juramenti fide promiſiſſet, hæc res Gregorio Pontifici Romano nunciata ipſum non ſecurum modò, ſed lætum etiam ac bonæ ſpei plenum reddidit, Sigonio teſte. Qui etiam memoriæ ſcriptum reliquit, anno 603. Agilulfo ex Theodelinda filium Adalvaldum natum †, & imaginis Phocæ & Leontiæ Auguſtæ Magnâ cum gratulatione & lætitiâ Romæ receptæ, & paulò poſt *neceſſaria & optata pax cum Longobardis compoſita, Pontifici lætitiam attulit*, imò, ut ait Sigonius, *hoc nuncio erecta Italia ingenti gaudio exultavit: nempe quòd induciis ſæpius inſtauratis quieta à Longobardis incurſionibus fuerit*, ut idem ad annum 604. qui morte Gregorii illius celeberrimi Pontificis, cui & Sancti & Magni cognomen inditum eſt, inſignis extitit. Per id tempus Chaganus, ſæpius à Romanis victus, Pannoniam, quam invaſerat, amiſit, quæ ideo Orientis imperio ſubjecta fuit, referente Funccio. Dehinc Coſroës Rex Perſarum Romani Imperii provincias invaſit & miſerè afflixit. Magis hanc calamitatem mors Mauricii, Perſarum ſocii & fœderati, quàm Cometa portendit. Ideò Petavius rectè judicat *: *Phocâ regnante Choſroes Perſarum Rex, tanquam Mauricii necem, quo cum magnis ejus in ſe meritis pacem fecerat, in auctores vindicaret, Romanos populatus eſt fines; ac torrentis inſtar cuncta rapiens, Chalcedonem uſque in Bithyniam pervaſit. Cum Phocas interea rerum omnium ſecurus, ac domi ſedens obſcœnis ſe libidinibus, ac principum cruore ſatiaret.* Nempe hinc vindictæ cupido, illinc deſidia & crudelitas, ſubjectis inviſa, hoſtem per ſe ferocem ad bellum accendebat.

Peſtem illam, quam Rockenbachius Cometæ ſubjicit, Sigonius in annum 602. refert, & portentis illâ tempeſtate viſis, quæ Rockenbachius commemorat, præponit. Sed hæc & alia mala ſine Cometis accidere, toties vidimus videmuſque. Quæ de

† Vid. Bonfin. rer. Ung. Dec. 1. l. 8. p. 150.

* Ration. Temp. part. 1. lib. 7. c. 13. pag. 353.

Agilulfo rege Longobardorum, qui Faroaldo apud Spoletum succeſſerat, & pace cum Theoderico rege Francorum initâ mox mortuus fuerat, Rockenbachius commemorat, undique triſtia ad Cometas trahens, Agilulfo, qui ipſo Funccio judice Anno 617. mortuus eſt, non conveniunt. Itaque hoc intelligendum eſt de Ariulfo, Faroaldi primi Ducis Spoletani ſucceſſore *, cujus mortem Sigonius in Ann. 603. ponit. Sed quæ de pace cum Theoderico Franco inita dicit, non ad Ariulfum Ducem, ſed ad Agilulfum Regem; quæ contra de morte Agilulfi habet, ad Ariulfum pertinent. Quod ſi tamen Sigonio credimus, mors Ariulfi Anno 603. pax Francica 604. mors autem Agilulfi 615. accidit. Tot errores in uno iſto eoque breviſſimo commate admiſſi ſunt.

* Vid. Bonfin. Dec. 1. l. 8. p. 149.

CXXXIX. & CXL. *Anno Chriſti 604. Cometa per duos menſes, Aprilem videlicet & Majum viſus eſt. Hunc cruentum bellum inter Theudepertum Francorum regem, apud Gallos tunc temporis imperium tenentem, & Saxones, Saxonibus & Francis inter ſe belligerantibus, ſecutum eſt. Petrus Cantor, Ticini in Baſilica Petri Apoſtoli fulmine interfectus, Patriarcha Aquilejenſis eodem anno mortuus eſt. Cometam priorem, eodem anno alius Cometa ſecutus eſt, qui per duos menſes Novembrem & Decembrem in cælo flagravit. Hunc mors Candidiani apud Gradus mox ſecuta eſt. Epiphanius Patriarcha creatus eſt. Atque ita duo Patriarchæ eodem tempore vixerunt Romæ.* Rockenbachius. *Anno Chriſti 605. menſe Aprili & Majo apparuit Cometa. Eodem anno menſe Novembri & Decembri ſtella crinita viſa eſt.* Eckſtormius ex Diacono. *Coſroës Perſarum Rex invaſit terram Romanorum. Narſes Dux belli de Romano Imperio optimè meritus, contra fidem juramenti datam à Phoca combuſtus eſt.* Eckſtormius ex Zonara in Phoca.

MEminit Sabellicus Enn. 8. l. 6. crinitæ ſtellæ. Sed nullum ei annum aſſignat. Sigonius verò ad annum 605. Cometam utrumque ponit. De anno autem 604. in quem Rockenbachius hos binos Cometas refert, non pauca lætæ memoriæ prodidit ‡. *Pacato*, inquit, *regno & tranquillatâ Eccleſia Agilulfus animi quietus, quod nemo adhuc fecerat, animum ad ſucceſſorum ſibi ſubſtituendum adjecit. Neque, quin id decus ad filium Adalvaldum, licet adhuc infantem, ſibi dubitandum exiſtimavit. Quare conſilio ſuo nudato, conventum in eam rem in Julium menſem Mediolanum indixit, ubi verò conſtituta dies advenit, ac Longobardi frequentes adfuere, tum, Legatis Francorum regis Theodeberti præſentibus, Adalvaldus in Circo, patre ipſo aſſidente, Rex à populo ſalutatus, atque inſigni regio decoratus eſt. Quin & ſocietate cum Francis renovatâ fœdus cum eis in perpetuum eſt percuſſum. Neque dies alius Italiæ ſpecioſior, aut lætior poſt ingentes tot annorum calamitates illuxit.* Hæc à Funccio in ann. 605. à Calviſio in 606. niſi poſſint ad hunc Cometam referri, referenda erunt ad proximum. Huic proximè Sigonius mortem Sabiniani Pontificis Romani ſubjicit. Sed non obſcurè eum ob avaritiam crudelem, ingratum in anteceſſorem ſuum animum & pertinaciam à Deo caſtigatum eſſe ait, & ſic hæc vitia mortem ejus portendiſſe indicat. Ibidem duos Patriarchas non Romæ, ut Rockenbachius ait, ſed alterum qui Aquilejam, alterum qui Gradum, occaſione invaſionis Longobardorum, inſederat vixiſſe, & hunc Candianum (ita Sabellicus eum vocat) dictum eſſe, ſcribit. Mortem ejus & electionem Epiphanii in An. 617. ponit. Nescio itaque quâ ratione hîc Rockenbachio cum Sigonio convenire de hoc poſſit. In hunc demum annum 605. Sigonius, at in 606. Calviſius, in 607. verò Buchol-zerus, &, ut videtur, Funncius, refert illud decretum Phocæ primatum, quem ſibi, reclamante fruſtrà Gregorio Patriarcha, Conſtantinopolitanus Joannes, & poſt hunc Cyriacus arrogaverat, Romano Pontifici Bonifacio † Tertio conferens. Hoc iſti potius quàm proximo Cometæ Rockenbachius ſubjicere debuit. Ad annum 606. Sigonius refert tributum à Clotario Rege Francorum Agilulfo regi Longobardorum re-

* l. 2. de regno Italiæ ab initio. pag. 30.

† Vid. Bonfin. Dec. 1. l. 8. p. 150.

miſſum

missum, esse. Idem Smaragdum Exarchum pace abundantem ad Ferrariam, qui tùm vicus ad Padum fluvium erat exiguus, munire, & in castri formam convertere cœpisse, & inducias inter Romanos & Longobardos in triennium prorogatas esse memorat. Anno dehinc 607 & 608. Italiam annonæ inopiâ, aquarum illuvie & morborum vi gravissimè fatigatam esse, sed mox anno proximo, cum Agilulfus Rex Legatos ad Phocam Imperatorem, pariterque Phocas ad eum jungendæ amicitiæ caussâ misissent, ac fœdus inter se percussissent, certiorem in spem veteris aliquando quietis dignitatisque recuperandæ eandem venisse, testatur. De Narsete, cujus tristem casum Eckstormius ad Cometam refert, verbum addo, non fuisse eum celeberrimum illum Eunuchum & Ducem, sed posterioris (de quo Procopius & Corippus videatur, & ad quem epistola 6. Gregorii l. 1. exstat) filium, docente id Petavio ‡, & errorem hic comissum refellente: tum verò, casus ejusmodi acerbos in orbe, etsi nullus Cometes luceat, in cælo, esse perpetuos.

‡ Rat. Temp. p. 1. l. 7. c. 10.

CXLI. *Anno Christi 617. Cometa per integrum mensem ardere in cælo visus est. Hunc diræ calamitates inter mortales deinde sunt secutæ. Cosdras Persarum Rex Hierosolymam devastavit, sicut & Persæ totam Palæstinam. Zachariam Patriarcham cum ornamentis & populo abduxerunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 620. Cometes apparuit. Tùm Cosroës Persarum Rex Hierosolymam diripuit, & anno 622. Mahomed cœpit. Visa sunt hoc tempore alia etiam prodigia, & horrenda tonitrua audita. Alstedius.

EX eventibus rerum colligo unum eundemque Cometam esse. Eckstormius quoque in annum 617. ex histor. Eccl. Cent. 7. & Polyd. l. 3. Cometam hunc refert. Non levis fuit illa calamitas Hierosolymæ à Persis illata. Sed ejusmodi tristia sine Cometis fieri, hîc quoque videmus. Nam Anno 610. Phocas ille, quo pejor ad puniendа populorum peccata à Deo immitti non potuit, ab Heraclio captus, membris truncatus, tandem & combustus, meritas perfidiæ & sævitiæ dedit pœnas. Persæ crudelissimè omnes provincias Romanas vexarunt, & ex altera parte in Europa Scythæ & Avares. Eodem anno obiit Ceolphus rex West-Saxonum in Anglia: proximo Gundomarus Rex Gotthorum in Hispania, tùm Eudocia Augusta Anno 614. Bonifacius IV. Anno 615. Joannes Exarchus, subjectis avaritiâ gravis, eodem anno per tumultum Ravennæ occisus est. At Theodebertus Rex Franciæ à fratre victus paulò post trucidatus. Pariter naturæ concessit Anno 616 Edelbertus rex Cantuariorum, & Theodoricus rex Francorum, fratris sui interfector, tùm Agilulphus rex ille Longobardorum clarissimus (cujus mortem, ut & aliorum Principum, quos sileo, Sigonius in annum præcedentem refert) nec non Edelfridus rex Northumbriæ in Anglia & Eleutherius, qui tyrannidem in Italia invaserat, à militibus necatus. Taceo bella acerrima & prælia cruenta inter reges illos Franciæ, inter Anglos & Scotos, tùm deprædationes & cædes Christianorum à Persis & Saracenis factas, terræ motum & luem Elephantinam & invasionem Hunnorum, quæ gravissimè Italiam afflixerunt. Hæc omnia ante hunc Cometam acciderunt, nec ad præcedentem referri possunt. Eodem quo Cometes secundum Rockenbachium & Eckstormium apparuit anno, Brunechildis illa impia & sæva, non tantùm dictorum Regum, nepotum suorum, sed & octo aliorum interfectrix, à Clothario capta, & equis discerpta, meritas luit pœnas, ut putat Calvisius, Petavio mortem Theodeberti in ann. 612. Theodorici & Brunechildis in 613. referente. Posthæc Heraclius Imperator, pacem Persarum Regi frustra oblatam, Regi Avarum Chagano feliciter offert, & prosperè bellum Persis infert. Nec hoc prætereundum, quòd Sigonius descriptâ illius Eleutheri perfidi morte, ad annum 617. addit: *Civitas*, inquit, *consilio atque exitu Eleutherii cognito immenti lætitiâ triumphavit.* Nec mirum. Nam, ut recte Sabellicus judicat, fœdum ex

illo motu timebatur incendium, & verè ex ex hac occasione dura esse tractu ac fœda exitu temeraria consilia, † Livium imitatus, monet.

† Liv. l. 35.

CXLII. *Anno Christi 622. visus est Cometa. Circa hoc tempus Mahometes Arabs impium suum dogma in Alcorano comprehensum cœpit propalare.* Eckstormius ex Schossero.

QUod de Mahomete ad proximum Cometen Alstedius dixit, hùc etiam pertinet. Tetra sanè illa pestis fuit quæ Orientem, hominibus ventri deditis†, nefariæ institutionis veneno, quod ex fabulis Ethnicorum, ritibus Judæorum & dogmatibus Christianorum compositum erat, proposito, afflaverat. Cum verò versipellis ille impostor multis ad se pertractis, non immerita ex eo rerum novandarum suspicione & periculo laboraret, hoc ipso anno 16. Julii fugere ex urbe Mecha necesse habuit. Inde Arabum Epocha, Hegira, quæ fugam denotat, dicta. Hinc etiam incipiunt res Heraclii contrà Persas feliciter gestæ. *Nam per quinque continuos annos bellum cum Cosroë rege prosperè administravit, præfectis ejus occurrentibus multis præliis profligatis‡*, ut ait Sigonius. Septem enim victorias de hoste ferocissimo, præter plura prospera certamina, reportavit, & tandem copiis, gazis, regno exutum in fugam vertit. Cum autem is rebus desperatis filium natu minorem successorem sibi designasset, à Siröe filio natu majore, impius ab impio parricida, vinctus in carcerem detrusus, fame *maceratus*, necatur. Hæc cuncta pax Persica, captivorum & omnium bellis *præteritis* amissorum restitutio, lætissimus & splendidissimus triumphus, excepit. *Quis & hic non* videt post Cometæ apparitionem bona quoque & læta evenire? His annumerari merito potest Euangelii Christi apud Northumbros in Anglia propagatio: nam Anno 623. ut Calvisius ex Beda, vel 625. ut Polydorus putat, Ethelberga soror Edbaldi Regis Cantiani, ad Edwinum Northumbriæ Regem deducta, maritum ad fidem pertraxit. Ita Anno 627. ut Polydorus & Calvisius ex Beda annotat, cum multis suorum Edwinus baptismum suscepit, inter hæc & filia, quæ prima ex Northumbris baptizata legitur, & victoriâ de Ceoloulpho, Occidentalium Saxonum Rege obtenta, auctus. Quantum tunc gaudium piis ortum esse putamus, cum Rex ille, qui id temporis, teste Polydoro, sapientissimus habebatur, post tot uxoris & Pontificum pias admonitiones, religionem Christianam amplexus est, illâ memorabili voce prolatâ: *Tandem te hodierno die, Omnipotens Deus! operâ Christi filii tui agnosco: quare impietatis tam diuturnæ veniam oro, quâ hactenus transverse actus nullas tibi beneficiorum gratias egi.* * Polydorus l. 4. p. 79. Is etiam addit confestim tali exemplo Edvini, Paulinique Episcopi primi Eboracensis operâ, Carpualdum Orientalium Anglorum Regem cum tota gente in Rempublicam Christianam transivisse.

† Vid. Bonfin. Dec. 1. l. 8. p. 149. 153. ‡ de regno Ital. 2. ad ann. 622. * Vid. Antiquit. Britann. p. 51; in vita Justi.

CXLIII. *Anno Christi 631. apparuit Cometa gladii speciem referens, post quem Saraceni à Romano Imperio defecerunt. Ex quibus velut initiis Mahometicum & Turciceni à Romano Imperio defecerunt. Ex quibus velut initiis Mahometicum & Turcicum regnum exortum est, & ad summam potentiam pervenit. Circa hoc tempus diem suum obiit Lotharius Rex Galliæ.* Eckstormius ex Schossero.

Anno Christi 633. signum in cælo gladii formam habens visum est, quod per dies 30 integros mansit. Hinc inter Romanos & Saracenos bellum implacabile secutum est. Dagobertus Rex Sclavos debellavit, Cadovalla Britannorum rex, auxilio Pendæ Merciorum tyranni, à Nortumbris defecit. Edvinus in prælio interfectus est. Sigebertus infans, filius Dagoberti, Regis Francorum, cum jam quadragesimum diem attigisset, & à Sancto Amando baptisaretur, omnibus aliis coram astantibus & præsentibus tacentibusque baptisatus respondit, Amen. Rockenbachius.

Func-

FUnccius quoque hoc ſignum in eundem annum 633. ponit, quod 30. diebus verſus Meridiem ſtetiſſe ait, & addit ſententiæ dubius: *Hôc Saracenorum potentiam ſignificatam autumant.* Alſtedius pariter in Anno Chriſti 633. Cometam hunc ponit, & circà hoc tempus Saracenos Damaſcum, Hieroſolymam & Syriam totam occupaſſe ait. Et Keckermannus Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. de Cometis eidem anno cum Peucero Cometam hunc tribuit. Ricciolus eum ad ann. 632. refert, & antequam Perſia à Saracenis occuparetur, apparuiſſe teſtatur. Diſcrimen annorum Cometæ facilè illud epochæ veræ & communis emendat. Niſi figura Cometæ & eventuum ratio impediret, Cometa anni. 633. prout hîc à tot auctoribus citatur, ad ſequentem potius Cometam anni 633. ab Eckſtormio, qui hunc in annum 631. ponit, annotatum referendus foret. Niſi fortè uterque Cometa gladii ſpeciem prætulerit, quam apud Eckſtormium in proximo Cometa non video. Cometam hunc noſtrum præceſſit A°. 627. mors præſtantiſſimæ illius & laudatiſſimæ Reginæ Theodelindæ, ob furorem filii in principes Longobardos ſævientem, regno unà cum eo pulſæ, quæ res Longobardos ingentibus diſſidiis commiſit. Anno 628. ut Funccius, 629. ut Calviſius, deceſſit Siröes rex Perſarum, qui vix uno anno parricidium tulit. Sed & filius Adheſir, cum vix 7. menſes regnaſſet, occiſus eſt à Sarbara perfido duce, poſt bimeſtre ſpacium interfecto; juſtâ Dei vindictâ ubique elucente, nullo autem Cometa lucente. Anno 628. ut Funccius, vel 630. ut putat Calviſius, bellum graviſſimum inter Saxones, Weſtphalos & Friſios ac Francos geſtum eſt, Dagoberto rege Auſtraſiæ periculoſe vulnerato, Beroaldo verò 60. annis Friſiorum rege interfecto. Deceſſit paulò poſt Clotharius Anno 628. ſecundum Petavium, 630. ſecundum Aventinum, Calviſium & Helvicum *, aliis annos ejus paullum producentibus. Sed ut funera Ricaredi 2. & Suintillæ Regum Hiſpaniæ † circà Ann. 626. & alia triſtia quæ Cometam præceſſerunt, taceam, de eventibus qui eum ſecuti ſunt, nonnihil dicam. Dagobertus ille, ut ab eo quem in proximo reliqui, incipiam, *probis initio uſus conſiliis ſummâ regnum æquitate & prudentiâ*, ut Petavius ait ‡, *gubernavit*, &, ut Aventinus teſtatus, *optimum egit principem.* In hæc tempora referendum eſſe diximus Cometam, quem Ricciolus in Anno Chriſti 130. poſuit. Nam Anno Chriſti 633. Oſwaldus Rex Northumbriæ in Anglia vicit Carduellam Regem Britonum, (uti eum Calviſius, Polydorus verò Jovius, Funccius & alii Cadovallonem, Buchananus Keduallam, Antiquitates Britannicæ Ceadwallam p. 16. quo nomine inſignitum Weſt-Saxonum Regem apud Calviſium Anno 689. invenio vocant) qui fratres ejus à religione Chriſtiana deficientes juſto Dei judicio ſuſtulerat, & Saxonum gentem in Anglia delere conabatur, vicit & interfecit. Idem accitis ex Scotia Epiſcopis, ſubjectos imperio ſuo in religione Chriſtiana inſtitui curavit, eamque inſigni pietate & ſanctimonia decoravit. Bella, mutationes Rerumpublicarum & funera Principum, quæ Cometæ Rockenbachius & Eckſtormius tribuit, ſine Cometis aſſiduò in orbe videri, ſuprà monſtravimus, experientiâ id comprobante.

Cæterùm quod ad defectionem & potentiam Saracenorum, quam Eckſtormius & alii tribuunt Cometæ, attinet, monſtrabo ego certiora phœnomenis cæli hujus tantæ rei in terris portenta. Aventinus, auctor fide & judicio præſtantiſſimus, poſtquam bellum Perſicum ab Heraclio compoſitum dixiſſet, ſubdit: „ *Sed aliud ex alio malo.* „ Mahometus tum homo verſipellis, & magicæ fallaciæ non imperitus, in Arabia ortus „ eſt. Arabes Scenitæ (quos Saracenos dicimus) ob avaritiam Quæſtorum defraudati „ ſtipendiis, cum ſuperiore bello contrà Perſas egregiè operam navaſſent, correptis armis „ à Romano deficiunt Imperio. Mahomethes opportunum ſuæ veſaniæ tempus nactus „ rebelli populo ſe ducem præbet: & quo major foret authoritas, ſe nuncium & in„ terpretem Dei cælitùs demiſſum ſimulat: legis divinæ latorem mentitur. Novam „ ſuperſtitionem ipſe commentus eſt. Syriam, Damaſcum, Palæſtinam, Ægyptum „ invaſit: Aſiam, Africam, & bonam partem Europæ iſta lues, ignaviâ principum „ noſtrorum, labefactavit. Tùm paulatim in Oriente, ſicut ante aliquot in Occidente „ *cæperunt deficere provinciæ.*

Sed de his ad Cometam proximum pluribus agemus. Optarem *Viri* prudentes

* Vid. Serrem. in Clothario 2. † Tarapha de regib. Hiſp. p. 104 & 145. ‡ Ann. Boj. l. 3. p. 205.

 vellent

vellent calamitatum causam & originem non ad sidera & phœnomena cæli, quæ bona, jucunda & salutaria, si sapimus, creavit rerum auctor, sed ad hominum errores, vitia & flagitia, quibus nil magis naturæ adversatur, si credims rationi, referre. Hác enim ratione benè de genere humano mererentur. Nunc enim non pauci flagitiorum occasiones & præsidia in occulta vi siderum, ac præsertim operatione Cometarum quærunt, suo & multorum aliorum exitio, imò & publicæ vel salutis vel certè quietis detrimento. Huic porro Cometæ læta quoque successisse, proximè videbimus.

CXLIV. *Anno* 633. *Imperatore Heraclio conspectus est Cometa. Sequenti anno Saraceni Duces Heraclii vicerunt. Heraclius desperatis rebus derelictâ Syriâ lignum Sanctæ crucis Constantinopolin transtulit.* Eckstormius ex Annalibus.

TRistis sanè orbi Christiano illa Saracenorum invasio in Asiam extitit. Hujus portentum in terra Sabellicus monstrat cladem, quæ extremo Phocæ Imperatoris anno sine prænuncio Cometa (nisi fortè tunc anno 611. gesta ad Cometam anni 604. referre placeat) evenerat. *Quo temporis spacio*, inquit, *adeò Saracenorum opes crevêre, ut Asiâ ademtâ, ipsam sint Europam invadere ausi.* Monstrat & Pomponius Lætus alia hujus rei prodigia*: *Negligentia*, inquit, *Cæsaris Augusti animos præbuit, qui exiguis copiis primos illos conatus effringere potuit. Neglectus ignis paulatim augescens, quum fomes suppetit, absumit omnia: desidiaque nostrorum, perniciosa tabes crevit, cui fomentum medicæ manus adhibere nequeunt. Arabes primi defecêre, proximæ deinde regiones, ipsaque invaditur Syria: in qua ferax Damascus vi expugnata, viventis Phylarchi & templum & divinos honores principes inspexit. Pugnasse postea fertur cum Persis, & partem copiarum amisisse, rediisseque ad suos Arabas, copiasque supplevisse Scenitis, manu tum bello validissima, & rebus gestis clara: quæ indignata ob negata stipendia fraude quæstorum & Romani ducis tenacitate, Magmedi hæsit: & tunc defecisse provincias quidam scribunt. Scriptor haud ignobilis, qui paulo post illa tempora fuit, tradit Magmed cum plerisque asseclarum cohortibus Syriam intrasse, & per Legatos petiisse ab Heraclio regiones ad incolendum, atque impetrasse: & ingentem illum numerum, quum alimenta deessent, direptionibus agrorum villarumque & urbium quæsivisse*, & paulò post: *Demum desidia Romanorum principum, eò superstitio crevit, ut magnitudine ejus atque armis perterritus oriens, & bona pars Europæ, non sine clade, & nostra ignominia desciverit* †. Similia his Egnatius habet, alios ut præteram. Demonstravimus præterea supra, maximas quoque rerum mutationes, tùm strages & cædes sine Cometis evenire. Multa sine præviis Cometis Mahometes & Saraceni Arabesque contra Persas & Christianos fecerunt, atrocia sanè. Non igitur mirum est & post Cometam eosdem aliqua egisse, Sigon. l. 2. de regno Italiæ ad ann. 628. & 639. & Funccius ad annum 614. Calvisius ad annum 631. & 632. Hac tempestate rex ille Northumbriæ Oswaldus contra Britannos, & Ratharis Rex Longobardorum in Italia contra Romanos res prosperè gessit. Anno 635. Kinegildis (ita eum Calvisius, at ad Annum 610. & 642. Cinnegisum, Polydorus ‡ Cynigillum vocat) rex West-Saxonum in Anglia religionem Christianam recepit, & paucis annis post Orientales Saxones idem fecerunt, Rex verò Francorum Dagobertus filio Segeberto auctus est, ut annotat Calvisius.

* Romanæ hist. compend. p. 1508. in vita Magmedis. † Roman. Princip. l. 2. 1350. de Mahometis ortu. ‡ l. 4. p. 88.

CXLV. *Anno Christi* 660. *Cometa apparuit in Scorpio, ut annotavit D. Herlicius. Mahavias Amiras Saracenorum cum Hali supremo Principe de ista dignitate decertavit, regiam sedem in urbe Damasco habens.* Eckstormius.

SI ab Anno 640. ad quem effectus Cometæ proximi extendi ad summum potuerant, initium capiamus, habebimus ad annnum 660. intrà 20. ferè 40. per multa Prin-

ta Principum Sacrorum & Profanorum funera. Joannes enim Pontifex Romanus, Eadwaldus Cantauriorum rex Angliæ, Chintilla Rex Hiſpaniæ (Suintillam Tarapha vocat, & mortem ejus in Ann. 644. ponit.) Anno 640. è vivis exceſſerunt.

Poſtero Heraclium hydrops obruit: filium ejus Conſtantinum Martina lurida terribilis, miſcens aconita noverca, ut filium Heracleonem ad ſceptrum promoveret, oppreſſit. Sed mox ſcelere comperto ipſa cum filio tyranno meritas luit pœnas. Iſaacius Exarchus Anno 641. fato functus eſt. Oſwaldus ille pientiſſimus rex in prælio contrà Pendam (Pændam Antiquitates Britannicæ vocant) Merciorum Regem cecidit. Kinnegiſlus Weſt-Saxonum rex morte naturali Anno 642. deceſſit. Dehinc Omar Saracenorum rex Anno 644. poſtero Dagobertus Francorum, Anno verò 646. Martinianus Patriarcha Aquilejenſis & Tulga rex Hiſpaniæ diem ſuum obierunt. Pariter Arichis Dux Beniventi 648. Theodorus Pontifex 649. Eodem anno Ajo Dux Beneventi in prælio à Sclavis oppreſſus eſt. Poſtero Rodoaldus ejus ſucceſſor fato ſuo periit. Ita & Donaldus rex Scotorum & Olympius Exarchus 651. ſequenti Rotharith rex Longobardorum in Italia; at Sigebertus rex Angliæ cum fratre Egrico in prælio contrà illum Pendam occubuêre. Anno 654. Martinus Pontifex moritur in exilio, anno autem vertente Penda ab Oſwino (Oſwium Polydorus & antiquit. Britann. auctor vocat) Oſwaldi fratre victus trucidatur, cujus mortem omni Cometâ certiùs portendit indomita ejus ferocia, quæ pacem peroſa bellum perpetuo appetebat. Nam *velut tota inſula ei deberetur, nulla belli occaſione abſtinendum ratus, tàm fœderatos quàm hoſtes bello laceſſere cœpit, ſic ut partim vi, partim dolo Edwinum ac Oſwaldum Northumbrorum, item Sigibertum, Egricum & Annam Orientalium Anglorum Reges nobiliſſimos vicerit, ferroque interemerit. Verum tamen brevi uſu venit, ut effrenata cupiditas, ita diu in ſuos graſſata, tandem in meritum ſupplicium lapſa ſit.* Polyd. hiſt. Angl. l. 4.

Hæc, dico, audacia ſanguinaria exitium ei prænunciavit, quod annus 655. ei attulit: qua de re & infra Polydorus agit. Eugenius Pontifex, Otmen rex Arabum eodem illo 654. anno vitâ ceſſerunt. Pariter Sindaſundus rex Hiſpanus, & Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus 656. anno. At ſequenti Rodoaldus (Ratholdum Aventinus vocat)* Rex Longobardorum adulterii pœnas pependit. Eodem anno Sigebertus Francorum rex naturæ debitum perſolvit. Hali Saracenus Anno 659. interfectus eſt, alios ut taceam. Taceo varias rerumpublicarum mutationes: Saracenorum Anno 647. in Africam, 648. eorundem in Cyprum, & Anno 649. in Italiam & Siciliam, Sclavorum itidem in Italiam irruptionem, Anno 651. Taceo inter hæc Teſſaloni 11. reguli Bojariæ, & Donaldi regis Scotiæ, aliorumque Principum Anno 650. mortem. Prætereo Rhodum inſulam à Saracenis captam. Coloſſum illum Solis toto orbe celeberrimum dejectum. Taceo procellam Conſtantinopolitanam anni 647. quæ magnas arbores & columnas ſtylitarum evertit, ut & terræ motum & aquarum inundationem, quæ mala Romam eodem anno afflixerunt. Tàm multiplici fato Principes è vivis tolluntur, etſi nullus in cælo luxerit Cometes. Hunc, quem Eckſtormius monſtravit, ſecuta ſunt regum Longodardorum diſſidia & cædes, fames Gallica, mors Ludovici Regis Francorum, tùm bella, quibus Britannia & Indigenarum & ſeptem regulorum Anglo-Saxonum diſſidiis aſſiduò flagrabat, aliaque. Sed atrociora antè Cometam viſa ſunt. Quem tamen multa etiam læta exceperunt. Nam Anno 661. Grimoaldus regnum conſentientibus Longobardis accepit, & nuptias cum ſorore Gundeberti ab ſe peremti, ingenti omnium lætitia, ut Sigonius refert, celebravit. Ejus inſidias Pertharitus affinis evaſit. Grimoaldus verò Anno 662. rem contrà Francos Pertharito auxilium ferentes proſperè geſſit: poſtero Conſtans Imperator, re contrà Longobardos proſperè itidem geri cœpta, pacem cum Romualdo Beneventi Duce, Grimoaldi filio compoſuit. Sed mox Romualdum decipere volens, perfidiæ pœnam luit, indubitatâ victoriâ Romualdo relictâ. Hujus pater an. 664. Lupum Forojulienſem Ducem rebellantem, per Cacanum Hunnorum ducem, nolens Longobardos ſuos civilibus aſſuefacere bellis, oppreſſit, & mox hunc ipſum provinciâ, multo ſanguine partâ, excedere nolentem, ſolo armorum metu removit. Inde ad res ordinandas, denique

* Ann. Boj. l. 3. p. 305.

pacis

pacis ſtudia & jura populis ſcribenda Anno 668. ſe convertit. Sequentes anni à 670. variis Principum fueribus & ſucceſſionibus, ut Sigonius ait, claruerunt. Dehinc Pertharitum mortuo Grimoaldo regnum recuperaſſe, juſtè & quietè adminiſtraſſe teſtatur. Calviſius ad Anno 661. victoriam Cenwaldi Weſt-Saxonum regis de Wulfero Pendæ filio Merciorum rege, ad Ann. 664. Scholas in Anglia inſtitutas, & per eas religionem Chriſtianam plurimùm propagatam refert, ut & alia, quibus non immoror.

CXLVI. *Anno Chriſti* 674. *Cometa magnus apparuit, quem ſecuta eſt ſiccitas, peſtis & fames.* Alſtedius.

VIdimus magnum Catalogum triſtium, quæ hunc Cometam preceſſerunt. Hæc quæ eum ſecuta eſſe Alſtedius dicit, apud nullum Auctorum, quos habeo, invenio. Siccitas & peſtis afflixit ſequentibus annis orbem. Sed hæc propiorum habent Cometam, de quo mox acturi ſumus, ab ipſo quoque Alſtedio annotatum. Ad Cometam hunc, de quo hîc nobis ſermo eſt, videtur referri poſſe illud quod Funccius ex Plamerio ad Ann. 673. refert, ignem in cælo terribilem decem diebus apparuiſſe. Hunc Cometam memorat Daniel Berckringerus Prof. Ultraject. Diſſert. de Cometis p. 32. Ubi Cometa iſte per tranſpoſitionem numeri in annum 764. ponitur. Qui error me ferè traxerat, niſi Alſtedium, quem Berckringerus ſequitur, conſuluiſſem.

CXLVII. *Anno Chriſti* 676. *Cometa viſus eſt tribus menſibus. Rathbodus qui præfuit terris ad Albim, Viſurgim & Hercyniam, cum inclementiùs haberet ſubditos, defecerunt illi ad Regem Franciæ, qui tùm Thuringiam habebat.* Eckſtormius ex Spangenb. Chron. Sax. cap. 69.

COnjungi hicce Cometa cum ſequenti anni ſequentis non poteſt. Nam Eckſtormius & alii Auctores utrumque diſtinxerunt. Rockenbachius ad annum ſequentem annotat, & ſtellam, quæ menſe Auguſto ab Oriente ad Occaſum Solis radiis cælos penetrans tribus menſibus luxerit. Colligo eum indicare iſtum Cometam, de quo & Calviſius ex Anaſtaſio ad eundem annum hæc habet: *Cum Papa Donus electus eſſet, menſe Auguſto apparuit Cometa in Oriente per menſes tres, cujus radii cælum penetrabant.* Et mox ex Cedreno ſubjicit Saracenos pacem à Conſtantio Pogonato Imp. petiiſſe, ad 30. annos firmaſſe, iiſdem quotannis 10. millia pondo, centum ſervos, equos generoſos 50. pendentibus. Imò & Bulgaros hâc pace territos pacem quoquè petiiſſe & obtinuiſſe. Hic Cometa profectò bonum orbi Chriſtiano portendit & attulit. De hoc illud Sabellici intelligendum eſt: * *Cælum maximo ſpectantium terrore decem dies eſt viſum ardere, & mox eo triennio crinita ſtella tribus menſibus apparuit, ceciderunt que cælo imbres perpetui & tonitrua horrenda, qualia nunquam hominum memoriâ fuerant audita, creberque caſus fulminum, quibus expiandis ſæpè Theodatus ſupplicationem indixit populo, & ipſe ſolemni more pompam ſecutus eſt. Obiit diem Theodatus magno dolore civitatis, anno Pontificatûs ſui quarto, in Vaticano ſitus eſt. Donus eſt inde ſedem adeptus.* Eadem mens eſt Funccio ad annum 676. Tempus apparitionis Cometæ quod uterque annotat, diverſum eſt ab eo, quod ei Calviſius tribuit. Huic favet Sigonius ad annum 674. † *Poſt triennium ſublato è rebus humanis* VI. *Kal. Junii Pontifice Adeodato, ſævi admodum imbres & fœdæ tempeſtates fuerunt. Fulminum ictu magna pecudum hominumque manus exanimata. Frumenta cùm vi tempeſtatis colligi nequiviſſent, in agris renata maturuerunt. Demùm populis divinas in ſupplicationes converſis pax à Deo eſt impetrata. In locum Adeodati Pontificis mortui, Donus eſt conſecratus.* Ita Sabellicus ad Adeodatum refert, quod alii ad ſucceſſorem ejus Donum referunt. Sifardus quoque in ann. 676. Cometam

* Enn. 8. l. 6. p. 284. col. 2, † l. 2, de regno Italiæ p. 47.

hunc

hunc ponit, eique peſtem, locuſtas, Ludovici Regis Francorum mortem, & Rathbothi illius Comitis tyrannidem ſubjicit. Hæc certè defectionem illam potius quàm Cometa portendebat. At verò ibi pro Ludovico Hildericum vel Childericum legendum non dubito. Ludovicus enim Anno 600. ut Petavius, vel 602. ut Calviſius, Helvicus, Serres, vel 603. ut Funccius & Alſtedius putant, mortuus eſt. At Hilderici vel Childerici mors in ann. 679. incidit, de qua mox dicturi ſumus.

CXLVIII. *Anno Chriſti 675. & 676. tribus continuis menſibus apparuit Cometa: quo tempore Saraceni imperium Romanum vehementer adflixerunt. Nam magnâ claſſe venerunt in Siciliam. Bellarminus in Chronologia collocat Cometam in ann 678. & addit tribus annis ſequentibus non pluiſſe.* Alſtedius.

Anno Chriſti 677. menſe Auguſto ſtella adſpectu horrenda, radiis cœlos penetrans, ab Oriente uſque ad Occaſum Solis per tres menſes integros viſa eſt. Hanc morbus Epidemia dictus in Orientalibus regionibus ſecutus eſt. Secutus eſt hanc ſtellam mox & Cometa, qui per 3. menſes integros à mortalibus viſus eſt, cœlumque per 10 dies tunc temporis arſit. Hæc prodigia tantæ ſunt ſecutæ calamitates, quales hominum memoria, ut Hiſtorici annotant, antea non meminit. Imbres aſſidui cœlo ceciderunt, tonitrua horrenda ſæpius audita ſunt, & fulmina viſa ſunt. Quæ mala omnia ut Theodatus averteret & expiaret, ſupplicationes populo indixit, ſolenniqne more ipſe pompam ſecutus eſt. Obiit & Theodatus, anno Pontificatus ſui quarto, magno civium ejulatu diem ſuum, & in Vaticano ſepultus eſt. Eodem anno, paulò poſt Saraceni Lyciam Ciliciamque bello defatigarunt, peſtis ſæviſſima Ticinum afflixit. Rockenbachius.

Anno Chriſti 677. in Auguſto per tres menſes Cometa excelſam flammam quaſi columnam præferens, à parte Orientali à gallicinio uſque ad ortum Solis apparuit. Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. cent. 7. cap 13 Sigeberti. *Saraceni coacti ſunt à Romanis pacem petere. Peſtis graſſata eſt in Oriente.*

Anno Domini 678. Hæc inter Theodorum & Wilfridum orta diſſenſio eſt: quo etiam tempore Cometam per tres integros menſes apparuiſſe Beda narrat: Matutinis horis oriebatur, excelſam radiantis flammæ quaſi columnam præ ſe ferens. Ac hæc quidem ſtella (ut ſolet) ingentem Britanniæ calamitatem portendebat. Quo enim anno Wilfridus Româ in Britanniam rediit, & provincia ſua per Theodori inimicitias prohiberetur, (quanquam is ſedulò Euangelium promulgarit) ingens mortalitas multas Britanniæ provincias corripuit, in provincia etiam Occidentalium Saxonum per tres integros annos non pluit. Unde populus præterquam quòd morbo, etiam fame præter modum afflictus eſt. Idem etiam Beda narrat: Sepè quadraginta homines, ſæpè plures famis acerbitatem non ferentes, ad maris ripas ſe contuliſſe, ſeſeque inde junctis manibus fluctibus abſorbendos miſerè præcipitaſſe Antiquitates Britannicæ. p. 54.

ALſtedii Cometa Anno 675. & 676. apparens reſpondet ſtellæ & Cometæ trimeſtri Rockenbachiano, tùm Cometæ anni 676. & 677. Eckſtormiano. Sed & Ricciolus Anno 676. vel 678. hunc Cometam apparuiſſe dicit. Subjicit ei ex Oroſio ingentes pluvias, frequentia tonitrua, ex Beda verò ſiccitatem ac peſtem, tùm & ſequenti anno locuſtas. Baronius computationis ſuæ fundamentum in rationibus Bedæ poſuit. Ideò & Calviſius ſiccitatem illam tiennalem, peſtem & famem multorum mortis cauſam in annum 681. retulit, ejuſdem Bedæ inſiſtens veſtigiis. Cometam hunc excepit pax Anno 678. cum Bulgaris concluſa, & Chriſtianæ religionis apud Friſios operâ illius Wilfridi Epiſcopi Eboracenſis, cui cum Theodoro Cantuariæ Archiepiſcopo controverſia interceſſerat, propagatio. Anno 679. Hildericus rex cum uxore trucidatur*. Sed hunc caſum magis in terra portendit nuperrimè illata Bodilloni (Bodolernum quidam vocant) Franco, quem rex ſervilibus verberibus affecerat, injuria, & alioqui ſubjectis gravis crudelitas †, ſuperbia & temeritas, nulli ſuam legem ſervans, & magiſtratus pro libidine regionibus præficiens, quam ante

* Geſt. Franc. epit. c. 45. Fredegar. Chron. c. 95. Aimoin. l. 4. c. 44. Ritius de regib. Franc. l. 1. Serres in Childerico.
† Vid. Aventin. Annal. l. 3. p. 208.

biennium lucens in cælo Cometes. Eodem anno Imperator necessariam pacem à Bulgaris, feroci suo exercitu clade affecto, accipit. Pertharitus verò Rex Cunipertum filium in regni societatem vocavit, ut refert Sigonius, qui ad annum 680. trimestrem pestem Romæ magnum damnum attulisse, sed mox eodem & sequenti anno lætitiam magnam & multiplicem, ex celebratione Concilii Constantinopolitani contra Monothelitas, qui scilicet unam tantùm in Christo ut naturam, ita & voluntatem docebant, ortam memorat.

CXLIX. *Anno Christi* 684. *Cometa horribilis totos tres menses apparuit. Secuti sunt venti vehementes, pluviæ, fulgura, tonitrua, adeò ut timeretur multarum terrarum & hominum interitus. Non ita diu post obiit Heraclius Imperator Orientis.* Eckstormius ex Schossero.

Anno Christi 684. *Cometa apparuit, qui pestem, tonitrua, famem & eluviones subsecutas significavit.* Alstedius.

COmetam hunc præcesserunt funera Agathonis Anno 682. & Leonis 2. Anno 683. Secuta quoque Anno 985. mors Benedicti & alia, de quibus mox dicturi sumus. Hîc tamen Anno scilicet 685. secundum Calvisium ponenda est pax illa, de qua Sabellicus Enn. 8. l. 6. sub finem ait, *fuisse eam ubique gentium tantam, quanta rarò aliàs hominum memoriâ.* Præcessit enim violationem fœderis cum Saracenis initi ab Justiniano Imperatore factam, quam Calvisius in eundem annum Justiniani l. ponit. Illa quæ memorat Eckstormius ac Cometæ tribuit, sine Cometa evenire experientia testatur: atque adeò & mortem Principum. Cæterùm apud eum pro Heraclio Constantinus Heraclii pronepos legi debet: nisi fortè arripuerit Heraclium Justinianum, cujus tamen mors in annum 711. vel 712. incidit.

CL. *Anno Christi* 684. *Stella noctu juxtà Vergilias cælo sereno, inter nativitatem Christi & Theophaniam apparet, obtuso lumine, ut Luna, & die* 14. *Februarii exiit stella vesperi, à meridie ad Septentrionem.* Calvisius ex Anastasio.

Anno Christi 685. *Initio inde Januarii apparuit Stella noctu cælo sereno, eâ obscuritate infecta, veluti cum Lunam nubes subiit. Et mense Februario meridie altera ab occasu cum magno fulgore ad orientem decurrit. Martio verò Vesuvius mons in Campania per dies aliquot ignes evomuit, atque omnia virentia circumquaque adussit. Hæc præunciasse obitum Benedicti Pontificis judicatæ, qui Idibus Majis supremum vitæ suæ diem confecit.* Sigonius de regno Italiæ l. 2. p. 49.

Anno Christi 687. *Stella visa terribilis circa Natalem Domini propè Vergilias apparuit, quæ usque ad Epiphaniam Domini dies noctesque lucem de se sparsit. Post hanc apparitionem stellæ, Benedictus II. Pontifex Romanus mox mortuus est, in cujus locum Joannes, ejus nominis V. successit. Pertharith Longobardorum rege mortuo, Chunipert filius in regno successit. Edrich rege Anglorum mortuo, exteri reges & populi, per quatuor annos Angliam devastarunt & depopulati sunt. Martinus & Pipinus, Austrasiorum duces, ab Ebroino vincuntur, ac Martinus contra fidem datam interficitur.* Rockenbachius.

RIcciolus quoque in annum 684. sidus hoc ponit, & an fuerit Cometa, incertum esse dicit. Refertur tamen inter Cometas à Rockenbachio & Eckstormio. Porrò Stella hæc cum illa crinita, licet tàm illud phœnomenon ab Eckstormio, quàm hoc à Calvisio in eundem annum ponatur, confundenda non est. Nam & Eckstormius & rerum eventus utramque distinxit; ille verò etiam Cometam ad hunc annum cum eadem descriptione ex Paulo Diacono annotavit. Sifardus simpliciter Cometam in annum 684. collocat, hunc tamen intelligit, eique quæ post annum 712. evenerunt, liberaliter tribuit. Sabellicus de hac stella & hac occasione de Cometis in genere

nere & Vesuvii incendio nonnihil lectu dignum scribit*. *Prodiderunt quidam rerum cælestium ignari, eodem Pontifice* (Benedicto) *sub dominici Natalis diem, Vergiliarum ortu stellam apparuisse, quæ totis diebus & noctibus luxerit ad Epiphaniam usque, quo nihil potest videri minus scitè positum, tanquam non satis constet, Vergilias circa vernum Æquinoctium, ad nonum Kalendas Aprilis oriri, nisi aliquis interpretetur juxta sydus Vergiliarum Cometen observatum, ut in mundi circumactu Vergilias comitaretur, cui interpretationi repugnat eruditorum opinio. Enimverò tametsi falso quidam Cometas perpetua esse sydera arbitrati sint, ac cum mundo agi plurimum: tamen in arctico circulo hujusmodi phasmata existunt, & ut veriùs dicitur, ex fortuito humore & vi ignea concrescunt, ac multùm infra stellas, ut cum mundo agi non possint. Per idem tempus Vesuvius mons tantam vim ignium repentè evomuit, ut circumjecta loca sint passim incendio consumpta, quod aliquot ante ætatibus acciderat, Tito qui fuit Vespasiani filius imperante, si Tranquillus verus est auctor, quo magis miror Platinam persuasum habuisse, Eusebii credo auctoritate adductum, Trajano principe Vesuvium deflagrasse*†. De quibus Sabellici verbis consului Virum quendam egregiè doctum, ejusque sententiam hanc exploravi, Sabellicum non satis jure sugillare eos, qui dixerunt Cometam apparuisse circa ortum Plejadum sive Vergiliarum. Nam Sole existente in extremis partibus Capricorni, occidente eo oriebantur sive ortæ erant e regione ὡς ἐπὶ πολὺ (circiter) Plejades in Tauri constellatione: qui ortus dicitur ἀκρόνυχος, unde & acronyctæ stellæ quæ occidente Sole oriuntur, vocantur. Quod si verò intellexerint illi motum κόσμικον, nempe ut Plejades unà cum Sole horizontem ortivum transierint, absurdi sanè fuerunt. Neque heliacè tunc ortæ Plejades sunt. Quem ortum itidem si intellexerunt illi, pariter errarunt. Adhæc videtur Sabellicus perpetuam apparitionem stellarum confundere cum earundem duratione perpetua, quæ duo benè distinguenda sunt. Sic ille Cometa anni 1618. tandem factus est perpetuæ apparitionis, & tamen desiit. Sed de his in transitu dicta sufficiant. Nunc ad reliqua Sabellici redeamus. Quod is auctor de Vesuvii incendio refert, aliquâ correctione indiget. Nam non tantùm Anno 79. sub Tito (quæ & Funccii opinio est) sed & Anno 471. (Alstedius) 472. (Sigonius, Calvisius) & Anno 512. (Sigonius, Calvisius) mons ille ante hunc Cometam deflagravit. Sed ad Cometam nostrum his quoque relictis, revertamur. Tàm læta quàm tristia eum antecesserunt & exceperunt. Illa vidimus ad Cometam CXLVIII. De his ut aliquid dicamus convenit & opus est. Anno 685. mortuus est Benedictus Pontifex Romanus. Obitum ejus vel sine Cometa portendisset diutinus morbus, quo erat implicitus, Sigonio teste. Excessit è vivis paulò post & Successor ejus Joannes, sueto mortalium cursu: pariterque Constantinus Imperator, & Anno 687. Cono Pontifex, senex & ferè semper valetudinarius: *Ut Joannes* (inquit Sigonius) *sic Cono adversa per totum pontificatum valetudine est conflictatus*: satis ad mortem sine ullo Cometa præsagii. Inter hæc Anno 685. putante Calvisio, Egfridus rex Northumbrorum in Anglia fato functus est. Mortem ejus bellum Pictis, qui hâc occasione victores sibi olim ablata recuperarunt, illatum, utrumque verò invasio Merciæ & Hyberniæ crudelis per eum temerè facta portendit. Eodem anno Heraclius Justinianus, qui patri Constantino successit, rem feliciter gessit, pulsis ex Armenia Saracenis, eaque Imperio restitutâ, imò & Saracenis ad pacem petendam & offerendum tributum coactis. Turbaverat ille tamen tunc pacem septem annorum, bello à patre Constantino contra Saracenos gesto partam, eamque honestissimam, quæ ubique etiam floruerit, teste Egnatio. Ideò & Sabellicus‡: *Fuit tum pax tanta ubique gentium, quanta raro aliàs hominum memoria. Sed quò brevior esset, Justiniani principis fecit inconstantia.* Loquitur de illa Saracenorum invasione Anno 685. facta. Anno sequenti Justinianus pace cum Saracenis firmatâ & Africâ receptâ, rem contra Sclavos & Bulgaros Anno 687. prosperè gessit. Illâ tempestate pace inter Imperatorem & Longobardos, tùm & inter hos domi vigente, *Italiæ regnum summâ cum omnium gratulatione reflorescebat*, ut Sigonius ad annum 687. annotat. Alahis quidem dux Tridentinus victoriam de Bois vicinis reportavit, *& ut res lætæ, ut verbis Sabellici utar, sunt ad superbiam pronæ, ex contemptu bellum Perthari & Cunipertho regibus intulit.*

* Enn. 8. l. 6. sub fin. † p. 286. col. 1. ‡ Enn. 8. l. 6. sub fin.

Sed

Sed is mox in ordinem redactus, & Ducatu Brixienſi auctus, aliquantum quievit. Poſtea enim ad ingenium rediit, & partim vi, partim proditione, Pertharitho 689. vel 690. mortuo, filium ejus Cunipertum homo extremè ingratus & perfidus regno exuit. Sed hoc in regnum paternum reducto, ad extremum Anno 692. victus & oppreſſus eſt. Cunipertus autem *regnum quietè & ſanctè*, ut Sigonius ait, *adminiſtravit*. Ita & paulò poſt Anno ſcilicet 695. Anſfridus, qui tyrannidem Forojulii, & 697. Leontius, qui pulſo Juſtiniano Conſtantinopoli pariter tyrannidem invaſerat, ambitioſæ perfidiæ pœnas uterque luit. Eaſdem Anno 706. ſubiit Tiberius Abſimarus, qui nuper capto, mutilato & in ordinem redacto Leontio, tyrannidem pariter invaſerat, unà cum eo à Juſtiniano gladio percuſſus eſt. Ita, Conſule cum Mario capte Jugurtha jaces, ut ille ait. Memorabilia hæc ſunt exempla, quæ docent fidem Principi ſervandam & tyrannidem injuſtam nunquam appetendum eſſe. Dum hæc aguntur, Juſtinianus Anno 690. notante Calviſio, pace Saracenicâ corruptâ, bellum eis, fruſtra deprecantibus, non neceſſarium infert. Hæc iterata pactorum violatio cladem ei portendit, qua anno vertente à Saracenis, Sclavos corruptione ab Imperatore avertentibus, affectus eſt. Hæc defectionem Armeniæ præfecti portendit. Ita mala ex malis, non ex aſtris vel Cometis proveniunt. Ut ad effectus, quos Cometæ iſti Rockenbachius tribuit, redeam, video ei cum Magiſtro Funccio non benè convenire. Is enim Edrici mortem in Ann. 678. ponit, & ad illa tempora Angliæ vaſtationem à Rockenbachio memoratam refert, Lothario Edrici anteceſſori duos tantum annos tribuens. At Rockenbachio favet Calviſius, qui Lothario XII. annos tribuit, & ſic Edrici mortem in Ann. 688. ponit. Polyd. l. 4. difficilem annorum rationem ſicco pede præterit. Rockenbachio triſtes eventus in Cometam *hunc* congerenti ex Funccio, meritò adferre poſſumus pacem à Saracenis cum *Juſtiniano renovatam*, licet mox Juſtiniani Imperatoris temeritate fractam, quæ, ut & deductum *Anno* 686. ut Calviſius putat, inexpugnabile Syrorum Libano præſidium, barbarorum incurſiones ab imperii provinciis arcens, multa mala imperio portendit, certè attulit. De bello illo Gallico inter Ebroinum, Martinum & Pipinum, audiamus Sabellicum Enn. 8. l. 6. ſic finientem: *Eodem anno* (quo ſcilicet Juſtinianus Bulgaros ut temerario ſic parùm felici bello adortus pacem precariò obtinuit, ſecundùm Funccium, Calviſio eſt 687.) *& in Gallia bellatum: fuitque id bellum eo ad poſteros magis memorabile, quod majus inde Chriſtiano nomini, quàm ex ullo antea bello lumen affulſit, tum enim Caroli nomen omnibus terris celebre futurum cœpit illuſtrari.* Neque verò Sabellicus belli hujus originem ad proximè memoratum Cometen, ſed ad ambitionem & facilitatem Theodorici Regis Francorum, (alii Hillericum & Chilpericum vocant) & ad Ebronii vel Ebroini, contra Martinum & Pipinum Regem impellentis invidiam refert. Ebroinum diſſidiis ab obitu Lotharii ad res novandas & invadendum tyrannidem eſſe *inductum*, Auctores Francici fatentur. Hæc vitiorum portenta ſunt inſtar Cometarum Politicorum, quæ mutationem Rebuſpublicis denunciant. Hillericum & Chilpericum à quibuſdam, referente Sabellico, pro Hilderico ſive Childerico legi conjicio*. Ideò verò, quod Lothario nonnulli Theodoricum quidem primo in regni adminiſtratione ſucceſſiſſe dicant, ſed cum is auctoritate Ebroini regnaret, & mox in monaſterium detruſus Childerico locum fecerit, ac demùm hoc occiſo ad ſceptrum revocatus fuerit, alii Lothario Childericum, & huic demùm Theodoricum in regnum reſtitutum ſubſtituant. Ebroini crudelitas contra Martinum Pipini Craſſi fratrem, Leodegarium Epiſcopum Auguſtodunenſem, & Leudeſium alioſque Francicos Proceres, ſed & contra fidem datam ſæviens, exitium ei ſine ullius Cometæ apparitione portendit. Paulò enim poſt ab Ermenfrido occiſus eſt. Quo æmulo potente ſublato Pipinus re contra Theodoricum Regem, bello ſe laceſſentem, proſperè geſta, per inertiam Regum Theodorici, Ludovici 2. Childeberti & Dagoberti, 27. annos regem ſine titulo egit, regnum certè fortitudine, prudentiâ & æquitate egregiâ, domitis Friſonibus, ad annum 714. magiſtri palatii per totam Franciam nomine adminiſtravit. Sifardus huic Cometæ præter funera principum & præſtantium Virorum, quæ ſine Cometis aſſidua

* Vid. Avent. Annal. l. 3. p. 208.

in orbe ſunt, etiam tribuit clades exercituum. Equidem & illâ tempeſtate modò à partibus Romanorum, modò à partibus Saracenorum victoria ſtetit, eademque fuit triſtium & lætorum alibi gentium viciſſitudo. Refert ad eum & Juſtiniani mortem. Sed hæc longè à Cometa diſtat. Nam in ann. 712. ut Funccius & Bucholzerus, vel 711. ut Sigonius, Calviſius, Helvicus, Alſtedius & Petavius putant, incidit. Ego verò propius & certius mortis Juſtiniani dabo portentum, ingratum ſcilicet ejus in Bulgaros, quorum ope imperio erat reſtitutus, animum, imò & violatæ pacis perfidiam, denique immanem crudelitatem in Cherſonitas exercitam, de qua videatur Sigonius ad annum 710. Calviſius ad eundem annum, Petav. Ration. p. 1. l. 8. c. 3.

CLI. *Anno Chriſti 715. apparuit crinita ſtella terrifico aſpectu, caudâ ad Arctum obverſâ.* Sabell. Enn. 8. l. 7.

IN hunc annum Chriſti, indictionem 14. (quæ Funccio, Calviſio & Helvico in annum 716. incidit) annotat Eckſtormius Eclipſin Lunarem, in Hiſt. Eclipſ. non tamen Cometam in hiſtoria Comet. quod miror, cum eclipſi Cometa a Sabellico ſubjectus ſit. Proximus Cometa ab hoc annis 21. circiter diſtat. Intra hoc temporis ſpatium videas Juſtinianum illum à Leontio, & hunc iterum à Tiberio Abſimaro, naſo, utrumque mirâ viciſſitudine à reſtituto in regnum Juſtiniano, hunc tandem à Philippico, capite multatum, iſtum deniquè a conjuratis & imperio & oculis privatum. Taceo tot aliorum Principum funera, quæ vel ſueto naturæ curſu evenerunt, vel violentâ manu accerſita ſunt. Taceo tot Rerumpublicarum converſiones, bellorum cruentorum furores, populorum clades & exercituum ſtrages. Unam ex his indicare liceat, Saracenorum ſub illo Abſimaro, quæ 200. eorum millia anno 700. hauſit. His omnibus aliiſque malis nullus Cometes, ad quem iſta referri jure poſſent, præfulſit. Sed vitiorum portenta pro Cometis numerare, in expedito, ſi neceſſe, foret. Vidimus enim toties, & proximè talia, quæ nos ſatis officii admonent. Leontio infelicitas, Abſimaro perfidia, Juſtiniano crudelitas, Philippico inertia & prodigalitas exitium portendit. Pariter Vitiſæ regi Hiſpaniæ vita ſcelerata * miſerabilem anno 707. exitum, regno & oculorum uſu ademto. Mox Roderico ejus Victori, & ut Calviſius ex Vaſæo, & Helvicus ex Scaligero poſt Volaterranum deducunt, (Tarapha enim ex Ritio, ut & Funccius aliique Coſtam interponunt) ſucceſſori vis filiæ vel uxori Juliani Comitis illata ex vindicta, interitum & regno detrimentum attulit. Julianus enim Mauros ex Africa in Hiſpaniam vocavit. Ideò intrà biennium † 700^m. hominum ferro periêre. Ita & Ariperto 17. Longobardorum in Italia Regi ſævitia in Luitpertum conſanguineum & innocentem puerum (cui ſaltem ex æquo regnum competebat, erat enim Luitpertus Pertharithi illius regis nepos, Aripertus verò Gundeberti fratris ejus filius) immaniter trucidatum exercita, tùm verò poſt pugnam cum Aſprando Luitperti illius tutore ſatis proſperam, vecors & in præcipitium impellens ex caſtris, mox ex regno fuga exitium portendit. Hæc ad ann. 712. Sigonius annotat. Illuſtria Pipini & filii ejus Grimoaldi, tùm affinis Dodonis exempla huc ſunt referenda. Pipinus enim Plectrudi Elpaidam (Aventino Albædam) ſuperinduxerat, ex qua Carolum illum Martellum, rebus geſtis celeberrimum, ſuſcepit. Ob hoc adulterium cum à Lamberto Epiſcopo Ultrajectenſi, ut par erat, objurgaretur, is à Dodone Elpaidis fratre occiſus eſt. Hic paulò poſt fœdo morbo à vermibus eroſus periit. Grimoaldus verò, qui pravum paternæ libidinis exemplum ſecutus adulterinis amoribus turpem ducebat vitam, à genero (ut Serres ait) Radboti Friſiorum Reguli, id eſt, affine ſuo (habebat enim Theodovindam filiam Radbodi in uxorem) anno 713. vel 714. ut Aventinus putat, qui percuſſorem Rænarium Friſium nominat, Leodii in templo interemtus eſt. Pipinus dehinc mœrore anno 714. contabuit. *Joanni Exarcho* anno 712. ſuperbia & avaritia, populo Ravenatenſi gravis, necem portendit. Hæc itaque omnium iſtorum vitia, non ille Cometa longo annorum intervallo diſſitus, ante

* Tarapha ex Ritio de regib. Hiſp. p. 111. 112. † Tarapha in Roderico.

hunc Cometam interitum eis portenderunt. Ita manifestum evadit, terrena potius quam cælestia, & voluntaria quam naturalia portenta exitum Principibus significare & adferre. Sed jam quæ Cometen istum secuta sunt videamus. Eodem anno quo fulsit Cometes, vel certè proximo (dissentiunt enim Auctores) Tiberis exundavit. At verò ante Cometam quoque & sine eo exundare solet. Artemius, qui Anastasius dici voluit, imperium per seditionem militarem anno eodem amisit. Ita & post biennium Theodosius Adramyttenus, dato sibi Leone Isaurico, successore. Sed jam jam vidimus ejusmodi Imperiorum & Rerumpublicarum mutationes citra ullam Cometarum apparitionem fieri. Anno 717. Carolus Martellus victoriam de Hilperico Rege & Raginfredo duce ejus obtinet *, Lothariumque Hilperici patruum pro eo regnare jubet. Saraceni frustrà Constantinopolin obsident, & ab Imperatore auxiliis Bulgarorum adjuto profligantur. Pelagius, ex regio sanguine Gotthorum in Hispania oriundus, in Asturia quosdam ad excutiendum Maurorum jugum convocat, & divino auxilio regnum Asturum & Legionis Anno 717. capessit, Carolus autem Martellus novam victoriam de Hilperico & Raginfredo, tùm & Eudone Aquitaniæ Duce consequitur.

* Avent. Ann. Boj. l. 3. p. 210.

CLII. *Anno Christi 719. apparuit Cometa in Sagittario, ut scribit Herlicius. Eodem anno obiit Clodoveus Rex Francorum: Illi successit frater Lotharius, contra quem in Neustria electus est Sacerdos quidam, qui se Chilpericum nominavit.* Eckstormius ex Trithemio.

TRistia, quæ ante hunc Cometam evenerunt, vidimus. Nunc læta tristibus mista quæ eum secuta sunt, videamus. Hoc anno, quo Cometes apparuit, Christi religio in Thuringia & inferiori Saxonia & alibi per Germaniam propagatur. Carolus Saracenos Galliam Narbonensem vastantes rejicit, & in Hispaniam repellit, multaque contra hostes Bojos, Alemannos & alios prosperè gerit. Radbodus Frisiorum & Lotharius Francorum Reges moriuntur. At Leonis Imperator filius Constantinus, quod aquam in baptismo conspurcasset Copronymus dictus, natus est: multaque in orbe fiunt his tristia, illis læta, quorum plena sunt historiarum monumenta.

CLIII. & CLIV. *Anno Christi 729. Cometæ duo mense Januario 15. dies apparuerunt, unus præcedebat Solem Orientem, alter Occidentem sequebatur.* Germanus Patriarcha *officio renunciat, sufficitur ei Anastasius Imperatoris adulator.* Funccius.

Anno Christi 729. Duo Cometæ simul & eodem tempore (quod memoriâ dignum est) visi sunt, quorum alter Solem Orientem præcedebat, alter Solem Occidentem sequebatur. Hos mors Gregorii Pontificis ejus nominis II. postquam annos 16. Romæ imperium tenuit, secuta est, ac alius ejusdem nominis III. natione Syrus ei successit. Cazari in Saracenos irruunt, ac invicem manus acriter conserunt, Saraceni ab Eudone ex Hispania provocantur. Rockenbachius.

Anno Christi 729. Bini Cometæ hoc anno exorti, inquit Beda, quorum alter Solem orientem præcedebat, alter Solem occidentem sequebatur, unde Beda magnam cladem ominatus est futuram ex Oriente, & ex Hispania ex Occidente. Calvisius.

Anno Christi 729. Imperatore Orientis Leone Isauro, mense Januario apparuerunt Cometæ duo circa Solem, multum intuentibus terrorem incutiens. Unus quippè Solem præcedebat manè Orientem, alter vesperè sequebatur Occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti diræ cladis præsagi: vel certè unus diei, alter noctis præcurrebat exortum, ut utroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem facem ignis contra Aquilonem, quasi ad accendendum acclivem, apparebantque mense Januario, & duabus fermè septimanis permanebant. Quo tempore gravissima Saracenorum luci Gallias miserâ cæde vastabat, & ipsi non multòpost in eadem provincia dignas suæ perfidiæ pœnas luebant.

‡ Enn. 8

luebant. Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. cent. 8. c. 13. ex Bedæ lib. 5. cap. 24. Hiſt. Anglica.

Anno Chriſti 729. Duo Cometæ viſi menſe Januarii per 15. dies, teſte Beda & Palmerio. Alter ſolem præcedebat ut Phoſphorus, alter ſequebatur ut Heſperus. Fieri poſſe, ut idem fuerit Cometa ob magnam declinationem verſus Polum docet Ricciolus. Sed *Cardanus refert hos Cometas ad annum 726. Guiniſius ad 725. quo quidem intemperies aëris toto mundo fuit, ſed Carolus Martellus de Saracenis triumphavit.* Ricciolus.

Anno Chriſti 729 Duo Cometæ viſi ſunt: Ingens peſtis hoc anno orbem pervaſit, præſertim Conſtantinopolim, ubi 300000. hominum periêre. Non multò poſt Luitprandus Longobardorum Rex Romam obſidet, & Saraceni Carthagine ex Africa moventes in Hiſpaniam navigant, & ejus provinciæ partem occupant. Alſtedius.

VIr ille Eximius in hac urbe degens de his Cometis tale judicium tulit, quod adſcribo: *Utinam pluribus hiſtoria & obſervatio horum Cometarum fuiſſet deſcripta! Valdè videtur probabile unicum fuiſſe. Præſertim cum uterque caudam obverterunt Septentrioni, ſi verè hoc ſcribitur. Unde apparet ſimilis ſitus ad ſolem vel idem potius. Habuerint inſignem latitudinem, & declinationem Borealem, & Sol admodum auſtralem: Quæ valdè congruunt. Et erant tunc homines Occidentales imperitiſſimi Aſtronomiæ.* Nos tamen cum tot auctoribus duos poſuimus. Cometas hos in eundem annum ponit Sifardus, eiſque bella, victorias, peſtem & Leonis Imperatoris ac Caroli Martelli mortem, quæ 12 annis à Cometis abeſt, aliaque longè ab eis diſſita, tribuit. A Keckermanno Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. de Cometis Cometæ iſti in ann. 726. ponuntur: ut & à Cardano, à Guiniſio in 725. ſed conſenſus Auctorum in 729. ponendos eſſe docet‡. Sabellicus eos memorat, ſed annum non ponit. Multa autem triſtia Cometas hos præceſſerunt. Anno etenim 720. Saraceni Sardiniam occuparunt. Pontifex Romanus Gregorius 2. contrà Leonis Imperatoris inſidias, Longobardorum, Edo verò Aquitaniæ Dux contrà Carolum Martellum bello, cui impar eſſet, ſe aggredientem Saracenorum auxilia Anno 724. advocavit. Ut taceam multorum Principum mortem. Cum autem Cometa ille anni 719. à pace diuturna, annorum ſcilicet octies novem inter Longobardos & Romanos Anno 724. rupta & orto bello longius abſit, videmus aliud & propius & certius ejus portentum, occaſionem ſcilicet ex diſſidiis Romanorum Luitprando Longobardorum Regi (qui teſte Sigonio ad ann. 712. *non minus pacis ſtudia quàm belli, ut cujuſque tulit occaſio, coluit,*) præbitam. Hoc demum bellum ex temeraria ambitione Romanis illatum, inſigne interitûs Longobardorum in Italia portentum fuit. De utroque prudenter Sigonius, ut ſolet*: *Poſt Rotharis regnum nullum Longobardis regibus cum Exarcho Italiæ ipſiſque adeò Romanis extiterat bellum, nempe Longobardis ipſis aut pacem ſtudioſè foventibus, aut armis inter ſe exitioſè certantibus. Tranquillato verò poſt multos annos regno, Luitprandus à ſuis quietus idoneam ſe prolatandi regni adeptum occaſionem ex ipſa Romanorum diſcordia ratus, vetus bellum cum Exarcho redintegrare conſtituit. Quod bellum inde à Rachi, Aiſtulfo & Deſiderio regibus deinceps quaſi hæreditario jure exceptum, prorſus regnum ipſum, nomenque clariſſimum regum Longobardorum extinxit.* Proſpera quidem Longobardis fuit ſæpè & multùm belli illius fortuna. Sed nec Romanis vires & proſperi ſucceſſus, nec exterorum auxilia, quæ Longobardos ad extremum oppreſſêre, defuerunt. Anno 725. Luitprandus claſſem Romanorum delet & Ravennam capit, ac Exarchatum in formam Ducatus (vide ingentem rerum ſine Cometa confuſionem & mutationem) convertit. Sed urbem & provinciam Exarchus Paulus operâ Venetorum paulò poſt recipit. Quem in bello ſacro, quod mox inter Leonem & Gregorium 2. illum Imperatorem hunc Pontificem Romanum, illo oppugnante, hoc propugnante imagines, gerebatur, tota Italia contrà Imperatorem & ejus miniſtros decreto Pontificis excita ſeditio popularis, ut & alios duces & magiſtratus ab Imperatore conſtitutos oppreſſit. Hæc rebellio triennio antè Cometam novum extitit audaciæ Longobardorum & Italiæ ab Imperatore amittendæ prodigium. De hoc ita Sigonius†: *Luitprandus poſtero anno nova concitati tumultus occa-*

‡ Enn. 8. l. 7. *l. 3. de regno Italiæ ad ann. 724. p. 62. †l. 3. de regno Ital. ad ann. 727.

ſione

sione allectus bellum intulit. Mox cum Romanos à Leone Imperatore aversos & in Gregorium Papam conversos huic obedientiam jurasse dixisset, subjicit: *Ita Roma Romanusque Ducatus à Græcis ad Romanum Pontificem propter nefandam eorum hæresin impietatemque pervenit.* Inter hæc Saracenos ab Eudone, ut diximus, advocatos, idem facti pœnitens, & subito ex socio hostis Saracenorum, & ex hoste socius Caroli Martelli factus, in prælio barbaros cum Carolo maximâ clade delevit. CCCLXX, vel CCCLXXV. (Aventino auctore CCCLXXXV.) millia Saracenorum, Gallorum tantum M D. cecidisse constanter Auctores memoriæ prodiderunt. Pantaleon, Funccius & Bucholzerus post 730. factum esse putant. Sed Anno 726. Calvisius, Alstedius, Petavius, aliique evenisse asserunt: quos recentiores nos libentius sequimur, qui illos priores haud dubiè viderunt, & tamen ab eis diversi abeunt, ut in simili argumento Sabellicus testari sæpè solet. Ita antè Cometam multa in orbe visa tristia. Hæc verò victoria etiam portentum ambitionis insigne extitit. Hoc nobis Sabellicus monstrat‡: *Nec Carolus*, inquit, *post tàm inclytam victoriam quievit, quin ferocior factus quum jam majores aleret spiritus, quam ut pristina esse posset fortuna contentus, animum adjecit ad finitimas gentes armis subigendas, Burgundii primo victi sunt.*

Post hæc victoriis Caroli enumeratis & virtute ejus laudatâ, subjicit: *Sed quàm res Christiani nominis lætæ erant in Gallia, tàm tristes & calamitosæ per idem tempus fuêre circà Byzantium & cæteram Europam.* Nempe in sequentibus bellum illud de imaginibus inter Imperatorem & Pontificem, seditionesque ex eo ortas censet. Atque hæc est de vicissitudine rerum perpetuò notanda regula, ut cogitemus sive adsint, sive absint Cometæ, hîc tristia, illîc læta evenire. Anno 726. Roma à Luitprando rege obsessa, & mox Pontifice Gregorio in castra veniente & pacem petente, liberata est. Auctor obsidionis fuit Eutychius Exarchus pro Imperatore strenuè certans, qui regem ad fœderis & armorum societatem pertraxit, facto promisso se Transemundum Ducem Spoletanum regi rebellantem in ordinem redacturum, si rex idem officii illi in domandis Romanis Imperatori pariter rebellantibus præstaret. Anno 730. novum portentum ambitioni Exarchi affulsit, spes scilicet Æmilium & Pentapolin amissa recuperandi, per absentiam Luitprandi à Carolo Martello in auxilium contrà Saracenos evocati. In hac expeditione Exarchus vicit, Agatho legatus ejus victus est. Inter hæc Christi religio in Frisia à Carolo, sed armis, propagatur. Post hæc mortui sunt quidam Principes, alii in locum eorum successerunt, hîc funebres, ibi nuptiales pompæ celebratæ sunt, sueto rerum ordine. Saraceni aliquot præliis hâc tempestate à Carolo domiti & attriti, contrà quos proinde Alphonsus Pelagii gener ortum à Reccaredo Rege Catholico ducens, rem prosperè gessit. Ita hunc quoque Cometam inter tristia & læta luxisse videmus, quod & eventus ab Auctoribus ei adscripti monstrant.

CLV. *Anno Christi 744. signum seu Cometa ad Aquilonem apparuit, & cinis de cælo cecidit, & in portis Caspiis terræ motus accidit.* Eckstormius ex Paulo Diacono, Sigeberto, & ex illis Hist. Eccl. cent. 8 c. 13.

SOlus Eckstormius hunc Cometam memorat. Nisi ad annum quoque sequentem Cometam annotasset, hunc illi anno, ad quem plures auctores Cometam ponunt, imputassem. Multa profectò memorabilia, nec longo intervallo, Cometam hunc præcesserunt. Nam Transemundus ille denuò regi Luitprando rebellaverat, & ad Pontificem Gregorium 3. confugerat. A quo dum eum rex frustra repetit, bellum inde novum ortum erat. Pontifex auctoritate Caroli Martelli pacem à Longobardo obtinuerat, nec tamen ideò à partibus abierat. Hæc Anno 739. gesta, proximus sævum terræ motum per Novembrem & Decembrem mensem, ut Sigonius, vel per annum integrum ut Funccius testatur, Constantinopolin concutientem, sequens demum tria, ut Sigonius, quatuor, ut Calvisius habet, magna funera, Leo-

‡ Enn. 8. l. 7. p. 294.

nis

nis Imperatoris Theodorici Francorum Regis, Gregorii Pontificis & Caroli Martelli vidit. Hîc etiam nemo non videt, Principes antè Cometarum apparitionem (quis enim ad illos Cometas anni 729. plusquam 12. annorum intervallo dissitos, hæc referat?) mori. Sed & nasci. Nam paulò post, Anno scilicet 742. ut plerique Auctores consentiunt, Carolus M. Ingelheimi vel Carolomonti natus est†. Eodem anno magna in Imperio Romano mutatio facta est. Artabasdus Constantino Copronymo, affinitatis & fidei oblitus, imperium ademerat, quòd alienatos plurium animos ab Imperatore, qui & contrà Imaginum cultum, Sanctorum invocationem ‡, & contrà æternam Christi Deitatem pugnabat, vidisset. Illa tempestate Luitprandus bellum denuo Transemundo infert, eumque victum in ordinem cogit, ac Pontifici bellum deprecanti conciliatur: ac mox alterum rebellem Godescalem ducem Beneventanum opprimit. Tùm verò & Exarchatum invadit. Factum id proximo antè Cometam visum anno. Sed erat aliud facinoris hujus portentum, ocii impatientia & immodica libido dominandi, quam in eo Sigonius notat. Præcessit Cometen & pax Italica & mors Luitprandi, tùm victoriæ Constantini de Artabasdo Tyranno ejusque filio, utroque oculis orbato, Deo semper legitimi magistratûs dignitatem contrà perfidos tyrannos & rebelles defendente. A viso Cometa Hildebrandus à Longobardis regno privatur. Huic inertia abrogationem imperii portendit. Sed & cuculus, qui in vertice hastæ, quæ ei antè quadriennium in regem declarato de more porrigebatur, considens triste accinuit. Hæc laudatum & lætum Rachisii, pace Italiæ restitutâ, imperium exepit. Sed de eventibus hujus Cometæ plura inox dicemus. Hic tamen memorabile lætorum & tristium Cometas sequentium vicissitudinis exemplum proponere par est. Anno Christi 744. * redeuntes Hunni in Pannoniam *septem Ducibus*, à quorum castris Daciæ pars, quæ nunc nobis Transylvania est, Septemcastrensis nomen accepit, à Suathe Polono Marothi filio, latissimè id temporis in Pannoniis dominante, novas sedes per Cusidum Chundi filium petierunt. *Suathes ne mediocri quidem lætitia afficitur*, auctore Bonfinio, *legatum hilari animo excipit, ratus nil sibi commodius accidere potuisse, quam regionem feracissimam exhaustamque incolis, ab Hungaris, quam rusticam gentem esse opinabatur, instantissimè postulari.* Hunc paulò post ab Hungaris novæ legationis, donis in grati semper obsequii speciem oblatis, honore & novo gaudio cumulatum, deletum & oppressum esse ait. Hunnos dehinc victores cum victis Hunnis veteribus, cognatis suis (qui terras illas Keva duce primum Anno 401. ante regnum Attilæ 28. ut Sambucus, vel 373. ante electum Anno 401. Attilam, ut Bonfinius, Ritius & Bakschai affirmant, insederant, & Sambuco eod. auctore, anno 567. à Longobardis Ostrogothorum victoribus, obtinuerant, & in castris Suathis militârant) quietas ibi sedes fixisse & Rempublicam condidisse memorat. Ritius Marothum illum, militem strenuum, ab Attila Mesiæ Vulgariæque & Santepoluch (ejus, ut ex Bonfinio & Bakschajo apparet, filium, illum Suathem) impositum, Ungaris aliquandiu imperasse, Santepoluh verò ab Hunnis Anno 744. in Panoniam irrumpentibus ejectum esse perhibet. Sed cum Attilam 401. Regem creatum, mortuum verò Anno 445. paulò superius dicat, qua ratione Santepolus ille sive Suathes Anno 744. victus secundum eum dici possit, non video. Hoc verò cum testibus Bonfinio & Bakschajo aliisque verum sit, illud de Attila & Marotho a Ritio dictum consistere nequit.

† Vid. Aventin. Annal. 3. p. 237. ‡ Petav. Rat. temp. 1. p. l. 8. c. 6. * Bonfin. rer. Ung. dec. l. 9. Ritius de regib. Ung. l. 1. Bakschai Chron. rer. Ungar.

CLVI. *Anno Christi 745. Cometa in Syria conspicitur, qui videtur seditionem inter Arabes, tenebras, pestem & terræ motus, qui sequuti sunt, significasse.* ex Histor. Eccl. cent. 8. c. 13. ex Sigeberto. *Pestis in Gracia sæviit, & Constantinopoli ad 300. hominum milia sustulit.* ex Ann. Constantin. l. 22. Eckstormius.

AD eundem annum Cometam Funncius, Rockenbachius, Ricciolus, Alstedius & alii annotant, & plerique pestilentiam illam ei adscribunt. Vidimus tot

exemplis, & videmus frequenti experientia demonſtratum, peſtem & alia mala orbem premere, etſi ei nullus affulgeat Cometes. Secutus eſt Cometam & terræ motus Anno 746. & 759. Carolomanus & Pipinus Anno 745. Saxones Thuringiæ invaſores felicitèr repulerunt. Proximo Conſtantinus Imperator contrà Saracenos bellum ſuſcipit. Hujus portentum, Cometâ prius & certius, videmus diſſidium & bellum domeſticum, quod eos aggreſſione Conſtantini fecerat opportunos. Is proinde rem contrà eos proſperè geſſit, & in Aſſyriam uſque progreſſus Germaniciam recepit. Ita & Anno 748. eoſdem Cypri invaſores felicitèr rejecit. Sequenti Pipinus Taſſilonem Bajoariæ Ducem affinem contrà fratrem Griphonem juvit, eumque cœpit. Portendit ei calamitatem invaſio affinis, & mortem Anno 754. aſperitas & improbitas morum, fratri Pipino & omnibus gravis. Anno 750. Leo Conſtantini Imperatoris filius natus eſt. Eodem anno Rachis rex, quem Luitprandi exemplum & inſita dominatús ampliandi cupido hoſtem Zachariæ Pontifici reddiderat, rebus cum eo compoſitis, cum uxore & filia Romam venientes, & vitam Monaſticam purpuræ præferentes, admiratione & lætitiâ ſingulari (qualem paulò antè Anno ſcilicet 747. Carolomanni par exemplum attulerat) impleverunt. Eodem vel ſequenti vel 752. anno (diſſentiunt enim auctores) magna rerum mutatio evenit. Childerico enim ignavo Regi ab Ordinibus & Papa Zacharia abrogatur, & Pipino datur imperium. Hanc non Cometa, ſed vecors Regis inertia & Pipini potentia, felicitas & dominandi cupido portendit. Secuta & alia ingens rerum converſio: Aiſtulfus enim Rex anno 752. concluſo cum Stephano Pontifice XI. annorum fœdere, paulò poſt tyrannidem totius Italiæ invadere volens, Exarchatum, ac primo caput Occidentalis Imperii Ravennam invaſit & cœpit. Ita finis Exarchatui & imperio in Italia Græco, poſtquam ille 182. corrige 185. annis (ut Calviſius affirmat, & Sigonius indicat, Sabellico 175. tantùm putante) ſtetiſſet, impoſitus. Portenta tantæ converſionis propiora & certiora quàm Cometa, monſtrare in expedito eſt. Opes nempe ſuas Aiſtulfus integri biennii pace ſtabiliverat & auxerat. Hæ innatum ampliandæ dominationis & ſubjugandæ totius Italiæ pruritum irritarunt. Incitavit & Luitprandi anteceſſoris exemplum. Invitavit denique opportunitas. Cogitabat enim Imperatorem & alio bello diſtractum, ab Italia non loco tantùm, ſed & affectu longius remotum, tùm ingenti peſtilentia urbes & provincias Imperii depaſcente viribus attritum, vel non multum clades Romanorum curaturum, vel eis tempeſtiva auxilia non eſſe miſſurum. Ac proinde anno 755. prætextu poteſtatis Exarcho convenientis Romam & Romanam ditionem appetiit. Ita in arcto conſtitutus Pontifex ad Carolum Martellum miſit, quo ſibi quamprimum ſuccurreret, efflictim orans. Effuſa illa & de alieno liberalis Zachariæ Pontificis in Pipinum benevolentia portendebat Pontificibus indubitata & promta ejus in rebus arctis auxilia. Quæ ſpes tunc non inanis fuit. Pipinus enim anno 754. Aiſtulfum fugatum & Ticini obſeſſum ad æquam pacem adigit. Cum autem hanc recedente Pipino non ſervaret, anno vertente reverſus domat & ad reſtituenda non tantùm Pontifici ſed & Imperatori (qui tunc fruſtra hæc per Legatos repetebat) ademta cogit. Ita Pontifici Exarchatus univerſus aliæque provinciæ, Inſulæ & Urbes liberalitate Victoris ceſſerunt. Adeò multis & illuſtribus documentis probatur perpetua in orbe triſtium & lætorum inter Cometarum phœnomena viciſſitudo.

CLVII. & CLVIII. *Anno Chriſti* 761. *Cometa per* 10. *dies in oriente viſus eſt, quem deinde alius per* 20. *dies & unum apparens in Occidente ſecutus eſt. Hos ingens bellum ſecutum eſt, Chilpingum Avernenſem, & Amingum Pictavienſem comites, bellum gerentes cum militibus Pipini, quo in bello ambo cum multis militibus interfecti ſunt.* Rockenbachius.

IN eundem annum duos Cometas ponit Funccius, Alſtedius & Ricciolus, niſi quod hic dubitet (nec immeritò: potuit enim unus idemque Cometa fuiſſe, ut nuperus in Corvo & Lepore) an duo fuerint, ut & Eckſtormius, qui eos in annum 760.

760. & Turcarum irruptionem in Armeniam ad eos refert. Calviſius eundem ponit, & unum eundemque Cometam fuiſſe dicit. Equidem niſi aliquot magnorum Virorum conſenſum haberem, non numerarem hîc duos Cometas, ne in me quadraret illud Keckermanni: *Unus idemque Cometa & Orientalis & Occidentalis unius paralleli incolis apparere poteſt, quod qui neſcierunt, aut non ſatis conſiderarunt, ita decepti ſunt, ut unum eundemque Cometam pro diverſis habuerint, & duos eſſe ſcripſerint, qui unus fuit.* Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. Sed cuique patet me in his annotandis nil temerè, nil ſine juſtâ vel ratione vel certè auctoritate facere. Quàm magna rerum mutatio hunc Cometam anteceſſerit, vidimus ex parte. Longum enim nimis foret funera Principum aliorumque præſtantium Virorum proſequi. Præcipua aliquot enumerare ſufficiat. Aiſtulfi Longobardorum & Edelvaldi Merciorum in Anglia Regis Anno 756. Alphonſi illius Catholici Regis Hiſpaniæ 757. Garciæ Ximenis Regis Sobrarbæ 758. Oſwaldi Regis Northumbriæ 759. Inter hæc videas Sigebertum Weſt-Saxonum Regem à ſubjectis ob crudelitatem Anno 755. pulſum, anno proximo Beornredum Merciorum tyrannum eandem fortunam expertum, Eadwertum regem Northumbrorum regno relicto Anno 758. monaſterio ſe includentem, Pipinum Saxones, Conſtantinum Imperatorem Sclavos debellantem. Sed ad Cometam veniamus. Deſiderius XXIII. Sigonio XXII. Paulo Warnefrido at Sabellico XXXII. & ultimus Longobardorum Rex pacto cum Pontifice fœdere uſque ad annum 767. integro novennio egregiè & *propè ſanctè*, ut Sigonius ait, *ſe gerens*, toti Italiæ magnam lætitiam attulerat, Conſtantino Imperatore interim in diſſentientes de religione fœdè ſæviente. Eodem illo, quo Cometa fulſit anno, Edelbaldus Northumbrorum Rex de Edwino Scotorum Rege invaſore cæſo & fugato inſignem reportavit victoriam. Oengus verò Pictorum Rex, qui initia regni ſui ut carnifex, teſte Bedæ continuatore, jecit, illud hoc anno finivit. At Conſtantinus Imperator 763. debellatis Bulgaris cum triumpho Conſtantinopolin rediit. Pipinus inter hæc rem contra Vaifarium Aquitaniæ ducem, bellum ſibi rupta pace inferentem, feliciter per hos annos geſſit, uſquedum nefarius ille tot malorum auctor Pipini gratiâ à ſuis occideretur, & Pipinus totâ Aquitaniâ 768. potiretur, mox naturæ debitum ſoluturus. Ita his quoque exemplis docemur bella, funera Principum aliaque mala Cometam antecedere, & læta quoque eos ſequi. De hoc bello Caroli aliiſque Sabellicus prudenter judicat. Sic enim ille: *Carolus ea indole & fortuna qua fuit, non ſolùm id bellum ex ſententia confecit, ſed Aquitania ſubacta Vaſcones domuit, ſuperatiſque Pyreneis montibus Saracenos ex cætera Hiſpania pulſos in Bethicæ angulum compulit.* Enn. 8. l. 8.

CLIX. *Anno Chriſti 763. Cometes in Oriente anno 22. imperii Conſtantini apparuit: quem frigus intenſiſſimum à Calendis Octobris uſque ad menſem Februarium durans, ſecutum eſt, quo pelagus Ponti, quaſi in formam lapidis, ſpatio 100. milliarium ita fuit induratum, ut à ſuperficie in profundum 30. cubitos haberet. Nivis quoque copia tanta fuit, ut ad altitudinem 20. cubitorum mare gelu indurationem texerit, pedibuſque calcari potuerit. Februario autem menſe inſtante, glacies inſtar montis in diverſas ſpecies eſt conciſa. Stellæ quoque hoc ipſo anno, de cælo cadere multis viſæ ſunt, unde finem mundi inſtare, homines miraculo perterriti putârunt. Bulgares occiſis principibus ſuis, Zeletin ducem elegerunt, qui poſtquam gravi bello à Conſtantino victus fuit, à ſuis interfectus eſt, ac in locum ipſius Paganus ſubſtituitur. Conſtantinus Bulgares navali prælio invadens, naufragium paſſus, multa 1000. hominum amiſit. Turci cum Arabibus hoc anno egreſſi, bellum inſtaurarunt. Stellæ de cælo denuò cadere viſæ ſunt; unde ſiccitas aëris magna ſecuta eſt.* Rockenbachius.

ANnotat hunc Cometen ad eundem annum Funccius, qui Doceten vocat. Alſtedius quoque & Ricciolus eum memorant, eique frigus ingens, ſiccitatem & Turcicæ potentiæ augmentum ſucceſſiſſe dicunt. Annotat & Sigonius l. 3. de regno Italiæ ad annum 764. & 765. & Calviſius ad 764. hæc prodigia, ut & trajectiones

ſtellarum, quæ ſueto naturæ ordine fieri, & frequenter ſine ulla Cometarum apparitione accidere in aperto eſt. Læta hunc Cometen ſecuta proximè vidimus. Niſi tamen hîc pauca addamus. Anno 769 bellum Aquitanicum decennale finitum eſt, ut rationes Sigeberti & Annalium Fuldenſium aliorumque docent, Adelmo novem annos, Sabellico octo tantùm putante.

Conſtantinus verò Imperator uxorem Eudociam Kal. Aprilibus diademate inſignivit, & poſterâ die, feſto Paſchatis Chriſtophorum & Nicephorum filios Cæſares creavit. Mox Leo Maximus natu filius Irenem Bulgarorem Regis filiam matrimonio ſibi Anno 770. junxit. Eadem Auguſta renunciata, Conſtantinum filium anno vertente peperit. Carolus verò Magnus Bertham Deſiderii Longobardorum Regis filiam ſibi deſpondit, mox ad patrem remittendam, ut Hildegardi Suevæ locum faceret. Moneo velut in tranſitu, Reginonem apud Calviſium Deſiderii filiam & Carolomanno & Carolo deſpondiſſe, Annaleſque Fuldenſes ibidem ad annum 771. memorare Carolomanni ex hoc matrimonio ſuſceptam filiolam & mortem. Adelmus ad annum 771. mortem ejus ponit, & paulò ante filiam Deſiderii Carolo in matrimonium, à matre Bertrada expetitam, & anno elapſo repudiatam eſſe memoriæ prodit. Eginhartus Caroli alumnus & Cancellarius teſtatur Carolum, ſicut hortatu matris illam Longobardam (Lutbergam in margine vocari invenio) duxerat, ita divortio cum ea facto, matrem, quam alioqui ſummâ reverentiâ coluerat, offendiſſe in vita Caroli. Lutbergam illam Taſſilloni Bajoariæ regulo nupſiſſe auctor eſt Adelmus, qui Liutbergam, & Sigonius qui Luitbergam vocat; Aventinus autem Lytopyrgam, ſicut & maritum ejus Theſſallonum, peculiari ratione nomina flectere ſolitus, Porrò Caroli uxorem illam Deſiderii filiam Irmogardam appellat. Vitam Caroli, *qua ſibi quoque* deſcribendam ſumſerat Donatus Acciajolus, hujus rei non meminit. Serres Theodoram ſororem vel filiam Deſiderii, Carolo deſponſatam, & ab eo mox *dimiſſam ait*, Carolomanni verò uxorem Bertham nominat. Ita & Sabellicus Enn. 8. l. 8. qui fugam Berthæ ad Deſiderium, & iſtius in animo natum hac occaſione Caroli diſſidiis domeſticis diſtinendi & debilitandi, ac ſubigendæ ſuo Imperio Italiæ, ingens deſiderium ac ſpem vanam, & Deſiderio & regno Longobardorum exitium prænunciaſſe indicat. Hæc ſunt civilia & certa bellorum & mutationum portenta, etſi nulli Cometæ appareant.

CLX. *Anno Chriſti 791. Cometa apparuit in Virgine, ut refert D. Herlicius. Bellum hoc anno Hunnis eſt illatum: Carolus Magnus Pannoniam vaſtavit uſque ad fluvium Raba.* Eckſtormius ex Büntingi Chronol.

INter hunc Cometam & præcedentem nullus Auctorum, quos habeo, Cometam annotat. Hoc 28. annorum intervallum docet, multa bona & mala, eaque inſignia & maximè memorabilia, in orbe videri, etſi nullus exoriatur Cometes. Anno etenim 774. Carolus Magnus, victo & capto Deſiderio, regno Longobardorum in Italia, (quod annis 206. ut Warnefridus, cum eo Sigon. Petav. Bucholz. Calviſ. Helv. & Alſted. at Bonfinius, Sabellicus & Serres, tùm Funccius, Pantaleon 204. alii 208. putant, ſteterat) finem facit. Tàm notabili rerum mutationi nullus cæleſtis, ſed terreſtris, ut ſic dicam, præluxit Cometes, libido ſcilicet dominandi. Hanc indicat Sabellicus dextrè: *Sed cum de divinis* (de electione ſcilicet Pontificis Romani & imaginum cultu) *diſceptatur, Deſiderius rex humana eſt turbare adortus.* Enn. 8. l. 8. ambitio eſt quæ animum ejus anno 767. ad turbandas res Italiæ contrà fœderis religionem, tùm & ad inhiandum ſaluti & libertati Italiæ, denique ad Exarchatum invadendum accendit. Quem ambitionis ignem, quo flagrabat, aliquoties Sigonius notavit. Hic ei omni Cometa vel ſigno cæleſti certius ruinam vel certè calamitatem aliquam portendit, poſtquam conſtitit Carolum, armorum potentiâ per id tempus clariſſimum & incomparabilem Principem, Pontificis cauſam tuendam ſuſcepiſſe. Prudens in hanc rem eſt Sigonii monitum, quo librum tertium de regno Italiæ claudit, præmiſſis regni Longobardorum

justitiæ & pietatis laudibus: *Hæc autem omnia decora nimia*, inquit, *una dominandi ac dilatandi regni libido corrupit ita, ut etiam fastigio regio & inveterata jam Italiæ dominatione exuerit.* Quanta tùm rerum conversio à Carolo facta est, regno Neapolitano Imperatori, Longobardo sibi relicto, Exarchatu, Pentapoli aliisquè regionibus Pontifici datis! omninò necesse erat eam magno Cometâ prænuntiari, si Cometæ talium mutationum signa certa & caussæ sunt, uti multi dicunt & probare contendunt. Tunc autem & novum Regem & novam legem, Salicam scilicet sive Francicam Italia suscepit, quæ exemplo suo refellit illud vulgatum dictum, *Novus Cometa, novus Rex, nova Lex.* Inter hæc anno 774. Constantinus Imperator bellum contrà Bulgaros cruentum gessit, & 12^m. internecione ad pacem coëgit. Saxones & Hessi Francorum fines vastarunt. Mox 775. temeritatis pœnas dederunt, ut & Angrarii in Westphalia majori accepta quàm illata clade. Tunc & Mercii Cantaurienses clade affecerunt, Carolus Radbodum Regem Frisiorum à Christiana religione abhorrentem regno pepulit. Constantinus Imperator vitâ excessit, ut alios Principes taceam. Anno 776. Longobardi in Italia motus dederunt, sed mox compressi sunt, nullo prælucente Cometa, præterquam illo ambitionis, quem indicat Sigonius: Longobardi duces imperii summam Longobardo nomini ademtam & ad Francos translatam, indignè passi, veteri libidine dominandi accensi, res moliri novas nunquam destiterunt. Parem eodem tempore fortunam Saxones rebellantes experti sunt, & mox religionem Christi & novum insigne equi albi, quo Serenissima Domus Brunsuicensis & Luneburgensis antiquissimorum Saxonum propago, posthac & domina gaudet, susceperunt. Witekindus Dux eorum, rerum gestarum gloriâ celeberrimus, *inter hæc apud socerum Regem Daniæ (Gottericum fuisse colligo, qui Sueviam, Sclaviam & Saxoniam sibi subjugârat, Segifridum Aventinus vocat)* auxilia quæsivit. Carolus necdum finito bello Saxonico, arma in Hispaniam anno 778. transtulit, & mox rebus constitutis in Franciam rediit, à Vasconibus ex insidiis clade affectus. Hanc rebellio Saxonum excepit. Anno 779. Leo Imperator Saracenos, Carolus Saxones profligavit. Sequenti Leo obiit, cujus uxor Irene seditionem Constantinopoli exortam, detrusis in Monasterium filii patruis sedavit. Anno 781. & sequentibus Carolus Tassillonem Bajoariæ ducem, gratiâ uxoris, quæ filia Desiderii erat, bellum sibi, ut supra vidimus, inferentis, in ordinem redegit, à Saxonibus clade affectus, mox eosdem clade affecit, & iterum binis præliis vicit, immensam eorum multitudinem trucidavit, & totam regionem undique cum exercitu prædabundus pervasit. Factum id anno 783. quo uxorem primùm, mox & matrem amisit. Proximo Westphalos per Carolum filium domuit, Britanniæ etiam partem anno 786. armis acquisivit, mox Tassillonem fœderis immemorem ad deditionem coëgit. Anno 788. cœptum est bellum illud Hunnorum, ut Calvisius, vel 790. ut Aventinus putat, quod Eckstormius memorat & Cometæ tribuit. Ita & hoc, si Calvisio credimus, sin minus, tot alia bella & mala Cometa præcesserunt. Ac proinde si vel bellum hoc Hunnicum Eckstormio qui Funccii, Sigonii & aliorum rationes pro se adferre potest, relinquamus, quivis videt nos longe plura exempla habere, quæ probent mala ante & citrà Cometam evenire. Cæterum dabimus nos certius quàm Cometa belli istius portentum, nempe quod à Tassillone Hunni * sollicitati, duobus exercitibus Forojulium & Bajoariam Anno 788. quo etiam fusi & fugati sunt Sigonio teste, ita ut tunc belli istius initium factum fuerit, invasissent. Cum autem Tassillo fide fœderis cum Carolo initio violata, & affinitatis quæ ei cum illo intercesserat vinculis ruptis, fœdus contra eum cum Hunnis & Avaribus, Christiani nominis hostibus, percussisset, eodem illo anno in Conventu ad Moguntiam Angilemi habito, perduellionis ex lege Salica damnatus veniam vitæ obtinuit, sed in monasterium cum uxore & filio detrusus est. Atque ita Carolus Bojariâ potitur. *Idem hic annus* (inquit Sigonius) *ut novas cum Græcis simultates, sic nova bellorum incendia concitavit.* Nullum tunc in cælo Cometæ portentum tantarum mutationum, at verò in terra apparuit. Ibi Reginæ muliebris arrogans impotentia animi, vindicare paternam calamitatem volentis, tum Regis superbiâ & amo-

* Bonfin. rer. Ung. dec. 1. l. 9. p. 167.

re conjugis ardens animus. Adhæc pravis consiliis privatæ rei publico damno velificantibus præbita fides & bonorum consiliorum defectus ac contemtus. De his qui volet prudenter judicantem audire, adeat Aventinum Annal. 3. p. 227. apud quem p. 229. ingenuè Oratores Bojorum fatentur: *Dux & auctor horum malorum, quo magis pudeat, fœmina est: ille, quem prohibere oportet, uxorius est & nostra consilia aspernatur.* Cordatè & Bonfinius †: *Bavaricum*, inquit, *deinde suscitatur bellum, quod velut repentè ortum est, ita celeri expeditione confectum. Id enim ex Tassillonis Bavarorum Ducis insolentia simul & socordia ortum est: quippè qui dum stultè credit uxori, temerè quoque dominatum amisit.* Videat cui lubet plura apud Auctorem sapienter in hanc rem dicta. Hæc itaque ibi portenderunt tantam rerum mutationem. Hic verò bellum prænunciavit mutua inter Constantinum Imperatorem juvenem & Carolum Regem senem offensa. Hæc orta ex eo, quòd cùm Caroli filia Rothruda illi in matrimonium desponsa fuisset, id in exitum non fuerit deductum. Adelmus ad annum 788. negatam à Carolo filiam dicit, ita & Sigonius. Sed Miscella historia matrem Constantini Irenem, quòd sibi à potentia filii metueret, has nuptias aspernatam esse ait. Quicquid de eo sit, patet hanc rem unà cum calamitate & solicitatione Adalgisi (fuit is Desiderii Longobardi filius, qui Constantinopolin in paterna clade fugam arripuerat) tùm etiam Orientalium invidia Caroli fortunam iniquis oculis adspiciente, belli causam fuisse. Id tamen & Constantino * qui insignem in Calabrico prælio acerrimo exercitum, & Adalgiso qui spem regni paterni, unà cum vita amisit, malè cessit. Posthæc Anno 789. Irene, quæ imperium filio adimere volebat; imperio (hic etiam injustitiâ calamitatem portendente) excidit ‡. Inter hæc Dani, gens illâ tempestate bello terrâ marique celeberrima, Angliam, paulò post Sclavi (qui & Wendi & Welatabi & Wilsii vel Wiltzi, Francica lingua, quod Sclavis significat Lupos) Magdeburgum & vicina loca vastarunt, Saraceni mare infestarunt. Hæ invasiones ante exortum Cometam bella, cædes, rerum mutationes acerbas attulerunt. Hunc etiam terræ motus Anno 789. horribilis, tùm & in terra motus belli à Carolo contra Saracenos in Hispania gesti, tùm incendium Constantinopolitanum præcessit. Taceo diversa Principum fata & funera, hos scilicet cæsos, illos regno dejectos vel etiam ejectos, illos mortuos. Taceo & bella Caroli contra Boëmos, Livones & Danos, quos etiam illa jam tempestate terrâ marique virtute bellicâ celeberrimos domuit. Taceo ingentem cladem Constantino à Bulgaris illatam. Redeo ad bellum illud Hunnicum, quod ante Cometam ortum esse demonstravimus. Sed fateor Adelmum, Reginonem, Sigonium & ex his alios bellum hoc in 792. vel 791. ponere. Ita jure suo Eckstormium gaudere permitto. Proditum memoriæ ab Adelmo est, Carolum supplicatione Letaniarum per triduum facta, ut id bellum prosperos ac felices haberet eventus, in hostem movisse. Qualis eventus fuerit, audiamus Eginhartum, testem locupletem. *Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit: omnis pecunia, & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest recordari memoria, quo illi magis ditati & opibus aucti sint, quippe cùm usque in id temporis penè pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia compertum, tot spolia preciosa in præliis sublata, ut meritò credi posset, hoc Francos Hunnis justè eripuisse, quod Hunni prius aliis gentibus injustè eripuerunt. Duo tantum ex Proceribus Francorum eo bello perierunt, Ericus dux Forojulianus in Liburnia juxta Tarsaticam maritimam civitatem insidiis opidanorum interceptus, & Geroltus Bajoariæ Præfectus in Pannonia, cùm contra Hunnos præliaturus aciem instrueret, incertum à quo, cum duobus tantùm qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Cæterùm incruentum penè Francis hoc bellum fuit, & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sua magnitudine traheretur.* Juvat & Bonfinium hîc audire: *Franci*, inquit, *qui quondam exiguis facultatibus fuerant, hinc ita ditati redière, ut Gallias opibus latè compleverint: quod rerum vicissitudo facilè passa, quando quæ aliis eripuerant, amisère Ungari. Tantum auri & argenti in eorum regia* (hæc olim Sicambria, nunc vetus Buda) *repertum, tam pretiosa in præliis erepta* Donat. in vita Caroli p. 554. Serres in Carolo. Bonfin. dec. 1. l. 9. p. 168. spolia,

† Dec. 1. rer. Ung. l. 9. p. 167. * Adelm. ad ann. 788. ‡ Eginhart. in vita Caroli, p. 337.

spolia, ut ne plus quidem prædarum è Macedonico bello Paulum Æmylium retulisse putent. Dec. 1. l 9. p. 168. Vid. & p. 171. Aventinus quidem verbis Ludovici Pii non sine magno præliorum labore finitum esse ait: sed hâc ratione Bojariæ regnum usque ad Dravum fluvium ejusque ostia prolatum, & inde regionem illam Osterricham & Austriam, id est, Orientale regnum Bojorum nomen accepisse prodit. Annal. 4. Anno 792. Constantinus matrem ad consortium Imperii accipit. Mitto quæ posthac prosperè à Pipino & Ludovico Caroli filiis, illo Italiæ hoc Aquitaniæ Rege contra rebelles Beneventanos, tùm ab illo contra Hunnos, à Patre contra Saxones, à Constantino Imperatore contra Bulgares gesta, & ad alia propero, dicere hîc contentus, quòd de temporum istorum ratione ait Sabellicus *: *Et res humanæ per hunc modum fluunt, ut nihil sit in his tàm certum quàm certa inconstantia.* Sic & infra: *Et hæc tùm Bizantii, quum alibi terrarum novi in horam extitêre bellorum motus, uno enim tempore velut ex composito Saxones & Hunni à Carolo defecerunt, & Bavari Forojulienſibus & Longobardis, qui adhuc in ea terra agebat, bellum indicunt.*

* Enn. 8. l. 8.

CLXI. *Anno Christi* 800. *Jo. Pratorius describit Cometam, quo imperium Rom. translatum est ad Carolum.* Ricciolus.

SÆva profectò multa & acerba Cometen præcesserunt. Anno 796. Saraceni provincias imperii vastarunt. Hunni bello domestico laborant. Anno 797. Constantino Imperatori à propria matre & conjuratis oculi eruuntur. Sed hanc calamitatem portendit ei similis crudilitatis, quam antè quinque (ut Calvisius, vel 6. ut Egnatius habet) annos in Nicephorum, Christophorum & Nicetam patruos exercuerat. Irene excæcato filio eodemque paulò post mortuo & mariti fratres in exilium mittit ac trucidat, ut imperio potiatur. Tot horrenda facta citrà Cometam ambitio sæva portendit. Taceo Cenulphi Merciorum in Anglia Regis, qui Cantauriorum regnum crudelissimè vastavit, & Edelbertum Regem eorum cepit, ac oculos ei eruit, manusque, exacrandum facinus. Taceo & motus Saxonum cruentos, & alia tristia quæ Cometam præcesserunt. Verbum addo de rebus Romanis, populo illi feroci, libertati innutrito pax undique Italiæ reddita & præstita luxuriam, hæc seditionem portendit. Leo enim Pontifex à conjuratis malè habitus, ad Carolum M. confugit. Ab hoc Romam reductus magno cum gaudio & honore recipitur. Utrumque tanti patroni potentia citrà Cometam portendit. Quod ad Carolum attinet, lætus Romæ anno 800. adventus, lætus & orbi Christiano ejus ad majestatem Augustam eodem anno 800. ut Adelmus, Avent. Funccius, Serres, Calvisius, Egnatius, Petavius, Alstedius & alii, vel 801. ut Warnefridus, Ritius, Sabellicus, Sigonius, Bucholzerus, Helvicus & alii putant (ut Adonem in 799. annum & alios in 802. hoc ponentes præteream) evecti principatus fuit. Aventinus, prudens omninò & candidus scriptor, postquam initio l. 4. questus esset, Imperatores Romanos Asiatico luxu, Græcanico ocio Constantinopoli effœminatos fuisse, Romamque mundi caput sastidivisse*. *Urbs*, inquit, *potens, urbs orbis Domina, deserta, orba, effæta, Germanos Carolumque M. accivit, adoptavit, civitate & jure Quiritium donavit.* Carolo data Imperatoris dignitas magnam profecto, at prosperam, Reipublicæ Christianæ mutationem attulit. Cometam ante eam luxisse non miramur, qui toties Cometas post tantas in orbe mutationes maximas luxisse vidimus. Portenderunt tamen, ut sic dicam, tantam conversionem, Imperatorum ab urbe Roma & Italia absentia, tùm capitalia odia quibus à Romanis dissidebant. Accessit tunc muliebre & impotens in Oriente imperium. Verè Sabellicus: † *Imperabat Byzantii per id tempus Irene, quæ etsi omnium prudentissima, quia tamen fœmina Leoni Pontifici materiam præbuit imperii nomen aliò transferendi, quum Byzantii tantum diu esset imperitatum.* Sed audiamus & Aventinum, qui amplius rem acu tangit. Ita verò ille ‡: *Incubabat per idem tempus Romano Imperio fœmina, adeò virtus*

* Vid. Egnat. de Rom. Princ. l. 3. initio. † Enn. 8. l. 9. ‡ Annal. 4. p. 259.

Italica,

Italica, Romaque, victorque gentium populus, rerum domini degenerarant. Per trecentos amplius annos, Imperatores omnes neglectâ Româ, Sacrario Imperii, Augustorumque parente, apud Græcos Constantinopoli consederant, Occidentis Principes titulotenus vocabantur, quo ferè Carolus, inclytus justitiâ, virtutibusque regiis ad unguem præditus, benè de Republica Romana, & religione meritus potiebatur. Ejus majores, populareſque Germani, gens simplex, aperta, fidei patientior, libertatis avida, armorum studiosa, Europam, Africam, Imperatoribus Romanis, adhuc invalidiores abstulerant. Romam sæpius ceperant, vastarant, diripuerant, tùm cum florentissima, potentissimis domicilium esset Augustis. Hisce causis permoti, Pontifex, Senatus, Populusque Romanus, etiam offerendum ultrò rati, quod forsitan omissuri erant, Imperium transferre, jure suo in Germanos Carolumque tacito Senatus-consulto, plebiscitoque decernunt. Paulò verò post imperium Romanum ad Germanos, gentem Romanis barbaram & inimicam, translatum esse miratur, tantæque rei mutationem non fato Stoico, non casui Epicuri, non astrorum fluxui Astrologico, sed divinæ ordinationi adscribit, ac lætam tunc fuisse testatur. Ego dum faciem illius temporis contemplor, alia priora & certiora Cometâ, quæ magnam illam Imperii, imò totius orbis conversionem portenderunt, animadverto. Vera sunt illa quæ Sabellicus & Aventinus prodiderunt. Sed his verbum addam. Carolo Augustam illam dignitatem portendit incomparabilis ejus eam jam ante affectantis potentia, tùm Leonis Pontificis honorifica restitutio, hoc de referenda Carolo gratia solicito, & ex novis Romanorum turbis occasionem *, ut Sigonii verbis utar, arripiente. Videat plura qui volet apud Egnatium & Acciajolum in vita Caroli. Ita tunc non tantùm Carolus Imperator, sed & filius ejus Pipinus Rex Italiæ creatus est, populo Romano in festivas acclamationes & gaudia amplissima effuso. Carolus in hoc majestatis fastigio collocatus, officio suo convenire est arbitratus, ut Italiam atque universam Christianam Rempublicam ordinaret. Itaque ei curæ quod reliquum hyemis fuit, impendit, ut Sigonius ad annum 801. scribit, apud quem plura de his videat, qui quàm læta & salutaris Italiæ hæc Caroli Martelli augusta potestas fuerit, videre velit. Eodem anno agrum Spoletanum terræ motus, Beneventanum verò belli motus aliquot annis Cometâ prior concussit. Carolus & Siciliâ sine bello potiri & Occidentem cum Oriente imperio uno jungere volens nuptias Irenes ambit. Quas nec illa aspernatur. Sed impedit Nicephorus, qui tyrannidem Constantinopoli, detrusâ in Monasterium & in exilium missâ Irene, invasit. Hinc fœdus inter Nicephorum & Carolum pactum, cautâ Venetis libertate. Apud quos orta seditio Heracliæ urbi Anno 805. excidium accersivit. Eodem anno Theodorus Rex Hunnorum Christianâ religione susceptâ, quòd esset Sclavorum incursionibus repellendis impar, novas sedes à Carolo petit & impetrat. Carolus filius Caroli Martelli natu maximus, & ab altero Carolo filio notho diversus, Venedos & Sclavos sive Bohemos, Cecho duce eorum oppresso, gentem ferociſſimam ad obsequium redigit, & Victor cum triumpho ad patrem revertit, ut Aventinus scribit †. Is etiam in hæc tempora Slesuici, Chersonesi Cimbricæ urbe primaria, pacem inter Carolum & Gotofridum Regem Danorum, terrâ marique potentissimum, ac Germanicæ libertati & Gallicæ potentiæ gravem, refert. Sigonius verò fœdus inter Carolum, Venetos & Dalmatas pactum ponit. Hùc etiam pertinet pax Nicephori Imperatoris cum Saracenis, & Corsicæ à tyrannide Maurorum liberatio, & Caroli Legatorum reditus ab Aarone principe Saracenorum cum splendidis muneribus: tùm & Edelredi regis Northumbriæ pulsi per Legatos Caroli & Pontificis in regnum restitutio. Hic etiam manifestò videmus læta quoque succedere Cometarum apparitionibus, sicut & Eclipsibus & aliis vulgo habitis prodigiis, quæ potius naturalibus causis tribuenda sunt. Nam Anno 807. Jovis stella per Lunam ult. Januarii transire, & Sol ac Luna mense Februarii deliquium pati visa est. Mense Martio Mercurius in Sole visus, si credimus Adelmo & Sabellico, imò illo & Adone tùm Reginone, Buntingo ipsoque Eckstormio teste, ter illo anno Luna defecit.

* l. 4. de regno Ital. ad ann. 800. & 801. † Annal. 4. p. 265.

CLXII. *Anno Christi* 809. *Imperatore Carolo Magno facta est magna conjunctio superiorum Planetarum in initio Sagittarii, quam sequutus est horribilis Cometa conjunctione illâ adhuc durante. Eventus hujus Cometæ legantur in Eclipsibus Solis & Lunæ, quæ tunc temporis frequentes fuerunt.* Eckstormius.

EVentus in historia Eclipsium ab Eckstormio annotati sunt, mors Pipini Regis Italiæ filii Caroli Anno 810. interitus Nicephori Anno 811. ut Ado, Funcius, Calvisius, Helvicus, Alstedius, Petavius & alii putant, vel 812. ut Sigonius censet. At enim illam ægritudo animi, tum corporis ob rem improsperè contrà Venetos gestam, & victorum civitatem prudentissimè condentium felicitas Pipino, hunc verò flagitiosa vita certius Cometa Nicephoro portendit. De hac Egnatius. *Nemo*, inquit, *eo avarius aut crudelius administravit, quorum scelerum mox pœnas meritas luit:* Accessit violata pax cum Saracenis paulò antè inita: tum & imprudentia cum hoste pacem petente in angustias redacta, & ex desperatione fortissimè pro salute certaturo pugnantis. Ipse Eckstormius crudelitatem & avaritiam Nicephori dum indicat, certius Eclipsi Solis vel Lunæ & apparitione Cometæ, quæ ut & illa res naturalis est, portentum futuræ calamitatis innuit. Cæterùm & plures ejusmodi eventus Cometam secuti sunt. Nam & Godefridus (Gotricum alii nominant) Rex ille Danorum potentissimus, subactâ Frisiâ ex insidiis, filio Olavo successore Daniæ & Sueciæ Rege relicto, trucidatus est, ad quem domandum Carolus urbem hanc Hamburgensem (in qua hæc scribimus) à fundamento, loco ad confluentem Albis & Alsteriæ commodissimo excitari illo anno 809. (qui ita & Cometæ apparitione & natalibus, ut sic dicam, urbis hujus toto nunc celeberrimæ orbe, extitit) & mox muniri jussit. *Anno* dehinc 811. ut Calvisius, vel 812, ut Aventinus putat, Carolus, Caroli M. filius natu maximus, diem suum obiit. Non levis posthæc Imperii in Oriente mutatio facta est. Patrem enim Nicephorum Stauratius filius brevi ad fatalem metam secutus est, ab affine Michaële Præfecto prætorio, quem Græci Romana lingua à cura palatii Curopalaten vocarunt, deturbatus. Sed & iste Michaël anno 813. in monasterium detrusus, imperium Leoni Armeno tradidit. Verum enimverò toties vidimus tales rerum mutationes nequaquam necessariò apparitionem Cometarum sequi, quinimò sinè ea frequentissimè, imò assiduò fieri. Godefrido illi Dano, magis quàm Cometes, mortem portendit meritam, mors Thrasconis Ducis Obotritorum Vandalorum, qui & Adobriti nonnullis (cum tamen hi iidem sint aliis qui Arborichæ, Bulgaris vicini populi) nunc Mecklenburgici, quem ille per insidias peremerat. Stauratio imperii ademtionem morbus & animus ad tantas gerendas ineptus portendit, idemque Michaëlem in cœnobium misit. Verum tamen Cometam illum secuta sunt læta. Pax anno 809. à Carolo cum Godefrido, & anno 811. cum Hemingo filio fratris & successore ejus composita: tunc verò etiam fundamenta urbis hujus Hamburgensis pulcherrimæ jacta, ejusdem à terra surgentis anno postero à Wilsiis illis occupatæ, per Carolum recuperatio: rerum Saxonicarum compositio ab eodem facta, ut & Venetiarum à Pipino filio, quem antè annum injuriâ affecerant, subjectarum, Imperatori Orientali ex pacto restitutio. Nec illud prætereundem Anno 612. Nicephorum Imperatorem cum Carolo M. pacem renovasse, filiamque ejus filio suo Theophylacto, noviter in Imperatorem electo, uxorem postulasse, & contrà Saracenos invasores rem feliciter gessisse.

CLXIII. *Anno Christi* 812. *Nonis Novembris apparuit Cometa in forma duarum Lunarum fulgentium, adunantium se atque separantium in diversa schemata, ita ut viri acephali figuram exprimerent. Annales. Effectus hujus Cometæ petantur ex deliquiis solis, quæ Anno Christi* 812. *& sequenti facta sunt.* Eckstormius.

AD Eclipsin anni 812. Eckstormius annotat minus felicem Nicephori in Bulgaros, sed felicem in Arabes expeditionem, à Crunno Bulgarorum rege expugnatam

urbem Meſembriam & Saracenorum irruptionem in Palæſtinam, & locorum Sanctorum profanationem. Alteri verò Eclipſi anni 813. tribuit victoriam quam Crunnus ille de Michaële retulit, & abdicationem Imperii ab iſto factam, tùm Caroli M. mortem. Sed talia ſine Cometis fieri continuò videmus. Adhæc victoria res in ſe mixta eſt, & huic lætitiam, illi mœrorem adfert. Ita & mors unius Principis alteri ſceptrum & lætitiam parit. Hunc tamen Cometam anteceſſerunt cuncta illa triſtia, quæ proximum ſecuta ſunt: pluraque talia apud auctores inveniuntur, Saracenorum ſcilicet in Sardiniam & Corſicam irruptio, earundem inſularum vaſtatio, Italiæ imminens periculum: tùm Danorum in Friſiam, Saracenorem in Armeniam irruptio, aliaque. Secuta verò ſunt illa læta, quæ proximè enumeravimus: quibus victoriam Leonis Armeni, quam de Bulgaris reportaverat, cum eodem fœdus à Carolo renovatum, & res contrà Saracenos ex Corſica cum ingenti præda in Hiſpaniam redeuntes ab Irmingario Comite Emporitano in mari, & res in Sardinia ab incolis feliciter geſtas, addere licet, Sigonio ad anno 612. hæc annotante. Hic etiam præteriri nequit præclarum & Reip. lætum Caroli M. facinus, de quo Sigonius ad ann. 813. memoriæ prodit, eum Ludovico filio præſenti Auguſtam, Bernardo verò Nepoti abſenti regiam Italiæ dignitatem contuliſſe. Et ad illum quidem, audientibus & approbantibus omnibus omnium fermè regnorum profanis ſacratiſque proceribus, **Accede*, inquit, *Ludovice, & coronam capiti tuo, non dignitatis ſolum ornamento, ſed regnis etiam noſtris, & Reip. Chriſtianæ præſidio lætus impone, ac mecum unà Imperium auſpicatis poſthac conſiliis moderare.* Sed idem paulò poſt memoratis Bernardi regni Italiæ auſpiciis: *Cum*, inquit, *hic rerum ſtatus in Italia eſſet, ac novo Bernardi regno ſummam omnes in ſpem erecti tranquillitatis & otii diuturni fuiſſent, ecce gravis repente caſus incidit, qui ingenti omnia luctu ac mœrore complevit:* demùm mortem Caroli M. ſubjungit. Ita nempe humana ſunt, triſtia miſcentur cum lætis.

* Sigon. l. 4. de regno Italiæ p. 104.

CLXIV. *Anno Chriſti* 814. *Cometa viſu terribilis, Sol obſcuratus, terræ motus maximus ac Luna pallens, paulò ante mortem Caroli M. Imperatoris Romani viſa, aliaque prodigia in terra ſecuta ſunt. Eodem anno bellum cruentum, inter filios Gothrici, regis Daniæ ortum eſt. Pons Rheni prope Moguntiam, ſpatio trium horarum, igni fortuito conſumtus eſt, quem prius Imperator, magnis ſumtibus ex ligno, mirâ arte fabrefacto, ſpatio decem annorum exſtruxerat.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 814. *ante mortem Caroli M. Imperatoris Cometa apparuit valdè ſingularis & terribilis, unde Imperator attentus cum Eginardo Philoſopho contulit dicens; quòd mutationem regni, mortemque Principis portenderet; Philoſophus noluit eum conſtriſtare, ſed verbum Prophetæ allegans ait:* A ſignis cæli nolite timere. *At Imperator devotus, non aliud, inquit, timere debemus, niſi illum, qui noſtri & hujus Creator eſt ſideris, ſed ejus clementiam laudare tenemur, qui noſtram inertiam, cum peccatores ſimus, talibus admonere dignatur judiciis* (lege *indiciis.*) Eckſtormius ex Faſciculo temporum.

MAgno conſenſu Auctores hunc Cometam annotant, Ricciolus, Keckermannus, Alſtedius, Simon Grynæus, Edo Neihuſius, Jonſtonus, Schulerus, Berckringerus & alii. Nil de eo habet Adelmus in Chron. nec Auctor vitæ Ludovici Pii, nec Eginartus ille Caroli M. Cancellarius & gener, nec Acciajolus in vita ejus, licet uterque prodigia mortem ejus antecedentia enumerent. Niſi fortè Cometa dicatur fax illa cum ingenti lumine cælo delapſa & per aëra diſcurrens, quam Eginardus memorat. Nec Funccius annotat hunc Cometam, nec Sigonius, nec Bucholzerus, nec Calviſius. Dum hoc in medio relinquo, errorem multo graviorem & pluribus communem ſicco pede præterire non poſſum. Eſt autem ille de colloquio Caroli cum Eginardo, ut Eckſtormius & Alſtedius, vel Ecmundo, ut Keckermannus, vel Anonio (Aimonio, ut Schulerus ait) de Cometa illo habitum. Hunc in Grynæo,

Viro

Viro alioqui doctiſſimo, Lavatero, ut Keckermannus teſtatur, & Berckringero animadverto, nec dubito plures reperiri. Eginardus certè in vita Caroli iſtius colloquii non meminit. Auctor verò vitæ Ludovici Pii, qui à nonullis Aimoinus eſſe putatur, ſecum quidem, ſed à Ludovico habitum diſertè ſcribit. Sequitur eum Aventinus. At faſciculi temporum Auctor Wernerus Rolevinckius, qui ad patrocinandum errori advocatur, rem dubiè ponit, ut neſcias an ad Carolum vel Ludovicum ea referri debeat. Sed auctor vitæ Ludovici teſtis hîc eſt idoneus & locuples. Cometam hunc, ſi quis tamen in hunc annum ponendus eſt, præceſſit caſus ille pontis Rheni fortuito incendio, quem Rockenbachius contrà rationes Magiſtri ſui Funccii Cometæ ſubjicit. Calviſius in annum Chriſtum 811. eum refert. Sed & Eginardus & Acciajolus, auctores vitæ Caroli, ante ejus mortem rem hanc accidiſſe aſſerunt. Bellum inter Gotrici ſeu Godefridi illius poſteros eodem quo Cometa luxit, ſecundùm rationes Funccii & Rockenbachii, geſtum eſt anno. At Calviſius illud in annum 812. refert. Aventinus Annal. 4. ante Hemingium, qui Olao ſucceſſit, ponit Godofridum, Hemingum ſine liberis anno 812. mortuum eſſe prodit, & occiſis Segifrido & Anylone de regno acie certantibus, Reginofridum & Heroldum eis ſubſtituit, quod & Annales Fuldenſes, annotante Calviſio, tradunt. Funccius Henningum Daniæ & Sueciæ Regem pacem (quam Ado ad anno Chriſti 811. memorat) cum Ludovico Imperatore feciſſe anno 815. auctor Saxone & Crantzio ſcribit: ſed verius eſſe putat Haraldum Regem Daniâ pulſum à Ludovico eſſe reſtitutum. Sed quæ ante annum geſta ſunt videamus. Anno 814. Leo Armenus *difficili prælio Bulgarorum victor* definitam triennio pacem eis extorquet. Nunc ad mortem Caroli veniamus. Nec in hac conſentiunt Auctores. Eginardus, Ivo, Auctor vitæ Ludovici, Adelmus, Paulus Warnefridus, Sigonius, Aventinus, Funccius, Bucholzerus, Calviſius, Helvicus, Alſtedius, Petavius, Serres, Conridgius & alii ponunt eam in Anno Chriſti 814. Sed Ritius, Acciajolus, Sabellicus & Pantaleon in 815. Fateor triſtem fuiſſe illum Imperio Occidentali & Reipublicæ Chriſtianæ tanti Herois caſum, ſed tamen is pro Magno Pium orbi dedit; qui patri ſccccedens Reipublicæ Chriſtianæ egregiam navavit operam, ut ita nec hactenus Cometam illum triſtia ſecuta fuerint. Sed vidimus & pacem Bulgaricam ejus apparitionem excepiſſe. Quin & pax inter Ludovicum & Leonem Imperatorem renovata, tum & inter illum & Grimoaldum Ducem Beneventanum firmata. Plura ejus generis mox dabimus.

CLXV. *Anno Chriſti* 815. *altero anno, quo Carolus M. obiit, Sol obſcuratus eſt, & Luna pallorem recepit, terræ motus accidit, Cometa exarſit, & alia dira prodigia conſpecta & audita ſunt in terris.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. cent. 9. c. 13.

TErræ motus & alia, etiam maximè horrenda & atrociſſima ſine Cometis fieri, etiamnum quotidiana experientia docet. In hunc annum referendæ res à Ludovico feliciter contra Sclavos tumultuantes & aliàs, præcipuè verò pro reformatione Aulæ paternæ libidinibus infamis & cleri geſtæ. Et quod quidem ſacrum ordinem attinet, fatentur auctores, canone vitæ Canonicis aliiſque Antiſtitibus, luxu diffluentibus præſcripto, opportunum & neceſſarium magno malo allatum tunc fuiſſe remedium. Adelmus ad annum DCCCXIX, Ado Viennenſis & Auctor vitæ Ludovici c. x. & XI. ex quibus Aventinus hæc deſcripſit: *De Sacerdotum ibi* (in Conventu ad Aquas Graneas ſive Aquiſgranum *) *luxu Imperator leges tulit, quibus Pontificibus, monachorum patribus, univerſis denique Sacerdotibus, veſtimenti pretioſi, ſerici, gemmarum, auri, argenti etiam in balteis, cultris, vaginis, phaleris, calcaribus, & hujuſmodi uſus interdicitur. Dicere ſolebat Pius, portentum, abominabileque inferum ludibrium, aris addictum, devotumque ſacris, qui paupertatem Chriſti amplecti, crucem ejus portare deberet, ad gloriam luxumque prophanorum aſpiraret.*

* Annal. 4. p. 288.

CLXVI. *Anno Christi* 817. *Nonis Februarii Cometa in signo Sagittarii apparuit* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 9. cap. 13.

DE hoc Cometâ & eclipsi Lunæ scribit Adelmus ad annum 817. & Calvisius ex Annalibus Fuldensibus ad eundem annum. Sed in eum solùm eclipsin Lunæ, Solis verò in sequentem ponit: quæ & Eckstormii, ut ex historia eclipsium patet, mens est. Effectus hosce utrique tribuit, bellum civile Bernardi contra Ludovicum Imperatorem, ejus deditionem, & pœnam, tum & supplicia conjurationis auctoribus & sociis irrogata, mortem Irmgardæ Augustæ, denique pestem & famem. Cuncta hæc & pluria id generis, vel ante vel etiam extra omnem Cometarum apparitionem evenire, plusquàm notum est. Bernardo autem cladem omni Cometâ & cæleſti signo certius portendit ambitiosa arrogantia, quæ eum in præceps impulit, ut tentaret Franciam eripere Ludovico Imperatori patruo suo, juris paterni, qui major natu Ludovico quondam fuerit, prætextu. Hanc porrò non Cometa effecit, sed falsa prætextûs illius persuasio, à Proceribus Gallis mobili ingenio præditis in animo Principis ambitioso facta. Ad has causas facinus istud refert Adelmus, non ad Cometam, licet ejus meminerit. Iisdem illis caussis Sigonius hanc rebellionem imputat. Ita & Sabellicus Ennead. 8. l. 9. & Aventinus Annal. 4. p. 288. Egnatius & Serres in vita Ludovici. In illo anonymo Auctore vitæ Ludovici hæc historia deest, licet ejus mentio c. xi. fiat. Sed nemo cordatus aliud dixerit. Hujus tamen facti ex rigoris ratione commissi pœnitentiam, eamque publicam, Pius Imperator egit, egregium Principibus præbens exemplum, ne quid faciant etiam ex rigidi juris præscripto, cujus eos postmodum pœniteat. In hunc annum quo Cometa apparuit, referuntur quædam læta. Nam Ludovicus, Lotharium maximum natu filium, consortem Imperii & regem Galliæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bajoariæ creavit, sanctum cum Romanis Pontificibus fœdus confirmavit, & pacem publicam ordinatâ Pontificum electione, quæ quidem à Romanis, sed omni tumultu & largitione procul fieri, dummodo Imperator de electione & Pontificis animo pacis studioso certior redderetur, deberet. Aventinus ita de his: * *Paschalis missis legatis ad Piam cum munere & epistola, se confirmari petit. Nam Pontificem Maximum ante populus Romanus creabat, Augustus author fiebat: illum nunc flammines, lege à se latâ cæteris exclusis, sufficiunt.*

* Annal. 4. p. 288.

CLXVII. *Anno Christi* 818. *apparuit Cometa.* Alstedius.

FIde tanti Chronologi & Cometographi hunc Cometen à proximo seorsum numero. Annon tamen unus idemque cum priori sit, subvereor. Quanquam notum est tribus, quatuor, imò & pluribus annis continuò Cometas apparuisse. Itaque meritò hunc Cometam à proximo distinxi. Præcessere hunc Cometen quædam tristia, quæ scilicet proximum Cometam secuta sunt. Sed nec hoc nec illud quisquam in admirandorum portentorum argumentum trahet, qui talia continuò in orbe fieri animo reputaverit. Paulus Warnefridus hoc anno dicit, Lotharium consortem Imperii * à patre Ludovico factum, Bernardum verò Majestatis reum pœnâ capitis damnatum benignitate Imperatoris luminibus tantùm, sed hâc ratione & vitâ paulò post orbatum esse. Eodem anno Ludovicus bellum contra Brittones perfecit. At Hinningardam uxorem amisit. E vestigio ibi pacem, ibi bellum, indice Sigonio, videre licet. Multa mox laudabilia ab Imperatore gesta. Hic anno 819. uxorem ducit Juditham, Virginem formâ & moribus præstantissimam, filiam Welphi sive Welphonis, Ducis Suevorum, Comitis ab Alttorf, à quo Serenissima Domus Brunsuicensis &

* Vid. Avent. Annal. 4. p. 291.

Lunæ-

Lunæburgensis originem ducit. Aventinus (*a*) ut & Crusius (*b*) ille Bojorum, hic Suevicorum Annalium conditor, familiam hanc & antiquissimam, (primus enim Comes Altorfinus Warinus Anno 752. claruisse (*c*) scribitur) & illustrissimam, & tùm affinitate tùm sanguine Cæsaribus Regibusque innexam, centum & novem annis Bajariæ Ducatu potitam esse deducit. Ex hoc matrimonio intra annum Carolus natus, qui Calvus dictus, imperii & regni Gallici frena tenuit. Per hæc tempora Imperator bellum in Pannonia contra Ducem Liudevitum rebellem (Kiudevitum Sigonius vel typographus facili errore vocat) prosperè gessit, tùm & contra Hispanos. Cæterum inter bellorum curas almæ pacis studia exercuit, & hymenæos castos filiorum Lotharii & Pipini solenni lætitiâ celebravit. Dum hæc in Occidente aguntur, in Oriente Leo Imperator à Michaële Balbo, Duce forti & audaci, quem conjurationis convictum in vinculis habebat, Anno 820. ut Adelmus, Sigonius, Calvisius, Helvicus, Alstedius & Petavius, vel 821. ut Funccio, Pantaleoni & aliis nonnullis placet, opprimitur. Huic exitium stellâ crinitâ certius vita crudelitate infamis, tunc verò etiam perduelli data vitæ venia portendit. Michaël contra Thomam transfugam, qui apud Saracenos magnam dignitatem & potestatem acquisiverat, auxilio Bulgarorum rem Anno 822. feliciter gerit, deque eo cum filio capto meritas pœnas exigit. Eodem anno Cantaurienſium regnum, quod 365. ut Calvisius, vel 363. ut Polydorus * putat, annis steterat, ad Egbertum Occidentalium, vulgo West-Saxonum Regem pervenit. Lotharius Romæ consecratur Imperator. At Saraceni Cyprum invadunt, Anno 823. occupant, Candiam à fundamento excitant. Inter hæc Ludovicus Imperator variorum populorum, tùm verò & Imperatoris Michaëlis Legatos audit. Anno 825. Ranimirus (Taraphæ Raymirus) egregiam victoriam de arrogantibus Saracenis reportat. Haraldus verò Danorum Rex, pace cum Godofridi filiis facta, Moguntiam veniens cum multis è sua gente, præsente Imperatore, religionem Christianam suscipit. Propter quam à filiis Godofridi pulsus, Frisiam incolendam à Ludovico accipit. Hic etiam mira lætorum & tristium, quæ apparitioni Cometæ istius succesſerunt, vicissitudo cernitur. De qua qui volet consulat velim Adelmi & Aventini Annales, tùm Sigonium & Calvisium.

(*a*) Annal. 6. p. 483. (*b*) Annal. Suev. part. 2. l. 1. cap. 15. (*c*) Aventin. l. d. Annal. Suev. l. d. * l. 4. p. 67.

CLXVIII. & CLXIX. *Anno Christi* 828. *Cometa in Libra apparuit, & alius sequenti anno in Ariete conspectus est, & per aliquot dies plurimi instar stellarum igniculi per cælum discurrere visi sunt. Ventorum violentiâ multa ædificia eversa sunt.* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 9. cap. 13. ex Sigeberto & aliis, etiam ex Spang. Chron. Sax. cap. 94.

Anno Christi 829. *ut refert Fiornovellus, visæ sunt stellæ potius cadentes quàm Cometæ, quæ occiderunt pecudes & homines quosdam, & eodem Anno cecidit glacialis lapis de cælo 4. pedum longitudinem habens.* Ricciolus.

ADelmus, licet prodigia varia ad Annum Christi 828. numeret, nullam hujus Cometæ facit mentionem. Præcessit hunc cædes primùm Saracenorum, mox incauti à victoria exercitús Imperatorii in Creta clades, & mors Eugenii & Valentini Pontificum Romanorum, præcesserunt & alia tristia. Eodem anno, quo Cometa prior luxit, Legati Ludovici Imperatoris à Michaële Imperatore Orientis honorificè excepti. Saraceni Siciliam invadunt duce Euphemio transfugâ, qui antea ibi præfectum nomine Imperatoris egerat, & victor à duobus Siculis profugis ibidem necatur. Classis quoque Ludovici Imperatoris rem in Africa prosperè contra Saracenos gerit. Postero anno Ludovicus filius Lotharii Imperatoris, qui postea imperavit, natus est. At Michaël Imperator mortuus, successorem filium Theophilum, acerrimum Iconomachum reliquit. Ita & hic ante & post Cometas vicissitudo rerum educet. Huic brevi duorum Cometarum historiæ addam quidpiam memoratu dignum. Chronica nostra Polonica affirmant Popielum Juniorem gentis nostræ Prin-

cipem

cipem paulò ante hos Cometas, Anno scilicet 823. à muribus ex cadaveribus patruorum ejus innocentum veneno necatorum enatis, unà cum uxore & liberis in turri in medio lacu exstructa devoratum esse. Admonet me hæc historia, ut dicam plures eodem fato sublatos ab Auctoribus tradi. Tribuunt id nonnulli (*a*) Mesconi Principi vel potius Regi Poloniæ, alii (*b*) Mieslao Conradi Ducis Masoviæ filio, circa Annum 1230. Alii (*c*) Hattonem Episcopum Moguntinum à muribus, ex cadaveribus pauperum fame urgente stipem mendicantium, & ab eo combustorum enatis, in turri in medio Rheni exstructa corrosum, idque multum diversi (*d*) tempore perhibent. Pantaleon ex Munstero circa Anno 993. Alstedius Anno 997. Wilderolphum Episc. Argent. pariter peremtum testantur. Calvisius id de quodam milite ad Annum 1013. refert. Mira & horrenda divinæ vindictæ documenta, nisi tamen à nonnullis idem fatum pluribus tribuatur.

(*a*) Dubrav. l. 15. p. 124. (*b*) Jordanus annot. ad hunc l. ibid. p. 125. (*c*) Trithem. (*d*) Pantal. circa A. 926. Calvis. Helv. Alsted. Ann. 969. Funcc. ad Annum 1101.

CLXX. *Anno Christi* 830. *apparuit Cometa. Circa hoc tempus proceres Ecclesiastici ex odio erga Ludovicum Imperatorem, quòd resisteret ipsorum fastui, concitarunt filios ejus ad conspirandum adversus parentem, eumque capiendum & in vincula conjiciendum.* Alstedius.

ACerba sanè fuerunt hæc tempora, impietate filiorum & subjectorum Ludovici publicâ adversus eum insurgente. Portenta ejus ante tres istos Cometas apparuerunt tria. Matrimonium cum Juditha (*a*) tàm dilectissimâ Imperatori quàm lectissimâ, sed invidiæ filiorum mariti & Procerum obnoxiâ fœminâ, Berhardi e biculo præfecti invisa potentia, & tenerior Ludovici Imperatoris erga Carolum filium natu minimum, quem ex Juditha susceperat, affectus. Hæc quidem mihi proxima & Cometis certiora tanti facinoris videntur portenta. Tria quoque numerat Ado Viennensis, sed remotiora. *Longa*, inquit, *quies perfidiam, perfidia rebellionem, rebellio discrimen Imperii pariunt.* Ac demum postquam ex impatientia otii quosdam in Juditham Augustam odio capitali flagrasse dixisset, etsi ea factâ scelerum objectorum solemni purgatione ad thorum viri redierit, ebullientem tamen quorundam malitiam non quievisse addit. *Quæ* (prudenter & candidè subdit) *usque adeò crevit, ut simùl cum Pontifice Romano non solùm proceres regni, sed etiam natos ejus adversus Imperatorem promoverit. Nam ab eo universus populus deficiens ad filios ejus se transtulit, ipse tentus sub custodia, indecenter recluditur, ac arma ei auferuntur, uxor ipsius in Italia servanda committitur. Sed nutu divino post tot adversa secunda succedunt. Populi versi ad pœnitentiam, causam facti in melius commutant, & eundem ipsum Imperatorem in honore pristino reponunt, & pristinâ dignitate revestiunt. Filii quoque ejus pro commisso veniam exposcunt.* Verè profectò & scitè vicissitudinem rerum, multa paucis complexus descripsit. Plura qui de his legere volet, videat Auctorem vitæ Ludovicii Pii c. XII. XIII. & XIV. ubi videbit Deo Pium Imperatorem ærumnis exercitum tutante, ei tandem pristinam libertatem & dignitatem, tùm & paulò post carissimam conjugem Juditham redditam esse. *In qua re tanta exultatio excrevit populi* (scribit Auctor ille: placet enim ex eo lætum motuum istorum exitum, qui Cometæ successit, demonstrare) *ut etiam ipsa elementa viderentur & injuriam patienti compati, & relevato congratulari. Etenim usque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis, pluviarumque vehementia, ut extra solitum aquarum superexcresceret abundantia, flatusque ventorum inperviabiles redderet fluminum alveos. Sed in illius absolutione ita quodammodo conjurasse visa sunt elementa, ut mox & venti sævientes mitescerent, & cæli facies in antiquam & multo tempore invisam serenitatem rediret.* Et mox: *Quo* (Carisiaci) *consistenti medio Quadragesimæ tempore, arridente etiam lætitiâ ipsius diei & officii, & hortante cantilenâ Ecclesiasticâ dicente; Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes qui diligitis eam, maxima multitudo fidelium*

(*a*) Auctor vitæ Lud. Pii c. 12.

suorum

suorum ibidem occurrit, congratulans lætitiæ communi. Quos Imperator benignè suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens, Pipinum quidem filium in Aquitaniam cum lætitia dimisit, cæteros autem ad loca sibi congrua redire lætus permisit. Ipse autem Aquasgrani pervenit, ibique Judith Augustam, ab Italia reducentibus Rataldo episcopo & Bonifacio, sed & Pipinum recepit filium; Carolum jam dudum secum habebat. Serres in vita Ludovici Pii refert eum an. 829. à filiis captum, ac demum an. 834. libertati & imperio restitutum esse, postquam quinquennium integrum in impia custodia fuisset. Sed hoc rationibus aliorum non convenit. Auctor quidem Vitæ Ludovici (quæ & aliorum multorum est sententia, Aventinus tamen, Sigonius, Funccius, Petavius & alii in annum 830. conjurationem hanc referunt) Anno 829. illam conjurationem & motum, duce Pipino filio Imperatoris, & assentiente altero filio Lothario factam, & post varios seditionis & belli strepitus Imperatori Anno 834. libertatem, augustam dignitatem & uxorem redditam esse testatur. Non tamen prodit eum quinquennio integro in carcere retentum. Anno certè 830 ut ille Auctor ait, Imperator clanculo obtinebatur, Compendii scilicet, sed mox in Conventu Neomagiensi auctoritate & viribus prævaluit. Ideò filium Lotharium, frustra renitentibus Proceribus seditiosis, ad se pertraxit. Mox vesani tumultus initium suâ & filii præsentiâ compescuit. At in conjuratos, capitis damnatos, sævire, levi supplicio exsilii contentus, noluit. Uxorem denique, ritu solemni à crimine adulterii objecto purgatam, recepit, & filios ad sua dimisit. Anno 831. auditis ad Theodonis villam legatis Saracenorum è oblatis muneribus pacem petentium, & pace eis datâ, Pipinum inobedientem & pravis consiliis obnoxium apud se retinuit, qui id ægre ferens, inscio patre fugam arripuit. Postero idem Pipinus ad patrem venire jussus, non tàm libenter quam meritò venit. Sed in custodiam datus, iterum evasit. Berhardus verò ille, qui filii Pipini partes tunc sequebatur, præfecti prætorio dignitate privatus est. Anno demum 833. impia arma filii contra patrem sumserunt, & specie officiosæ responsionis patri in periculo vitæ, furente plebe mobili, constituto datæ, ut in castra eorum veniret, induxerunt. Tunc verò impietate ad summum ferè perductâ, patri conjugem carissimam, libertatem & augustam dignitatem ademerunt, frustra pro pace laborante Gregorio Pontifice Romano, imò si Adoni, quem audivimus, Aventino, ipsique Imperatori apud Auctorem vitæ ejus c. 14. & Aventinum, fidem habemus, filiorum partes sequente & hujus seditionis auctore. Auctoritate quidem Episcoporum Ludovicum imperio indignum judicatum fuisse satis constat†, & Lotharius apud illum auctorem vitæ Ludovici loco citato & c. 16. fatetur. *Ita Lotharius rerum potitus parentem destitutum à suis & privatum, filiorum suorum captivum, venaleque inimicorum suorum mancipium, velut ludibrium fortunæ cum Carolo infante circumducit,* ut Avent. l c. ait: *At,* paulò post subjicit‡: *Jam pedetentim, ut animis hominum perinde ac fortunâ nihil versatilius est, indignatio, invidia temporis spatio, in commiserationem convertebatur.* Dehinc quomodo Procerum Bojorum & Gallorum favor Imperatorem velut evigilaverit, ut coactis copiis Lotharium ad dimittendum parentem permoverint, deducit, de quo Auctor Vitæ Ludovici ad annum 633 & 634. tum Sigonius, Serres & alii videantur. Lætitiam tandem publicam non Galliæ tantum & imperii, sed totius orbis, saltem Christiani, cui dolorem & miserationem tàm atrox filiorum in patrem, & subjectorum in patrem patriæ facinus moverat, tot tristibus successisse, ex Auctore Vitæ Ludovici vidimus. Hæc ex eo repetit Aventinus Annal. 4. p. 302. Vide Sigonium ad ann. 834. & 835. Atque hæc maximè memorabili tanti & talis Imperatoris exemplo manifestò monstrant & docent inter læta & tristia, ut omnium hominum, nec ipsis Principibus exceptis, vitam, ita & stellarum cincinnatarum apparitionem transire. Prudenter horum temporum conditionem Ado describit. Nam postquam Ludovici captivitatem, Judithæ exilium aliaque acerba memorasset, subjicit: *Sed variantia tempora nunc adversa, nunc prospera minantur.* Verbum addo Anno 833. Theophilum Imperatorem illustrem de Sarracenis reportasse victoriam & 25^m. captivorum Constantinopolin reduxisse.

† Vid. Avent. Ann. 4. p. 300. 301. 302 & 303. Sigon. ad ann. 835. Pet. Rat. Temp. p. l. 8. c. 8. ‡ Vid. Auctor. Vitæ Ludov. ad ann. 833.

CLXXI. CLXXII. CLXXIII. *Anno Christi* 847. *Kenethus Scotorum Rex Pictorum exercitum internecione delevit. Portenderunt hanc cladem duo Cometæ, unus autumno solem antecedens, vere sequenti alter solem sequens.* Eckstormius ex Card. de rerum variet. l. 15. c. 78.

Anno Christi 838. *die* 11. *Aprilis horribilis Cometa visus est* 25. *dies continuos.* Eckstormius.

Anno Christi 838. *sub imperio Ludovici Imperatoris, Cometa in signo Libræ apparuit. Hunc devastatio Walachiæ* (legendum puto, Angliæ: hanc enim, ut & Frisiam ac Flandriam Normanni & Dani per hæc tempora armis domuerant) *Insulæ à Normannis secuta est, propterea quod tributum ab eis exigerent.* Rockenbachius.

Anno Christi 837. *Stella Cometes in Signo Libræ apparuit* 3. *Idus April. & per* 3. *noctes visa est.* Annal. Fuld.

Anno Christi DCCCXXXIX, (corr. DCCCXXXVII) *mediante festivitate Paschali, dirum semper ac triste portentum, ibidem Cometæ sydus in signo Virginis apparuit, in ea parte ejusdem signi, qua penulam ejus subter caudam serpentis similiter corvumque confringunt.*

Quod cum non more errantium septem syderum Orientem versus peteret, per viginti quinque dies (quod mirum est dictu) idem sydus & Leonis & Cancri nec non & Geminorum transiens signa, in capite Tauri tandem sub aurigæ pedes igneum globum jubarumque prolixitatem deposuit, quas usquequoque porrexerat antea. Auctor vitæ Ludovici Pii.

Anno Christi 837. *Per dies resurrectionis Domini stella crinita in Signo Virginis cum maxima aspectantium admiratione effulsit.* Sigonius.

Anno Christi 837. *Circa festum Paschatis Cometa apparet in Signo Virginis, qui spacio* 25. *dierum Leonem, Cancrum & Geminos pertransivit, & in capite Tauri tandem evanuit.* Calvisius ex Aimoino.

Anno Christi DCCCXL (corr. DCCCXXXVIII. *Kal. Januarii sævus Cometæ ignis in signo apparuit Scorpii, non multò post Solis occubitum. Cujus minacem vultum non multò post excessus Pipini est subsecutus.* Auctor vitæ Ludovici Pii.

Anno Christi 838. *Calendis Januarii Cometa iterum apparet in Signo Scorpii.* Calvisius.

Anno Christi 839. *Cometa visus est in Ariete.* Funccius ex Vincentio auctore Speculi.

Anno Christi 839. *anno* 25. *imperii Ludovici Imperatoris, Cometa in signo Arietis unà cum igniculis in cælo stellarum formam repræsentantibus discurrere visus est. Paulo post eodem anno Ludovicus Imperator Lothario filio dignitatem imperii & regni coronam, sub fide ad se venienti, cum jam invicem essent reconciliati, tradidit.* Rockenbachius.

NEmo non videt magnam de hoc Cometa occurrere inter tot Auctorum discrepantes sententias difficultatem, quam attigit Ricciolus. Refert enim anno 837. mortuum esse Pipinum regem Francorum præcedente Cometâ, etsi alii hunc ad Ludovicum Pium protrahant, qui obiit anno 840. dicantque anno 839. præfulsisse Cometam in Signo Arietis. Hæc nempe sententia est Vincentii, qui auctor Speculi est, & Funccii, quos & Rockenbachius & Eckstormius sequuntur. Sed qui Cometa in Libra 837. fulsit, ut Annales illi Fuldenses testantur, is à Rockenbachio in 838. ponitur. Contrà verò in Anno 837. ponitur à Sigonio Cometa in Virgine, qui ab Aventino, &, ut videtur, Eckstormio in 838. collocatur. Et vicissim qui Cometa in Virgine anno 839. Auctori vitæ Ludovici Pii annotatur, à Calvisio in anno 837. refertur. Ego sanè nec ulli tantorum Auctorum fidei & industriæ detrahere, nec tam difficili negotio me cum censoria quadam severitate involvere volo. Quamvis autem tenuitatis meæ conscius mihi sim, dicam tamen quod sentio, salvâ lectoris libertate, & judicio meliori salvo. Possent hoc loco ex diversis Auctorum sententiis non tres sed quatuor Cometæ poni, anno scilicet 837, 838, 839, 840. Ego tamen pauciores ponere malui, idque libentius facio, ubi possum sine temeritatis vel negligentiæ suspicione id facere. Nam si fortè alicubi justo plus Cometarum Catalogum extendam, æquo

Tab. referens cursum horribilis illius Cometæ qui A. C. 837. Regnante Ludovico pio, tempore Paschæ, spatio 25 dierum, ultra 4 dodecatemoria, contra Signorum ordinem peragravit. N.° 77





æquo jure omiſſus alibi Cometa id penſabit. Neque vero temere Cometographos hôc, ut vides, ordine diſpoſui, ac Eckſtormio primum locum tribui. Nam quos ille Cometas in annum Chriſti 837. & 838 ponit, ego arbitror in 836. & 837. ponendos eſſe. Docet me id Cometa, quem anno 838. m. Aprili 25. diebus apparuiſſe cum Aventino ſcribit. Hic enim refertur in annum 837. ab Auctore vitæ Ludovici (correcto ſcilicet ut pro 839, 840, 841, 842. ſub quo mortuum Ludovicum Anno 840 ſcribit, anni 837, 838, 840. ponantur) niſi quòd iſte de eo, ut vidimus, ſcribat, eum non more errantium ſyderum Orientem petiviſſe: Aventinus verò errantium ſyderum modo ab Occidente in Orientem motum eſſe. Idem ille Cometa in 837. ab Annalibus Fuldenſibus, tum Sigonio, Calviſio & aliis ponitur. Unde etiam patet me hoc loco 5. Cometas numerare potuiſſe, anno ſcilicet 836, 837, 838, 839, 840. Nec obſtat ab Eckſtormio dici hunc Cometam cladem Pictonibus ab Kennetho Scoto anno 837. verius 838. illatam portendiſſe. Portendit enim eam ex mente Eckſtormii & ſimilium, licet in anno 36. ponatur: cum illi effectus Cometæ ad plures annos liberaliter extendant. Rockenbachianum Cometam anni 838. in Libra viſum, eundem eſſe puto cum Cometa qui in Annalibus Fuldenſibus in Libra per tres noctes anno 837. ac poſtea in Virgine eodem anno ab Auctore vitæ Ludovici Pii obſervatus ſcribitur. Quem porrò idem Auctor correctus, & Calviſius in Scorpio anno 838. at Vincentius, Funccius, Rockenbachius & Eckſtormius in Ariete viſum fuiſſe dicunt, quamvis tutò dividi poſſint, conjungo, ut ibi ſcilicet initium obſervationum, hîc finis indicetur, & Cometam contrà Signorum ſeriem progreſſum eſſe dicatur. Cometam anno 838. in Scorpio ab Auctore vitæ Ludovici correcto & Calviſio annotatum ab illo, quem alii Auctores anno 839. in Ariete obſervarunt, diſtinguendum eſſe tutius credo. Et tamen ne familiam Cometarum ſinè neceſſitate multiplicare videar, hos duos pro uno reputo. Arbitror enim in Scorpio initium, in Ariete finem obſervationum ejus factum eſſe. Hac ratione ſaltem tres Cometæ hîc ſunt in Anno Chriſti 836, 837, vel ſi illle 836. juſta auctoritate carere alicui videatur, in 837, 838 & 839. ponendi. Rationes Eckſtormii plurimùm mihi, fateor, faceſſiverunt negotii, ita ut tandem neceſſe habuerim eum corrigere. Dicit enim anno Chriſti 837, vel potius, ut ego puto 836. Cometam autumno ſolem anteceſſiſſe, alter verò vere ſequenti, id eſt 838. vel potius ut monſtravimus, 837. Solem ſecutum eſſe. Ille Cometa qui in autumno anteceſſit Solem, neceſſario antè ortum Solis oriebatur. Sol eo tempore fuit in Libra vel Scorpio. Itaque Cometa, qui in autumno ante ortum Solis viſus eſt in Libra vel Scorpio, ſi tamdiu duravit uſque ad ver ſequentis anni & feſtum Paſchatos, tunc viſus fuerit poſt occaſum Solis in Oriente, ortus ſcilicet in horizonte ortivo poſt occaſum Solis. Sed tunc motus illius fuerit tardiſſimus, ut ab autumno uſque in ver per totam hyemem confecerit exiguum in cœlo ſpatium, quale intercedit inter Libram & Virginem. Sed mirum eſt cum eo pacto oportuerit eum ſtetiſſe per totam hyemem, hoc non fuiſſe à quopiam obſervatum. Atquè hæc eſt Clariſſimi Michaëlis Kirſtenii, quîcum hac de re contuli, ſententia. Qua de cauſa iſte Cometa Solem ſequens ab illo Solem antecedente meritò diſtingui poteſt, pluribus circumſtantiis id poſtulantibus. Certè & illæ Obſervationes Anno Chriſti 837. ſecundum Annal. Fuldenſes, & 838. ſecundùm Rockenbachium, licet in eadem libræ conſtellatione (ut hac Firmici voce Aſtrologica utamur) Cometes apparuerit, duos Cometas diſtinctos fuiſſe indicant. Itaque ſi hîc, multò minus ibi temeritatis accuſandus eſt, qui diſtincta fuiſſe phœnomena, utpote tanto temporis cælique ſpatio diſcreta, dixerit. D. Chriſtianus Buſmannus, Vir eruditione præſignis, Calviſii rationes preſſo ſequens pede, duos tantum Cometas mortem Ludovici Imperatoris præceſſiſſe, anno ſcilicet 837. in Virgine, & 838 in Scorpio affirmat. Id & cum rationibus Auctoris illius Vitæ Ludovici convenire docet. Verum enimverò errorem illum notat, & in opere Auctoris illius pro anno DCCCXXXIX & DCCCXL, annum DCCCXXXVII & DCCCXXXVIII. reponendum ſtatuit. Editionem *Du Chené* hunc errorem correxiſſe D. Martinus Vogelius, Vir literis optimè excultus, Lutetiæ Pariſiorum degens, tùm & Clariſſimus Bullialdus, nuperrimis literis die 2. Maji datis me monuit. Ego certe hîc

hæsi initio, nec me, fateor, explicare potui. Videbam enim Cometas Libræ, Virginis, Arietis, Scorpii & Aquarii à diversis Auctoribus in annum 837, 838, 839, 840, 841 & 842 referri. Subierat animum cogitatio Cometas hos conciliari posse numero ternario, quem Alstedius annotat, & in anno 840, 841 & 842 ponit: sed ita ut putarim in anno 836, 840, & 841. referendos esse. Sed cum D. Busmannus in sua persisteret sententia, de hac re ad Clar. Ismaëlem Bullialdum retuli. Is, qua est humanitate & ergà me benevolentia, responderat primò Cometas in Virgine m. Apr. & in Scorpio m. Januario ad annum 839 & 840. notatos relinqui sic posse. Ita verò fieri id posse ajebat, ut uterque Cometa dici possit anno 839. apparuisse. Ille nempe initio anni, quem tunc Galli à Paschate incipiebant; iste verò inchoante quarto trimestri cum Januario. Sed hoc mense in Scorpio post Solis, ut Auctor vitæ Ludovici ait, occubitum apparuisse Cometam negat. Dicit enim tunc Scorpium antè Solem occidisse, & post mediam noctem horis circiter duabus cum semisse ortum fuisse. Quamobrem censet pro Scorpio aliud signum ponendum. Nisi forte quis dicat Auctorem illum dodecatemorium non asterismum posuisse, quod Doctissimo Bullialdo non placet. Tandem tamen distinctionem capitum & correctionem annorum in Auctore vitæ Ludovici Pii ab Andrea du Chesne merito factam, & Cometam illum insignem in annum 837. referendum esse nuperrimis illis literis agnovit. Eruditissimus Blumius in hac urbe degens errorem Auctoris illius anonymi corrigendum eodem, quo D. Busmannus modo, deducit. Sed illum Cometam anno 838. in Scorpio non Januarii sed Junii Kalendis apparuisse post Solis occasum conjicit. Optimè enim id tunc temporis fieri potuisse, non item Kal. Jan. quibus Scorpius antè Solem occidit, putat. Conjectura mea de Cometis Eckstormianis annorum 837. & 838. in 836. & 837. referendis, tum *illis ab Auctore* Anonymo ad 839. & 840. id est secundum Calvisium & alios 837. & 838 reponendis, ac cum Rockenbachiano & Aventiniano anni 838. tùm Funcciano & Rockenbachiano, iterum anni 839. componendis Doctissimo Kirstenio, quem nominavi, & Henrico Sivero non displicuit. Sifardus ille in suo Speculo Cometarum octavum numero à N. C. Cometam in anno 838. ponit, eique 40. circiter annorum eventus tribuit, ut eos cum effectis Cometæ anni 876. conjungat. Sed quis hîc prudentiam non desideret? Cometas hos antecessit bellum illud civile & impium, inter patrem re & nomine pium ac filium impium, Ludovicum dico ac Lotharium, vel potius ejus partium Proceres, arreptam injustè potestatem retinere cupientes, qui Lothariani, sicut illi qui Ludovico adhærebant*, Cæsariani vocabantur. Non parco sanguine hæ cognatæ acies se conspersérant, parricidiali prælio comissæ. Hujus plusquam civilis iram, Cabillonum, nobile Burgundiæ oppidum, quod jussu Lotharii facere fidem hero servans detractaverat, sensit, immaniter excisum. Senssêre & aliquot Procerum militari seditione ad supplicium tracti: tum verò & aliquot Episcopi, qui Imperatorem condemnaverant, dignitate abeo exuti & proscripti. Saraceni Italiam adeò infestarunt, ut etiam Episcopi ad defendendos patriæ fines convolarent, nec magis calamo quam gladio operam darent. Lotharius inter hæc patri conciliatus, sed tamen finibus Italiæ inclusus, non tantum negligentius res Italicas curavit, sed & Pontificem studii partium paternarum suspectum vexavit. Hæc anno 835. gesta invenio, Egbrechtus, sive potius Egbertus ut Polydorus & Jovius aliique eum vocant, paulò ante à Danis (Dacos & Normanos alii † vocant) victus, tandem victor anno 839. ut Funccius & Calvisius vel 837. ut Polydorus, Jovius, Helvicus & alii putant, mortuus est. Is est qui universo Britanniæ regno potitus Angliæ nomen ei indidit, à quo proinde Jovius & Helvicus seriem regum Angliæ inchoant. Eodem illo 836. anno Dani Frisiam vastarunt & armis subegerunt. Pestilentiâ verò sævissimâ omnes Proceres qui partes Lotharii contrà patrem sequebantur, uno velut momento temporis bimestri scilicet spacio extincti sunt, ut Auctor vitæ Ludovici, Aventinus, Sigonius aliique memoriæ produnt. Hîc etiam patet quàm acerba mala in orbe eveniunt, etsi nulla stella crinita in cælo luceat. Ex veritate hîc Polydorus, de illa Danorum

* Avent. Annal. 4. p. 301. † Vid. Polyd. lib. 5. p. 96.

in

in Angliam irruptione & morte Egberti Regis loquens ait: * *Sic ſunt humanæ res ſexcentis caſibus, quocunque temporis puncto obnoxiæ.* Sed non opus eſt ut plura ejus generis nunc alibi quàm in ſolo Ludovico Pio quæramus. Rectè enim de eo Ado Viennenſis, & ex eo Ivo Carnotenſis in Chron. regum Franc. judicat, *in ingreſſu imperii ſecundam & placidam quietem eum habuiſſe, ſed finem ejus multis calamitatibus fatigatum fuiſſe.* Verumtamen & illæ res adverſæ lætis utcunque diſpungebantur. Prudentiſſimè de horum temporum & geſtorum conditione Ado, ſicut paulo ante hæc verba allegavimus: *Variantia tempora nunc adverſa, nunc proſpera minantur.* Hæc quia ad eventus Cometarum apparitionem ſecutos pertinent, paucis dabimus. Sequamur autem præ cæteris illum Anonymum auctorem qui vitam ejus conſcripſit, nudâ contenti ejus narratione. Illa enim Adonis Viennenſis & Aventini gente Boi, dum de Ludovico Rege Bojo uterque loquitur, partium ſtudio non caret. Anno 839 (corr. 837.) Ludovicus Carolum filium, quem ex Juditha ſuſceperat, enſe cinxit, & Neuſtriæ (multi Nortmaniam hodie dictam eſſe affirmant) regem præfecit, eumque in illam regni partem, Pipinum autem in Aquitaniam dimiſit. Læta hæc iſtis, triſtia illis, juſtitiâ & ambitione, modeſtiâ & invidiâ ſemper ubique certantibus. Anno 840. (corr. 838. Kal. Jan. (ſecundum Blumium Junii) Cometa in Scorpio apparuit. Hunc m. Nov. ut Annales Fuldenſes & Aventinus annotant, Pipini mors excepit. Hanc celeberrimus ad Wormatiam Vangionum conventus ſecutus eſt, in qua ſecuta eſt Ludovici Patris cum Lothario filio conciliatio. *Hunc pater* (inquit ille Auctor) *cum multa alacritate ſuſcepit, & dapſiliter ſuos curare præcepit, & ſicut mandaverat, univerſa peregit: in tantum ut ei datis triduo induciis, univerſum imperium ſuum cum ſuis ipſe divideret.* Poſtquam autem relicta Ludovico Bajoaria, imperii partem Auſtralem à flumine ſolem verſus eligit Lotharius, Occiduam verò partem fratri Carolo habendam relinquit, omnibus aſſentientibus, & tàm patri quàm filiis eo nomine gratulantibus. *Imperator ergo lætabatur in his* (ſcribit Anonymus) *& cunctus populus talibus factis applaudens omnia ſibi placere dicebat. At verò Ludovici* (Bojorem ſcilicet Regis) *animum non parum hæc geſta læſerunt. Imperator porrò pro his geſtis gratias Deo referebat, filioſque monebat ut unamines eſſent, & ſe mutuò tuerentur, & Lotharius quidem junioris fratris curam gereret, cujus ſe ſpiritualem eſſe patrem meminiſſe deberet: Carolus autem tanquam patri ſpirituali & fratri ſeniori, debitum deferret honorem.* Et mox: *Cumque hæc tanquam veræ pacis amator, & inter fratres mutuam delectionem, & inter utriuſque filii populum, quantum ſibi poſſe datum eſt, alternum ſeviſſet amorum, lætus Lotharium in Italiam lætum dimiſit, multis ditatum muneribus, donatum benedictionibus paternis, & monitum, ne obliviſceretur ſaltem nuper à ſe promiſſorum.* Aventinus qui mores & facta Imperatoris Ludovici arguere ſolet, Anonymo aſſentit, *& lætus* (inquit de Imperatore) *hilariorem Lotharium in Italiam dimittit.* Sed Ludovicus junior hâc diviſione non contentus, Francos, Saxones & alios Germaniæ populos in partes pertrahit. Advenienti verò cum exercitu patri ſupplex factus, conciliatur. Inter hæc Aquitani Pipinum, Imperatoris ex Pipino filio nepotem, regem ſibi contra ejus voluntatem creant, invitis maximis quibuſque Procerum, inter quos & duo Pipini Senioris generi, junioris affines. Paulò poſt Ludovicus Junior novos motus bellicos (quos invida ambitio & Aquitanicæ ſeditionis occaſio magis quàm Cometa portendit) contrà patrem excitavit, & Alemanniam invaſit. Qui acerbus nuncius corpus & animum Imperatoris ſenectute (annum enim 64. Ludovicus exceſſerat, licet Acciajolus 74. tribuat) curis, ærumnis & laboribus fractum graviter concuſſit. Imò verò Imperator boni paſtoris ritu pro ſalute publica laborans, præcedente Solis deliquio anno Chriſti 840. poſtquam omnia ritè diſpoſuiſſet, & filio Ludovico ignoviſſet, vitam cum morte commutavit, Princeps pietate, à qua nomen habuit, & manſuetudine egregius: at multis caſibus exercitus, præſertim verò tot fœdis filiorum motibus afflictus. † *Quem ſi verè cognominavero*, (verba ſunt Aventini) *haud immeritò pilam fortunæ dixero, in qua jocos, luſuſque ſuos illa exercuit: aut ut veritatis placita ſequar, in Ludovico hoc, rerum & naturæ parens viam ſuam planè oſtendit: quemcunque, uti uti libet, attollit in altum, & de ſublimi rurſus præcipitat.*

* l. 5. Hiſtor. Angl. p. m. 94. † Annal. 4. p. 307.

cipitat. Nec est quisquam omnium qui refragari audeat, aut quærere cur nam ita agis? Quàm verò & hæc tempora incommoda & commoda sua habuerint, prudenter Sigonius quintum librum de regno Italiæ ordiens ait: *Tristiora inde labentis in dies, decrescentisque apud Francos imperii tempora subeunt. Quibus quantum de Francorum dignitate, potentiaque decessit, tantum Italicorum libertati amplitudinique accrevit. Cujus rei caussam primùm attulit ipsa regnorum à Carolo instituta divisio, deinde divisionis gratiâ dira à filiis Ludovici armorum introducta contentio.* Ubi etiam videmus non ad Cometarum, sed ad errorum & vitiorum portenta mutationes Rerumpublicarum esse referendas. Unum addo, sed tamen velut in transitu. Sabellicus Enn. 9. l. 1. ab initio, & ex eo Bonfinius rer. Ungar. dec. 1. l. 10. in eundem annum & mensem ponit mortem Michaëlis & Ludovici Imperatorum & Gregorii Pontificis Romani. Atqui Michaël anno 829. Ludovicus 840. Gregorius 843. ut Funccius, Calvisius & alii, vel 844. ut Sigonius putat, obiit. Dicere, credo, Theophilum Michaëlis filium voluit, qui Anno 841. ut Petavius & Helvicus, vel 842. ut Sigonius, Calvisius & alii putant, fato functus est.

CLXXIV. *Anno Christi* 840. 841. 842. *Tres Cometæ ante dissensionem & bellum fratrum filiorum Ludovici Pii, propter divisionem regni exortum, apparuerunt. Saraceni ex Africa in Italiam irrumpunt, & Romam diripiunt: sed reduces in itinere submerguntur.* Alstedius.

Anno Christi 841. *Cometes stella 8. Kal. Jan. sub signo Aquarii apparuit.* Annal. Fuld.

Anno Christi 842. *anno imperii Lotharii secundo, Cometa in Aquarii signo apparuit. Hunc eodem anno, tanta strages apud villam Fontanedum in pago Antisiodorensi, inter fratres de perditione* (lege *partitione*) *regni dissentientes secuta est, eorumque vires ita sunt debilitatæ, ut auxilio exterarum gentium fines suos defendere coacti sint, nec ulla ætate tantam stragem in gente Francica auditam esse, annales dicunt.* Rockenbachius.

IN eundem annum 842. annotat Cometam in Aquario Funccius, Eckstormius & Ricciolus. Sed & in fragmento Chronici Fontanellensis T. 2. Franc. Script. hæc verba leguntur: *Anno* 842. *Ind.* 5. *apparuit in cælo stella Cometa à plaga Occidentali à 7. Id. Jan. usque ad d. Id. Febr. dies* 37. *Cal. Martii apparuerunt acies in cælo.* Nithardus pariter in Caroli M. (cujus erat ex Bertha filia nepos) histor. l. 3, fin. ad eund. ann. 842. *Stella Cometes*, inquit, *mense Decemb. & Januario, nec non* 4. *Febr. apparuit, per Piscis centrum ascendens, & inter signum quod à quibusdam Lyra, à quibusdam verò Andromeda vocatur, & Arcturum obscuriorem defecit.* Ubi notandum nullum tunc à Nithardo factum fuisse discrimen inter Lyram & Andromedam, quod posteriorum seculorum industria observavit. Videmus etiam hinc conciliari posse Cometam in Aquario observatum Anni 841 & 842. diversis temporibus observatum. Nolui ego dividere hæc phœnomena, nec tres Cometas ponere, licet Alstedius tres expresse numeret. Equidem & Ricciolus ad ann. 843. memorat plures Cometas dici prænunciasse funestum bellum, quod Lotharius cum fratribus gesserit. Addit autem tres Cometas à Cardano annotari, primum in Libra, secundum in Ariete, tertium in Aquario. Quæ quidem apprimè conveniunt præcedentibus nostris duobus Cometis in Libra & Virgine, tùm in Scorpio & Ariete, tùm horum trium uni in Aquario. Demonstravimus illos poni aliter quam in anno 837. 838. ac 839. non posse. Hic in Aquario pro diverso observationum tempore annum 841. & 842. sibi vendicat. Itaque tres illos Alstedii Cometas in signis Scorpii, Arietis & Aquarii, annis 840. (corr. 838.) 841. (corr. 839.) & 841. simulque 842. deputo. Antea quidem in magno illo sententiarum dissidentium incerto eosdem 839, 840, & 841. propius ad Alstedii rationes accedens posueram; sed nunc re cum tot Viris doctis examinata, hanc computationem præfero. Illum enim Cometam magnum Anno 837. in Virgine antè mortem Ludovici visum, Alstedius mihi cum illo qui A. 814. ante mortem Caroli M. fulsisse scribitur, confudisse, & sic non recto loco, quem tamen ibi aliena manu auctoritatem Fasciculi temporum obtendens, indicavit, posuisse, atque ita eum hactenus amisisse videtur. Si cui

Figura motum Cometæ CLXXIII. A.C. 841 et 842 adumbrans

N.o 70

4. Feb. A.C. 842

Lyra

Cygnus

Via

Colurus

Cancri

Tropicus

Sagitta

Aquila

Delphinus

Equisectio

Pegasus

Æquator

Cauda Serpentis

Antinous

Cetus

Aquarius

Eclyptica

Capricorni

Tropicus

Sagittarius

Piscis Notius
8. Cal. Jan.
A.C. 841

Caput Gruis

Corona Australis

Sol 41.

1 2 3 4 5 6 Maj.

Nebul.

Min.



cui tamen hæc noſtra conjectura non placuerit, & Alſtedio de tribus Cometis anni 840, 841 & 842, vel ut alii putant, 841. (Annal. Fuld.) 842. (Funcc. Rockenb. Eckſtorm. & Ricciolus) 843. idem Ricciolus, gratificari voluerit, ego non repugnabo. Mea enim intereſſet familiam ſtellarum cincinnatarum augeri. Sed obſtat hîc videri unum eſſe Cometam in aquario 841. 23. Dec. & 842. fortè in Januario octo diebus ſerius obſervatum. Adhæc quem Ricciolus Cometam ad ann. 843. annotavit, apertè eundem ab iſto 842. in Aquario viſo diſtinguit. Sed iterum obſtat dici ab eo quod anteceſſerit funeſtum Lotharii cum fratribus bellum. Atqui hoc anno vertente ab obitu paterno, ut auctor vitæ Ludovici & Nithardus (qui ut ſanguine proximus, pars magna horum fuit, fratres enim diſcordantes conciliare ſtuduit, & tandem unà cum aliis conciliavit) Ado, tum recentiores Auctores Aventinus, Sigonius, Funccius, Serres, Calviſius aliique fide digni ſcriptores, geſtum eſſe produnt. Regino tamen & Sigebertus, Bucholzero teſte in 842. referunt. Nec invenio quenquam qui bellum hoc in ſequentes annos producat, ut ideo Cometa anni 843. illud prænunciaſſe dici poſſit. Sed & de hoc retuleram ad Humaniſſimum Ricciolum, à quo literas die 8. Martii datas inſignis eruditionis, induſtriæ & benevolentiæ plenas, dum hæc 5. Aprilis Gregor. primum commentarer acceperam. Cum autem talia ſibi in reformanda Chronologia occupato grata eſſe agnoſcat, & pluria ejuſdem generis communicari ſibi poſtulet, id non invitus feceram. Quod ſi verò hîc quoque Cometa anni 843. à prioribus diſtinctus ſubſiſtere poſſit, gratulabimur ſtellarum crinitarum familiæ de facta hîc quoque acceſſione. Tantò verò magis, ſi in hunc annum tres illi Cometæ à Cardano in Libra, Ariete & Aquario obſervati referri tutò poſſint. Hoc quidem auctor Diarii Europæi part. 6. c. 387. fecit, & textus Riccioli indicare videtur. Qua de re ſpeciatim Virum illum Humaniſſimum, qui candore & diligentiâ ſe ipſum vincit, tunc conſulueram. Sed nil amplius ad hæc mihi reſpondit, quàm me recte Cometam illum celebrem in Annum 837. conjeciſſe. Interim ne illam Cometarum auctionem immeritò quærere videar, malo vel de meo jure cedere, quam alicujus temeritatis ſuſpicionem incurrere. Sed jam ad eventus Cometæ veniamus. Præcipuus inter eos eſt ille parricidalis fratrum furor. De hoc Anonymus ille in vita Ludovici. *Vertente autem anno* (à morte ſcilicet Ludovici) *in die Aſcenſionis Domini fit bellum Fontaneum in Burgundia à quatuor filiis ipſius Ludovici, Carolo ſcilicet, Lothario, Ludovico & Pipino: ubi multus effuſus eſt ſanguis humanus.* Miror Carolum natu minimum præpoſitum Lothario natu maximo. Magis autem quatuor filios pro tribus & quarto nepote (Pipinus enim Ludovici filius iſtius Pipini pater ante patrem, ut diximus, obierat) poni. Accuratius Ado: *Lotharius poſt humationem glorioſi patris, ſequenti anno ab Italia egreſſus, totum imperium arripere molitur. Ob id adverſus fratribus, in prælium Fontaneticum eos concitat. Juncti duo aduerſus unum, heu, omnibus Chriſtianis lamentabile bellum & ſociale ac civile conſerunt. Non armis diſſimiles, non habitu gentis diſtincti, ſolum caſtris obverſi. Francorum innumerus populus acie gladii feritur, & olim gentibus cæteris formidabilis, in vulnere ſuo bacchatur. Cruenta victoria, duobus tamen fratribus inſcribitur.* p. 230. Prudenter cauſſam funeſti iſtius belli Ado in arroganti Lotharii ambitione monſtrat. Mox tamen, ut & Anonymus ille, pacem lætam, poſtquam Lothario Imperatori pars Franciæ, quæ ab eo Lotharingiæ nomen accepit, aliis Belgica & Auſtraſia vocatur, Ludovico Bojo, ut & Serres affirmat, Burgundia (hanc tamen Lothario Sigonius, Aventinus & Petavius deputant, Ado in duas partes dividit) acceſſiſſet, Carolo Francia, Pipino & fratri ejus Carolo Aquitania ceſſiſſet, ſucceſſiſſe ſcribit. Aventini verba memorabilia præterire hîc non poſſum, qui Ludovicum Imperatorem incolumitati Reipublicæ longiſſime poſt ſe non conſuluiſſe ſic docet: *Si*, inquit, *factum parentis de dividundo imperio æmulatus fuiſſet, haud tàm citò Imperium, vires Francorum occidiſſent. Nec tantum armis licuiſſet, neque tantum ſanguinis Chriſtiani, parricidiali bello effuſum adhuc Reſpublicam lugeret. Sed nihil verſatilius fortunâ, vulgatum apud nos proverbium eſt. Summa quæque tandem ad ima rurſus relabi, quæ ſi amplius intendantur, in nervum erumpent, habeniſque laxatis ſenſim, donec*

Annal. 4. p. 380.

occidant,

occidant, remittuntur. Quibuſdam fortè ac temerè humana negotia volvi agique perſuaſum eſt: alii fato & æternâ conſtitutione, nexuque cauſarum latentium, & multò ante deſtinatarum, ſuum quemque ordinem inevitabili lege percurrere arbitrantur. Nos ita omnia æternæ ſupremæque majeſtati ſubjicimus, ut tamen animi noſtri liberi ſint motus. Et quiſque ſuo vitio ſibi malum accerſat: immortalis quidem illa providentia, cujus fortuna evertenda eſt, ejus conſilia corrumpit. Paria apud Sigonium, Serrem & Petavium videre eſt. Ex his tanti mali portenta non ex tribus Alſtedii Cometis petenda ſunt. Tanto magis ſi prudens Egnatii dictum his adjungamus*. Is enim ita judicat. *Violatus (credo) ab his pater tanti ſceleris pœnas expoſcebat: quippe qui ardentibus animis inter ſe, dum paternam imperii diviſionem æquo animo non ferunt, infeſtis inſignis concurrere ad Fontanicum Altiſſiodorenſis agri vicum, quâ acie tot Gallorum millia utrinque cecidere, ut convulſæ propè Imperii vires ſint: victus tamen Lotharius & Ludovicus à Carolo, & quum bellum iterum repararent, iterum fuſi, pacem petiêre. Quæ his propè conditionibus data, ut imperii titulo Lotharius cum Italia & Narbonenſi Gallia frueretur, Ludovicus Germaniam poſſideret, Carolus Francis à Moſa ad Oceanum præeſſet: addita & ea Galliæ pars quæ Scalden inter & Rhenum jacet: ea nunc Lotharingia eſt.* Hæc ſtudio deſcripſi, ut hâc occaſione moneam in Egnatio duo hîc eſſe corrigenda. Alterum eſt non à Carolo Lotharium & Ludovicum, ſed à Ludovico, Carolo & Pipino Lotharium victum & ad petendam pacem coactum fuiſſe, auctoribus Adone, Annalium Francicorum ſcriptoribus, tum Aventino, Sigonio, Sabellico, Serre, Funccio, Calviſio, Petavio, qui & plures in hanc rem ſcriptores allegat, aliiſque. Ut ita omnes conſentire hîc videam. Alterum verò Lotharingiam tunc non Carolo ſed Lothario, quod & ſequentia Egnatii verba docent, fuiſſe additam. His tantorum virorum judiciis expenſis, ac præterea, quæ de his Aventinus & Sabellicus plura de perverſis belli incentoribus conſignarunt, additis, tria invenio, quæ fraternum illud bellum portenderunt. Filiorum ſcilicet in patrem impietas, quem divina ultio proſecuta eſt, cauſſas belli, arrogantiam ambitioſam & facilitatem prava conſilia, bellum quam pacem rationibus ſuis privatis utilius ſuadentia, ſequendi & exſequendi in Lothario, inveniens. Hæc ſunt proxima. Quæ Sigonius & Aventinus in Carolo, Ludovico & Juditha monſtrant, paulò ſunt remotiora, quæ etiam malum hoc non acerſiviſſent, niſi hæc tria, quæ dixi, id feciſſent. Diſcant mortales, ac præſertim viri Principes, has bellorum faces vitare vel exſtinguere, à facibus, ut ſic dicam, Cometalibus nil ſibi metuentes. Hùc pertinet execrandum Alphonſi III. cognomento Magni, Regis Hiſpaniæ facinus, quod ad annum 841. Funccius ponit, licet Tarapha regni ejus initium in Ann. 846. ponat. Is enim cum fratres de tyrannide invadenda ſuſpectos haberet, omnes oculis privavit. Hoc non Cometa, ſed ſuſpicio meticuloſa & regnandi libido effecit. Bellum illud Regum pluſquàm civile, irruptionem Saracenorum, rebus Chriſtianis tunc inſidias aſſiduò tendentium, in ſinum Adriaticum portendit: ut & eorum ſequentibus 30. annis dominationem Barrii impia Adelgiſi & Siconolfi in Campania diſſidia. Ille enim Saracenos Africæ, hic Hiſpaniæ in auxilium vocavit. Inter hæc Veneti Sarracenos prælio vicerant & à finibus ſuis rejecerant. Theophilus Imperator, qui Anno 840. Sarracenis invaſoribus repulſis in Syriam cum exercitu proceſſerat, & Anno ſequente eoſdem in Cilicia vicerat, poſt victus eſt, eodemque vel poſtero anno de vita exiit. Eodem anno principatum iniit apud Polonos Piaſtus oppidanus Cruſvicenſis, qui in magna annonæ caritate omnes ſublevârat, & plurimos ſæpè convivio exceperat. Poſteri ejus uſque ad mortem Caſimiri M. annis 528. rerum ſunt potiti. Ex his Celſiſſimi Duces Brigenſes & Lignicenſes deſcendunt.*

* Egnat. in Lothario p. 1389.

CLXXV. *Anno Chriſti* 844. *magna fuit Eclipſis Solis, & præterea Cometa apparuit.* Eckſtormius ex Spang. Chron. Saxon.

Anno Chriſti 844. *Albumaſar obſervavit Cometam ſupra Venerem.* Ricciolus ex Cardano, Tychone & Cyſato.

Ante

ANte hunc Cometam circa annum circiter 843. ut Funccius putat, Dani Angliam invaserunt, Sarraceni Italiam, Normanni Hispaniæ maritima, aliaque tristia evenerunt. Anno verò 844. quo Cometa apparuit, Sergius Pontifex Romanus Ludovicum Lotharii filium Romæ *regali atque Imperiali coronâ decoratum, Regem Italiæ atque Imperatorem, populo lætis Augustum sæpè vocibus acclamante, pronunciavit*, referente Sigonio. Qui etiam addit Siconolfum Principem Beneventanum benignè à Rege & Pontifice exceptum fuisse, omniaque ex voto obtinuisse, & Ludovicum ad Rempublicam administrandam se contulisse. Calvisius ad eundem annum 844. ponit victorias memorabiles, quas Ranimirus rex Gallæciæ (Raymirum Tarapha vocat, & quem Calvisius anno 824. regnum iniisse putat, anno 829. regnare incepisse testatur) de Normannis invasoribus, Pipinus rex Aquitaniæ de patruo Carolo Calvo rege Franciæ (cui portionem suam appetenti verè vetus illud, *Ne sis mihi patruus* dicere poterat) & Ludovicus rex Germaniæ de Abodritis Vandalis rebellibus retulerunt. Anno sequente Normanni sive Dani Galliam adorti, Carolum ad pacem emendam coëgerunt*, Frisios invaserunt, eosdem duobus ingentibus præliis vicerunt, urbem hanc Hamburgensem vastarunt. Pax autem in Oriente cum Bulgaris percussa, Rex eorum religionem Christianam amplexus est†. Pariter cum Normannis, Sclavis & Bulgaris pacem Ludovicus rex Germaniæ iniit. Secuta post hæc est pax cum Bohemis à Ludovico Lotharii filio domitis, & ad religionem Christianam cum 14. eorum Dynastis perductis. Inter hæc Sarraceni Italiam aggressi, modò vincunt, modò vincuntur. Anno certè 849. à Neapolitanis & aliis Italiæ populis victi navali prælio fuerunt. Ideò *clarissima hæc de Sarracenis communibus hostibus victoria insigne Romanis antiqui navalis triumphi spectaculum præbuit*, ut notat Sigonius, Normanni autem in Galliam reversi novas sedes ad Sequanam à Carolo obtinent, unde Normanniæ inditum nomen. Hæc & alia tàm adversa quàm læta illâ tempestate in orbe evenerunt, quæ Cometen nostrum exceperunt. In ann. 854. conjicitur Joannæ Papissæ fabula‡, quam Aventinus, Petavius, & nupero scripto erudito David Blondellus refutat, Mirum sanè est tot Ecclesiæ Romanæ Theologos & Scriptores eam asseruisse, Marianum Scotum, Sigebertum, Frisingensem, Viterbiensem, Mart. Polonum, Ranulphum, Occamum, Rudolph. Flaviacensem, Mart. Minoritam, Antoninum, Volaterranum, Petrarcham, Bocatium, Wernerum, Platinam, Sabellicum, Nauclerum, aliosque intelligo.

* Vid. Avent. Annal. 4. p. 311. ‡ Aventin. ibid. † Annal. 4. p. 368. Rat. Temp. p. 1. l. 7. c. 10.

CLXXVI. *Anno Christi* 868. *Cometa visus est, quem mors postea Lotharii Regis fratris Ludovici Imperatoris secuta est. Carolus Galliarum Rex regnum ejus invasit. Michael Imperator Græcorum, jam mente captus, amicos suos interfecit. Terræ motus magnus tunc temporis factus est.* Rockenbachius.

Anno Christi 868. *post visum Cometam Ivarus Rex Danorum in Northumbria Angliæ occubuit. Sequenti anno obiit Lotharius Rex Galliæ.* Eckstormius ex Reginone & Schossero.

Anno Christi 868. *Cometa terribilis conspicuè visus est. Brevi post Paganorum exercitus Northumbris relictis Snolinganum adiit, cum quibus Burredus Merciorum Rex pacem iniit. Pagani verò celeriter ad Northumbros redeuntes, ibi annum integrum consederunt, nullâ ratione habitâ in omnes ferro & face furorem exercentes. Toto itaque hoc tempore, quo sedit Celnothus Archiepiscopus Cantuariensis, tàm variis procellis agitato, tàmque turbulentis tempestatibus referto, nullus ita à calamitate immunis fuit atque ille.* Antiquit. Britann. in vita Celnothi p. 71.

QUàm calamitosa & luctuosa Angliæ illa tempora, Cometen hunc præcedentia, assiduis Danorum irruptionibus & vastationibus, exercituum & civium Regumque cædibus ab Anno 851. fuerint, eædem Antiquitates Britannicæ in vita Celnothi memoriæ tradiderunt. Quantis iterum Sarracenorum invasionibus per eadem tempora

pora lacerata fuerit Italia, Sigonius ad annum 854. & ſequentes annotat: tùm Calviſius ad annum 852. Qui etiam ſequenti anno Normannos Gallicas provincias Ligeri aſſitas, Britanniam ſcilicet præcipuè qua Nanneto urbi primariæ adjacet, Andes & Turonium invaſiſſe & miſerè afflixiſſe, ut & Funccius ante eum, tùm & Aventinus, refert. Dehinc graviſſima fames, circa Ann. 851. Germaniam dirè afflixit. Pipinus & Carolus Anno 851. à patruo Carolo Rege Galliæ regno privati & in monaſterium detruſi. Dania domeſticis motibus cædibuſque concuſſa & tantum non everſa, vix uno puero è ſtirpe Regia ſuperſtite, ut Aventinus (*a*) & ex Annalibus Fuldenſibus Calviſius ad annum 854. memorat. Ordonius Hiſp. Rex clade tunc ab Arabibus affectus eſt. Magna verò Romani imperii & tot regnorum mutatio evenit, cum Lotharius Imperator Anno 855. diviſione factâ, filio Ludovico dignitatem & Italiam, Lothario Lotharingiam (quam à filio potius quàm à patre appellationem accepiſſe Pertavius, contra Auctorem vitæ (*b*) Ludovici Pii, Wittichindum, (*c*) Aventinum (*d*) & alios (*e*) arbitratur) Carolo cum parte Provinciæ Burgundiam tribuiſſet, ipſe verò Monachum induiſſet, & ad plures paulò poſt conceſſiſſet. Hollandia Anno 856. Danicâ invaſione afflicta. Motu terræ, ut quidam prodiderunt, totus orbis concuſſus. Poſtero Michaël Imperator à Sarracenis victus. Anno 858. ortus eſt tumultus Conſtantinopoli, ex occaſione ſceleſtarum nuptiarum Bardæ Cæſaris, qui uxore repudiatâ nurum duxit, & Patriarchæ facinus ſuum arguenti Photium ſuffecit. Ortum eſt & diſſidium Joannis Archiepiſcopi Ravennatis, qui anteceſſorum ſuorum (*f*) à trecentis fermè annis exemplo Romano Pontifici ſe oppoſuit. Ingens verò & multum damnoſa Tiberis exundatio ſecundùm Sigonium 859. at ſecundùm Calviſium 856. accidit. Motu terræ Anno 858. Germaniam, Conſtantinopolin autem Anno 860. afflictam eſſe Calviſius refert. Idem Ludovicum Regem Germaniæ armis Dalmatas, Bohemos, tùm Carolum fratrem regem Galliæ alioſque aggreſſum, Anno verò 859. Michaëlem Imperatorem iteratâ clade à Sarracenis affectum, Carolum verò à Britonibus integro biduo victum memorat. Orta eſt & Anno 863. ſecundùm Sigonium, at 861. ſecundùm Calviſium ſeditio in Lotharingia, illi Conſtantinopolitanæ ſimilis, ex repudiatâ à Lothario legitimâ conjuge & concubinâ inductâ. Inter hæc Anno 861. civitas Saxoniæ ad fluvium Ocrum (quem antiqui ſcriptores Ovacrum ſeu Uvaccarum vocant) à Brunone Ducis Saxoniæ filio condita, Brunſuici, vel ut nonnulli malunt, Brunonis vici nomen accepit. Anno verò 863. primus Hollandiæ Comes Theodoricus à Carolo illo Calvo rege Galliæ (*qui primus Batavorum inſulam diſcerpere cœpit* (ut Gerardus Geldenhavrius (*g*) ait) conſtitutus eſt, à quo Comites Hollandiæ originem ducunt. Dani interim continuis cladibus Angliam & Galliam attriverunt. At Anno 865. ſecundùm Sigonium, 866. ſecundùm Calviſium bellum difficile & periculoſum Sarracenicum in Campania exarſit, quod Imperatorem Ludovicum inde aſſiduè in reliquum vitæ tempus exercuit. Longum foret numerare Pontifices Romanos & Principes varios, Anglos præſertim, vario mortis genere ſublatos. Sufficiat memorare Barbam illum, qui ex ignavia Michaëlis Imperatoris ſuam potentiam auxerat, Anno 866. ab eo, hunc verò anno vertente à Baſilio Macedone (quem conſortem imperii ſumſerat, ſed ob liberiores deſidiæ & prodigalitatis ſuæ reprehenſiones odio habuerat & tollere ſtuduerat) interfectum. Quis hîc quoque non videat toto orbe varia inſignia & memorabilia & luctuoſiſſima accidere, etſi nullus in cælo Cometes luceat? Anno 868. quo is apparuit, Ludovicus rem meliori fortunâ quàm antea contra Sarracenos geſſit. Anno ſequente Barrium validiſſimum hoſtium caſtrum, poſt quadriennii obſidionem cepit & ſubruit, & Soldanum eorum comprehendit. Tunc & Baſilius in Oriente rem contra Sarracenos proſperè geſſit. Ut ita orbi Chriſtiano in Oriente & Occidente annus iſte auſpicatus & lætus extiterit. Accedit quòd & Urſus Dux Venetorum proſperè ad Tarentum navali prælio conflixerit. Sed & alibi Ludovicus eodem anno rem feliciter geſſit. Nam tripartito exercitu contra Sclavos invaſores progreſſus, Ludovicum filium contra Sorabos, Sclavorum ſocios, Ca-

(*a*) Annal. 4. p. 314. (*b*) Cap. 19. p. 476. (*c*) Geſt. Saxon. l. 1. p. 11. (*d*) Annal. 4. p. 310. (*e*) Sigon. ad ann. 844. Bonfin. dec. 1. l. 10. p. 179. Pantal. Funcc. Bucholz. (*f*) Gregor. ep. 93. Sabell. Enn. 9. l. 4. p. 360. Pantal. ad ann. 587.
(*g*) Hiſt. Batav. p. 71.

roloman-

rolomannum in Austriam, Carolum verò filium contra Bohemos misit. Ubique autem locorum rem ex voto gestam esse Aimoinus & Aventinus (a) affirmant. Anno 870. inter fratres Ludovicum & Carolum de regno Lotharingiæ post mortem (b) impii Lotharii diviso convenit (c), excluso Ludovico Imperatore, Lotharii fratris filio, Lotharii junioris fratre, quâ de re queritur Aventinus Annal. 4. p. 333. Equidem & Pontifex Romanus Imperatoris Romani partes in hoc negotio tuitus est, ut tandem Ludovicus rex Germaniæ Imperatori partem, quæ sibi de regno patris ejus obvenerat, Anno 873. reddiderit, & ita pax justa firmata fuerit. In hæc tempora & pax cum Nordmannis sive Danis, qui arma victricia tunc per Angliam & Galliam (d) circumferebant, à Carolo Calvo (e) inita, & ad Christi religionem eorundem conversio refertur. Tunc & Bohemis, Moravis & Sclavis Caroli frater Ludovicus Rex Germaniæ pacem petentibus dedit.

(a) Aimoin. suppl. l. 5. c. 25. Avent. Ann. 4. p. 331. (b) Vid. Aimoin. l. 5. c. 26. (c) Sigon. l. 5. de regno Ital. ad annum 870. (d) Aimoin. l. 5. c. 31. (e) Avent. Annal. 4. p. 338.

CLXXVII. *Anno Christi 876. Cometa apparuit, forma solita rutilantior. Hunc sæva lues secuta est hoc anno, quæ ita grassata est in genere humano, ut vix tertiam partem hominum superstitem reliquerit. Inundatio aquarum subita multa loca invasit. Quinto Nonarum Julii intempestâ nocte subita imbrium inundatio, Achoprunnam vicum in pago Nitensi, pecudes, jumenta, homines 88. in cubilibus, mares, fœminas, puellas, pueroſque suffocavit: horrea, casas, templa arboresque radicitus evertit, ita ut ne vestigium illius amplius apparuerit. Cadavera mortuorum, tellure pluviali humore soluta, in finibus alterius pagi inventa sunt.* Rockenb.

DEscripsit hæc Rockenbachius ex Aventino Annal. 4. pag. 340. Sed is illa de peste dira antè Cometam posuit, hoc tamen anno quo stella crinita apparuit, at Funccius ex Vincentio Anno 874. grassatam esse ait. Verumenimverò hanc Aventinus Anno 875. fulsisse scribit. Ita & Calvisius, Büthnerus & Berckringerus. Sed Alstedius & Ricciolus ac Sifardus in 876. ponunt. Ita & Eckstormius ex Chron. Saxon. & Sigeberto, pestem illam Cometæ non imputat. Sed tamen inundationem illam, tùm & Caroli Calvi Imperatoris & regis Galliæ mortem, quæ anno sequenti accidit. Ita quidem & Ado, Avent. Sigonius, Bucholzerus, Calvisius, Helvicus, Petavius & alii: Sed Funccius & Serres 879. putat, Aimoinus suppl. l. 5. c. 35. Anno 878. (a) ponit. Qui Cometam in Ann. 876. referunt, posteriorem eum fame & inundatione faciunt. At verò ante mortem Caroli Rockenbachius ponere potuit mortem Ludovici Imperatoris, qui paulò post à viso Cometa mense Augusti 875. (Aventinus, Sigonius, Bucholzerus, Calvisius, Helvicus, Petavius) 876. (Funccius, Alstedius) de vita exiit. Eckstormius verò numerare potuit mortem patrui ejus Ludovici Regis Germaniæ, qui Anno 876. ut plerique putant (Ado tamen in 879. Funccius in 877. ponit) Francofordiæ decessit. Sed hanc ei septuagenaria ætas potius quàm stellæ crinitæ apparitio attulit. Reliquit verò tres filios Carolomanum, Ludovicum & Carolum Crassum. Præripuerat ei favore Pontificis Romani Augustam dignitatem minor natu frater Carolus ille Calvus. Cui illi fratris filii æquè ut illi Pipini, horum patrueles dicere poterant; *Ne sis nobis patruus.* Nam post mortem patris eorum cuncta ad se rapere volens, à Ludovico Orientalis Franciæ rege, fines suæ Lotharingiæ tutante ejectus, lætam filio fratris & cunctis bonæ causæ faventibus victoriam concessit. Sed nec Augustâ dignitate diu gavisus est, ut diximus. Verùm & fratris ejus filii, declinante undique Caroli M. progenie, ac filius Ludovicus Balbus paulò post eum secuti sunt. Balbus scilicet (quem augustâ dignitate non fuisse ornatum (b) Petavius contra reliquos scriptores (c) contendit) Anno 879. Carolomanus 880. Ludovicus 882. Carolus Crassus (qui à Carolo M. septimus & ultimus hujus sanguinis imperium administravit, licet quidam Arnulphum Carolomanni notha-

(a) Vid. Sabell. Enn. 9. l. 1. p. 326 & 327. (b) Ration. Temp. p. 1. l. 7. c. 10. (c) Vid. Avent. Annal. 4. p. 344.

thum & Ludovicum ejus filium hîc numerent, dehinc poſt varias jactationes ad Germanos tranſlatum) ex Imperatore & Rege mendicus 888. anno. Horum trium foror fuit Luitgarda, Virginum in Chimino lacu Noricorum maxima, auctore Aventino *. Filios memorant reliqui Scriptores. Miror itaque cur Serres in vita Ludovici Pii Ludovicum ejus filium, quaſi in pœnam impiæ rebellionis contra patrem Ludovicum Pium excitatæ, ſine prole maſcula deceſſiſſe dicat. Sed cum eum unicam filiam Hermingardin (quam Carolus Calvus Boſoni Comiti Ardennarum uxorem dederit) reliquiſſe memoret, originem illius erroris in homonymia Ludovici animadverto. Nempe ille Ludovicum Imperatori Pii nepotem pro Ludovico Rege Germaniæ Pii filio ſumſerit. Non deſunt quidem qui Hermingardin iſtius Ludovici viduam non filiam dicant. Calviſius † ex Aimoino ad Annum 876. ſed is ipſe ex eodem Aimoino paulò antè ad annum ſcilicet 871. Ludovici Imperatoris uxorem Engilbergam nominat. Atque ſic etiam à Sigonio, ‡ ab Aventino * verò Angelpyrga & Angeldruda vocatur. Equidem Aimoinus l. 5. c. 32. Hyrmengarden Ludovici Imperatoris filiam vocat. Ita & Regino, auctore Sigonio ad annum 876. Turbas illas inter moribundum Ludovicum Pii filium & Carolum Calvum, non illa ſtella crinita, ſed ab omnibus ſcriptoribus, Gallis pariter & Germanis notata, immodica ambitio portendit. Cometam hunc præceſſerunt illæ ob præreptam Imperatori Ludovico à patruis Lotharingiam diſſenſiones & turbæ. Præceſſit & Carolomanni contra Carolum Calvum patrem rebellio, & irrogata carceris & exoculationis pœna. Hùc referendæ cædes Anglorum à Danis (qui ſepties & novies per annum cum Anglis prælio decertabant) vel etiam aliquando his ab illis illatæ, & Reges Anglorum à Danis vel cæſi, vel pulſi. Huc pertinet & bellum infelix Ludovici Imperatoris Anno 871 & 872. adverſùs Adelgiſum Ducem Beneventanum rebellem. Is enim Leoninæ pelli vulpinam aſſuere doctus, Imperatorem in poteſtatem ſuam redegerat, & ad iniquas pacis conditiones adegerat. Taceo Scotos à Danis Conſtantino rege occiſo victos, Italiam Saracenorum invaſione vaſtatam, quæ ad annum 874. ab Auctoribus ponuntur. Hæc, ut & multa alia, cum ante Cometam evenerint, læta quoque ei ſucceſſiſſe demonſtrandum eſt. Anno 875. Dani Northumbriam occuparunt, & inter ſe diviſerunt. Ejuſdem anni finis & dies celebrandæ natalis Chriſti anniverſariæ memoriæ ſacer, Auguſtâ dignitate Carolo Calvo, ut diximus, collatâ, inſignitus fuit. Tunc Carolus Boſonem illum geminâ affinitate ſibi junctum (nam & ſororem ejus Richildim † in uxorem acceperat, & conſanguineam ſuam filio fratris ſui genitam in uxorem ei dederat: unde videre eſt Boſonem Judithæ Auguſtæ fratrem, ut Funccius ex Vincentio putat, avunculum Caroli, ut & materteram Richildim uxorem ejus eſſe non potuiſſe) Italiæ ducis, & paulò poſt Galliæ Narbonenſi ſive Provinciæ regis nomine præfecerat. Inter hæc à filio fratris Ludovico victus, ambitionis pœnas dederat: Rolloni verò Danorum Duci Normaniam 876. conceſſerat, qui baptiſmo ſuſcepto Roberti nomen ſuſcepit, & Regibus Angliæ originem dedit, ſicut Calviſius ex Rogerio deducit. Poſtero anno Dani Anglos prælio, & mox Angli Danos ex inſidiis vicerunt. Ludovicus Balbus Carolo Calvo patri in regno Galliæ ſucceſſit. Poſt annum filii Ludovici illius Regis Germaniæ Lotharingiam inter ſe diviſerunt. Horum natu maximus Carolomannus res in Italia proſperè geſſit. Cum Ludovico verò fratre ejus Ludovicus Balbus pacem 878. iniit.

* Ado ad ann. 879. Aimoin. l. 5. c. 32. & alibi paſſim. Avent. Annal. 4. p. 336. & alibi. Sigon. l. 5. de regno Italiæ ad ann. 876. † Vid. Calv. & ad ann. 900. Petav. rat. temp. p. 1. l. 8. c. 10 & 13. Sigon. ad ann. 877. ‡ Sigon. l. 5. de regno Ital. ad ann. 875. * Avent Annal. 4. p. 334 & 336. † Vid. Regino. Sigon. ad ann. 877.

CLXXVIII. *Anno Chriſti* 882. 15. *Cal. Februarii ſidus crinitum viſum eſt. Tertio deinceps die Ludovicus rex noſter naturæ concedit.* Aventin. Annal. 4.

Anno Chriſti 882. 15. *Kal. Februarii Cometa apparuit, quem terræ motus, tertio Kal. Januarias præceſſit. Hos dira ſtrages inter Normannos, adjunctis in ſubſidium ſibi Danis, contrà Francos ſecuta eſt, ut innumerabilis multitudo Francorum in dicta clade occubuerit.* Rockenbachius.

Anno-

ANnotat hunc Cometam ad eundem annum Calviſius, Eckſtormius, Alſtedius, Ricciolus, & Berckringerus. Anteceſſerunt eum multa triſtia. Nam Ludovicus Balbus anno 879. ut diximus, è vita exiit. Hugo Lothario illo, Ludovici Pii nepote, Rege, Lotharingiæ ex Waldrada concubina genitus, tumultuatus eſt in Galllia. Ita non leve faceſſivit negocium Ludovico regi Galliæ adoleſcenti (quem etiam Ludovicus Balbus, ut & Carolomannum ex concubina ſuſceperat, & qui pariter Caroli Simplicis legitimi Balbi ſucceſſoris regno infelices, ut & Ludovicus Carolomani, ut putatur, filius, fuerunt) tum Carolo Craſſo Imp. & Regi Galliæ, à quo tandem captus & oculis privatus eſt. Sed & alterius Carolomanni Bavariæ Regis filius nothus Arnulphus ſatis paulo poſt turbarum imperio, vivente Lamberto Imp. dedit, & plus dediſſet, niſi intrà triennium morbo pediculari periiſſet. Taceo hîc Theodorici Regis Galliæ nothorum in Gallia cum Lothario II. & Tancredi in Sicilia cum Friderico Imperatore de regno certamina. Taceo Manfredi, Corrado exſtincto, apud Siculos tyrannidem. Hæc exempla, ut & illa Criſpi contrà Conſtantinum, M. Pipini gibboſi contra Carolum M. Bernardi contrà filium ejus Ludovicum Pium, aliorumque eodem modo procreatorum contrà parentes reges & regna eorum molientium, quàm incommodi Principibus eorumque veris liberis & ſucceſſoribus ſint liberi ex concubinis ſuſcepti, docent. Eodem illo anno Saxones maximâ clade, 12. Comitibus & totidem Epiſcopis amiſſis, à Normannis ſunt affecti. Hæc poſtero anno Bohemos & Sorabos contra Thuringos armavit. Intrà hoc biennium res contrà Saracenos à Chriſtianis variâ fortunâ geſta eſt. Normnni anno 880. Galliam, 881. Germaniam infeſtarunt & vaſtarunt. Inter hæc Carolomanus rex Bajoariæ & Italiæ mortuus, Boſo Galliâ pulſus eſt. Ut alia ejuſdem generis præteream, nunc quæ non triſtia tantùm ſed & læta Cometam ſunt ſecuta, dicam: anno 882. Carolus Craſſus auguſtâ dignitate ornatus, in Italia & Francia rem feliciter geſſit. Eadem Normanorum fortuna fuit, illis quidem læta, ſed aliis triſtis. Nec enim aliter rerum fert conditio. *Gotfrido regi Normannorum Chriſtiano facto Friſia data, ac Lotharii filia Giſla in matrimonium collocata, reliqui Normani ingenti ponderi auri accepto finibus exceſſerunt*, auctore Sigonio ad anno Chriſti 882. & Calviſio qui Friſiam ei in dotem datam fuiſſe ſcribit. (vid. Æmyl. l. 4.) Is per hæc tempora Eccleſiam Romanam diſſidiis & turbis variiſque vitiis, tam Regum quàm Pontificum ipſorum, agitatam fuiſſe quæritur. Sed & alii ſcriptores eô antiquiores, Marianus Scotus, Sigebertus aliique, & poſt hos Wernerus, Platina, Aventinus, Sabellicus conditionem illorum temporum deplorant. Nec diffitetur Baronius. Imò Genebrardus l. 4. Chronogr. expreſſè ait: *Per annos ferè 150. Pontifices circiter 50. à Joanne ſcilicet 8. qui Nicolao I. & Hadriano 2. ſucceſſit, ad Leonem 9. uſque à virtute majorum prorſus defecerunt, apotactici, apoſtaticive potius quàm Apoſtolici.* Anno 883. Carolum Imperatorem res feliciter in Gallia conſtituiſſe, in Italia adminiſtraſſe, Sigonius auctor eſt; qui hoc anno Ludovicum Balbi filium, poſtero Marinum Pontificem Romanum obiiſſe tradit. Tunc Carolomanus regnum Gallliæ pro rege Carolo ſimplici puero adminiſtrans pacem 12. annorum à Normannis redemit, paulò poſt debitum naturæ ſolutus. A cujus exceſſu Carolus ille Craſſus, Caroli M. progenie Imperatorum ultimus, * Gallis ſe ei tempore duro ſubjicientibus, Normanos denuò in Lotharingiam irrumpentes domavit, & ad deditionem coëgit. Saraceni inter hæc more ſuo prædæ & incurſionibus intenti, monaſterio Caſſinate expilato & exuſto, rem triſtem patrârunt. Anno 885. Hugo ille nothus, Lotharii & turbis Gallicis notus, meritam pœnam, regno, quod appetebat, & oculorum ſimul uſu amiſſo, tulit. Hadrianus Pontifex Romanus Anno 885. poſtero Baſilius Imperator Orientis mortuus eſt. Normanis, qui adhuc domari non poterant, Carolus Imperator idemque Galliæ rex Anno 887. datâ Neuſtriâ trans Sequanam ſitâ, quæ imperium ſuum detrectabat, pacem fecit. Hinc multi Normaniæ appellationem deducunt. Funccius ad annum 888. Calviſius ad 887. Petavius tamen loco citato Provinciæ conceſſionem & nomen ex pari occaſione nuptiarum Rollonis Normanorum Ducis baptizati, cum Giſla Caroli ſimplicis filia deſcribit, ac Anno 912. demum factum eſſe putat.

* Vid. Petav. Rat. temp. p. 1. l. 8. c. 11.

CLXXIX. *Sub Carolo Simplici rege Galliæ cæsis ad Carnotum 13. Kal. Augusti Normanis, mediante mense Martio apparuit stella à parte Circii, emittens radium magnum ferè diebus 14. Sequenti autem anno fuit fames magna per totam Galliam.* Aimoini supplem. l. 5. c. 41. 6800.

DIfficile satis est huic Cometæ certam assignare in Chronologia sedem. Aimoini continuator ante eum ponit Odonis proregis Galliæ mortem, terræ motum circa Cœnobium S. Columbæ Virginis, Carnotensis urbis per Normannos obsidionem, eorumque cladem, quam diximus. Hanc à quibusdam in annum 6. Arnulphi Imperatoris (à Christo Nato 893.) ab aliis in 7. ab Odonis morte, Christi 905. ab aliis denique in 911. referri Petavius l. c. docet. Prima sententia satis convenit cum rationibus annorum Arnulphi à Calvisio, Helvico & Alstedio putatis. Secundum Funccium in annum 896. ponenda illa clades esset. Et certè Cometa iste de quo hic agimus, in illa tempora, vel etiam paulò posteriora ponendus videtur. Nam & terræ motus à Sigonio ad annum 896. & fames magna à Funccio & Calvisio ad 898. tùm & mors Odonis illius, annotatur. His assentit de morte Odonis Petavius in ann. 898. vel saltem Chronica, quæ allegat. Serres in 899. Nongentesimum ponit Helvicus & Alstedius. Satis igitur tutò sedes istius Cometæ in Anno 898. vel 899. ponitur. Multa sanè memorabilia eaque tristia eum antecesserunt. Nam Anno 887. Carolus Crassus ex Imperatoria & regia Germaniæ, Franciæ ac Italiæ majestate ad vitam privatam & extremam egestatem detrusus, & paulò post ex maxima ægritudine animi, ineunte anno 888. obscuro positus loco obiit; ô quantum virtutibus, meritis & conditione dispar Carolo M. gentis & dignitatis Augustæ Regiæque Conditori! Cum autem in eo legitima, ut diximus, Caroli proles defecisset, Italici sanguinis principes libertatem genti suæ avitam recuperare cupientes, fœdâ ambitione & discordiâ Italiam confuderunt. Berengarius quidem mox in Regem Italiæ electus est, sed ei mox Vido sive Guido, favore Pontificis & populi Romani adjutus, regnum præripuit. Et erat quidem uterque Imperator à Pontifice Romano salutatus, sed uterque variâ fortunâ usus vicissitudinis rerum insigne præbuit exemplum. Inter hæc anno 891. Arnulphus Imperator 100. propè Normannorum millia internecione delevit. Anno 893. factum id esse Petavius dicit. Sigonius ad annum 891. Stephanus Pontifex Romanus mortuus est, in cujus locum duo Pontifices, Sergius & Formosus à diversis factionibus electi, tristi dissidio Romam commiserunt. Italia quoque per id tempus bellico motu concussa est, Arnulpho Imperatori copias ad recuperandum Berengario regnum illùc mittente. Sed & Sarracenicâ ex Hispaniis invasione tunc lacerata Italia est. Tùm verò & armis Arnulphi iterum gratiâ Berengarii Anno 893. concussa. Quæ tamen mox ille in Rudolphum Burgundiæ regem transtulit. Guido verò ille & regni & sanguinis alieni appetens, Anno 894. in proprio sanguine, quem largiter evomuit, suffocatus est. Post hæc Berengarius cum filio ejus Lamberto secundo suo æmulo, quem paulò post, Anno scilicet 896. favor Aulæ Romanæ ad Imperatoriam dignitatem extulerat, rem variâ fortunâ, læta tristiaque utrinque miscente, gessit. Potior tamen Berengarii fortuna, cujus & causa, judice Sigonio, justior fuit. Nempe Arnulphus tertiùm in Italiam veniens Romam ridiculo casu capit, Sergium Pontificem sede deturbat, & in omnes ejus partibus addictos sine discrimine sævit. Verum mox ab obsidione Carnerimi dolo muliebri repellitur. Idem paulò post à Berengario, cui insidias struere cœperat, deseritur, ab Italis despicitur, à Papiensibus etiam clade afficitur. Eodem Anno 896. Formosus Pontifex Romanus, & qui ei subrogatus est Bonifacius IV. intra decem quinque dies moritur.

Huic suffectus Stephanus, in cadaver Formosi immaniter, terræ verò motus in Basilicam Lateranam horribiliter sævit. Anno sequenti Stephanus, & qui ei successerat Romanus, intrà 5. menses, & mox Theodorus 2. intrà 20. dies è vita exiit. Paulò post Lambertus contrà æmulum suum Adelbertum Lucæ Marchionem, hominem ut opibus ita & uxoris ambitione improvidâ turgidum & incautum (quæ juncta ei ruinam omni

omni Cometâ certius portenderunt) rem proſperè geſſit. Ipſe tamen mox ab Hugone Mangifredi Comitis Mediolanenſis ab ſe occiſi filio, paternæ cædis vindictam muneribus & favore Regis præferente, venationi & ſomno indulgens oppreſſus eſt. Atque hæc ſunt quæ Cometam hunc anteceſſerunt. Quæ eundem ſecuta ſunt paucis dabimus. Anno 898. Berengarius regnum recuperat, idque ſublato æmulo ſolus tenet. Lætitiam & felicitatem ejus generi & ſociorum, Ludovicum Boſonis filium provinciæ Regem ad regnum Italiæ capeſſendum vocantium, perfidia turbavit; ſed ad id, ut clarior utraque redderetur. Berengarius enim Ludovicum aggreſſorem anno 899. in arctum coëgit, & ad pacem petendam ac juratâ fide cavendum impulit. Hoc anno tantâ rerum omnium copiâ beata eſt Bohemia, ut qui ibi fidem Chriſti recens receperant, ſingularem divinam bonitatem celebrarent, teſte Georg. Barth. Pontano Bohemiæ Piæ l. 1. p. 2. Inter hæc & Joannes Pontifex Romanus & Arnulphus Imperator mortui ſunt. Et iſte quidem paralyſi & phthiriaſi ac veneno perit. Vid. Avent. Annal. 4. p. 367. Egnat. in Arnulpho. Anno autem 900. Berengarii inimici Ludovicum illum Provinciæ Regem in Italiam revocant. Is fidei datæ immemor in Italiam venit, & tyrannidem apud Papiam invaſit. Mox 901. favore Benedicti Pontificis Romani diademate Auguſto redimitus eſt. Ita tunc Roma, quæ duos Pontifices nuper creaverat, alterum quoque Imperatorem Ludovicum, iſtum Ludovico Arnulphi filio oppoſitum creavit. In id temporis Hungarorum in Italiam irruptio refertur. Anno 902. Ludovicus ille à Berengario captus non tantùm regno ſed & luminum uſu privatur. Blondus apud Sabellicum, *Bonfinius Dec. 1. l. 10. p. 185.* hoc à Berengario 2. factum eſſe ſcribit. Sed & Aventinus *id poſt Ann. 911. accidiſſe memorat. Quem acerbum caſum non Cometes † nec ullum ſignum cæleſte, ſed ambitio & perfidia à tot Auctoribus notata & exprobrata portendit. Ita Berengarius quartùm æmulorum artes ſuperans regnum tertio recuperat. Antequam ulterius progrediamur, diſſimulare non poſſumus, ex mente Auctoris illius, qui Aimoini hiſtoriam continuavit, videri Cometam iſtum in ann. 910. eſſe ponendum. Nam poſt quinque annos viſas eſſe dicit igneas acies, & ortum inter regem Carolum & Proceres Galliæ diſſidium, tum poſt tres annos Richardum Ducem Burgundiæ mortuum. Ab hujus demum morte anno ſecundo ortam Roberti fratris (non, ut Funccius ait, filii) Odonis illius ſupra memorati rebellionem. Hæc intervalla temporum collecta decennium conflant. Rebellio autem illa anno 920. cœpit, ſicut Petavius l. c. c. 16. ex Flodoardi Chronicis deducit. Accedit quod & Sabellicus ‡ illas igneas faces inſueto aſpectu, & ob id prodigioſo, toto cælo diſcurrere viſas eſſe memoret; ſed annum non determinat. Innuit quidem extremis Sergii 3. temporibus factum; ſed & hic non conveniunt Auctores, ut infra videbimus. Ita Cometa hic poſt 900. annum videtur ponendus. Cæterùm hac ratione illa quæ Cometam, illo ipſo Aimoini continuatore teſte, anteceſſerunt, mortem ſcilicet Odonis & terræ motum, tum famem quæ eam è veſtigio ſecuta eſt, cum eo conciliare nequeo. Imò ut demonſtrem computationem illam quæ Cometam hunc in 910. poni poſtulat, firmo ſtare pede non poſſe, hæc pauca adjicio. Ex rationibus certis conſtat Carolum Simplicem Regem à Francis electum & inunctum contrà Odonem anno ſecundum Serrem 892. vel potius ſecundùm Calviſium & Petavium 893. fuiſſe: Odone verò 899. ut Serres, vel 898, ut iſti (quod verum eſſe Indictionum ſeries monſtrat) putant, mortuo, Carolum regnum recepiſſe, ſive redintegraſſe, ut ille Aimoini Continuator & alii Gallici Scriptores loqui ſolent. Jam apud Aimoinum l. 6. c. 34 & 41. Abbates S. Germani ante Robertum nominantur Goſſinus, Ebolus & Hucboldus. Ebolus verò poſt Richardum Ducem Burgundiæ mortuus, ſucceſſorem habuit Hucboldum, poſt cujus demum obitum Robertus Abbatiam obtinuit & demùm privilegium quod ibidem exſcriptum exſtat *11. Idus Mart. Ind.* VI. *anno* XXVI. *regnante Carolo* (ab Anno ſcilicet Chriſti 893. quo contra Odonem à Francis electus fuit) *redintegrante* (à morte ſcilicet Odonis 898. defuncti) XXI. qui ſine dubio erit Chriſti 918. Vid. Petav. l. c. p. mihi 418. Atqui idem Petavius, ut & Serres, Anno Chriſti 920. ſeditionem Roberti contrà Carolum auſpicantur.

* Annal. 4. p. 375. vid. & Funcc. ad 916. & Sabell. Enn. 9. l. 1. p. 332. † Egnat. in Ottone 1. ‡ Enn. 9. l. 1. p. 331.

cantur. Quomodo igitur mors Ricardi Burgundi, quæ ſecundum illam computationem cum textu Aimoini collatam in 919. ponenda eſt) tùm regimen Eboli & Hucboldi, demùm ſucceſſio Roberti & privilegium illud anno 918. datum, denique rebellio 920. cœpta, conjungi poſſunt? ut verò res melius pateat, brevem tabellam Chronologicam exhibemus:

Chr. Nati	Anno	Caroli electi & cum
893	-	Odone regnantis.
894	-	1. complecto.
895	-	2.
896	-	3.
897	-	4. Caroli ſolius Odoni regnantis †.
898	-	5. 1.
899	-	6. 2. Cometa
900	-	7. 3. fames Gallica.
901	-	8. 4.
902	-	9. 5.
903	-	10. 6.
904	-	11. 7.
905	-	12. 8.
906	-	13. 9. Kal. Febr. igneæ acies viſæ.
907	-	14. 10.
908	-	15. 11.
909	-	16. 12. Richard. D. Burg. †.
910	-	17. 13. Ebolus- } Abbates S. Germani.
911	-	18. 14. Hucboldus }
912	-	19. 15.
913	-	20. 16. Robertus occupat abbatiam S. Germ.
914	-	21. 17.
915	-	22. 18.
916	-	23. 19.
917	-	24. 20. Petav. 25.
918	-	25. 21. Robert. impetrat privilegium à Carolo.
919	-	26. 22.
920	-	27. 23. rebellat ei.
921	-	28. 24.
922	-	29. 25. Petavio ultimus.
923	-	30. 26. Rob. vincitur, occiditur m. Jun. vel Jul. At Carolus mox capitur.

Signa † in hac tab. ſignificant mortem.

Hic tamen nota Petavium annos 24 Carolo, ſoli ſcilicet regnanti, ab 898 ad 923. eoſque completos tribuere, ſed Aimoinum 27. quod verum eſt, ſi cum Serre Carolini regni annis unum addamus, electionem ejus ab 892 arceſſentes, & annum 923. quo poſt illud nobile prælium, quo cecidit Robertus, Carolus captus, poſtea regno privatus eſt Rudolpho ſuffecto. Quanquam ſi vel Cometa iſte in A. 910. referri deberet, non dubium eſt quin eum non ſola triſtia, ſed & læta ſecuta fuerint, quod paulò inferius videbimus.

CLXXX. *Anno Chriſti* 900. *mortuo Arnulpho Imperatore, viſus eſt Cometa, quem ſecuta eſt incurſatio Hungarorum Saracenorumque in Italiam.* Alſtedius.

NUllus Auctorum, quos vidi, Cometam hunc memorat. Hic annon idem ſit cum priore, aliquis non temerè ſuſpicari poſſet. Confundere tamen utrumque ſine neceſſitate noluimus. Quæ triſtia proximum Cometam ſecuta ſunt (ut mors Alfredi Regis Angliæ, putante Funccio, Joannis Pontificis Romani & Arnulphi Imper. aliaque) hunc præceſſerunt. Invaſiones barbarorum, cædes, rapinæ & his ſimilia ſine Cometis aſſiduò fiunt. Hungarorum in Italiam irruptionem primam Sigonius in 901. Calviſius in 902. refert: Blondus, & ex eo Sabellicus*, ſed & Bonfinius† id ſub Sergii 3. Pontificatu & Ludovici 3. Imperio factum ait. Poſterius rationibus Chronologorum convenit. Prius illud ita intelligendum eſt, Sergium primo 891. unà cum Formoſo ſimul electum, anno 896. ab Arnulpho dejectum, anno 898. iterum ſedem invaſiſſe, & mox eâ depulſum, ac iterum anno 904. ut Sigonius putat (Pantaleone in 906. Funccio in 907. Calviſio in 908. id ponentibus) ſedem occupaſſe. Annus 900. inter alia inſignis fuit, ut morte Theodorici patris, Hollandiæ Comitis, ita & filii cognominis auſpiciis, qui dehinc annis 88. rerum habenas, 125. annis vitam tenuit: tùm inſignibus regni Italici, quibus Ludovicus ille Boſonis filius magnâ principum & populorum gratulatione, ut Sigonius refert, eſt exornatus. Annus 901. lætitiam attulit eidem inſignem Ludovico, cui Pontifex Benedictus diadema auguſtum tunc impoſuit, ut paulò antè diximus. Cæteroquin nil memorabile apud Scriptores occurrit initio iſtius ſeculi decimi, quod Wernerus peſſimum, veritatis & ſanctitatis exſors, Baronius ferreum, obſcurum & plumbeum appellat, & Platina, Sabellicus aliique indignanti ſtilo confodiunt, Sarracenorum Italiæ extrema lacerantium furorem, quem Alſtedius Cometæ ſubjicit, Sigonius in 905. Funccius & Calviſius in 910. ponit.

* Enn. 9. l. 1. p. 330. 331. † Dec. 1. l. 10. p. 183.

CLXXXI. *Anno Chriſti* 902. *poſt conſpectum Cometam Hungari in Carniam irruptione factâ in vigiliis Paſchatis fuſi ſunt.* Eckſtormius ex Schoſſero.

Anno Chriſti 902. *Leonis* (Imp. Orient.) *uxor quàrta parit ipſi filium, cum Cometa appareret, caudâ verſus Orientem projectâ, qui* 40. *diebus fulſit.* Calviſius ex Cedreno.

COmeta iſte à proximo diſtingui meretur, & à Berckringero diſtinguitur. Annus 902. ingens gaudium attulit Berengario, qui æmulum Ludovicum cepit, & regnum recepit, ſicut ſuperius diximus, ubi tàm acerbi fati portentum in terra potius quàm in cælo monſtravimus. Eodem anno Saraceni Græciam & Inſulas maris Mediterranei vaſtantes, ab Himerio duce egregiè vincuntur. Tunc & Epiſcopus Würtzburgenſis (quem Rudolphum Aventinus * vocat) de Alberto Marchione Bambergenſi, qui ſe (orto leviculam ſanè atque pudendam, judice Aventino, ob cauſam, nempe de claritate generis opumque magnitudine diſſidio) bello laceſſiverat, & iſte Albertus viciſſim de Rudolpho anno 903. tùm & de Conrado fratre vel conſanguineo Ludovici Imperatoris Rudolphum defenſuro anno 905. victoriam obtinet. Sed mox ab Imperatore, coram quo comparere noluit, ſecuri percutitur. Hîc quoque videmus ambitionem & arrogantiam potius quàm Cometam, pœnam meritam Alberto portendiſſe. Principis illius Orientis Leonis filii natalibus Cometam præfulſiſſe Calviſius fatetur. Et certè plurima ejuſmodi exempla in orbe numerari poſſent, ſi ab omnibus annotarentur. Annus 903. Berengario, quem tunc Pontifex Romanus Imperatorem renunciârat, 904^tus autem, Lamberto, cui idem honoris idem contulit (licet jam antea Ludovicus III. ille Boſonis filius Imperator à Pontifice creatus fuerit) lætus ex-

* Annal. 4. p. 371.

titit;

titit, ſicut Calviſius ex Reginone memorat, & à Joanne Pontifice factum id eſſe dicit, cujus mortem Sigonius & Onuphrius in 899. refert. Eodem anno, quo Cometa apparuit, Hungari Italiam denuò invaſerunt, ſed fugati ſunt. Mox pacem iterum iterumque petentes, cum nec ſalutem nec fugam ex hoſte victoriâ elato obtinere poſſent, eundem, verſâ in virtutem deſperatione † & irâ, profligarunt, ac Italiam miſerè ad uſque intima Venetiarum depopulati ſunt. Per annum 904. fœda ambitionis certamina, quæ deſcribit Sabellicus & Sigonius, ipſeque Baronius, inter Pontifices Leonem, Chriſtophorum & Sergium Romæ exercita ſunt. Sequens annus magnâ Alfonſi Magni victoriâ de Sarracenis obtentâ inclaruit, ſicut Calviſius refert. Tarapha ‡ victoriæ meminit, ſed mortem Regis in Ann. 886. conjicit: regnum autem Alphonſi 4. qui Magni ex Troilla nepos fuit, in 999. ponit. At verò huic Regi victoria illa, nec ulla alia tribuitur. In hæc tempora incidit victoria Eduardi, quam adjutoribus Danis de Adelbaldo Anglorum Rege reportavit.

† Bonfin. Dec. 1. l. 10. p. 183. ‡ in Vita Alfonſi.

CLXXXII. *Anno Chriſti* 905. *Menſe Majo Cometa viſus eſt. Hunc Ungarorum in Germaniam incurſiones crebræ ſunt ſecutæ. Multi etiam dicto Cometâ apparente, in ea fuerunt opinione, ut dicerent eum privationem oculorum, Ludovici Regis Longobardorum, filii Boſonis deſignare, quæ paulò poſt ſecuta eſt. Beringarius enim Imperator Italiæ Veronæ oculis eum privavit.* Rockenbachius.

EAdem annotat Alſtedius, & ante eum Eckſtormius, qui tamen Cometam in Ann. 904. ponit. Ludovici caſum ejuſque cauſam & portentum vidimus. Juvat hîc ponere de iſto Cometa judicium Simonis Grynæi Viri doctiſſimi, ad Cometam 1577. & apud Johannem Andream Boſium de ſignificatu Cometarum p. 152. & 153. Ubi ad objectiones de triſtibus effectis Cometarum, quales præ manibus habemus ſumtas, ex rebus quæ Cometam 905 & 912. ſecutæ ſunt, ita reſpondet. *Si quis Cometas, quemadmodum monſtra & oſtenta alia, putet imminentes pœnas omnibus nobis generaliter, non uni tantùm, minitari, cum hoc me non pugnare. Qui verò in genere non manent, ſed ad particularia & ſingularia deſcendunt, & huic magis, quàm illi, neſcio quid intentare cenſent (ut cum ajunt;* Cometam ſuprà dictum Rodolpho regi mortem; bellum Hungaricum per Germaniam & Italiam; inundationem aquarum per Saxoniam: *& cum alterum affirmant* bellum certum & excæcationem Regis Ludovici, *quæ fortè poſt eum ſecuta ſit,* portendiſſe*) cum his ſanè facere non poſſum. Nam hæc mala aut ſecuta ſunt Cometas, ut ſuum ſignum, aut ut cauſam: neutrum verò fieri poſſe manifeſtum eſt. Nam ſi alterutro modo ſecuta aſſeras, unam cauſam, aut unum ſignum, res plurimas, eaſque totâ naturâ & toto genere diverſiſſimas, vel produxiſſe vel ſignificaſſe dabis: quod cum tota rerum natura, omnique philoſophia maximè pugnat. Quomodo enim Cometam, qui flamma eſt in aëre accenſa; inundationes aquarum conſequentur? quomodo bellum in provinciis tanto locorum intervallo diſſitis, ab eadem illa gente, cui fulſit, geretur? quâ ratione duorum regum, alterius interitus, alterius excæcatio hinc nata putabitur? Deinde, ſi Cometæ ſigna ſunt particularium eventuum, cur ea ipſa, ut excæcatio regum, mors Principum, bella in Germania & Italia ab Hungaris mota aut movenda, denique inundationes per Saxoniam, non ſic eveniunt, dum Cometæ ardent? Ab Anno 912. infiniti fermè Cometæ fulſerunt, ſed cui regi oculi eruti ſint ab eo tempore, memoriâ nihil eſt mandatum, licet Cometam, qui Anno 905. apparuerat, Ludovico eam calamitatem portendiſſe clamitent. Cometas intra annos hos 77. proximos plurimos habuimus; ſed bellum ab Hungaris in Germaniam, multo minus in Italiam, motum non invenio. Quod ſi quis reges quoſdam interim ſuum diem obiiſſe, cum prius apparuiſſet Cometa, ut Carolum V. & alios quoſdam, objiciat, ei Ferdinandum (qui mortuus eſt nullo præcunte Cometâ) Imperatorem Maximilianum, qui præterito anno è vita deceſſit, & principes plures alios ſummos etiam in Imperio, qui intrà annos viginti ex hac vita evocati ſunt, quibus annis omnibus, nullum Cometam fulſiſſe conſtat, conjicio. Proinde ſi Cometæ ſigna ſunt obitûs principum, erunt vel neceſſaria, vel non neceſſaria: ſi neceſſaria, ſemper

præcedent mortem principum. At multi obierunt diem suum Principes inclyti, ut modò dictum est, nullis apparentibus Cometis. Quod si non necessaria sunt signa, patet imperitia superstitiosorum hominum, animos Principum ostentis percellere magis studentium, quàm rei naturam ordinemque naturæ sequentium.

CLXXXIII. *Anno Christi* 906. *Cometam præter morem rubicundum consecutæ sunt magnæ pluviæ.* Ricciolus.

Anno Christi 906. *arsit Cometa, quem multiplex grando est secuta.* Alstedius.

Anno Domini 906. *Cometa apparuit ferè per dimidium annum, præsagientibus nonnullis inde multam sanguinis effusionem, magnam hominum cædem & stragem, quæ paulò post in prælio inter Danos & Anglos commisso subsequuta est, in quo utriusque gentis, ingens nobilium numerus corruit.* Antiqu. Britann. p. 75.

COmetam hunc cum proximo non esse confundendum Alstedius docet. Cuncta quæ hujus Cometæ apparitionem secuta sunt, sine Cometis quoque accidere notius & certius est quàm ut probatione indigeat. Prælii illius inter Danos & Anglos commissi certius Cometâ portentum Auctor ille ipse indicat, dum addit: *Hîc breviter perpendat justum Dei judicium, in puniendis Anglorum flagitiis, nunc Monasteriorum conflagratione, nunc urbium depopulatione, nunc terræ hiatu, nunc aliis supplicii generibus, eò quòd omnem religionem penitùs contempserant, metum Dei exuerant, ad scelera & libidines nimiùm proclives essent. Nam præterquam quòd in populo omne vitiorum genus latè serpebat, etiam bonarum artium oblivio ita undique pervaserat, ut ne in Pontificibus quidem cæterisque Principibus quicquam eluceseeret, quod ad vitam benè instituendam promoveret: recta exoleverant instituta, templorum vastatio neminem affecit, pietatis exempla sordebant, liberalium artium amor conciderat, stupor & amentia quædam, oblivioque morum hominum animos penitùs pervaserat, Papalis dignitas (impiorum Pontificum culpâ) eò dementiæ processerat, ut jam ludibrio esset sordidissimo cuique: nec mirum, cùm tàm dira pietatis oblivio eorum mentes irrepserit, tàm fœda scelerum libido impunè omnia loca occupârit, capite ipso ægro, & turpissimæ infamiæ notâ conspurcato, ut neque personæ quam sustinebant, nec loci quem occupabant, rationem ullam haberent. Si ergò lumen ô Ecclesia quod in te est, tenebræ fuerint, ipsæ tenebræ quantæ! Verè igitur affirmare licet, si quid in illis moderati aut decori fuit, id non tàm tua sponte, quàm Regum, Imperatorum, & in quorum tutelâ essent, metu & reverentiâ præstitisse.* Antiq. Brit. l. c. Hanc querelam de moribus Pontificum & de conditione illorum temporum justam esse, Platina, Sabellicus, Baronius aliique Scriptores, quos antea nominavimus, docent.

CLXXXIV & CLXXXV. *Anno Christi* 910. *Cometa rutilantior solito conspectus est, unà cum facibus igneis & stellis micantibus, præterque morem solitum in cælo discurrentibus. Hæc signa inundatio aquarum in Saxonia inusitata secuta est. Ungari cum exercitu Italiam ingressi, manus conseruerunt, atque hinc inde magna strages secuta est.* Rockenbachius.

Anno Christi 912. *apparuit Cometa præter morem rutilantior, quam maxima apud Saxones aquarum inundatio sequuta est. Et circa idem etiam tempus à Francis regnum ad Saxones translatum est, quod sine magnis motibus, multoque sanguine fieri non potuit.* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 10. c. 13.

Anno Christi 912. *Cometæ aliquot sunt visi. Non ita multò post Hungari Italiam ingressi, multas vicissim intulerunt acceperuntque clades, & secuta est magna inundatio aquarum, præcipuè in Saxonia.* Alstedius.

Anno Christi 913. *apparuit Cometa in signo Scorpii, ut annotavit D. Herlicius. Sequenti anno Principes Germaniæ magnâ rebellione Imperatori Conrado resistunt.* Eckstormius ex Büntingi Chronol.

DIscrimen annorum vel illud epochæ veræ & vulgaris tollit discrimen: vel certè aliquot Cometæ illâ tempestate, notante Alstedio, visi. Anno 912. stellas micantes discurrentes visas esse Keckerman. ex Lavateri Catal. Comet. is autem ex Hermano Contracto refert. Cometam hunc vel Cometas antecesserunt non pauca trifitia. Nam Anno 908. Leo Imperator, postero frater & successor ejus Alexander mortuus est. In eundem annum Calvisius ponit Christophorum Papam depositum à Sergio, ejusque perversum Pontificatum, cum Sigonius in 904. hæc retulerit. Idem Calvisius A. 909. Hungaros (a) totam Germaniam crudeliter vastasse Bavaros & Francos ingenti clade, cæso Burchardo Thuringiæ Landgravio, &, ut Aventinus addit, Gebhardo Francorum Duce, affeciisse, cuncta immaniter laceraisse, Thuringiam ab Imperatore Ottoni Saxoniæ, quod Burchardus sine prole decessisset, traditam esse refert. Benè satis de his Calvisio convenit cum Aventino (b), qui patheticè clades has Germaniæ describit: nec non cum Trithemio (c) Funccio, Pantaleone, Bucholzero & Bonfinio (d), si duas Hungarorum in Germaniam irruptiones sub Ludovico & Conrado Imperatore eveniisse meminerimus. Illo eodem anno 909. classi Imper. Leonis (cujus mortem in 911. ponit) à Saracenis ad Samum maximam cladem illatam fuisse Calvisius memorat. Idem in Ann. 910. mortem Lamberti Imperatoris & regis Italiæ ponit, quam Sigonius ut vidimus in 898. posuerat. Contrà mortem Ludovici Imperatoris (in quo, ut Avent. l. c. ait, familia regia in Germania & Bajoaria defecit, & stirps Carolina prorsus exaruit) in 912. Trithemium, Funccium, Pantaleonem & Bucholzerum secutus, quam Aventinus, Sigonius aliique teste Bucholzero, in 911. referunt. Hos Helvicus & Petavius sequitur, sed & Alstedius, si cum Petavio conferatur. Sigonius quoque Sergium Pontificem Romanum anno eodem 911. è vivis excessisse scribit. Calvisius ex Baronio eam in 910. refert. Funccius & Pantaleon in 913. ponunt. Eodem illo Anno 910. Saracenos ab Africa egressos Italiam invasisse, laceraisse, multaque ejus loca sibi subjeciisse ait. Adhæc Eduardum Angliæ Regem, occiso Erico Orientalium Saxonum Rege, illud regnum, & paulò post Mercios, & sic universam Angliam (nisi quòd Dani adhuc Northumbriam haberent) in potestatem suam redegisse: Alfonso denique Magno Regi Hispaniæ Garsiam filium per impiam ambitionem imperium extorsisse scribit. Sed de his nil ex Ritio aliisque adfert Tarapha, qui etiam mortem Alfonsi & auspicia regni Garciæ in annum 886. refert. Hîc nemo non videt & Principes tàm naturali quàm violentâ morte tolli, & imperia vastari & transferri, exercitus sterni, aliaque tristia evenire in orbe, etsi nullus in cælo Cometes appareat. Hæc enim omnia, saltem ex multorum sententia, Cometam præcesserunt. Nunc etiam læta videamus, quæ ejus apparitionem exceperunt. Mortuo Ludovico sine liberis imperii fasces Ottoni Duci Saxonum Clarissimo & Potentissimo (e), (qui & Thuringis & Brunsuicensibus imperavit) cujus soror Luitgardis Ludovico nupserat, deferuntur. Sed is ob ætatem senilem magno animo imperium recusavit, meruisse contentus, ita tamen ut & ille *semper se* (f) *adfuturum communi paci & Imperii dignitati, jurique ad Imperium Germanorum promiserit, & penes eum* (g) *semper summum & ubique viguerit imperium.* Ita egregio Principi Conrado Franconiæ Duci locum fecit, eumque Proceribus commendavit. Qui tamen filio ejus Henrico (qui ut tunc in Saxonia primus liberâ potestate regnavit, ita postea in Germania potentiâ formidabilis (h) imperavit, & Auceps dictus fuit) de tyrannide invadenda suspecto (i), non bonam gratiam tulit, imò invidiæ, fraudis & ingrati animi (k) labe nomen suum aliàs clarissimum adsperiit. Nam Principem strenuum & innocentem, sed propter potentiam ipsius (l) sibi suspectum, primùm insidiis, dein bello appetiit. Non minus tamen hîc cum fratre Eberhardo, quàm ibi cum Hattone Episcopo Moguntino frustrà fuit, Deo causam tutante justam eximii Principis, qui toti mundo necessarius natus, (m) & postea Regum maximus & optimus dictus

(a) Trithem. Chron. Hirsaug. ad ann. 910. (b) Annal. 4. p. 376. 377. (c) ad 910. & 914. (d) dec. 1. l. 10. p. 185.
(e) Frising. Chron. l. 6. c. 15 Vilterb. Chron. part. 17. p. 472. Avent. Annal. 4. p. 375. Bonfin. dec. 1. l. 10. p. 186.
(f) Mutius Chron. Germ. l. 12. p. 92. (g) Wittich. gest. Saxon. l. 1. p. 7. (h) Ditmar. Chron. l. 1. Funcc. Comm. ad ann. 913. (i) Wittich, & Ditmar. ibid. (k) Wittich. & Mut. ibid. (l) Sigeb. ad ann. 918.
(m) Wittich. ibid.

erat. Cum itaque (a) dolis & apertâ vi Cæſaris ſuperior ſæpiùs evaſiſſet, tantùm apud hoſtem virtute incomparabili meruit, ut is Anno 918. moriturus, eum tanquam non tantùm feliciſſimum, ſed & imperio digniſſimum (b) fratri Eberhardo & Proceribus præ fratre commendârit. Hac ratione Imperium à Francis ad Saxones tranſlatum eſt. Inter hæc res à Chriſtianis contra Hungaros & Saracenos hîc & illîc feliciter geſta, inſignem peperit lætitiam. Calviſius Anno 914. Conradum geminam & inſignem de Hungaris victoriam reportaſſe ex Aventino dicit. Is quidem victoriam deſcribit, ſed ſoli Arnulpho, qui tunc poſt Ludovicum Imperatorem regis Bajoariæ titulum, paulò poſt ab Henrico Imperatore abrogatum, geſſit, adſcribit. (c) Funccius an. 913. Hungaros tunc ab Alemanis & Bavaris cæſos ait. Bonfinius hæc præterit, ſed ab Henrico Imperatore victoriam de illis partam eſſe memorat. Hanc ei & Trithemius, & quodammodo Calviſius ad Ann. 922. tribuit. Ita & Petavius ex Sigeberto & Luitprando. Atque hæc prima eſt ejus victoria divinitùs, voti de tollenda Simonia ſive nundinis ſacrorum, ut Aventinus (d) ait, nuncupati religione parta. Hanc in annum circiter 936. paulò ante (e) Henrici mortem Aventinus ponit. Sed hæc erat ſecunda ejus victoria illa Merſburgenſis celeberrima, quam Flodoardus in Chron. Buntingus, Calviſius & Petavius in 933. Funccius, Pantaleon & Bucholzerus in 934. referunt. Helvicus indeterminatè annum poſt 930. ponit. Sed ut paululùm ad tempora priora ſtilum referamus, Anno 913. teſte Calviſio, natus eſt Mieciſlaus Principis Poloniæ Zemomiſli filius cœcus, qui viſu recepto primus Chriſtianæ religionis luce illuſtratus eſt. Mox memorabilis & Chriſtianis lætiſſima, de Saracenis, non procul ab urbe Roma ad unum deletis, obtenta victoria ann. 915. putante Sigonio, Calviſio, Funccio & Pantaleone id in 923. poſt Sabellicum (f) referente) contigit. Cum autem rem contrà hos communes Chriſtiani nominis hoſtes Berengarius geſſerit, ideò ab Joanne Pontifice Romano Imperatoris titulo & lætitiâ inſigni eſt affectus. Annus proximus inclaruit victoriâ, quam Ordonius 2. cæſis 70. Saracenorum millibus obtinuit, ut affirmat Calviſius ex Vaſæo, reclamante Tarapha, qui Ordonii exceſſum in Ann. 898. refert. Tunc & Carolus Simplex rex Galliæ in Lotharingia, & Conradus Imperator contra Arnulphum Bajoariæ Ducem rem proſperè geſſit. Sed par fortuna anno vertente Arnulphi Hungarorum auxiliorum validi fuit. Anno 917. (g) Conſtantini Imperatoris Orientalis Duces Bulgaros vincunt, & mox fugientem hoſtem incautius ſequentes vincuntur. Dehinc ſequentibus annis hîc & illîc proſperè in Oriente & Occidente geſta ac læta invenio, quæ prætereo. Annus 921. inſignitus fuit, tùm Lotharingiâ ab Henrico Imperatore recuperatâ, tùm Arnulpho Bojo viro belli clariſſimo, ſapientiæ efficacis, & verè flexanimæ plenâ oratione ad pacem perducto. *Hinc liberorum connubio ſponſalibuſque Principes illi confirmant, Juditha filia Arnulphi Hainrico filio Cæſaris deſpondetur, Gerbirga filia Cæſaris Arnulpho filio Ducis datur in matrimonium, conjunctiſque viribus Bojemiam, undique pro nativo muro ſaltibus Hercyneis clauſam, penetrant, Bojemos ad obſequium cogunt*, referente (h) Aventino. Anno 922. Henricus Imperator victoriam de Hungaris invaſoribus indomitis memorabilem & ferè mirabilem, ut diximus, obtinuit; at poſtero Carolus ille Simplex de Roberto rebelli, quâ de re pariter ſuprà diximus. Hîc hoc ſolum, quod ad rem pertinet, addimus, nullum quidem Cometam Roberti ruinam intra decem annos præceſſiſſe, tamen aliud portentum necis ejus fuiſſe. De quo audiamus Petavium (i). *Sequente anno* (923.) *Robertus cum Heriberto, cujus ſororem duxerat, & ex ea nato Hugone filio, in Sueſſionibus contra Carolum pugnans occubuit, trajectâ per os lancea, ut ea qua fefellerat parte, perfidiæ dare ſe pœnas oſtenderet.* Tunc & Ranimirus egregiam de Saracenis victoriam reportavit, teſte Calviſio, qui 12. millia hoſtium eum deleviſſe ex Mariana refert. At Tarapha 80. millia numerat. Et ille quidem paulò poſt filium Frojolam ei ſucceſſiſſe ſcribit, eum (k) Froillam Alfonſi 4. & Raymiri iſtius patrem, Raymiri verò filium & Succeſſorem Ordonium 3. appellet. Inter hæc Ru-

(a) Ditmar. Wittich. & Mut. ibid. (b) Iidem: tùm Sigeb. & Friſing. Avent. & Bonfin. loc. cit. Sabell. Enn. 9. l. 1. Petav. Rat. Temp. p. 1. l. 8. c. 14. (c) Annal. 4. p. 376. (d) Annal 4. p. 379. (e) Bunting. Chron. p. 27. (f) Enn. 9. l. 1. p. 331. (g) Egnat. in Conſtantino. (h) Annal. 4. p. 378. (i) Rat. temp. p. 1. l. 8. cap. 16. p. 417. (k) Vid. Calviſ. ad ann. 925, 929 & 931.

dolphum

dolphum Burgundiæ Regem, à factione, Berengario legitimo Regi Italiæ adverſa, evocatum, in Italiam degreſſum lætis omnes animis exceperunt, ac pulſo illius auxilio Veronam Berengario, Papiæ Regem acclamatum per Lambertum Archiepiſcopum, diademate ornarunt. Is per annum proſperis & ad voluntatem fluentibus rebus eſt uſus, ut Sigonius ad Annum Chriſti 921. ſcribit. Tot & talibus exemplis ex occaſione duorum Cometarum firmata eſt perpetua rerum humanarum proſperarum & adverſarum viciſſitudo!

CLXXXVI. *Anno Chriſti* 930. *viſus eſt Cometa in Cancro. In Hungaria ad trecenta hominum millia fame perierunt. Hungari Germaniam invaſerunt & paſſim caſi ſunt, maximè verò ab Henrico Aucupe ad Merſeburgum.* Eckſtormius.

SOlus Eckſtormius hunc Cometam annotat, nec auctorem ejus, quod aliàs facere non ſolet, nominat. Cometam iſtum præceſſêre multa triſtia. Cum enim Rudolphus tyrannidem in Italia invaſiſſet, bellum inde civile ortum eſt, non alio quàm illo Rudolphianæ ambitionis prænunciatum portento: quod & mors Berengarii excepit. Is æmuli Rudolphi artibus validis, quarum ſimiles antea quater feliciter ſuperaverat, ſuccubuit, niſi tamen filius ejus fuerit. De quo vid. Sabell. Enn. 9. l. 1. Funcc. ad ann. 916. & Egnatium in Ottone I. Bonfin. Dec. 1. l. 10. p. 185. Nam Anno 923. ut Sigonius teſtatur, ab ingrato & perfido parricida Flamberto interficitur, qui tamen mox cum ſociis, è veſtigio inſequente divinâ vindictâ, ſuſpendio periit. Prudenter de Berengario Sigonius, eum fuiſſe *variis rerum ſecundarum adverſarumque (a) in vicem ſuccedentium caſibus rarum inter mortales inſultantis fortunæ ludibrium.* Atqui ab Anno 888. quo is vel pater ejus regnum iniit, ad 923. ſex Cometas apparuiſſe demonſtravimus. Inter hæc Carolus ille Simplex, uti victoriâ de Roberto obtentâ prudenter neſciens, à malevolis aſtutiâ ſuperioribus captus, triſte viciſſitudinis rerum exemplum præbuit. Anno 924. Sigonio & Calviſio aliiſque miſerandam memorabilem illam rerum faciem deſcribentibus, Hungari evocati à Berengario iterum Italiam favillis, lachrymis ac cruore implent, in Gallias irrumpunt, ibi cæduntur. Bulgari quoque in Oriente furunt: varii Principes fatis cedunt. Henricus Imperator Vandalos Anno 925. domat, eorumque incurſionibus ſiſtendis Sigfridum Comitem Ringelheimenſem, uxoris ſuæ Mechtildis fratrem (*b*) primum Marchionem Brandenburgi (quæ urbs ante Schorelitz dicta eſt) ſicut paulò poſt Anno 928. Leopoldum Ducem Sueviæ primum Auſtriæ, Comitem verò Withinenſem Dithmarum, cognatum ſuum Miſniæ Marchionem, & Anno ſequenti Marchionatum Sleſvicenſem inſtituit: coërcendis ibi Hungarorum & Sclavorum, hîc Vandalorum irruptionibus. Idem *ille* & ſequens annus 926. ut Sigonius & Calviſius aliique notant, magnas Italiæ *ſtudiis* partium armatarum ſciſſæ turbas attulit. Nam Ermengarda Adelberti Eporædi ſecunda uxor, Papiâ Rudolpho Burgundorum (Galliæ regem Calviſius edit. Francofurt. ad 926. ex Frodoardo vocat, quem ad 923. Burgundorum regem rectè ex Sigeberto vocârat, hunc enim & illum Rudolphum, à rebellibus Carolo Simplici & captivo, in regem electum, diverſum eſſe contrà Urſpergenſem & alios Petavius (*c*) ex Flodoardo, quem & Calviſius pro ſe in edit. Lipſ. allegat (*d*) docet) præreptâ, eundem potentiæ illecebras & dolos muliebres miſcens, ad ſe ex caſtris pertraxit. Quæ res Italorum animos à Rudolpho averſos Hugoni Arelatenſi, Lotharii illius Lotharingi nepoti conciliavit. Rudolphus ideò arma Italiæ infert. Sed Burchardo Duce Suevorum genero, Viro quidem forti, ſed adverſus Italicas artes non ſatis cauto, dum frenum Italicæ libertati, arcem Mediolanenſem animo volveret, oppreſſo, ad ſua reverſus, aliena reliquit. Inter hæc Hungari ab Adelberto Thuſciæ Marchione Romanenſibus infenſo evocati, magnum Italiæ domi turbidæ horrorem, nec levia damna intulerunt, quæ Adelbertus à Romanis Nemeſin è veſtigio expedientibus

(*a*) Vid. Avent. Annal. 4. p. 375. & 379. (*b*) Crantz. apud Calviſ. ad 925. Bunting. Chron. Brunſu. p. 23. (*c*) Rat. Temp. 1. p. l. 8. cap. 26. (*d*) ad ann. 923.

paulò

paulò poſt oppreſſus (*a*) ſanguine expiavit. Ita Hugo imperium Italicum, quod appetierat, Anno 926. occupavit. Sed Anno poſtero à duobus Moloſſis ex Græcia adductis, novitate veſtitûs in rabiem impulſis, & pluribus ſeditioſis appetitus, non ſine periculo furorem eorum Anno 927. evaſit. Evaſerat tunc & Carolus Simplex vincula, inter Heribertum (Hebertum Serres vocat) & Rudolphum regem novum orto diſſidio, & Pontifice Romano Joanne libertatem ejus urgente. Sed his inter ſe conciliatis, mox in vincula retruſus eſt. Sequens annus memorabili facinore inclaruit. Pontifex ille à Guidone Marchione Thuſciæ, Maroziæ fœminæ libidinibus Romanis celeberrimæ impulſu, Joannem in carcerem detrudit & necat. Hunc Sergii 3. vel Landonis ex Marozia illa filium quidam ajunt. Faſcic. Temp. Plat. Præmonſtrat. & alii, quos Sabellicus indicat, Blondo invito. Hunc, vel alterum Joannem (qui quibuſdam XI. hujus nominis eſt, Sergii 3. ex Marozia, ut Calviſius ex Baronio prodit, filius) per ſeditionem intruſum, & mox electo Leone VI. detruſum, & Leonem ſimul in carcere oppreſſos eſſe Calviſius ad annum 929. ex Baronio adfert. Inter hæc Hugo rex Italiæ à Marozia, infami illo ſcorto, ad nuptias ſecum contrahendas & invadendam Romæ tyrannidem illectus, admoto urbi exercitu utrumque ex voto perfecit. Sed privigno Alberico Maroziæ ex Alberto Marchione filio, impactâ intempeſtivè & petulanter alapâ, eum injuriæ & populum Romanum libertatis vindicandæ cupidum mox habuit ſibi oppoſitum. Ita Albericus Conſul novus revocatâ priſtini honoris memoriâ, & inſigniter mutatâ Reipublicæ formâ, (*b*) creatus, Hugo fugatus eſt anno ſecundùm Sigonium 928. Is eodem anno mortuum Leonem, ei Stephanum VII. huic demùm 930. quod ex Onuphrio & Calviſio affirmat, Joannem XI. Sergii 3. ex Marozia filium (hîc videmus quàm obſcura ſit hujus temporis hiſtoria, Pontificum præcipuè Romanorum confuſione ex Joanne, Leone & Stephano bis ex ordine intra paucos ſupra 20. annos ſibi ſuccedentibus ortâ) ſucceſſiſſe affirmat. Inter hæc Anno 928. Bulgari Orientalis Imperii provincias vaſtarunt, ſequenti Alfonſus apud Hiſpanos regno, Wenceſlaus apud Bohemos etiam vitâ, ille à Ranimiro, hic à Boleſlao fratribus privantur (*c*). Eodem anno Dani & Scoti ab Anglis clade affecti ſunt. Auſpiciis Henrici Imperat. ad mare Balthicum, à Bernardo ſupremo & clariſſimo belli Duce Præfecto Luneburgenſi (*d*) & Comite Withinenſi 120, ut Calviſius ex Crantzio, vel ut Buntingus affirmat, 200. millia Vandalorum cæduntur. Hæc ſunt quæ breviter ex Auctoribus variis collegimus memoratu digna, cuncta acerba, non paucis aliis ejuſdem generis omiſſis, quæ Cometam noſtrum præceſſerunt. Jam quæ ſecuta eum ſunt videamus. Henricus rebus in Dania feliciter geſtis, religionem Chriſtianam in hac urbe Hamburgenſi reſtaurat & apud Obetritos Vandalos (ut Calviſius memorat ex Crantzio, clariſſimo urbis hujus alumno) propagat. Ejus filius Otto (cui poſtea à rerum geſtarum magnitudine conſentiens orbis judicium Magni cognomen indidit) Edmundi, qui Adelſtani Regis Angliæ frater fuerat, filiam in uxorem ducit (*e*), ſicut anno proximo Petrus Bulgarorum Princeps filiam Chriſtophori Cæſaris, qui Romani Imperatoris Conſtantinopolitani filius fuerat. Tunc & Saraceni in Italia clade affecti; majori verò ad Orientem, auſpiciis Romani Imp. Anno 932. Melitenâ recuperatâ & in provinciæ formam redactâ. Poſtero anno, qui fuit ſalutis 933. Hungari Germaniæ invaſores gemino prælio feliciter vincuntur. Ad ann. 931. Sigonius fontem ſanguinis ad Genuam fluxiſſe, & paulò poſt urbem illam à Saracenis claſſem ex Africa ad eam appellentibus, miſere direptam eſſe ſcribit. Sed Trithemius in ann. 933. Funcc. & Calviſ. in 935. id referunt. Sabellicus in fine l. 1. Enn. 9. tempus certum non aſſignat, niſi quòd inter initia Pontificatûs Joannis XI. hoc contigiſſe dicat. Sed quam hoc ſit obſcurum vidimus. Annus 932. inter hæc lætus Hugoni fuit, qui feliciter Arnoldum Bajoariorum Ducem, à malevolis Italis ad capeſſendum regnum advocatum, rejecit, filium Lotharium in regni ſocietatem, Adeleidem Rudolphi Burgundiæ Regis (nota hunc Franciæ regem à Sigonio, cujus hæc ſunt quæ adfero, non vocari) filiam in uxorem filio aſſumſit.

(*a*) Sigon. ad ann. 925. (*b*) Sigon. l. 6. de regno Italiæ ad ann. 928. (*c*) Calviſ. ad ann. 928. & 929. (*d*) Bunting. Chron. p. 23. (*e*) Calviſ. ad 930.

CLXXXVII. *Anno Christi* 941. *Cometa circa Constantiam Germaniæ superioris verbem per noctes* 14. *visi sunt. Hos mors Leonis Pontificis ejus nominis VII. secuta est, cui postea Stephanus VIII. successit. Hugo rex Italiæ auxilio Imperatoris Romani, Saracenos vicit, & classem eorum incendit. Otto Rex Brisacum obsedit, & Alsatiam devastavit. Pestis animalium dira mox secuta est.* Rockenbachius.

Anno Christi 942. *Cometa apparuit, à* 15. *Calendarum usque ad ipsas Calendas Novembris, qui denotavit inundationes & animalium interitus, ut eventus comprobavit.* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 10. cap. 13.

EUndem esse Cometam ex descriptione durationis & subjectis eventibus conjicio. Verumtamen Wittichindus (*a*) plures Cometas illo anno apparuisse indefinitè ponit. *Quibus*, inquit, *visis multi mortales territi, aut nimiam pestilentiam, vel certe regni mutationem metuebant. Hos Cometas inundatio nimia, & hanc boum pestilentia subsecuta est*, ut Auctor ille addit. Talia sæpius sine Cometis evenire, palam & in confesso est. Longum esset singula tristia, quæ hunc Cometam præcesserunt numerare. Bella nempe domestica & externa, quibus Italia circa Ann. 933. lacerata est; tùm pestem ibidem sævientem. In hæc tempora referendum illud Genuensium urbis excidium Saracenicum. Sileo diversa Principum fata. Vocat nos ad se Henricus Imperator, ille laudatissimus, &, ut Wittichindus, (*b*) & Wernerus in Fascic. temp. judicat, regum Europæ maximus & optimus, virtute nulli secundus, totus inclytus, & Pater Patriæ dictus, qui, ut & Rudolphus Rex Galliæ Anno 936. (*c*) naturæ concessit. Et Sabellicus (*d*) quidem, ut & alii Scriptores Italici, Henricum multis laudibus ornant, inter Imperatores tamen, ut & alios post Arnulphum Imperatores, licet ab Ordinibus Imperii legitimè electos, quòd à Pontificibus Romanis, qui quales ipsi tunc fuerint, quàm scilicet libidinibus suis & alienis subjecti turpiter servierint, vidimus, non fuerint confirmati, non numerant, (*e*) sed potius miseros illos suos Guidones, (*f*) Berengarios, Lambertos & Ludovicos, regni Italici invasores, & verè imaginarios Imperatores, Ludovico, Conrado & Henrico substituunt. Duos illos Principes Clarissimos Arnulphus Dux Bojorum (Arnoldum Sigonius & Funccius vocant) anno sequenti, ut Aventinus, Funccius, Calvisius & alii asserunt, secutus est ad plures. Inter hæc *Boso* (*g*) (adde & Berengarius gener ejus) *quotidianis uxoris Villæ* (fuit hæc Bosonis filia, ut paulò superius Sigonius dicit) *furiis instigatus, non bono esse adversùs Hugonem fratrem animo cœpit. Quâ re compertâ Hugo utrumque* (Bosonem & Berengarium, Berengarii senis ex Gisla nepotem) *jussit comprehendi.* Paulò post Hungari Italiam fœdè lacerarunt, mox tamen ex insidiis omnes trucidati sunt. Anscarius (Ansgerionem Aventinus (*h*) vocat) Berengarii frater, adversus Hugonem insidias occultè moliri deprehensus, Camertina & Spoletana ditione vitaque privatus, justas ingrati animi & perfidiæ dedit pœnas, Berengario, cui, utpote conjurationis socio, oculos eruere Hugo volebat, in Germaniam fugiente, ubi tutum receptum ac protectum apud Ottonem germanâ fide (*i*) eum tutantem invenit. Dum hæc apud Italos gererentur, Tancwerdus frater Imperatoris, ob negatum sibi Marchionatum Brandenburgensem rebellavit Imperatori. Sed ab eo victus & fugatus, eo insciò à militibus confossus est. Anno sequenti, qui 939. salutis partæ fuit, 80. millia Saracenorum à Ranimiro rege Hispaniæ deleta. Fatetur hoc Tarapha, sed in tempora anteriora refert. Nos Calvisium sequimur. Tot tristibus, quæ Cometam præcesserunt, addenda est rebellio, quam auctoribus Eberardo Palatino, Giselberto Lotharingo, & Friderico Episcopo Moguntino (*k*) Henricus contra Imp. fratrem excitavit. Sed hæc & tunc cruenta ac calamitosa multis, ipsique Henrico noxia (*l*), & Anno 941. quo Cometam apparuisse Rockenbachius dicit, funesta, Eberardo & Giselberto (quorum hic sororem Imp. in uxorem habuit) extitit.

(*a*) Gest. Saxon. l. 2 p. 23. (*b*) gest. Saxon. l. 1. in fine, & initio l. 2. (*c*) Wittichind. Ursperg. Viterb. Aventin. Sigon. Bunting. Calvis. Helv. Petav. &c. (*d*) Enn. 9. l. 1. sub fin. Vid. Bonfin. Dec. 1. l. 10. p. 188. (*e*) Vid. Sigon. l. 6. de regno Italiæ ad ann. 900 901. & seqq. (*f*) Egnat. in vita Arnulphi. Sabell. Enn. 9. l. 1. (*g*) Sigon. ad ann. 935. (*h*) Annal. 4. sub fin. (*i*) Vide de hoc Avent. l. c. (*k*) gest. Saxon. l. 3. p. 27. Counter l. 1. p. 12. (*l*) Krantz. l. 3. Saxon.

Anno

Anno verò 942. & illa rebellio in Germania & altera in Gallia (ubi subjecti contrà Ludovicum Transmarinum, ita à fuga trans mare in Angliam periclitante Carolo patre dictum, surrexerunt) sedatæ sunt, & pax feliciter parta est. Inter hæc Hugo Saracenos domitos ad petendam pacem coëgit. Secuta mox 942. & pax inter Petrum Candianum Ducem Venetum, & Lupum Patriarcham Aquilejensem composita. Secutum anno 944. *(a)* fœdus inter Romanum (Constantinus à Calvisio *(b)* vocatur) Imperatorem Orientis & Hugonem Italiæ Regem, quorum hic filiam notham filio Imperatoris in uxorem dedit. Eodem anno Imperator Conrado Franco Lotharingiam & filiam Ludgardam in matrimonium tradidit. Annus idem lætus extitit Edmundo Angliæ Regi. Victis enim Northumbris *(c)*, qui peculiarem Regem sibi creaverant, totam Insulam imperio suo subjecit. Non dissimulo tamen Polydorum *(d)* hæc in anteriora tempora Adelstani Regis referre.

(a) Sigon. ad 944. (b) ad eundem annum. (c) Calvis. ad 944. (d) lib. 6. p. 114.

CLXXVIII. *Anno Christi* 944. *Cometa immensæ magnitudinis in Italia conspectus est, famem, quæ secuta mox est, præsagiens. Terræ motus magnus* 16. *Cal. Maji factus est. Otto Magnus Galliam intravit, & Bertholphus, Dux Bajoarium, statim mortuus est, Abdaram Rex Saracenorum in Hispania à Ramiro bello victus est.* Rockenbachius.

Anno Christi 944. *in Italia miræ magnitudinis & proceritatis Cometa apparuit, igneos diffundens radios, qui imminentem significavit famem, quæ paulò post duriter premebatur universa Italia. Urspergensis hunc Cometam refert ad annum* 943. *quo bella & famem Galliam denuò afflixisse quidam prodiderunt.* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 10. cap. 13.

EUndem Cometam Funccius, Rockenbachii magister, sed & Alstedius & Ricciolus in 945. ponunt. Ita & Sifardus, qui effectus ejus ultra Imperatoris Ottonis I. sive Magni mortem, quæ 973. anno contigit, ut Aventinus, Sabellicus, Sigonius, Funccius, Calvisius, Helvicus, Alstedius & Petavius aliique uno ore affirmant, extendit, satis hîc quoque liberalis. Sed quæ mala ille Cometæ tribuit, eadem vel etiam graviora & plura sine Cometis evenire, assidua experientia docet. Quod in annum diversum iste ponatur Cometa; crediderim exeunte 944. & ineunte 945. visum, ut ità meritò ad utrumque annum, sicut nuperus ad 1664 & 1665. referri possit. Terræ motum, quem Rockenb. huic Cometæ adscribit, circa hæc tempora non annotat Funccius, nec alii Auctores, adeoque nec Sifardus in illo liberali catalogo eventuum Cometæ isti adscriptorum, nec Alstedius in Chronol. mirabilium Dei, ubi talia numerare solet. Trithemius *(a)* eum ad ann. demum 951. ponit. Sed esto, terræ motum mox ab apparitione Cometæ accidisse, quoties sine hac accidit! Mortem Berchtoldi Bojorum rectoris Aventinus in 948. Funccius & Calvisius in 947. ponit. Reticet Rockenbachius nuptias Principum, quibus præfulsit Cometes. Nam Anno 944. Romanus Constantini Imper. Orientis filius cum Eudoxia Hugonis regis Italiæ, Lotharius verò rex Italiæ 947. cum Adelheida (Adelhaidim Aventinus, at Alundam Bonfinius vocat) Rudolphi Regis Burgundiæ filia, & Otto M. cum eadem, (Trithemius *(b)* eam, omnibus sibique ipsi contradens, Mechtildin vocat) Lothario intra quatuor annos mortuo, lætus cum maxima pompa celebravit. Quis omnia nuptiarum & natalium læta solemnia, quæ in Aulis Principum assiduò celebrari solent, enumeret? Anno 945. Otto Imperator pro Ludovico Gallo affine multa feliciter contrà seditiosos gessit, ac libertatem captivo, captâ Argentinâ, cui tunc Strasburgi nomen inditum, peperit. Idem & contrà Hugonem Comitem Parisiensem, qui potentiæ nimius herum regno expulerat, eundem tutatus est. Anno 946. Berengarius ex Germania in Italiam à quibusdam Proceribus redire jussus, postquam illuc venit maximam lætitiam plerisque attulit, *aurea sibi sub eo secula pollicentibus*, ut Sigonius ait. Aventinus

(a) Chron. Hirsaug. (b) ibid. ad 951.

tinus Annal. 4. *(a) Carolum M. adveniſſe*, inquit, *ominabantur*. Inter hæc Imp. Ducatum Bojariæ fratri Henrico confert, cujus regni initia felicia & læta ſubjectis nominique Chriſtiano fuêre, gemina de Hungaris invaſoribus regni victoriâ partâ. Anno 949. Otto Imperator, armorum potentiâ clarus, Danos *(b)* & Bohemos ad Chriſtiana ſacra pertrahit. Poſtero Ranimirus rex Hiſpaniæ inſigni victoriâ de Saracenis potitus eſt. Otto verò cum Hugone illo Pariſienſi, qui Ludovicum Regem captivum tenens, nec Imperatoris nec Pontificis Romani minas curabat, pacem & fœdus, affine Rege liberato, percuſſit. Paulò ante, anno ſcilicet 950 Berengarius, poſtquam cum Adelberto filio regnum ſuſcepit, id quam liberaliſſimè potuit, adminiſtrare inſtituit. Itaque fœdus inter Venetos & Italicos renovavit. Proximo in Italiam ad reprimendum Berengarii tyrannidem invitatus, à Regina vidua illa ſcilicet Adelheida, Otto, profectus illuc, hoſtem domuit. Reginam arctâ obſidione liberatam, ſine mora matrimonio ſibi *copulavit*, *(c) perfectiſque magna pompa ſponſalibus inde Papiam acceſſit, eamque per Octobrem menſem in poteſtatem redactam, unà cum Regina triumphantis in modum inivit*. Dehinc Sigonius magnificè deſcribit, quomodo Ottonis gener Conradus Berengarium ad petendam pacem *(d)*, & ſe clementiæ Ottonis ſubmittendum adegerit, quæ res laudabilis & læta, non Berengario tamen ejuſque liberis & factioni, extitit. Quòd ſi vellemus longius ad colligenda læta Cometen iſtum ſecuta excurrere, ſicut Sifardus ad coacervanda triſtia hîc & aliàs fecit, feliciter id facere poſſemus. Sunt enim non pauca quæ poſſemus hûc adferre. Anno 954. Otto Imper. Ludolphum filium rebellem ad pacem & obedientiam impulit. Poſtero contrà Vandalos & Hungaros (licet iſti, Sigonio *(e)* teſte, *niſi à terra abſorberentur, aut à cælo obruerentur, vinci ſe poſſe negarent*) rem feliciter geſſit, & iterum Vandalos domuit *(f)*, ac tandem, ne amplius nocere poſſent, oppreſſit. Inter hæc Anno 955. filium Ottonem 2. ex illa Adelheida ſuſcepit. Victoriis verò & muneribus Principum, etiam barbarorum cumulatus, tandem Anno 961. Mediolani in regem Italiæ, coronâ ferreâ, more antiquo *(g)* redimitus, creatur, Romæ verò in Imperatorem inunctus. De hac re Sigonium *(h)* audiamus: *Vetus*, inquit, *imperii, quod per multos annos vacaverat, deſiderium, & recens Ottonis ergà Italiam beneficium, ingentem in omnium animis inclyti viri viſendi cupiditatem accenderat, omnibus ejus ſibi temporis ſpeciem animo proponentibus: quo Carolus Magnus liberandi Leonis Pontificis cauſſa Romam profectus, ingenti totius cum Italia gratulatione auguſtum Occidentalis nomen Imperii renovârat. Itaque venientem lætiſſimis, ſiquenquam unquam alium, animis, atque admirando benigni occurſûs ſpectaculo Romam exceperunt*. Hac tempeſtate Hermannus Billingus ab Imperatore Ottone inferiori ad Albin Saxoniæ præfectus eſt, vir juſtitiæ laude præcipuè inſignis, qui per virtutis, prudentiæ induſtriæque gradus ad maximæ laudis & excelſæ dignitatis faſtigium pervenit. Buntingus ei Ducatum Lunæburgenſem, hoc eſt terram illam, quæ hodie Ducatus Lunæburgenſis vocatur, ut & inferiorem Saxoniam, Leoburgum & Burgraviatum Magdeburgenſem conceſſum fuiſſe literis *(i)* mandavit. Non invenio tamen apud fide dignos auctores tunc temporis Ducis Lunæburgenſis titulum in uſu fuiſſe. Certum eſt Hermannum illum ab Ottone M. Imperatore conſanguineo ſuo ob virtutem erectum, & quamvis Ducis Lunæburgenſis encomio non fuerit uſus, Saxoniæ tamen Ducatum ad Albim, hoc eſt Nordalbingiam, tractum terrarum, ubi urbes Luneburgum & Magdeburgum hodie viſuntur, & alia in finitimis regionibus loca ſub Ducis Saxoniæ vel Saxoniæ ad Albim ſive Saxoniæ inferioris titulo meruiſſe & regenda accepiſſe. Hi Duces præfecti, præſides & procuratores provinciarum hac quoque tempeſtate vocabantur, teſte Wittich. geſt. Saxon. l. 1. 2. & 3.

(a) ſub finem. (b) Trithem. Chron. Hirſaug. ad 943. (c) Sigon. ad ann. 951. (d) Vid. Avent. Annal. 5. p. 389. (e) Sigon. ad ann. 955. (f) Vid. Bonfin. Dec. 1. l. 10. pag. 189. (g) Sigon. ad ann. 591. l. 4. de regno Italiæ p. 89. & alios. (h) Sigon. ad annum 962. (i) Chron. Brunſu. part. 2. p. 2.

CLXXXIX. *Anno Chriſti* 964. *Cometa & alia prodigia ſunt viſa, famem, quæ mox ſecuta eſt, præſagientia.* Alſtedius.

NOn invenio hunc Cometam annotatum ab aliis auctoribus qui mihi ad manum ſunt. Quòd ſi circumſtantias ad apparitionem hujus ſtellæ crinitæ & eventuum eam ſecutorum pertinentes Alſtedius addidiſſet, certius quid de phœnomeno ſtatuere potuiſſemus. Jam quis ſcire poteſt, annon iſte Cometa idem ſit cum proximo, quem Eckſtormius ad 968. annotat, eique famem adſcribit, pariter ut Alſtedius iſti? Quanquam hoc minimè nos cogere poteſt, ut Cometam hunc cum ſequenti conjungamus, cum notum ſit famem frequenter hîc vel illîc accidere, etſi nullus Cometa conſpiciatur. Ut illa quæ Cometam præceſſerunt, verbo attingamus, anno 954. vel 955. Ludovicus ille Rex Galliæ multis adverſis fatigatus moritur. Anno 955. (a) Eldredus Rex Angliæ, & Ordonius Hiſpaniæ, (ſed Tarapha hujus morttem in 961. ponit) tùm Henricus ille Dux Bojariæ, & Agapetus Pontifex Romanus; anno verò 957. Ludolfus ille inquietus, poſtero Hugo Magnus Comes Pariſienſis, Medicolumbus Rex Scotiæ, mox Anno 959. Edwinus Rex Angliæ, (cui non Cometa ullus, ſed libidinoſa vita acceleratam mortem portendit) Conſtantinus Imper. Orientis in vivis eſſe deſierunt. Huic verò non Cometa tam longe diſſitus mortem attulit, ſed venenum ab impio filio Romano propinatum. Sed nec iſtum Cometa vel ſideris alicujus occulta vis, ſed impia & invida ambitio ad eripiendum patri imperium (quod ſuprà 50. annos jam tenuerat) & deteſtandum parricidii flagitium impulit. Is autem pari intrà triennium, affirmante Calviſio, impietate ſuorum, regno privatus eſt: Egnatius enim memoriæ prodit, eum in matrem quoque impium & veneno extinctum fuiſſe. Sed funeribus Principum & mutuis Græcorum & Saracenorum immaniter cæſorum cadaveribus, aliiſque triſtibus relictis, jam læta, quæ Cometam ſecuta ſunt, videamus. Annus quo Cometos viſus eſt, pace Romæ compoſitâ inſignis & lætus extitit. Nam anno ſuperiori decurrente depoſitus Pontificatu Joannes XII. Alberici Conſulis Romani filius, homo ex omnibus flagitiis, quæ Synodus Romana coram Imperatore enumerat (b), conflatus, &, judice Sabellico, ab adoleſcentia omnibus probris coöpertus, ſeditionem Romanorum Germanos odio proſequentium, promiſſa verò à Joanne præmia larga appetentium, in Imperatorem excitârat. Ideò ad arma 4. nonas Januarias ventum erat; ſed cauſæ meliori favente cœlo, Romani ad ſubeundas à Victore præſcriptas pacis leges compulſi ſunt. Atque id hoc anno ſecunda quoque vice fecêre, poſtquam rédeunte cum copiis Imperatore receptum Joannem, & hoc mortuo electum, contrà Leonem & fidem datam, Benedictum vindicaturo domiti eſſent. Idem annus lætâ Ottonis fortunâ belli contrà Berengarium tyrannum geſti inclaruit. Tùm verò & auſpiciis imperii Nicephori in Oriente, (notante Sigonio, aliis hæc in annum proximum, vel etiam ulterius rejicientibus) nec non felici ejus in Ciliciam expeditione. Proximo anno 965. (c) auſpiciis Ottonis res contrà Adelbertum, ad reſumendam tyrannidem ex Corſicano exilio reverſum, proſperè geſta, pacandæ Italiæ extitit accommoda. Et certè tunc *nemo erat*, ſi Sigonio (d) credimus, *quin rebus Italicorum acciſis res Romanas, quæ diu impoteuti Romanorum contumaciâ fluctuaverant, poſt latè quieturas arbitraretur.* Quod verò iſtæ novis ac turbulentis ſeditionum fluctibus, ut addit, ſint agitatæ, documento eſt ut læta, ita & triſtia Cometis ſuccedere. Ita meritò Imperator lætabatur rebus Italiæ compoſitis & conſtitutis, & abducto ſecum Benedicto (e), qui tandem in hac urbe Hamburgenſi mortuus eſt, monumento ejus in æde cathedrali etiamnum exſtante. Cum verò Imperator in Germaniam rediiſſet, non tantùm filiis Wilhelmo & Ottoni, ſed toti familiæ ſuæ (nam & frater & ſorores, filiique, & ipſe Rex Galliæ Lotharii ſororis filius ad eum Aquas convenerant) omnibuſque adeo ſuis magnum gaudium attulit. Hinc

(a) Calviſ. ex Rogerio. Polyd. l. 6. p. 115. Jovius in Chron. (b) Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. ad ann. 962. (c) Vide de his Avent. Annal. 5. p. 394. Sabell. Enn. 9, l. 2. p. 355. (d) ad ann. 965. (e) Avent. l. c.

profectus

profectus in Saxoniam Hermanno ac Geroni, qui fines imperii, dum abfuit egregiè tutati fuerant, gratias agit, Duceſque eos conſtituit, illum Luneburgenſem hunc Brandenburgenſem, & regiones eas ipſis & poſteris hæreditario jure attribuit, ut Calviſius (a) annotat. Hâc tempeſtate arcem Luneburgicam ab Hermanno illo Billingo, Duce landatiſſimo, prope Elvenau ſive Lunow fluvium, ubi poſtea Lunæ cœnobium extitatum eſt, exſtructam eſſe, Funccius & Buntingus affirmant. Eadem tempeſtate Nicephorus Imperator proſperos ſucceſſus contrâ Saracenos in Cilicia continuavit. Sed cumprimis Chriſtianæ genti, maximum eodem anno, ut Chronica Bohemica (b) & noſtra Polonica annotant, attulit gaudium gentis noſtræ ad Chriſtum converſio, occaſione connubii à Principe Mieſcone ſive Mieciſlao (c) cum Dambrwka, Principis Bohemiæ Boleſlai illius fratricidæ filia initi, ex quo vertente anno Boleſlaum filium, qui poſtea primus Rex ab Ottone 3. declaratus eſt, ſuſcepit. Hanc lucem pietatis è cælo datam, Principi ſeptenni, qui cœcus natus nomen accepturus erat, luminis uſus miraculoſè datus, portendit. Annus 966. reſtitutione Joannis XIII. à factione quorundam Romanorum ſeditioſorum urbe pulſi, ſed & compoſitâ ſeditione Romanâ, tum receptâ Antiochia lætus fuit.

(a) Vid. Wittich. l. 3. p. 26. & 28. (b) Joan. Dubravius hiſt. Bojem. l. 5. p. 36. (c) Dubrav. l. c. Vide Cromer. Herburt. hiſt. Pol. Flor. Pol. in Mieciſlao.

CXC. *Anno Chriſti* 968. *& Cometa apparuit & terræ motus factus eſt. Hæc prodigia ſequenti anno, mors Lotharii regis, fratris Ludovici ſecuta eſt, Carolus autem Galliæ Rex regnum ejus invaſit.* Rockenbachius

Anno Chriſti 968. Cometa apparuit, quem maxima fames ſequuta eſt. Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. Cent. 10. Cap. 13.

NUlla juſta ratio, ut diximus, ſtringit, ut hunc Cometam cum proximo confundamus. Quæ poſt numerata ibi læta ſecuta ſunt triſtia, hunc Cometam præceſſerunt. Nam, ſicut Calviſius affirmat, anno 966. Sanctius Garſias Navarræ & Vaſconum Rex obiit, poſtero Indulphus Scotiæ, Boleſlaus Bohemiæ, Sanctius Legionis, Ferdinandus Caſtellæ, Reges & Principes. Taceo Hattonis Moguntini, à muribus in pœnam ſceleſti homicidii divinitus immiſſis (a) conſumti, horrendam mortem. Quâ occaſione verbum addo, Trithemium rem hanc in medio relinquere, & pari ſupplicio peremtum Anno 1236. Mieciſlaum Caſſiſconum, qui forte erit ille Mieciſlaus ſive Mieſco Conradi Ducis Maſoviæ filius, apud Funccium eodem mortis genere Anno 1238. ſublatus, ab Alſtedio memoriæ prodi. Taceo & bella acerrima in Italia, Scotia, Syria, Hiſpania & Thracia hoc biennio geſta. Taceo & ſeveriſſimas pœnas ſeditioſis Romanis ab Imperatore irrogatas, aliaque quæ apud rerum temporis illius ſcriptores & Chronologos videri poſſunt. Antequam ulterius progrediar, verbo dico, me non ſatis mentem Rockenbachii aſſequi poſſe. Nam quæ ille Cometæ tribuit, apud auctores non invenio. Conjicio tamen eum de rebus Gallicis loqui; ſed hîc nemo ejus rationibus favet. Nam & Lotharius Ludovici illius Tranſmarini filius, ab omnibus pronunciatur, & mors ejus à Serre in 964. ab aliis circa ann. 986. ponitur. Carolus porrò frater ejus, ſive is, ſive filius ejus Ludovicus, ſine prole deceſſit, non Rex Galliæ, ſed dux Lotharingiæ, ut legitimus ſucceſſor regnum Galliæ circà Ann. 987. conſecutus eſt. Sed de his ad Ricciolum retuli & reſponſum exſpecto. Nunc jam ad læta me converto. Hoc anno quo Cometa luxit, maxima lætitia Romæ illuxit. Nam non ſolùm Imperatorem Ottonem ibi habebant ſapienter & juſtè res Italicas moderantem, (b) ſed & hoc anno cum paulò ante duo Soles in cælo viſi (ubi etiam videmus non ſola triſtia, ut Eckſtormius in hiſtoria Pareliorum contendit, ſed & læta ejuſmodi phœnomenis ſuccedere) eſſent, viderunt ſplendido cum Comitatu Ottonem 2. Imperatorem filium, jam Cæſarem declaratum ad ſe venientem. *In tanta proſperitate rerum Pontifex ſtudio Othonis adductus* (c) (verba ſunt Sigonii) *feſto*

(a) Trith. ad 967. Dec. 1. l. 10. p. 191. (b) Funcc. & Calviſ. ad 968. (c) Sigon. ad annum 968. Vid. Avent. Annal. 5. p. 394. Bonfin.

natali-

natalicio Othonem adolescentem coronâ cum patre affecit, consortemque Imperii declaravit. Ea res magna cæremonia, & ingenti populorum lætitiâ, quos undique spectaculi magnitudo contraxerat, celebrata. Anno proximo, fuit 969. Miecislaus Dux Poloniæ sororem suam Geisam (lege Geisæ) Duci Hungarorum uxorem dedit, Hungari religionem Christianam habere incipiunt, notante ex Hist. Pol. Calvisio edit. Francof. Nam religionis Christianæ semina, à Carolo M. (*a*) sparsa, impietate gentis illius tunc indomitæ, & quæ Scythicam feritatem nondum exuerat, oppressa fuerant. Scio à scriptoribus Hungaricis Christianæ pietatis in tota Hungaria propagationem in 989. referri. Sed non immeritò colligitur eos tunc quoquè occasione nuptiarum, quas cum Principe Christiana rex eorum, postquam nomen Christo paulò ante dedisset, eandem fidem subjectis commendasse. Is anno 969. ex illa uxore Stephanum filium, qui postea Sanctorum albo inscriptus est, suscepit, sicut Annales (*b*) & scriptores Hung. affirmant, quod Funcc. Bucholz. Calvis. Dudrav. & alii adstruunt. Itaque miror à Bonfinio (*c*) nativitatem Stephani in 909. referri, cum ipse (*d*) 1034. (Chron. Hung. 1038.) mortuum referat. Sed magis miror Ritium de reg. Hung. in fine l. 1. & initio 2. Stephani natales in tempora Seytæ, unius 7. illorum Ducum Hunnorum (qui cum copiis Anno 744. Pannoniam ingressi à 7. castris Provinciæ, quæ nobis Transylvania vocatur, nomen dederunt) contra rationem temporis conjicere. Qua de re infra pluribus agemus. Illo quoquè anno à N. Christo 969. venæ metallicæ Goslarienses ab Henrico Aucupe apertæ, in monte Ramelo præclarè suos cultores ditare incipiunt copiâ & proventu. Inter hæc illam Romæ urbis publicam lætitiam fraus Nicephori Imperatoris, Græcæ fidei nobile experimentum, confudit. Nam qui ad Theophaniam Nicephori sororem vel filiam Ottoni Juniori desponsatam, invitante per Oratores Nicephoro, excipiendam & ad sponsum deducendam missi, & magis ad pompam quàm ad prælium instructi erant, in Calabria ex insidiis opprimuntur. Sed hæc injuria Ottonem ad sumendam vindictam & adjungendam imperio suo Apuliam & Calabriam impulit. Atque hoc anno vertente factum est, *Græcis ingenti tributo mulctatis* (verba iterum sunt Sigonii (*e*)) *Germani duces opimâ prædâ ditati gloriosissimam ad Ottonem victoriam retulerunt.* Perfidia illa, eaque non tantùm privatim sed & publicè noxia, veteri avaritiæ invidiâ cumulata, certius quàm præcedens Cometa cædem Nicephoro portendit, quæ à Joanne Zimisce (*f*) volentibus Constantinopolitanis, & adjuvante Theophaniâ Nicephori conjuge, (*g*) (Nicephori quidam sororem (*h*) vel filiam, alii Joannis filiam vocant (*i*), quæ se optimo sponso privatam ulcisci poterat) Anno 969 (*k*) vel 970. (*l*) perpetrata est. Sed is imperio potitus Ottoni utrique de injuria satisfecit, & Sponsam Ottoni Juniori in matrimonium permisit & honorificè in Italiam misit. Hæc Anno 972. *Romam adducta, effusa obviam universâ civitate recepta est*, notante Sigonio, eademque gratiâ Soceri & Sponsi Augusta à Pontifice Romano renunciata. Ita uterque Otto, eodem Sigonio teste, omnium votorum compos redditus est, patre mox naturæ debitum soluturo, postquam eum Hermannus ille primus Dux Luneburgensis præcessisset, quem Imperator, propter industriam multaque merita præclara maximè dilexerat. Funccius tamen hujus mortem in 981. annum demum ponit.

(*a*) Bonfin. l. c. p. 192. 193. (*b*) Joan. Thurocen. Abrah. Bakschaj. (*c*) Dec. 2. l. 1. p. 197. (*d*) Idid. p. 213. (*e*) ad ann. 969. (*f*) Vid. Bloud. l. 13. (*g*) Egnat. in Niceph. (*h*) Sigon. ad 967. (*i*) Trithem. ad 974. (*k*) Calvis. (*l*) Sigon. Funcc. Calv.

CXCI. Anno Christi 975. *Cometa apud vicum Rhegium, qui calva dicitur, visus est, quem eodem anno, mors Edgari regis secuta est. Anno secundo Othonis imperatoris nomine II. magnum gelu à Calendis Novembris usque ad æquinoctium vernum durans fuit.* Rockenbachius

Anno Christi 975. arsit Cometa propemodum octo mensibus, & veneno sublatus est Joannes Cemisces Imper. Orientis. Eckstormius ex Schossero.

Anno 975. Dunstanus Edwardum consecrat, Regemque ungit. Eodem anno Cometa stella

Anglis

Anglis apparuit, quam & agrorum ſterilitas & dira hominum fames, & jumentorum atque pecorum lues mox ſequuta eſt. Antiquit. Brit.

ANnotat & Calviſius hunc Cometam, & octimeſtrem ex Cedreno pronunciat. Diximus hunc, non 375. pro octimeſtri ab Ampliſſimo Hevelio haberi. Si Cometam annuum, quæ multorum eſt ſententia, inter extraordinaria phœnomena referamus, hic Cometes prorſus eſt ſingularis. Nullus enim, quod ſciam, tamdiu duravit. Præceſſit eum mors Hermanni illius Ducis laudatiſſimi ac ætate ſua incomparabilis, Viri optimi, qui, ut Wittichindus ait *(a)*, *prudentiæ & juſtitiæ miraque vigilantiæ in rebus civilibus & externis cunctis retrò mortalibus æternam reliquit memoriam.* Graviter Imperator, ut par erat, amici maximè dilecti, tulit caſum. Quem etiam paulò poſt ad tumulum ſecutus eſt eodem anno 973. Is pariter triſtis accidit exceſſu Udalrici Auguſtani Pontificis, & Burckhardi Suevorum ducis, ut Aventinus notat. Funccius tamen Udalrici ſive Ulrici mortem in 976. ponit. Calviſius 973. Chriſti nati, ætatis Hulderici 80. deſignat. Hac tempeſtate, putante Funccio, Swentoſlaus Ruſſiæ Dux, Græciæ invaſor, dignas temeritate ſua pœnas capite luit. Proceres quidam Ottoni 2. Imp. duce Henrico Bavaro, Ottonis patruele & æmulo *(b)*, rebellant. Anno 974. bellum inter Ottonem Imperatorem & Heroldum Regem Danorum potentiſſimum geritur, quod anno ſequenti Wiſmariæ, non tantùm pace ſed & amicitiâ confirmatâ *(c)* componitur. Eodem illo 974. Anno Benedictus VI. Pontifex Romanus à Bonifacio Cardinale, ut Calviſius ex Onuphrio, vel à Cincio cive potenti, ut Sigonius poſt Sabellicum teſtatur, captus, in carcerem detruſus ſtrangulatur. Bonifacius intra annum urbe prædâ ſacrilegâ onuſtus fugit. Sed jam quæ Cometam exceperunt læta videamus. Hoc ipſo anno, ut diximus, pax & amicitia inter Ottonem & Heroldum Principes potentiſſimos reſtituta. Ille etiam contra rebellem Henricum rem proſperè gerit, eoque in exilium acto, Ducatum Bojariæ Ottoni Duci Sueviæ, Ludulphi fratris filio concedit. Tunc & Joannes Imperator Orientis, ut comperio compoſitis rationibus Funccii & Calviſii, *in Rhoxolanos Bulgariam ſibi vendicantes feliciſſime* (notante Egnatio) *rem gerit*: *Phocam Nicephorum rebellantem capit*, *indeque Bulgariam omnem imperio adjecit*, *ejectis inde Rhoxolanis*, *Sphendoſlavoque eorum rege ad deditionem coacto*: *mox Conſtantinopolin reverſus*, *quum triumphantis ſpecie invectus urbi eſſet*, *potionatus poſt imperii annum ſextum & menſes ſex deceſſit*. Cum autem ejus mors in finem anni 975 vel 976. (diſſentiunt enim Funccius, Calviſius, Helvicus & Alſtedius) inciderit, læta illa quæ eam præceſſerunt, ad Cometam meritò referri poſſunt. Tunc & proſpera ac quieta Raymiris 3. Regis Hiſpaniæ, qui Tarapha auctore Anno 974. Patri Sanctio ſucceſſerat, auſpicia. Illo quoque anno 975. S. Edovardus Rex Angliæ Edgaro Bono patre, ut ait Polydorus *(d)* *dignus filius ei ſubrogatus eſt. Is adoleſcens ſummæ ſanctitatis & frugi eâ modeſtiâ tunc regnare cœpit, ut omnibus chariſſimus eſſet, quippe qui paternas virtutes naviter imitabatur.* Sed pertinent huc & illa in Oriente Baſilii & Conſtantini fratrum, quibus nulli diuturnius rerum potiti, quippe qui annos LIII. præfuerint, remque contrà rebellem Bardam Sclerum & perfidos Bulgaros proſperè geſſerint, perhibente Egnatio, tùm & contrà Saracenos, addente Sabellico, *(e)* pluraque eorum geſta annotante. Anno 976. res inter Ottonem & Henricum Bavarum variè inter pacis tentamina geſta, at ſequenti, compoſita eſt, quibuſdam Procerum exſulio vel multatis, vel ſe ſponte multantibus, aliis verò priſtinæ dignitati reſtitutis. Variè quoque inter hæc rem Baſilius *(f)* Imperator contra Bardam illum geſſit, quem tamen tandem proſperè oppreſſit, ut & Bardam Phocam ejus victorem, ſuum antea Ducem fidelem & felicem, ſed qui poſtea tyrannidem favore militum invaſerat. In Anno 978. Ottonis lætam contrà Lotharium regem Galliæ expeditionem & pace 979. reſtitutâ, recuperatam Lotharingiam Sigebertus, Aventinus, Funccius, Calviſius aliique ponunt. Sed Lotharii mors ab Aimoini continuatore c. 44. in 976. à Serre in 964. in Chronologia ejus Inventario annexa in 986. quæ & Funccii, Calviſii ac Pe-

(a) Geſt. Saxon. l. 3. p. 38. (b) Avent. Annal. 5. p. 396. (c) Avent. l. c. (d) lib. 6. p. 120-121. (e) Egn. p. l. 2. p. 337. (f) Egnat. in Baſilio & Conſtantino.

tavii

tavii sententia est (Helvico annum detrahente, Alstedio verò addente) ponitur. Quâ de re Riccioli, ad quem de hac discrepantia auctorum retulimus, decisionem exspectamus. Unum antequam ulterius progrediamur, memoratu dignum occurrit, circa Annum 976. notante Pantaleone, Othingarum Episcopum Daniæ religionem Christi in Scania & Selandia propagasse. Illa quæ auctor Britannicarum Antiquitatum Cometæ tribuit, frequentissimè sine Cometis evenire toties diximus & demonstravimus.

CXCII. *Anno Christi 979. Cometa visus est in Virgine. Anno sequenti Moguntia terræ motu est concussa.* Eckstormius ex Herlicio & Buntingo.

ANte hunc Cometam visum, Basilius Imperator Orientis Anno 977. iniquo Marte contrà illum Phocam rebellem pugnavit: Anno verò 978. bellum inter Ottonem Imperatorem & Lotharium regem Galliæ variâ fortunâ gestum, at postero, quo Cometes visus est, pace compositâ finitum. Basilius Apuliam & Calabriam recuperat. Huic Otto vires suas paulò post feliciter opponit. Qui Romam Anno 980. profectus, ab omnibus, *sed præsertim à Pontifice & parte ejus ingenti animorum alacritate receptus est*, affirmante Sigonio (*a*), apud quem plura videat, qui volet, tristia, quæ Anno 977. & 978. gesta Cometam hunc antecesserunt.

(*a*) l. 7. de regno Italiæ.

CXCIII. *Anno Christi 983. quo Otto 2. Imperator ex mœrore obiit, visus est Cometes, cui fames ac pestis pedissequa fuit.* Ricciolus ex Joh. Prætorio. *Antea* verò (addit Ricciolus) *Anno 982. Vesuvius incendia effuderat ex Sigonio l. 7. de regno Italiæ, vel hoc anno 983. ut habet Baronius.* T. 10.

Anno 984. Cometa portendit famem, pestem & terræ motum. Alstedius.

ROckenbachius Cometam ad Annum Christi 983. annotat, eique eosdem effectus tribuit. Unum autem & eundem esse Cometam arbitror in fine anni 983. & principio 984. visum. An verò præcesserit vel secutus sit obitum Ottonis sexto Id. Decembris, anno illo de quo omnes auctores conveniunt, defuncti, non habeo dicere. Præcessère proximè Cometam hunc tristia. Accidit nempe Anno 981. inter epulas spectaculum, cum Otto invitatis ad convivium primoribus Romæ aliarumque urbium Legatis, sanguinem plurium, qui seditionis, ante aliquot annos excitatæ, rei erant, pro vino profudit, & Sanguinarii cognomen meruit. Anno verò sequenti atrox cum Græcis, Apuliam & Calabriam recuperare volentibus, & Saracenis eorum sociis, prælium est commissum, Ottoni, qui ægrè tunc ultimum vitæ discrimen evasit, infaustum. Hanc ei calamitatem non Cometa, sed illud crudelitatis portentum significavit. Ideò Sigonius (*a*), *Romani*, ait, *& Beventani, ubi certamen de summa rerum imminere viderunt, statim hominis crudelitatis memores à signis recesserunt, atque Othonem valido præsidio nec opinantem nudârunt. Ità exercitus ejus ancipiti terrore perculsus, instantibus hostibus facilè non solùm fusus, fugatusque, sed etiam fœdissimâ strage concisus est. Landulfus & Atenulfus Capuæ Principes (nam Pandulfus pater veniente in Campaniam Othone perierat) Otho Dux, Henricus Episcopus Augustanus, & Vernerus Abbas Fuldensis cum aliis Principibus, Episcopis & Abbatibus plurimis in acie ceciderunt. Otho ex prælio trepidus vix incolumis ad mare profugit, & cùm se naviculæ commisisset, metu piratarum in mare exiliens natatu sibi consuluit.* Videantur plura apud auctorem, qui etiam non diffitetur Græcos tunc, si victoriâ uti sciviſſent, Romam facili negotio in potestatem adducturos fuisse. Otto dehinc paulò post Romanorum & Beneventanorum vindictam spirans, Beneventum diruit, & in Venetos bellum molitur. Memorant quidam auctore Calvisio, maxima eum clade Saracenorum classem affecisse, ita ut pallida mors Saracenorum diceretur, sed in prælio illo difficili vulnus accepisse, &

(*a*) ad ann. 982. Vid. Avent. Annal. 5. pag. 397.

ex eo

ex eo postea obiisse. Ita vulnus ante Cometæ apparitionem, ut probabile est, inflictum, mortem ei portendit & attulit. Antecessit Cometam & Vandalorum strages, quæ 30. millia eorum absorpsit. Hanc autem injusta & nefaria in Saxoniam irruptio eis portendit. Sed jam læta Cometam secuta, tristibus tamen distincta videamus. Primùm hîc se offert apud Pantaleonem Wolodimiri, potentis Russiæ & Kioviæ Principis, cum sorore Basilii & Constantini Imperatorum Orientis nuptiæ, & earum occasione ad religionem Christianam conversio. Funccius hæc ad ann. 990. profert, hîc verò ad 984. nuptias Boleslai Principis Poloniæ, Miecislai *(a)* ex illa Dambrowca Bohema, ut diximus, filii cum Juditha Geisæ Ducis Hungariæ filia ponit. Auspiciis Imperatoris novi Ottonis 3. eodem Anno 984. res adversùs Bohemos Misniæ invasores prosperè gesta, pacem Bohemis supplicibus bellum deprecantibus peperit. Veremundus Rex Hispaniæ prosperâ quoquè fortunâ adversùs Saracenos, & Lotharius Rex Galliæ in occupanda Lotharingia usus est, mox tamen Anno 985. imperio Ottoni confirmato, occupata redditurus, annus 986. & 987. rebus prosperè adversus Bohemos gestis, & his ad pacem petendam compulsis inclaruit & lætus extitit. Inter hæc Lothario patre & Ludovico filio mortuis, regnum Galliæ dissidio inter Carolum Ludovici patruum *(b)* vel fratrem *(c)* & Hugonem Capetum lacerabatur, donec tandem iste superior evaderet, & familiæ Hugonidarum sive Capetivingorum, quæ adhuc post Capetos & Valesios in Borboniis durat, fundamentum poneret, Vir fortis, prudens & pius, ex stirpe *(d)* Witikindi illius Saxonis oriundus. Anno 988. Theodoricus Secundus Hollandiæ Comes ævi fatur, postquam 88. annis rarissimo exemplo imperasset, moritur, ut & Leopoldus primus ille Marchio Austriæ, postquam 55. annis præfuisset. Eodem anno Dani adverso Albi subvecti & victores virtute, & mox ex insidiis victi memorantur. Postero *(e)* Miecislaus filius Boleslai illius Ducis Poloniæ & Judithæ natus est. Antequam ulterius progrediamur, paucis quod ad illos effectus Cometæ tributos attinet, monemus idem quod toties monuimus & docuimus, talia ordinario rerum cursu etiam sine ullis Cometis & post hos prospera & læta evenire. Siccitatem & pestem anno demum 988. apud Funccium & Calvisium invenio.

(*a*) Flor. Polon. (*b*) Ritius, Serres, Funccius, Calvisius, Petavius. (*c*) Aimoin. Petav. Alsted. (*d*) Serres in Odone. Petav. R. T. p. 1. l. 8. c. 19. Alsted. Chronol. p. 233. (*e*) Funcc. ad ann. 989.

CXCIV. *Anno Christi 996. Cometes visus est.* Eckstormius ex Bergomensi & histor. Eccl. mortem Hugonis Capeti Francorum Regis in hunc annum ponens.

Anno Domini 997. Cometes horribilis speciei flammas huc illucque jactans in Australi parte visus est. Chron. Belgic.

UNum eundemque Cometam hunc esse, ex mortis Hugonis *(a)* diverso anno colligo. Ne longè tristia ante Cometam hunc visa quæramus, Anno 992. cædes Capuanorum *(b)* civium, cædem Ducis & Heri ex insidiis perpetratum vindicavit. Anno 993. Crescens Consul Romanus non tantùm libertatem avitam asserere, sed & tyrannidem invadere cupiens, ingentem seditionem in urbe ciet, anno sequenti Pontificem votis suis non assentientem urbe ejicit. Ejectus tunc & Landulphus Archiepiscopus Mediolanensis & acie victus à suis erat, & unà cum Pontifice Romano Joanne ad Ottonem confugit. Qui ideò Anno 995. ut Sigonius, vel 996. ut Calvisius putat, in Italiam cum copiis venit. Ubi submittentibus se Mediolanensibus regio diademate decoratus, mox Romæ cum uxore Maria, illo ipso anno 996. 5. Idus Maji imperii insignia accepit. Compositis in Italia rebus vix eam reliquerat, cum in eam cum copiis redire 997. necesse habebat, Crescentio turbidæ ambitionis viro ad ingenium redeunte. Romani ab armato Imperatore pressi pacem petierunt & impetrarunt. Verumtamen seditionis incentor Crescentius ab Imperatore ad furcam damnatus. Res dehinc in Italia Otto melius composuit. Inter hæc anno 992. putante

(*a*) Funcc. ad 996. Bucholz. Petav. Helvic, & Alsted. 997. Calvis. & Serres 998. (*b*) Sigon. ad 992.

Calvisio

Calvisio, mortuus Carolus ille Lotharingus in carcerem Aurelianensem ab Hugone æmulo detrusus: Anno 993. Sanctius Garsias rex Vasconum & Arnulphus Hollandiæ Dux: Anno 994. Kennethus Scotorum rex: Anno 995. Constantinus filius ejus: alia funera & tristia ut taceam. Mortem Hugonis Eckstormius viciniorem Cometæ esse voluit, invitis quod sciam, omnibus, si Funccium excipias. Helvicus, Petavius & Alstedius in 997. Aimoinus, Ritius, Serres & Calvisius in 998. eam referunt. Luctuosam mortem Geisæ, ultimi Ducum Hungariæ, & primi religionis Christianæ in illa Scythica gente fundatoris, quam Funccius in 998. Aventinus in 996. at Bonfinius in 997. *(a)* (Bakschajo in annum hunc baptismùm ejus, mortem verò in 1001. circiter ponente) Calvisius itidem in 997. ponit, lætissimum primi Hungarorum Regis Stephani, ob morum probitatem Sanctis annumerati, imperium pensavit. Præterire hîc non possumus insignem Michaëlis Ritii *(b)* lapsum. Is inter illos 7. Duces, qui cum Hunnis anno 774. in Pannonias reverterant, Seitam nominat, qui primus Hunnos ad Christianam religionem perducere tentavit, & in exercitu suo Adeodatum habuerit, qui Stephanum hunc Regem ab Alberto sive Adalberto (is antea Woitich sive Woiciech, quod nostra lingua Sclavonica Albertum etiamnum significat, vocatus est, secus quam Dubravius sentit *(c)* qui pro Woitichio Adalberti nomen ab Adalberto I. Archiepiscopo Magdeburgensi vocatum putat) Racensi Episcopo baptizatum, die lustrico de fonte sacro levârit. Mox verò l. 2. de reg. Ung. sic orditur: *Ventum jam est ad annum nostræ salutis undeseptuagesimum supra nongentos, quo Stephanus ex Geysæ ducis ante dicti stirpe genitus, amisso patre, qui Simingiensis dux erat, obviam Cupan progressus, implorato Divi Martini nomine victor, ipsius hostis capti corpus quatuor in partes fœdè discerptum, totidem portis urbium suis in finibus illustrium suspendi curavit.* Hîc plura in transitu corrigenda sunt. 1. Seita inter illos 7. Duces, quos Ritius innuit, apud Bonfinium, Bakschajum & alios Scriptores non invenitur; sed Almus (Bonfin. Almi filius Arpad Bakschajo teste) Zobolchus, Girola, Cundus (Kevund, Bakschajo) Lehel, Verbulchus (Berbulcho, Bakschajo) & Ursus. 2. Rationes temporum à Ritio putatæ conciliari non possunt, magno spatio inter annum 744 & 969. posito. 3. Albertus non Racensis sed Pragensis fuit Episcopus. 4. Stephanus I. non ex stirpe Geysæ, sed ex illo ipso genitus est. 5. Cupan illum in Simigiensi agro dominantem Stephanus ob adulterium in matrem suam meditatum Anno 997. *(d)* vicit. Hæc ita corrigenda & concilianda sunt, ut non illos 7. duces, sed præfectos & capitaneos *(e)* sive regulos *(f)*, qui ante Stephani regis primi tempora Pannonias regebant, intelligamus, pro Seyta Geysam, pro Racensi Pragensi, pro stirpe Geysæ ipsum Geysam reponamus.

(a) Dec. 2. l. 1. p. 100. (b) de regib. Hung. l. 1. fine. (c) Dubrav. hist. Bohem. l. 6. p. 39. (d) Bonfin. dec. 2. l. 1. pag. 101. (e) Dubrav. hist. Bohem. l. 6. c. 40. Bakschai de reg. Hung. (f) Bonfin. dec. 1. l. 10. p 189.

CXCV. *Anno Christi 1000. multa prodigia sunt visa. Terræ motus factus est permaximus, Cometes apparuit 19. Cal. Januar. circa horam nonam, aperto cælo quasi facula ardens cum longo tractu fulguris instar, illabitur terris, tanto splendore, ut non modo qui in agris erant, sed etiam in tectis lumine ferirentur, qua cæli scissura sensim evanescente, visa est figura quasi serpentis capite crescente cum cæruleis pedibus.* Sigebertus. *Anno Christi 999. anno 16. Ottonis III. Cometa 19. Cal. Jan. circa horam 9. aperto cælo quasi fax ardens, splendens super terram, cum longo tractu in modum fulgoris cum terræ motu maximo, prodigiisque aliis multis apparuit, cujus splendore non modò qui in agris, sed etiam in lectis fuerunt, quasi fulmine icti, territi sunt. Hâc scissurâ cæli evanescente paulatim, deinde figura serpentem referens, capite cum cæruleis pedibus crescente visa est. Anno sequenti, Crescens, patritius Romanus, Gregorium ejus nominis V. natione Saxonem, & consanguineum Imperatoris de dignitate Papatus deposuit, pecuniâque multis largita, Joannem Episcopum Placentinum in odium Imperatoris, Papa ut fieret, curavit. Quæ postquam Otto Imperator intellexit, Italiam magno cum exercitu intravit, adque urbem properans cum Crescentio manus conseruit, atque prælio vicit, captumque*

que ante urbem post longas vexationes, suspendi eum curavit, Pontificemque Joannem factum illegitimè oculis privavit. Rockenbachius,

Anno Christi 999. 14. *Decembris ingens Cometa in cælo instar facis arsit, quem secuta est magna siccitas, quâ fluviis exsiccatis mortui sunt pisces & fœtore gravi pestilentia præbuerunt occasionem.* Eckstormius ex Spang. Chron. Sax. cap. 155.

Anno Christi 1000. *stella crinita horrendæ magnitudinis visa est in cælo: fax quoquè ignea de cælo decidit, & serpens igneus conspectus est in aëre.* Eckstormius ex Buntingo. *Addit anni sequentis initio, die* 28 *Januarii chirotecis veneno infectis à Crescentis Cos. vidua necatum esse Ottonem* 3. *Imperatorem.*

Anno Christi 1000. *Cometes & varia prodigia apparuerunt. Otto III. superavit Crescentem patritium, qui Romæ principatum occupaverat, & septem Electores instituit.* Alstedius.

POst solicitam rationum curam hùc referendum censeo Cometam illum, de quo Trithemius (a) ita scribit: *Anno Conradi Abbatis* 10. *fuerunt maximi terræ motus per loca Germaniæ & totam penè Europam, quibus multa fortissima etiam ædificia pulsata corruerunt. Apparuit insuper Cometes eodem anno, qui multos terruit suo adventu.* Annum Conradi decimum exputare facilè est ex Trithemio, sed contrà eum. Ait enim eum 989. 12. Kal. Martii electum, & tamen annum Christi 994. Conradi quartum, Christi millesimum, Conradi undecimum, Christi primum suprà M. Conradi 12. fuisse, cum sextum, duodecimum, decimum tertium dicere debuisset, sesquimense tantum circiter in sequentem annum producto. Ita cùm illo teste Conradus Anno Christi 1002. Idib. Februarii mortuus fuerit, non 12. sed 14. anni regiminis paucis diebus minus ei sunt tribuendi. Quamobrem annus Conradi decimus secundum ejus rationes erit à Christo nato 999. (ideo & Cometam annumque Conradi X^um. proximè ante M^um. posuit) secundùm nostras 998. ita scilicet ut Anno 999. 12. Kal. Martii decimus Conradi annus expleatur. Sed neque sic rationes Trithemii sibi constabunt: tredecim enim anni quinque diebus minus essent Conrado tribuendi. Conabimur eum his difficultatibus explicare, vel sententiam magis vero convenientem ex illo ipso eruere. Dabimus ei Conradum Anno Christi 1002. Ind. 15. quæ isti anno convenit, obiisse, non anno quasi 12. ut ait, sed quasi 13. ut putat, regiminis. At verò hac ratione quindecim anni regimini ejus erunt assignandi, quinque tantum diebus minus: ita scilicet ut electio ejus in ann. 987. referatur. Convenit hoc quodammodo cum rationibus Trithemii. Annotat enim hoc anno, quo Conradus in Abbatem eligebatur, grana tritici & pisciculos pluisse in Gallia de cælo. Hoc autem Chron. Saxon. indicante Funccio in ann. 987. refert, idque in Saxonia accidisse affirmat. Hoc prodigium anno vertente æstatis siccitas ingens secuta. Hanc Calvisius in 988. Alstedius in 989. ponit. Sed ita in Trithemio ex Trithemio tamen rationes forent mutandæ & tollendæ contradictiones, & Cometa vel in annum 996. Conradi ab Anno 987. decimum, vel in 999. Conradi à 989. decimum 12. Kal. Martii completum referendus. Adjicit ille Cometæ motum terræ. Hoc convenit huic nostro Cometæ secundùm Sigeberti & Rockenbachii descriptionem. Sabellicus Enn. 9. l. 2. certum annum huic Cometæ non assignat. Sigebertus, ut vidimus, & cum hoc Bucholzerus, ad Ann. 1000. in describendo Cometa Rockenbachio præivit. A quo hæc stella crinita meritò in 999. refertur. Hoc enim decurrente apparuit. Colligitur verò eundem initio quoquè anni proximi visum esse, sicut Eckstormii & Alstedii narratio docet. Ille tamen non videtur rectè divisisse Cometam. Nam quem in annum 1000. ponit, ille ipse est Anno 999. conspectus. Itaque Rockenbachio diligentiæ palmam hactenus tribuimus. Verum enim verò recedit hic à rationibus magistri Funccii, ut & Alstedius à Calvisii. Funccius enim seditionem illam Crescentis & Pontificatum Antipapæ Joannis in ann. 995. Calvisius in 997. ponit, & anno vertente utrumque aliosque seditiosos pœnâ dignâ affectos uterque scribunt. Sigonius de hoc epochæ Christianæ millenario scribit, multis eum prodigiis ac cælestibus territamentis fuisse insignem: Cometæ non meminit. At Crescentis motus in 996. pœnam in 997. refert. Iste annus quo Cometa luxit, lætus

(a) Chron. Hirsaug. post ann. D. CCCC. XCV. anteann. M.


CXCV
A.C. 1000
Fulgur cœlum apertum
CXCVIII
A.C. 1005
Capricornus
Sagittarius
Ecliptica
CC
A.C. 1009.
Corvus
Crater
Hydra
CCVI
A.C. 1039
Tropicus Zodiacus cancri
Æquinoctialis
Tropicus Capricorni
Linea Horizontalis
CCXII
A.C. 1066.
Taurus
Pedes Geminorum
CCXVII
A.C. 1092
Æquator Zodiacus
Linea Horizontalis
CCXX
A.C. 1097
Pes Ophiuchi
Libra
Ecliptica
Scorpius
CCXXI
A.C. 1098.
Lupus
Centaurus
CCXXVI
A.C. 1106
14 Cal. Mars
Cetus
CCXXVII
A.C. 1107.
Linea Horizontalis
CCXLII
A.C. 1172
Ecliptica
Capricornus
CCXLIII
A.C. 1180.
Linea Horizontalis
M.C. Ysenig del.



lætus & memorabilis cumprimus illuxit, Boleslao Chrobri Poloniæ, & Stephano (in album S. S. postmodum relato) Hungariæ Ducibus, diademate & titulo Regio primùm insignitis. Non dissimulo quosdam Poloniæ diadema referre in 999. (Bucholzerus, Helvicus) Hungariæ in 1001. Bonfinius *, Bakschai, Th. Jordan. annotat. ad Dubrav. hist. Bohem. l.6. p.46. qui etiam testatur, nonnullos regiam Stephani dignitatem in anno 1006. differre. Non dissimulo & institutionem Septem Virûm Imperii, non tantum in anno 998. vel 1002. & extrema tempora Ottonis 3. à Blondo, Funccio, Bonfinio, Mart. Crusio aliisque referri: sed & in longè posteriora, Ottonis scilicet IV. qui anno 1199. imperare cæpit, vel Friderici 2. tempora, sive post annum 1250. rejicere. Vide Aventin. (a) Onuphrium (b) Bucholzerum (c) Calvisium (d), Helvicum. (e) Sabellicus rem in dubio (f) relinquit Anno 1000. & sequenti Basilius Imperator Orientis contrà Bulgaros & Saracenos multa feliciter gessit. Bulgaros etiam anno 1002. domuit: quo Boleslaus rex Poloniæ Boleslaum Bohemiæ Ducem vicit & Cracoviam recepit, Ottone Imperatore inter hæc aliquot Principes hîc & illîc exstinctos, ad plures sequente. Sed huic Cometæ phœnomeno certiùs fatum triste portendit, judice Romualdo Ravennate presbytero, (g) fides Crescenti violata, cujus uxor Ottonem formæ illecebris captum chirothecis venena tinctis exstinxit. Anno 1002. quo Otto rebus humanis exemtus est, Normani 40. ex Hierosolymitana peregrinatione redeuntes Gaimario Principi Salernitano mirabilem contra Saracenos pepererunt victoriam, (h) & inter gratulationis gaudia cum muneribus & legatis, Viros illos strenuos in Apuliam invitaturis, ad suos redierunt.

* Confer dec. 1. l. 10. p. 192. & dec. 2. l. 1. p. 203. (a) Annal. 5. p. 401. (b) lib. de Comitiis Imperat. (c) ad annum 1000. (d) ad annum 998. (e) ad annum 991. & 1002. (f) Enn. 9. l. 2. p. 340. (g) Sigon. ad ann. 1001. (h) Calvis. ad ann. 1002. Petavius Rat. Temp. p. 1. l. 8. c. 17.

CXCVI. *Anno Christi* 1004. *Cometa diu visus est, & magnam secum attulit annonæ penuriam. Henricus Imperator hoc anno in interiore Germania Vandalos subegit.* Eckstormius ex Schossero & Buntingo.

PAulò ante annotata tristia, Principum scilicet funera, Cometam proximum biennio amplius secuta, hunc præcesserunt. Ubi nemo non videt perpetuam rerum prosperarum & adversarum vicissitudinem, satis frequenter apparentem, etsi nulla stella crinita appareat. Illis quæ suprà attulimus pauca hîc addere placet. Mortuo sine prole masculâ Ottone Imperatore, extemplò (i) Italicorum pro recuperanda avitâ libertate & Germanorum pro occupando imperio certamina secuta sunt. Illîc Ardoinus Eporædiæ Marchio apud Papiam tyrannidem invasit, insscio & invito Archiepiscopo Mediolanensi. Is juri suo, de rege Italiæ cum 14. Episcopis vicariis (qui vulgo Suffraganei vocantur) ab se creando, metuens, Ardoinum vitio creatum pronunciat, & ad ferro tuendum imperium à frequentibus Ordinibus collatum excitat. In Germania quoquè Eckhardus Marchio Saxoniæ magnam, quà pollebat, auctoritatem & potentiam ad occupandum imperium Anno 1002. convertens, frustrà fuit. Sed & Anno postero Hermannus Dux Sueviæ aliique Proceres Imperatori Henrico Bojo (qui judice Aventino (b) jure consanguinitatis imperii insignia sibi usurpavit, ac viam ferro sibi aperuit) submittere se necesse habuerunt. Ostendit hîc annus aliquot Principum funera & bellum (quo Robertus Gallus Burgundos imperium detrectantes & studiis in Imperatorem propendentes attrivit) prius quam proximus Cometam ostenderet. Inter hæc & Stephanus Rex Hungariæ Gyulam (c) avunculum armis perdomuit. Annus suprà millesimum quartus Papiæ incendium & annonæ caritatem, Campaniæ terræ motum, Thuringis verò antiqui tributi Saxonibus quotannis pendendi immunitatem, ac Imperatori victoriam de rebelli (d) Henrico, Orientalis Bojariæ præfecto, aliaque læta pariter ac tristia attulit. Bohemos, quos (e) terræ motus rarò terret, (sicut & Polonos, sed & Anglos (f) æstate) belli motus (g) Henrico

(a) Sigon. de regno Ital. l. 8. initio. (b) Annal. 5. p. 401. vid. Bonfin. Dec. 2. l. 1. p. 204. (c) Bonfin. l. c. p. 209. (d) Avent. l. c. (e) Dubrav. l. 15. p. 124. (f) Polyd. l. 16. p. 294. & 308. (g) Calvis. ad ann. 1004.

illo

illo rebelli ad eos confugiente, per id tempus exercuit. An tamen hæc præcesserint vel exceperint Cometam, nullis circumstantiis annotatis, divinare non possum.

CXCVII. & CXCVIII. *Anno Christi* 1005. *Cometa aspectu horribilis visus est per* 13. *noctes sub festa Paschalia.* Ricciolus ex Prætorio.

Anno Christi 1005. *anno imperii tertio, Henrico II. Imperatore regnante, Cometa* 1. *die Octobris horribilis visu, flammasque hùc illùc jactitans in parte mundi Australi conspectus est. Hunc mox mors Ottonis ducis secuta, Ducatus Lotharingiæ Comiti Godefrido filio Godefridi traditus est. Fames non tantùm totam Europam, sed totum ferè terrarum orbem afflixit, bello, quod vocatum est sacrum, secuto. Hoc per multos annos duravit, & ita, ut magna totius Orbis Christiani jactura gestum sit, nationibus totius ferè orbis Christiani omnibus inter se profligantibus, in quo bello Reges, Principes, Duces, aliique homines innumerabiles perierunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1005. *Calendis Octobris Cometa horribilis hùc illùc vibrans, in Australi parte visus est, quem magna anno sequenti fames & pestilentia secuta est.* Ecklstormius ex Hist. Eccl. cent. 11. cap. 13.

HUnc Cometam flammas hinc inde projicientem Keckermannus (*a*) in Ann. 1007. ponit. Duo distincti Cometæ, ut circumstantiæ apparitionis & durationis docent, hoc anno apparuerunt. Funera Principum, clades, bella, famem, pestem aliaque his similia Cometæ non aliter portendunt quàm natales Principum, commoda, pacem, rerum abundantiam, aëris salubritatem aliaque prospera. Portendit verò mala & malitia hominum ad irritandum sceleribus numen obstinata, & vindictam ejus in coërcenda flagitia semper paratam accersens. Hoc anno quo Cometes apparuit, invenio Henricum illum rebellem, cùm culpam deprecaretur, veniam, mox & libertatem plenam obtinuisse: præterea Imperatorem tùm contrà Ardoinum in Italia, tùm contrà Boleslaum in Bohemia, utrumque sibi adversantem, prosperè rem gessisse. Pari fortunâ usi sunt Pisani adversus Lucenses, qui eos lacessere ausi, temeritatis pœnas dederunt. Cladem eis omni Cometâ certius temeraria vicinæ ditionis invasio (*b*), hanc verò commoda occasio, Pisanis cum universo juventutis robore domo absentibus, & ad ejiciendos ex Sardinia Saracenos omni conatu incumbentibus, portendit. Belli sacri, quod Rockenbachius commemorat, Calvisius ex Baronio originem Sylvestro 2. Pontifici Romano ad annum 1003. tribuit.

(*a*) Syst. Phys. l. 6. c. 5. de Cometis. (*b*) Sigon. ad ann. 1005.

CXCIX. *Anno Christi* 1006. *Anno tertio Henrici II. Cometam & alia prodigia exceperunt fames & pestis, è quibus hæc adeò invaluit, ut sepelientium tædio, vivi adhuc spiritum trahentes, cum mortuis sepelirentur. Pestis illa duravit triennium, & multa oppida planè exhausit.* Alstedius.

COnjiciebam primùm Cometam hunc à proximo separandum non esse. Sed cum Alstedius ad eum referat famem & pestem quæ triennio dehinc durávit, non temerè Cometas duos distinguo. Nam & Sigonius & Funccius utrumque malum hoc anno annotant. Calvisius verò pestem illam triennalem ab hoc anno arcessit. Sed non dubito apud Alstedium pro anno Henrici tertio quintum esse ex eodem Alstedio reponendum. Annus enim 1002. est Henrici primus, ut ipse putat Chronol. Monarchiæ Rom. p. 184. Alioqui si 1006. est Henrici tertius, vicesimus quartus suprà millesimum, quo Henricus vivere desiit, foret imperii ejus vicesimus primus, quod contrà omnes Scriptores, qui ei supra 22. annos tribuunt, & contrà ipsum Alstedium, qui 23. ei concedit, foret. Ideò & Calvisio & Helvico ducibus Alstedii Annus 1006. est Henrici quintus; vicesimus verò quartus suprà millesimum est imperii ejus vicesimus tertius currens. Famem & pestem non necessariò Cometas sequi, toties

toties diximus & vidimus. Concedimus interim Cometas sub Luna ortos (ut multi etiam eorum, qui Cometas supra Lunam generari docent, multos tales dari affirmant) vel, ut alii volunt, aërem nostrum brevi temporis spatio trajicientes, venenatos quosdam vapores terræ vicinæ immittendo, non parum ad pestem conferre. Hoc anno bella in Lotharingia & Polonia gesta. Illud Lotharingiæ ab Henrico 2. Imperatore, Godefrido Duci Arduennæ datæ, facta à Balduino Comite Flandriæ, invasio, hoc imperii ad Albin usque vastatio attulit. Sed in Polonia pax eodem anno, in Flandria proximo sancita est, utrobique feliciter composito bello, Balduino etiam majoribus honoribus aucto. Atque hæc sunt illa tempora, quibus Imperator victoriis cumulatus Germaniæ, Galliæ, Italiæ pacem reddidit, ut Aventinus ait. Annal. 5. pag. 402.

CC. *Anno Domini* 1009. *Cometes solito mirabilior in modum trabis maximæ per quatuor menses apparuit.* Chron. Belg. *Eodem anno terræ motus factus est maximus circa meridiem.* Id. ex Sigeberto.

Anno Christi 1009. *sub finem Maji Cometa fulsit, qui mox insecutæ apud Saxones pestis certum indicium fuit. Eccl. cent.* 11. *c.* 13. *ex Sigeberto. Hoc anno Turci & Saraceni Asiatici Hierosolymam ceperunt.* Eckstormius ex Blondo.

Anno Christi 1009. *quo mortuus Joannes* 18. *vel, ut alii volunt,* 19. *apparuit terribilis Cometa versus Meridiem, quem ingens pestis & fames secuta est, ut affirmat Cardanus.* Ricciolus.

NEmo non videt terræ motum, pestem & urbium oppugnationem expugnationemque, ut & alia mala ante Cometas & sine iis frequenter fieri, imò assiduò, si totum mundum mente circumeamus. Non sunt longè quærenda exempla. Nam anno proximo ante Cometam Boleslaus Bohemus Budissinam oppugnavit & cepit: paulò tamen ante Cometam, mense scilicet Aprili, cum Cometa mense Majo visus fuerit. Fortè ab his mense Maji, ab aliis mense Aprilis vel Martii. Illo quoque Anno 1008. (a) Volodimirus ille Russiæ Princeps, expugnatâ arce Præmislaviâ, in totam mox Rudimensem regionem imminebat. Quâ occasione Boleslaus Bohemus ad distractum bello Boleslaum Polonum adoriendum incitatus, Cracoviam regni metropolin malè custoditam cepit. Hanc non multò post Boleslaus Bohemus iners, sed & oculos à Polono erutos amisit. Eodem illo anno classis Anglica Danicæ opponenda tempestate periit. Annus 1009. Danicis successibus in Anglia celebris est. *Annus inde millesimus decimus* (verba Sigonii (b) adfero) *nobili Ungarorum ad fidem Christianam conversione nobilitatus est. Ejus rei faciendæ initium ab ipso rege est ductum. Qui cum Giselam, Henrici regis sororem, eximiâ specie virginem conjugio impetrare non posset, nisi Christiana sacra susciperet, ultrò ad sanctum lavacrum accessit, ac gentem suam pulcherrimi facti imitatione succendit.* Hoc tamen anno Saraceni Hierosolymitanum templum sumtuosissimum, pace violatâ & urbe captâ everterunt. Sed quid si id hôc quidem anno, sed tamen ante Cometam, qui demum in fine mensis Maji fulsit, acciderit? At demus à viso Cometa factum esse, fiunt talia post, fiunt & ante Cometas. Erat tamen hic quoque quod cladem hanc portendebat. Amiras Ægypti (Procuratorem vel Præfectum rectè dixeris) cum esset matre Christianâ natus, suspicionem Christianismi apud suos metuens, atroci hoc facinore fidem suam probare Mahometanis volebat. Eodem anno Angli adversâ, Dani propitiâ fortunâ usi. Orientalem enim Insulæ partem hi suæ fecêre ditionis. Hæc & alia plura Anglorum infortunia, longè ante Cometam portenderunt alia, vitia nempe & scelera, quæ Dei iram adversùs gentes & imperia accendunt. Nam corruptos illâ tempestate gentis suæ mores ab Ordine sacro, præcipuè Monachis, in populum diffusos acriter perstringens Polydorus (c), *hos velut jure suo ubique gentium opes immodicas sibi comparare cum damno posterorum cæpisse,*

(a) Dubrav. histor. Bohem. l. 6. p. 41.
(b) ad ann. 1010. Vid. Avent. Annal. 5. p. 403. Confer Bonfin. dec. 2. lib. 1.
(c) Angl. hist. l. 6. p. 119. 120.

pra

præ solitudine celebritatem, præ re divina divitias elegisse, has recepisse, & sic à majoribus suis multùm degenerasse ait. Eandem verò *divitiarum pestem sic reliquos pariter Sacerdotes pervasisse, ut magna pars à prisca pietate patrum ad tyrannidem exercendam versa sit, dolet.* Hos quoque *licenter vivendo, decus Sacerdotii contaminasse: malis sæpè artibus honores ambiisse, ac mox acquisitos insolenter exercuisse, avaritiæ & improbitati deditos fuisse queritur.* Itaque palam rerum religionis statum depravatum ipso quoque Edovardo (qui postea inter SS. relatus est) rege, & certaminibus Monachorum & presbyterorum Rempublicam concussam fuisse fatetur. Antiquitates certè Britannicæ in vita Dunstani Cantaurienſis per id tempus Archiepiscopi: *Ecclesiæ Christianæ aciem tot cæcatam fuisse erroribus, ut verbi divini lux à paucissimis cerneretur, illamque crassam & concretam caliginem densiorem tunc indies crevisse* palam pronunciant. Regum dein improbitatem, & ordinis Ecclesiastici recensita scelera, cumprimis verò libidines & impurum cœlibatum produnt. Equidem rex ipse Edgarus in oratione sua ad Dunstanum & alios Præsules, vitæ monasticæ crimina pro merito confodiens, inter alia ait*: *Dicam quod boni lugent, mali rident: dicam dolens, (si tamen dici potest) quo modo diffluant in commessationibus, in ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, ut jam domus clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi usque ad medium noctis spacium protracta in clamore & horrore vigiliæ. Sic patrimonia Regum, eleemosinæ pauperum, imò (quod magis est) illius pretiosi sanguinis precium profligatur.* Taceo reliqua, quæ videat qui volet. Hæc & similia Auctor ille sequentium calamitatum portenta & causas fuisse indicat. Hec tamen inter hæc Cometam illum 975. & alia phœnomena, in cælo visa iram cæli denunciantia, & homines officii admonentia, silentio præterit. Regis quoque Edouardi cædem prodit, & *clades tanquam è divina vindicta in Anglicam gentem invectas, quæ non destiterint donec Normanis Marte obtigisset imperium* (id Anno 1067. factum *(a)* testatur, & paulò post invasionis Danorum (quos errorem plurium *(b)* secutus, Dacos vocat) meminit. Polydorus illis quæ ante paucis exposui, cædem Edovardi Regis subjicit: ac demum; *Hujus*, inquit, *optimi principis exitum, interitus virilis ætatis regni secutus est: nam quemadmodum ille in flore juventutis, viribus corporis integris, repentè cecidit, ita omne regni robur debilitari sic capit, ut postea rege Etheldredo, ætate jam senecta ineunte, summa ejusdem infirmitas accesserit.* His l. 6. finiens, initio sequentis socordiâ Regis Ethelredi publicas res in talem perveniſse statum, ut meritò sub eo regni senecta ætas cœperit, disertè scribit. Mox regem minimè omnium militaris disciplinæ scientem, hominem vecordem & otii ac luxûs amatorem, domi exosum, accedente *(c)* præsertim avaritiâ & crudelitate, foris contemtum, Danos (quos & ille Dalas ubique vocat, & ita vocandos esse *(d)* ad discrimen à Danis Valachiæ incolis faciendum præposterè contendit) ad regnum suum invadendum tot vitiis incitasse & velut accersiviſse indicat. Hæc ideò prolixius deduxi, ut Viri Principes non Cometas & astra, sed Ludovici Pii aliorumque ei similium Principum exemplo Deum eorum Creatorem & rectorem metuant, populos sibi creditos artibus justitiæ & clementiæ regant, Cometarum interim apparitionem in documenta divinæ justitiæ bona bonis, mala malis denunciantis ducant. Fecit id aliquantum, credo, tunc illâ tempestate Rex ille Ethelredus, tot malis exercitus, & ad pacem opportunam magis quàm honestam à Danis tributo emendam Anno 1012. adactus. Fecit Bernhardus Dux Saxoniæ & Lunæburgenſis, Episcopi Hamburgenſis & aliorum Procerum monitu, pace cum Imperatore, cui se oppoſuerat, Anno 1013. composita. Sed Ethelredus pace illâ, quæ per hunc modum vix erat parta, malè uti cœpit, ut Polydorus *(e)* ait, & rationem addit. *Dum enim per otium vitam agebat, suis gravior truculentiorque solito factus, quotidie alios speciatim locupletiores facultatibus spoliabat, alios ignominiâ afficiebat, alios demum in exilium agebat, propter levissima etiam crimina.* Dehinc quomodo Sueno rex Daniæ classem validam ad Angliæ littora iterum (Anno scilicit 1013.) appulerit, & Ethelredum regno ejecerit, describit. Inter hæc Anno 1012. Ardoini (ut in Italiam revertat) arrogantia, & Archiepiscopi Mediolanensis

* Antiquit. Brit. p. 85. (a) Polyd. l. 8. in fine & l. 9. in principio. (b) Vid. Voss. de vitiis sermonis l. 2. c. 1. p. 167.
(c) Polyd. l. c. p. 123. Jov. Chron. Angl. reg. (d) lib. 5. p. 96. Vid. Bonfin. dec. 1. l. 1. initio. (e) l. 7. p. 123.

preces

preces Imperatorem in Italiam perduxerunt. Anno proximo Ardoinus fugatur, divinâ vindictâ è vestigio sequente. *His rebus magna felicitate* (inquit Sigonius† :) *administratis Henricus coronâ ab Archiepiscopo acceptâ conventum in Roncaliis habuit, & civitates, ac principes officia, quæ debebant, obedienter præstantes indulgenter excepit, ac singulis hominibus jura ex legibus dixit.* Paulò post eum anno sequente Romam venientem *benignis Pontificis ac Romanorum animis ex instituto exceptum, ac mox in Resurrectione à Pontifice corona, solemni cæremoniâ, decoratum esse scribit.* Tot etiam læta à Cometa viso eveniisse hîc videmus. His si Bohemiam Anno 1013. à Boleslao Poloniæ Rege domitam armis, Pragam captam, prosperosque ejus successus, & mox Udalrici Principis Bohemorum reditum in patriam lætum, Pragam strategemate recuperatam, regnum patrium erutis fratri natu majori Jaromirio (vide triste ibi patris, hîc filii fatum) oculis occupatum, addideris, celebre vicissitudinis rerum humanarum exemplum exhibueris.

† ad ann. 1013.

CCI. *Anno Christi* 1017. *Cometa solito mirabilior, in modum maximæ trabis per quatuor menses visus est.* Sigebertus. *Herlicius in Leone hunt Cometam apparuisse annotat. Hoc anno Henricus II. Imperator exercitum duxit in Poloniam. Anno sequenti Jaroslaus Dux Russorum hostili exercitu Poloniam ingressus, à Boleslao Rege victus magnâ cum suorum clade domum rediit.* Eckstormius ex Chron. Polon.

Anno Christi 1017. *Cometam secuta est pestis, & bellum in Poloniâ.* Alstedius.

HUjus Cometæ Hadrianus Barlandus in histor. Comitum Holl. & Auctor Chronic. Belg. meminit, & in annum Theodorici Comitis Hollandiæ eum refert. Qua de re videantur Tom. 1. in Communicat. Bluhmiana epistolæ die 8. 12. & 18. Julii Juliani Anno 1666. exaratæ. Quæ adversa Cometæ proximo, præsertim ab Anno 1012. successerunt, hùc meritò referri possunt, ut videamus antè Cometarum apparitionem quoque mala evenire. Pauca illis ut addam, Samul Bulgarorum Dux, vel, ut quidam malunt, Regulus, à Basilio Imp. magnâ clade 1013. affectus, captis 15. millibus, quibus omnibus eruti oculi, centum tantum unoculis dimissis. Mox Sueno ille Ethelredi victor, Angliæ domitor, mortis vi victus & domitus, anno 1014. postquam Christianus effectus commissa ante facinora multa pietate (ex Saxone Polydorus (*a*) affirmat, purgasset) suis ad recipiendum Christianum dogma auctor extitisset, moritur. Cnuthus filius, qui ei successit, postquam Ethelredus ex exsulio Normanico in regnum revertit, & in multos crudelitatem exercuit, Cnuthum (Canutum Polydorus vocat) expulit, in obsides sæviit. Norvegi verò audita Suenonis morte Olaum regem præterito Canuto crearunt. Dehinc Basilius Bulgaros & Saracenos variis cladibus attrivit (*b*). Inter hæc Germania, Anglia, Italia, Polonia, Bohemia, Burgundia, Lotharingia motibus, bellis & cædibus non caruit. Nec rara profectò hâc tempestate efferuntur Principum funera. Hos proximè secutus est, Cometæ verò apparitionem præcessit Ethelredus rex 1016. rebus humanis exemtus. *Idem annus*, ut Sigonius scribit, *principium magnorum in Apulia motuum intulit. Quibus Græcis Italiâ pulsis, nova deinde Normanorum (c) dominatio, quæ post in ulteriore Italia claruit, constituta est.* Tot mala (ut plura taceam) orbem Christianum ante Cometam istum præcesserunt, quæ non stellæ crinitæ, sed potius vitiorum portenta prudentibus tunc prænunciabant, nobisque talia expendentibus recti judicii argumenta præbent. Et anno quidem 1017. belli Normanici in Apulia initia facta sunt. Sed hoc Procerum quorundam rebellio, hanc autem Græci imperii durities, ut Sigonius † refert, jam ante portendit. Varia belli istius fortuna, quâ annis sequentibus Græci & Normani cum sociis usi sunt, argumento est læta tristibus, tristia lætis, utraque Cometis succedere. Nec alia unquam rerum in orbe conditio est. Verum enim verò hoc anno

(*a*) l. 7. p. 125. P. Jov. Chron. Angl. reg. p. 129. alios. (*b*) Vid. Avent. Sigon. Sabell. Dubr, Funcc, Bucholz, Calvis. & (*c*) Vid. Avent. Annal. 5. p. 433. 404. † Vid. Avent. l. c.

quo Cometes apparuit, Basilius Bulgariâ totâ potitus, eandem hôc & sequenti anno constituit. Illo anno pax inter Pictavienſem Comitem & Burgundum firmata Calviſio memoratur. Tum & nuptiæ Cnuti regis cum Emma Ethelredi Vidua, ut Calviſius ex Rogerio ad ann. 1017. notat, celebratæ ſunt. Quàm atrocibus præliis Dani & Angli, Canuto & Edmundo Ethelredi filio ducibus, mutuò ſe paulò antè attriverint, Polydorus (a) deſcribit. Tandem tamen Danum Victorem evaſiſſe & ſingulari cum Anglo certamine inito, pacem ei obtuliſſe & ſic coagmentata pace (quam poſt tantas turbas optabilem Antiquitatum Britannicarum auctor in vita Livingi vocat) facto in multos annos fœdere, regnum inter eos diviſum fuiſſe memorat. Sed mox Edmundo numero viventium exemto Canutum toto regno Anno 1017. potitum eſſe, illud valdè ſalutaribus (b) legibus ſancitis, prudenter & cordatè adminiſtrare cœpiſſe, & nuptias illas celebraſſe, prodit. Ita Canutus rebus in Anglia compoſitis in Daniam Anno 1018. reverſus, Suecos, ut Calviſius ex Rogerio, vel potius Norvagos, ut Polyd. & Funccius teſtatur, victos ab ea removit, & mox Norvegiam feliciter recuperatam pacavit & conſtituit. Tunc & Boleſlaus rex Poloniæ cum Imperatore Henrico pacem ſanxit, & auxilio Saxonum, quos ab Imperatore obtinuit, Jaroſlaum Ducem Ruſſorum hoſtem ſibi gravem, Polonia ejecit, Theodoricus verò, quem Calviſius (c) levi errore Fridericum vocat, Hollandiæ Comes, aggreſſorem Epiſcopum Ultrajectinum gemino prælio fregit & ad pacem petendam coëgit, victoria tamen uti neſciens à Friſiis victus & captus eſt. Anno 1019. pax inter Bohemos & Miſnenſes coaluit. Is annus Gothofridi Lotharingiæ Ducis captivi libertate, ſed paulò poſt & morte celebris extitit. Hæc & alia læta, non tamen ſine triſtium mixtura Cometæ hujus apparitionem ſecuta, rerum viciſſitudinem & noſtram de indifferentibus Cometarum eventibus ſententiam comprobant.

(a) l. c. p. 129. & ſeqq. (b) Polyd. l. 7. p. 133. (c) Edit. Francof. ad 1017.

CCII. *Anno Chriſti* 1025. *poſt apparitionem Cometæ in vivis eſſe deſierunt Boleſlaus primus Rex Poloniæ, Baſilius Imperator & Euſthatius Patriarcha Conſtantinopolitanus.* Eckſtormius ex Schoſſero.

QUæ quadriennio tàm proximum Cometam ſecuta ſunt, quàm hunc anteceſſerunt mala, hùc meritò referenda ſunt. Annum nempe 1020. belli motus inter Comitem Thuringiæ & Archiepiſcopum Moguntinum non paucorum, tùm verò ſæva peſtis plurimorum exitio nobilitavit. Viceſimus primus ſupra milleſimum annus terræ motu & ſeditione Conſtantinopolitana, viceſimus ſecundus bello in Italia inter duos Imperatores geſto, tum & illo quod Baſilius Imp. adverſus Abaſgos ſuſcepit: viceſimus tertius, Vandalorum in Saxoniam irruptione, quam tunc *temporis* & Marchio Brandenburgicus & Epiſcopatus Stargardenſis & Urbs iſta Hamburgenſis, ſed & tota Saxonia ſenſerat, tandem viceſimus quartus ſuprà milleſimum, morte Henrici Imperatoris (qui Cunigundem uxorem Virginem reliquit) & motu quorundam Germaniæ Procerum electioni Conradi ſe opponentium inclaruit, ut alia triſtia apud Trithemium, Sigonium, Funccium & alios poſita præteream. Eodem quo Cometa apparuit anno, Veneti Ducem Ottonem Hadrienſium, paulò ante (a) & Croaciæ victorem, qui pacem & Dalmatiam patriæ peperit, & fratrem ejus Urſum Patriarcham ſuum, qui anno proximo ob ſeditionem in urbe ortam in Iſtriam ſeceſſerunt, in urbem redire, odio Popponis Aquilejenſis Præſulis ambitione & avaritiâ gravis (b), juſſerunt, Ducem tamen mox expulerunt, & alium ei novâ domeſticâ diſcordiâ ortâ, ſubſtituerunt, cui Petro Barbulano nomen fuit. Hæc mutatio initium ante Cometam habuit. Altera eaque major per idem tempus ſeditio Mediolanum exercuit, ita quidem *ut ad arma* inter Herebertum Archiepiſcopum & Laudenſes primo, mox & *Mediolanenſes* deventum ſit. Hos motus arrogantia Præſulis illius Italicæ, libertati gravis, antè ortum

(a) Sabell. Enn. 9. l. 2. p. 343. (b) Sabell. l. c. Sigon. ad an. 1024.

Cometam

Cometam concepit & ab hoc viso extemplò peperit. Lætus tamen meliori causæ prælii in Campo Malo commissi fuit eventus. Hunc Anno 1026. adventus Conradi Imper. armati & è vestigio pax læta excepit. Eodem anno Conradus ferrea illa Modœtiensi coronâ insignitus, ut legitimus Italiæ Rex inter lætas Longobardorum omniumque Italorum gratulationes, ad eam legibus condendam animum convertit. Inter hæc Boleslaus & Basilius, quos Eckstormius memorat, & vitam & imperium amittunt, quorum illi filius Miecislaus, huic frater Constantinus, uterque patri & fratri dissimilis successit. Sed quis hanc Regum & Regnorum vicissitudinem perpetuam ignorat? Nunc ulterius pergamus.

CCIII. *Anno Christi* 1027. *post Cometis fulsionem tàm dira pestis fuit, ut vivi mortuis sepeliendis non sufficerent.* Ricciolus ex Petro Surdo.

NUllus Auctorum, quos ad manum habeo, Cometem hoc anno observatum prodit, nisi quod ad ann. 1029. Calvisius stellæ trajectionem ultimo Octobri ab Occasu versùs Ortum annotet. Annus iste vicesimus septimus suprà millesimum lætus multis nominibus extit. Conradus enim aureo diademate à Pontifice Romano ornatus Augustus pronunciatus est, postquam paulò ante Modoetiæ ad Mediolanum ut rex Italiæ, coronâ paleari, ut Sabellicus *(a)* vel ferrea *(b)* quam Mediolanenses per contemtum palearem dixerint, redimitus fuisset. Solemnem illum & festivum Romæ diem Canutus Daniæ, Angliæ & Norvegiæ, tùm Rudolphus Burgundiæ Reges præsentiâ decorarunt, & cuncti novum Imperatorem & Regem acceperunt lætantes, *ut ad nova imperia (c).* Læta multis in Italia primùm, mox in Germania Conradi extiterunt auspicia. Pandulfus Capuæ Princeps è vinculis dimissus, Guelphus Comes Sueviæ præpotens Conrado, Balduinus Balduini Comitis Flandriæ filius, celebratis cum filia Roberti Regis Galliæ nuptiis patri conciliatus. Hâc tempestate Funccio putante, Bretislaus Udalrici Regis Bohemiæ filius, rem contrà Polonos hostes *(d)* felici successu gessit. Anno vicesimo octavo suprà millesimum Conradi filius Henricus, ut rex Romanorum sive Cæsar diademate argenteo *(e)* ex more prisco Aquisgrani, Henricus Roberti Regis Galliæ, mortuo fratre Hugone, & frustra reclamante matre ac Robertum præferente, aureo Rhemis, ut & Constantinopoli Romanus Argyrus mortuo Imperatore Constantino, insignitus est. Anno sequenti, ut Calvisius notat, Garsias Castillæ Comes junior in ipsis nuptiis occisus est. En insignia vicissitudinis rerum exempla à viso Cometa in orbe visa!

(a) Enn. 9. l. 2. p. 344. (b) Sigon. de regno Italiæ l. 1. p. 20. & 27. l. 7. p. 177. l. 8. p. 193. (c) Tacit. 2. Annal. (d) Dubrav. hist. Boh. l. 7. p. 48. (e) Sigon. de regno Italiæ l. 7. p. 177.

CCIV. *Anno Christi* 1031. *Mortuo Roberto Rege Francorum, Cometa fulsit, exortisque tempestatibus & imbribus maximis, flumina exundantia propè æquora in agris efficiebant: secuta est deinde fames & pestis.* Eckstormius ex Paulo Æmylio de gestis Francorum.

Anno Christi 1031. *Cometam secuta est fames, eluvio & pestis.* Alstedius.

IPse Eckstormius fatetur ante Cometam Robertum regem è vivis excessisse. Fames pestem, illam verò ingens exundatio fluviorum, hanc denique continuata autumno anni 1029. & verè anni 1030. pluvia ante Cometæ apparitionem, portendit & magnâ ex parte attulit. Præcessit Cometam & bellum inter Conradum Imperatorem & Stephanum Regem Hungariæ, utroque Bavariam appetente, gestum, quod paulò post pax, ut fieri solet, secuta est, postquam hanc Hungarus ab Imperatore petiisset. Præcessit Cometam motus bellicus Ernesti, & mors ejus, tùm & Manegoldi Comitis, qui rem pro Imperatore contra eum strenuè egerat. Tunc & Pisani contrà Saracenos feliciter, rege eorum capto, & Imperator Orientis contrà Saracenos pariter, in Syria

in Syria infeliciter rem geſſit. Sed & in Sicilia improſperè contrà Saracenos res administrata. Hæc nullus Cometes proximus, ſed portenta vitiorum denunciarunt & prudentibus mentem præſagam mali gerentibus præſignificarunt. Calamitatis Siculæ portenta ex Cedreno Calviſius profert Ducum vel imperitiam, vel ignaviam, vel malitiam. Anno triceſimo primo ſupra milleſimum bellum civile in Gallia inter fratres Henricum & Robertum exarſit, non à Cometa ſed illa fatali ambitionis, tùm verò etiam maternæ improbitatis face accenſum, mox tamen exſtinctum & pace compoſitâ ſopitum. Eodem anno (a) Amer Saracenorum præfectus Chalepi Imperatorem Orientis convenit, fœdus cum eo renovavit & tributum conſuetum ſponte obtulit. Poſtero Vandalorum princeps Mieſko armis Conradi domitus pacem petiit. Hâc quoque cum Sclavis, ut Calviſius, vel ut Sigonius ait, cum Polonis initâ, Conradus ad occupandum Burgundiæ regnum, quod Rudolphus moriens filio ejus Henrico legârat, vires convertit. Eodem anno, Sigonio auctore, ſeditioni Venetæ magnæ & diuturnæ finis impoſitus. Calviſio auctore ſtella trajecit Anno 1033. à Septentrione verſus Meridiem cum ſonitu & fragore, quæ à die 28. Februarii ad 15. Martii duravit, rarò certè exemplo, ita ut quis non temerè ſuſpicari poſſit Cometam fuiſſe, aërium ſaltem, cum tamdiu meteora durare non ſoleant. Vir ille Eximius ſæpius memoratus ita de hoc phœnomeno judicat: *Trajectiones omninò Comitæ non ſunt, utcunque ſint aërii Cometæ, qui tamen, ut rectè Hevelius, ad tempus ſunt tantùm aërii. Cometæ, ut nuper dicebam, omnes minimè videntur nobis in terra trajici, utut per trajectoriam ferantur, rectum aut parum curvam. Motus omnium Cometarum apparet inſtar aliarum ſtellarum. Abſurdiſſimum eſſe trajectiones, quæ per multos dies uno in loco videantur.* Sed & ipſe Hevelius valdè dubitat Cometam fuiſſe. Qua de re vid. Tom. 1. Communic. Heveliana literas ejus 22. Maji 1666. datas. Hoc phœnomenon ſecuta eſt Saracenorum in inſulas quaſdam irruptio, ſed & felix illorum repulſio, ac Edeſſæ ex manibus eorum recuperatio. Tunc & Conradus Imperator contrà Ottonem in regno Burgundiæ æmulum rem proſpere geſſit, Ottonem ad petendam pacem, ut Aventinus & Sigonius teſtatur, coëgit, Burgundia ſibi ſubjectâ à Proceribus Italiæ & Burgundiæ magno cum honore & gaudio ſuſceptus, & rex Burgundiæ ab Heriberto Archiepiſcopo Mediolanenſi coronatus eſt, poſtquam Burgundia Ducibus & Regibus ſuis 144. annis paruiſſet, reſque Gallicas compoſuit & conſtituit, beneficiaque ſacra & civilia, ut Aventinus (b) perhibet, liberaliter diſpenſavit.

(a) Calviſ. ad ann. 1031. (b) Annal. 5. p. 407.

CCV. *Anno Chriſti* 1038. *fulſit Cometa & ſeditio in Italia eſt exorta.* Alſtedius.

JAm ante ortum Cometam Anno 1035. Sigonio teſte ſeditio Longobardorum, libertatis avitæ ſtudio rebellantium, in Italia orta eſt, pulſo à Cremonenſibus Epiſcopo conſiliis ſuis adverſario. Cometam ullum hiſce turbis præluxiſſe Sigonius non memorat. Attamen inſignis Solis Anno 1034. defectus ex ejus mente iſtos motus portendit. Ego certiora illa exiſtimârim portenta fuiſſe, quæ ille ipſe indicat (a): *Lombardi*, inquit, *ſive integræ libertatis ſtudio inflammati, ſive immodico aliquo Conradi imperio incitati, dum Conradus novo Liutico bello in Saxoniæ finibus diſtinetur, nova defectionum conſilia inierunt, atque Hereberto Archiepiſcopo patiente, aut certè non prohibente, miſſis nunciis inter ſe conjurarunt, ſe non paſſuros quenquam regnare, qui aliud quàm quod ipſis liberet, ſibi imponeret.* Nempe ita rebellionem iſtam hinc avitæ libertatis recuperandæ cupido, illinc immodicum imperium Conradi ejuſdemque alibi bello diſtenti abſentia portendit, facilitas verò Archiepiſcopi, cujus ibi magna & præcipua fuit auctoritas, promovit. Talia enim etſi nullus Cometes appareat, facilè animos, illos præſertim mobiles & libertati aſſuetos, qui antiquæ injuriæ memoriam beneficiis quoque novis obduci non patiuntur, tantùm abeſt ut novas injurias veteribus accumulatas patiantur, ad res novandas accendere ſolent. Res tamen hæc benè Imperatori jus imperii

(a) lib. 8. de regno Italiæ ad ann. 1035.

ſui

ſui vindicanti, malè rebellibus, præcipuè Cremonenſibus, Mediolanenſibus, tum verò horum Archiepiſcopo, illorum, ut & Placentinorum & Vercellenſium Epiſcopis, ceſſit. His demùm Anno 1038. ſucceſſit ſeditio Parmenſium, quæ itidem his malè, multis civium interemtis & urbe everſâ ceſſit. Inter hæc Cometam non pauca Principum præceſſerunt funera & Rerumpublicarum revolutiones. De quibus ut pauca dicam, res exigit. Anno 1034. terræ motus Syriam & Conſtantinopolin 40. diebus afflixit. Romanus Imper. Orientis artibus Zoæ conjugis adulteræ & Michaëlis adulteri ſublatus eſt, quibus tamen id malè ceſſiſſe Cedrenus notat. Polonia, mortuo Mieciſlao, impotentiâ uxoris ejus, regno tandem pulſæ, & ſeptem annorum interregno afflicta eſt. Odo ille Conradi æmulus Burgundiam iterum, ſed infeliciter invaſit. Anno poſtero Saraceni oram Thraciæ & Cycladas Inſulas crudeliter vaſtarunt: multi tamen atroci morte & tetro carcere ſævitiæ crimen expiarunt. Terræ motu quinque oppida abſorpta ſunt. Sanctius Major Caſtellæ rex poſtquam annos 34. regnaſſet, occiſus eſt, ut Calviſius notat. Non diſſimulo Tarapham mortem ejus in ann. 1018. referre, ejuſque regnum quatuor & quinquaginta annis circumſcribere. Hic filiis 4. diviſum regnum infinitis calamitatibus involvit. Eodem illo anno 1035. Canutus, Regum ille ſui ſeculi Clariſſimus, Canuto (quem judice Polydoro *(a)*, Anglici Scriptores ineptè Hardecanutum vocant, cum tamen & Buchananus *(b)*, ſcriptor non tantùm ſtili ſed & fidei certus, ita eum vocet) regnum Daniæ, Haroldo Angliæ, Suino Norvegiæ & ſimul vitam reliquit. Princeps pius, prudens & modeſtus. Argumento eſt illa vox militis, Regem Regum ſe appellantis refutata, cum ſe nequaquam maris undæ, cui ne ſe in litore proximè aquam ſedentem madefaceret, vetuerat, jura dare poſſe demonſtraſſet, & adulatores coarguiſſet, dicens: *En principes vocatis me Regem, qui hanc parvulam undam meo imperio cohibere vel remorari nequeo? Nullus nempe mortalium eſt tali nomine dignus: eſt rex unus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum quo ille regnat, cujus nutu cuncta reguntur: hunc veneremur, hunc regem appellemus, hunc populorum omnium dominum, hunc cæli, terræ, maris rectorem non ſolùm confiteamur, ſed etiam profiteamur, præterea neminem (c)*. Taceo bellum in Lombardia Italiæ, claſſem Saracenorum victam, barbarorum crudeles invaſiones, infelicem Suini in Scotiam expeditionem, hyemem 1035. aſperrimam, æſtatem Anno 1037. ſiccam, demùm ſterilitatem & annonæ caritatem, Babylonis everſionem, Edeſſæ oppugnationem, bellum Siculum inter fratres Saracenos diſcordes geſtum. Taceo alia, ne ſim longior. Tùm demùm illa Parmenſis ſeditio exarſit. Quæ an præceſſerit vel ſecuta ſit Cometam non habeo dicere. Alſtedius enim id non exprimit. Sed ſine hoc exemplo plura vidimus ejuſdem generis ante Cometam ortum in orbe viſa. Nunc quæ Cometam exceperint videamus. Conradus Imperator contrà Pandulfum Capuæ Principem jam ante rebellem proſperâ fortunâ uſus eſt, mox tamen peſtilentiâ multos milites & nonnullos Principes amiſit. In Germaniam reverſus eam quietam invenit & in Burgundiam profectus, eandem cum Ducatu Sueviæ filio Henrico (generum Dubravius hiſt. Bohem. l. 7. contrà reliquorum conſenſum & fidem vocat) tribuit, & anno ſequenti, qui fuit triceſimus nonus ſuprà milleſimum, vitâ functus eſt. Præceſſit eum ad fatalem metam Stephanus rex Hungariæ, anno ſcilicet 1038. ut Funccius, Bucholzerus, Calviſius, Helvicus, Petavius & Bakſchai aliique affirmant, Bonfinio *(d)* in triceſimum quartum ſuprà milleſimum mortem ejus referente. Eadem illâ tempeſtate alii quoquè Principes diem ſuum obierunt. Natos etiam nonnullos eſſe, quis dubitet, licet, quod ſciam, annotati non ſint. Cæterùm annus 1038. rebus feliciter contrà Saracenos ad Edeſſam & in Sicilia ab Imperatore Orientis, tum à Ferdinando Caſtellæ Rege contra Veremundum Legionis Regem invaſorem temerarium geſtis inclaruit, Calviſio auctore, Tarapha & Funccio in 1025. Helvico in 1019. hoc referentibus.

(a) l. 7. in fine Polyd. (b) l. 7. in vita Regis 86. p. 206. (c) Polyd. l. 8. fine. (d) dec. 2. l. 1. p. 213.

CCVI. *Anno Chriſti* 1039. 8. *Idus Aprilis inter ortum & meridiem ignea trabs miræ magnitudinis in cælo conſpecta eſt, quæ dum ſolem vicinum occaſui tranſiret, in terram*

delabi

delabi visa est, ejusque vestigia diu in aëre notari potuerunt. Eodem anno prid. Non. Jun. repentinâ morte decessit Conradus Saliquus Imperator. Eckstormius.

NUlla necessitas nos, ut hoc phœnomenon cum proximo Cometa confunderemus, cogebat, ideòque duo ista phœnomena divisimus. De hoc tamen dibitatio alicui oriri potest, an inter Cometas referri mereatur. Fecit id Eckstormius. Idem, ut anno Mundi 3765. 3803, & 3833. vidimus, faces, ut & Rockenbachius illam columnam ardentem Anno Christi 394. quæ omnia sunt trajectionum species & meteora, in aëre generari, & brevissimo spatio durare solita, Cometis annumerare non veriti sunt. Horum auctoritatem nisi quis recipiat, is velim cogitet à multis, qui Cometas in æthere locarunt, asseri Cometas aëreos, & ab ipso Hevelio, licet his contradicat, concedi Cometas quosdam per aërem nostrum sublunarem trajicere, sed momento durare, & spurios potius quàm genuinos Cometas esse. Quod reliquum est, ego me citrà ullum temeritatis periculum isthoc phœnomenon loco suo, & simul hanc rem controversam in medio relinquere potuisse, credo. Principes citrà Cometas aliave phœnomena mori, non amplius attinet dicere. Mortui autem tunc sunt & Haraldus ille Canuti filius rex Daniæ (ut cum Rogerio Calvisius putat, nisi quòd Saxo Grammaticus eum ante patrem obiisse, teste Polydoro, *(a)* dicat) & Theodoricus Hollandiæ annis 46. Comes. Anno sequenti Asiam & Constantinopolin terræ motus (quem nuperrimè etiam, Anno scilicet 1034. ibidem vidimus) graviter afflixit. Tunc verò Maniaces Dux Imperatoris Orientalis strenuus, quinquaginta millibus Saracenorum cæsis, insigni victoriâ & totâ ferè Siciliâ potitus est. Sed hanc è vestigio Græcus Imperator amisit. Cladem hanc abrogatum strenuo illi Duci, & datum ignavo (Stephanum Calvisius, Duclianum Sigonius vocat) imperium portendit. Mox tamen virtute Ambusti (tantum ubique in bono Duce situm est!) res restituta est. Eodem anno 1039. Henricus Imperator animum Hereberti pugnacis illius Præsulis sibi conciliavit, & bello difficili compositio pacem lætam Italiæ reddidit. Bellum dehinc Bohemicum primùm variâ fortunâ, denique feliciter *(b)* gessit, & Bretislaum Bohemiæ, non, ut Helvicus ex Crantzio refert, Poloniæ Regem ad petendam pacem coëgit. Annus quadragesimus primus suprà millesimum cladibus Græcorum & victoriis Normannorum inclaruit. Hos virtute bellicâ & opibus præstantes Ardoinus Apuliæ præfectus, injuriæ vindicandæ cupidine ad eam improviso occupandam stimulavit. Inter hæc seditione apud Thessalonicam & Mediolanum, utrobique libertate cum arrogantia certante, laboratum. Hâc tempestate & Polonia domesticis malis & externis bellis fatigata, Casimirum legitimum regni hæredem ex claustro Monastico, indulgentiâ Pontificis ad regalem thronum læta & felix evexit.

(a) l. 8. p. m. 137. (b) Avent. Annal. 5. p. 408. Dubrav. l. 7. p. 53.

CCVII. & CCVIII. *Anno Christi* 1042. *die 6. Octobris Cometa apparuit toto illo mense, progrediens ab Oriente in occasum.* Calvisius ex Cedreno.

Anno Christi 1042. *apparuit Cometa, quem secuta est mors Giselæ viduæ relictæ Conradi II. Imperatoris.* Eckstormius ex Schossero.

Anno Christi 1043. *anno quarto Henrici III. Imperatoris, Cometa longos & flammeos crines habens, manè conspectus est, quem cum Vir, nomine Elmerius, sanctissimus à multis tunc temporis habitus, vidisset, eum his verbis esse allocutum:* Venisti multis matribus *(lege*, matribus) lugende, jam dudum te vidi, sed nunc te multò terribiliorem adspicio, minitantem patriæ excidium. *Henricus Imperator Ungariam ingressus duas civitates populosissimas evertit, plurimas sibi subjecit, Regemque restituit. Gisela Imperatrix 16. Calendis Martii mortua est, ac Spiræ sepulta. Petrus Rex Ungariæ à suis regno pulsus, iterum ab Imperatore in regnum restituitur, Abbâ amotô.* Rockenbachius.

Anno Christi 1043. *Cometam secutum est bellum in Hungaria.* Alstedius.

Vicinos

VIcinos iſtos Cometas pro uno eodemque ducerem, niſi diſtincti à duobus auctoribus fuiſſent, Rockenbachio etiam quartum Henrici Imp. annum annotante, qui ſecundùm Aventinum, Sigonium, Funccium, Bucholzerum, Calviſium alioſque, eſt à Chriſto nato quadrageſimus tertius ſuprà milleſimum. Cæterum nos hunc Cometen ab iſto Monacho viſum & compellatum infrà ad annum 1050. ex Chronico Belgico producemus. Quod ad mortem viduæ Imperatricis & bellum Hungaricum attinet, talia, ut toties vidimus videmuſque, non neceſſariò Cometarum apparitionem ſequuntur, cui & aſſiduò læta ſuccedunt, imò verò & triſtia eam præcedunt. Paucis enim ante priorem Cometam menſibus, decurrente ſcilicet 1041. Michaël Paphlago Imp. Orientis ex humanis exceſſit, ut paulò ante mortuum Donaldum Scotorum Regem, alioſque Principes ſuperius memoratos taceam. Bellum quoquè Hungaricum, pulſo à ſubjectis Petro, crudeli & ad omne nefas per adulationem hoſte nocentiorem projecto, qui ex Ungaria angariam perpetuam facere volebat, & ſuffecto Ovone (qui & Uvo & Obo & Abanus & Albuinus, Bonfinio, Sambuco, Bakſchajo & Hungaricis ſcriptoribus ſemper Aba vocatur) ante Cometam cœpit: quod quàm atrox fuerit, vicinia Bojaria, notante Bonfinio (*a*) & Aventino (*b*), ſenſit. Idem tamen & cladem Hungarorum (quos Ugros vocat) inſignem notat, & congeriem malorum, quæ illâ tempeſtate orbem afflixerunt, prodit (*c*): *Eodem Anno*, inquit, *ventus vehemens ſylvas, ædificia ſubvertit, penuria frugum, annona cara fuit. Iſacus & Atheſis Noricorum amnes ſubitò inundarunt, maximam pauperiem accolis dederunt, ſubitò domos, jumenta oppreſſerunt & obruerunt. Voragines ingentes concurſu torrentium cavatæ itinera ruperunt, eluvies vineas nudavit, demolitaque eſt uſque ad ſaxa.* Porrò quod ad reliquos Cometarum eventus attinet, lætos quoquè fuiſſe brevibus demonſtrabimus. Mox enim ab ſuſcepta ab Imperatore in Hungariam expeditione pax læta coaluit. Hanc Aba redditâ Cæſari regni parte, quæ S. Stephano Regi affini amicitiæ cauſâ (*d*) tradita erat, promiſſo tributo obtinuit ac in verba Cæſaris jurare coactus eſt. Ita Cæſar *pacem more Germanorum*, ut Aventinus ait, *perpetuo ſancit edicto.* Paulò poſt memorabile viciſſitudinis rerum humanarum exemplum videmus. Anno illo quadrageſimo tertio ſuprà milleſimum, Cæſar Sponſam Agnetem, Wilhelmi Pictavorum Comitis filiam in thalamo, Albertus Bavarus paulò ante parte Superioris Hungariæ (ut Dubravius & ex eo Calviſius ait) vel Bojariæ Orientalis, ut Aventinus affirmat, in præmium virtutis donatus, filium Luitpoldum ſive Leopoldum in tumulo videt. Prudenter, ut ſolet, Aventinus, deſcripto publico nuptiarum Cæſarianarum tripudio, ſubjicit; *Et ne hoc (ut ſe habent res humanæ) perpetuum ac ſolidum foret gaudium, Luitpoldus Auſtriacus adoleſcens, fulmen belli, terrorque Ugrorum fato concedit.* Mox Aba ambitioſus Bojariæ inſidians ſeditione ſuorum conflictatur. Bojariæ invadendæ cupiditatem mobile & præfractum ingenium, tùm vetus malum ambitio, adhæc Cæſari oborta in Lotharingia (*e*) difficultate ſecuritas, & duorum Germanorum Bernulphi & Machthuni, tàm perfidorum quàm ambitioſorum (*f*) in Aula Cæſaris verſantium perſuaſio: ſeditionem aſperitas morum Abæ, etſi nullus paulò ante Cometes apparuiſſet, portendiſſet. Inde ad illud memorabile prælium ad Arrabonem (Jaurinum Bonfinius & reliqui vocant, Scaurinum à Romanis dictum Aventinus auctor eſt) ventum eſt. Hoc Cæſari incruentam ferè victoriam (vix enim centum ex exercitu ejus, ſi Aventino (*g*) contrà Bonfinium (*h*) credimus, deſiderabantur) inſignem tamen & in faſtos relatam, tùm & Albæ Regiæ triumphum & gratulationem publicam, Petro exuli regnum reſtitutum; Hungariæ pacem, Abâ præſertim paulò poſt è medio ſublato, attulit. Interhæc Caſimirus Polonus contrà Maſlaum Maſoviæ Ducem perfidum, & Imperator Orientis contrà Ruſſos invaſores victores evaſêre. Henricus verò Imperator Occident. Godefridum, qui Lotharingiâ non contentus Moſellanum Ducatum fratri Goteloni eripere tentavit, benignè coërcuit, in liberam cuſtodiam datum, & mox facilitate Cæſaris ferociorem factum, paulò tamen poſt novo beneficio veniæ &

(*a*) Dec. 2. l. 2. p. 218. (*b*) Annal. 5. p. 411. (*c*) Annal. 5. p. 410. (*d*) Avent. Annal. 5. p. 413. (*e*) Avent. l. c. Bonfin. Dec. 2. l. 2. p. 219. (*f*) Avent. ibid. (*g*) Anno 1044. p. 415. (*h*) p. 220.

restitutæ Lotharingiæ affectum & in fide aliquandiu retentum. Postea enim turbidi ingenii homo anno (ut ex serie gestorum ab Aventino annotatorum exputavi) 1047 & 1048. ad ingenium rediit. Sed anno sequenti ineunte, ingruente Cæsaris potentiâ, ad petendam denuò veniam conversus exsulio multatus est. A quo Anno 1051. ut puto, revocatus, licet tot tam improsperæ ambitionis & rebellionis malis devictus, quàm beneficiis Cæsaris devinctus, quiescere tamen non potuit. Inter hæc Cæsar Hungaros, qui Christianæ religionis pertæsi, Petro regi cæso (a) Andream suffecerant, & ut à Christo, ita & à Cæsare defecerant, variis cladibus fractos ad petendam pacem coëgit. Idem Anno 1047. cum uxore Romæ consecratus, Augusti titulum inter maxima publicæ lætitiæ (b) & liberalitatis certamina accepit, & paulò post filiam ex Augusta conjuge suscepit, rebusque in Italia compositis & firmatis in Germaniam revertit. Posthæc anno (c) 1049. socio Godefridi Balduino Flandriæ Comite victo, inferiorem Germaniam pacavit, & extimam Italiam Leone hujus nominis IX. quem in Pontificem Romanum recens designârat, adjuvante sibi subjecit. Annus quinquagesimus supra millesimum, ut Calvisius ex Aventino & Sigeberto, vel ab hoc proximus, ut Bucholzerus ex Schaffnaburg. affirmat, natalibus filii ejus lætus & insignis extitit. Hunc anno sequenti sacro fonte lustratum Henricum & successorem ac hæredem imperii nuncupat (d), inque ejus verba Proceres, qui aderant, jurare jubet. Non longè post Augusta alterum filium enixa est, qui avi paterni Conradi nomen accepit. Inter hæc Albertus ille Austriacus affinis Petri cædem ulciscens, Andream regem Ungariæ Anno 1050. vicit, & jubente Cæsare pacem cum eo iniit. Eandem Cæsar tunc & in inferiori Saxonia stabilivit. Hac tempestate, ut Funccius annotat, Orthulphus Saxoniæ & Luneburgi Dux, Magni regis Daniæ filiam Gisellam in uxorem duxit. Ferdinandus Castellæ & Legionis rex potiorem Portugalliæ partem *Anno 1052.* à Mauris recepit. Ut alia taceam, quæ post Cometarum apparitionem *læta tristiaque* evenerunt.

(a) Bonfin. dec. 2. l. 2. p. 225. (b) Avent. l. c. p. 420. Sigon. de regno Italiæ l. 8. p. 203. (c) Funcc. Calvis.
(d) Avent. l. c. p. 423. Sigon. l. c. p. 205.

CCIX. *Anno Christi* 1053. *Cometa apparuit.* Sifardus Cygnæus in Speculo Cometarum.

NUllus Auctorum, quos in hac historia componenda sequor, Cometam hunc, sed nec Sifardus situm & circumstantias ad ejus descriptionem certam pertinentes annotavit. Errorem esse in numero suspicari non possum. Nam & supra pag. 3. ad eundem annum hunc Cometam, numero decimum quartum, proximum autem in Ann. 1058. posuit. Eventus ejus ab imperio Constantini Ducæ (qui secundum Funccium Ann. 1063. secundum Calvisium & alios 1059. imperare cœpit) *ad de*positionem Michaëlis filii ejus, quam Funccius in Ann. 1080. Calvisius & *alii in* 1078. ponunt, producit, quod argumento est Cometam hunc post annum 1050. apparuisse. Ante hunc Cometam bellum Flandricum Balduino Comite Comitatum Montensem, qui feudum imperii fuerat, occupante, anno 1051. recruduit. Pazinazæ feri, Scythicum genus hominum (a) provincias Orientis crudeliter vastarunt, Hungaria gravissimo bello inter Henricum Cæsarem & Andream regem gesto conflictabatur. Multi quoque Principes sacri & profani, quos Trithemius, Aventinus, Sigonius & alii Scriptores enumerant, diverso mortis genere, è vivis sublati sunt. Sed nos jam quæ Cometam secuta sunt, videamus. Annus, quo is apparuit, natali Conradi secundo geniti filii Henrici Imperatoris, ut colligo, & pace certè inter Henricum & Andream compositâ inclaruit. Hanc Normanni in Italia viribus auctî ferocientes, à Leone 9. Pontifice Romano bellum contra se magno animo & apparatu susciepiente petierunt, sed hâc negatâ, versâ in virtutem desperatione, victoriam obtinuerunt. Anno 1054. Henricus IV. rex Germaniæ renunciatus & consecratus est.

(a) Egnat. in Constantino Monomacho.

est. Cæsar contrà Flandrum rebellem rem prosperè gessit. Mortua est hâc tempestate Zoë septuagenaria, quatuor Imperatorum uxor. Primùm enim Romani, quem, amore adulteri infecta, veneno sustulit, dein Michaëlis Paphlagonis adulteri, tùm hôc post septem annos defunctô, alterius Michaëlis Calaphatis; mox denique hôc avaro, crudeli, ingrato & insano in cœnobium detruso, ardens turpi in senecta frigidâ libidine Constantini Monomachi socia thori fuit. Hic autem paulò post eam ad tumulum secutus est, Princeps ignavus & libidinosus, ideoque duplici factione Ducum, notante Egnatio, appetitus. Ab ejus morte Theodora Orientem rexit, & virilibus curis fœminarum suæque sororis vitia exuit, & *non muliebriter fœmina rebus præfuit*, Egnatio teste: *quinimò tanta domi forisque quies & otium fuit, tanta rerum omnium ubertas, ut fœminei imperii neminem pœniteret. Verùm ingravescente cum ætate morbo, illecebris Eunuchorum Michaëlem jam senem in curæ partem quum advocasset, ipsa non multò post fatis naturæque concessit.* Mors ejus à Calvisio in Ann. 1056. annotatur. Hâc quoque tempestate pax inter Henricum 3, Imperatorem & Andream Regem Hungariæ composita & firmata est. Cæsar enim Salomoni Andreæ filio filiam suam Sophiam magnâ cum populorum lætitiâ despondit. Bonfin. Dec. 2. l. 2. pag. 228.

CCX. *Anno Domini* 1058. *(al.* 1059.*) Cometes apparuit tota Paschali hebdomada. (Hæc Sigebertus.) Unde etiam Wilhelmus, longos, ait, & flammeos crines per mare ducens visus est Cometa. De quo quidam Monachus Malesberiæ, Cliverus nomine, venisti, inquit, vicisti, multis matribus lugende, dudum est quod te vidi, sed nunc multo terribiliorem te intueor, patriæ hujus excidium minitantem.* Chron. Belgic.

Anno Christi 1058. *Cometa in Polonia per aliquot dies apparuit, quem mors Casimiri eodem anno statim secuta est. In Frisonia captis aliquot Castellis ab Imperatore Henrico Frisones à rebellione reprimuntur.* Rockenbachius.

Anno Christi 1058. *Cometes aliquot dies in Polonia fulsit, & eodem anno Casimirus rex obiit.* Eckstormius ex Lycosthene.

EAdem habet Funccius & Alstedius. Adeòque fateor hanc de sinistra Cometarum significatione sententiam adhuc fuisse, paucos respectu reliquorum, si excipias, communem. Sifardus quoque hunc Cometam annotat. Sed in eventibus Cometam secutis non uno modo hallucinatur. Eos enim à morte Miecislai regis Poloniæ, ultrà mortem filii ejus Casimiri, quarum illa in Ann. 1034. hæc in 1058. incidit, producit. Imò verò hùc refert initia regni in Hungaria Stephani Geysæ filii, quem in baptismo Belam vacatum fuisse ait. Hoc tamen cum veritate non convenit. Stephanus enim hoc solum nomen habuit, (a) teste Bonfinio, Ritio & Bakschajo; & Bela primus apud Hungaros rerum Anno 1062. ut Bakschaj, vel 1061. ut Calvisius notat (Bonfinio & Funccio in priora tempora initium regni ejus referentibus) potitus est. At verò quæ de initio regni Stephani & Christiana religione in Hungariam introducta Sifardus memorat, ad Annum Christi circiter millesimum referenda sunt. Atrox conspiratio in Imperatorem à Proceribus Bojis facta, ab Aventino in Ann. 1056. ponitur. Multa Principum funera Cometam hunc proximè antecesserunt. Solus annus 1056. multis Principibus fatalis Auctoribus (b) memoratur. Inter alios Henricus 3. (Sigonio & Egnatio secundus, quòd isti Henricum I. à Pontifice Romano non consecratum in numerum Imperatorum non retulerint) Imperator tunc fatis cessit quadragenarius tantùm: magno equidem orbis Christiani detrimento. *Omnes enim superiores Reges*, judice Aventino, *Imperatores, Cæsares justitiâ atque industriâ superavit, & longo intervallo post se reliquit.* Anno 1057. seditio (c) Saxonum, libertatis avitæ recuperandæ cupidorum, pacem Imperii turbavit. Cum res ad prælium fortuitum venisset Bruno Dux Brunsuicensis pro Imperatore Henrico IV. puero patrueli suo, (d) (uterque enim genus ab Henrico I. (e) ducebant) Otto Marchio pro Saxonibus, sed & pro

(a) Dec. 2 l. 1. p. 197. (b) Avent. Annal. 5. pag. 428. Bonfin. Dec. 2. l. 2. in fine. Sigon. de regno Italiæ l. 8. in fine. Calvis. ad hunc annum. (c) Ursperg. ad 1057. Schafnab. ad eundem. (d) Schafnab. ad ann. 1057. Avent. Annal. 5. p. 429. (e) Chron. Carion. in Henr. 4. Bunting. 1. part. Chron.

paterna

paterna & fraterna hæreditate, ipsoque quod ambibat imperio, fortiter pugnantes occubuêre. Brunonis tamen frater Egbertus victoriâ potitur, & Saxones feroces, ademto rebellionis signifero, ad deditionem faciendam & jussa capessenda compellit, ac Rempublicam maximo metu liberat. In Oriente magna rerum mutatio facto Michaële Stratiotico de solio in cœnobium detruso. Asperitas morum & Ducum contemtus, priusquam Cometa apparuisset, calamitatem ei ingentem, præsertim fluxæ fidei regenti, portendit. Altera rerum mutatio ibidem facta anno à Cometæ apparitione proximo, cum Isaacius Comnenus, Vir fortis & bello paceque illustris, qui Orientis imperium feliciter administrare cœperat, morbo pressus diadema cucullo commutaret, successore declarato Constantino Ducâ, Viro Reipublicæ perito, commodis, ut ait Petavius, moribus, veræ pietatis, ut Egnatius memorat, cultore & æqui observantissimo, nisi quòd, ut sunt omnia humana bonis juxta & malis mista, avaritiæ studium & tarditas ingenii prægravaret. Eodem anno Henricus I. Galliæ Rex Philippum filium septem annos natum Rhemis diademate insigniri fecit, & hæredem declaravit, ac postero anno relictâ vitâ reliquit. Hùc referenda forent illa læta & solemnia sponsalia inter Salomonem regem Hungariæ & Sophiam Henrici Tertii filiam, Quarti sororem celebrata, si ab hoc desponsatam Salomoni cum Aventino * & Funccio credamus. Anno 1059. ut Sigonius perhibet, Nicolaus Pontifex Romanus cum Normanis de Apulia & Calabria, Petrus autem Damiani, Ostrensis Episcopus ejus Legatus de simonia & cælibatu clericorum, quibus tunc Archiepiscopus Mediolanensis Vido nuptias permiseat, cum populo feroci transegit. His Anno 1066. & sequentibus, motus terræ & belli in terra, quorum ille Brixiam, hic Capuam, tùm & Romam occasione duorum Pontificum, Alexandri quidem 2. à Romanis, Cadolai verò (Cathochum Aventinus, Candolum Bonfinius vocat) sive Honorii 2. ab Imperatore electi: tùm Siciliam, Normanis Apulejensibus Saracenos armis aggredientibus, quassavit; tùm mors Isaaci Imperatoris, sed & lætus multorum Principatus, sorte nascendi vel judicio electionis collatus, victoriæ aliæque res secundæ successerunt. Cum primis autem prospera Salomonis Andreæ filii in regnum Hungariæ per Imperatorem Henricum affinem facta Anno 1063. restitutio, quæ tot populis salutem & gaudium attulit. De quo Bonfinius Dec. 2. l. 3. p. 234.

* Annal. 5. p. 430.

CCXI. *Anno Christi* 1064. *Cometa aliquot mensibus arsit.* Chronicon Saxonicum. *Henricus IV. Imperator anno ætatis* 12. *primùm arma induit, permittente hoc Alberto Archiepiscopo Bremensi.* Eckstormius ex Büntingi Chron.

ANte hujus Cometæ apparitionem multi Principes obierunt. Anno nempe 1060. Henricus Rex Galliæ: Isaacius Imp. Orientis, teste Sigonio, Anno 1061. Sbigneus Dux Bohemiæ, Nicolaus Pontifex Romanus & Andreas Rex Hungariæ, qui in bello contrà fratrem Belam periit. Is verò fratrem, cui ruinam attulerat, intra triennium ruinâ fortuitâ, (a) divinitùs tamen, ut apparet, in pœnam immissâ attritus, paulò post periit. Acciderunt per hæc tempora & alia tristia, quæ in Cometæ proximi historiâ notavimus. Non deerat dira fames & perniciosa pestis, notante Bonfinio. (b) His tamen læta quoque (sicut pleraque mortalium habentur) mista fuisse docuimus. Anno quo Cometa is apparuit, *gravis terræ motus, familiaris*, judice Egnatio (c) & assiduâ experientiâ, *Constantinopoli clades*, accidit. Eundem anno sequenti & Germania: Italia verò illum belli motum ex electione Pontificia Anno. 1061. ortum sensit. Pax alioqui læta hâc tempestate in orbe floruit. Ideò orto ex illa electione Pontificia Romæ dissidio & motu, Romanus Legatus apud Imperatorem dicere sustinuit: *Cuncta terrarum per prudentiam Vestram pace festa fruuntur: soli nos, qui caput mundi, Socrosancti Imperii domicilium incolimus, & urbis æternæ cives sumus, domestico atterimur tumultu.* (d) Hâc tempestate Geysa Belæ filius in gratiam cum

(a) Bonfin. l. c. p. 232. (b) pag. 234. (c) in Constant. Duca. (d) Avent. Annal. 5. p. 432.

tum Salomone patrueli rediit, eumque cum fratre Ladislao pro legitimo Rege & Domino in totius Hungariæ conspectu in Jaurienſi urbe agnovit. *Fœdus inter eos*, (inquit Bonfinius (*a*), *ſolenne ictum, mutuoque juramento munitum, quod dum Fabiani Sebaſtianique anniverſaria celebrantur, percuſſum fuiſſe ferunt. Reconciliatis animis, regi cum Geyſa duce & Ladiſlao, mutua charitas, & aſſidua conſuetudo interceſſit. Subſequutum Paſcha, in Quinque-eccleſienſi urbe, ab his cum univerſa aulicorum ac primatum multitudine celebratum: ubi in divi Petri baſilica, inter ſolennia, Salomon iterum acclamante populo, à Geyſa coronatus. Quod tanta Ungarorum omnium lætitia celebratum, ut diem publicæ hilaritatis inter feſtos retulerint.* Idem paulò ante refert Henricum Imperatorem anno regni ſui nono, ex quo verò à patre diademate cinctus quadrimus puer erat, duodecimo (fuit is partæ ſalutis ſexageſimus quintus ſupra milleſimum (*b*)) Paſchalibus ſolemnibus gladio accinctum eſſe, & paulò poſt Bertam, Ottonis Comitis Auguſtralis (Aventinus (*c*) laudis Pompejæ Tetrarcham vocat) filiam uxorem duxiſſe. Nuptias tamen has circa Ann. 1067. contractas invenio. Per hæc tempora Edoardus (*d*) Angliæ tribus & viginti annis non magis præfuit, quàm perpetuâ pace & legibus ſalutaribus profuit.

(*a*) Dec. 2. l. 3. p. 235. (*b*) Funccius, Bucholzerus, Calviſius. (*c*) Annal. 5. p. 440. (*d*) Vid. Polyd. in vita ejus.

CCXII. *Anno Chriſti* 1066. *Cometes in feſto Paſchati* XIV. *noctibus effulſit.* Funccius.

Anno Chriſti 1066. *Viſus eſt Cometes, qui effectu non caruit. Nam eodem anno Guilielmus Nortmanniæ Dux ab Eduardo hæres inſtitutus, Angliam cum exercitu invaſit, & Heraldum, qui Regis Angliæ nomen uſurpare, Guilielmumque Angliâ arcere conabatur, vicit & occidit.* Bucholzerus ex Friſingenſi, Meyero, Schaffnaburg.

Anno Chriſti 1066. *Cometa in feſto Paſchatis per totum terrarum orbem circiter* 14. *noctes conſpectus eſt. Hunc varia mala ſunt ſecuta. Eodem enim anno Guilhelmus Comes Nortmanniæ, Britanniam majorem, quæ Anglia dicitur, rege ejus Heraldo occiſo expugnavit, quæ provincia poſtquam in ſervitutem tota reddita eſt, Normannis ibi poſitis ipſe in ea imperium tenuit. Anno ſequenti Rex Romæ Henricus III. à quibuſdam IV. dictus, Bertam Ottonis Italici filiam in uxorem duxit, nuptiaſque apud Tryburias celebravit, quæ non procul Franckfordia ad Mœnum civitate, ſita eſt, vicuſque hodie habetur. Gregorius VII. Pontifex Romanus regem ſæpius vocatum excommunicavit, ejuſque conſilio & auctoritate, Rudolphus Alemannorum dux à quibuſdam Principibus, ut Hiſtorici annotant, rex creatus eſt. Hôc non multò poſt in bello publico occiſo, Hermannoque Lotharingiæ Principe ſubſtituto, ipſe à fidelibus prioris regis non multò poſt interfectus eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1066. *Cometa unius omnes ſcriptores ferè meminerant, apparuit ineunte Majo, ſequens Solem occidentem, conſpectus eſt per* 40. *ferè dies: principio ferè par Lunæ fuit, inde cum caudam acciperet, eâ creſcente, magnitudo ejus decrevit.* Calviſius edit. Francof. ex Zonara.

Anno Chriſti 1066. *Conſtantini Ducæ Imperatoris anno ſexto, menſe Majo viſa eſt ſtella crinita Conſtantinopoli, Solem ſequens occiduum, quæ initio magnitudine æquavit Lunam plenam, deinde cum coma enaſceretur, minuebatur. Effulſit* 13. *noctibus.* Büntingus ex Zonara, in imperio Conſtantini Ducæ. *Sequenti anno Conſtantinus Ducas longo morbo extenuatus deceſſit major ſexagenario.* Eckſtormius.

MEminit hujus Cometæ Urſpergenſis ad ann. 1066. ſed brevibus. Ita & Aventinus loco citato, & Cuſpinianus in Conſtantino Duca. Alſtedius eum per totum orbem diu apparuiſſe teſtatur. Anglicam illam converſionem & Rudolphi rebellionem ad eum refert. Ricciolus ex Spondano ante mortem S. Edovardi Regis Angliæ (quam tamen Funccius, Bucholzerus, Jovius, Helvicus in 1065. ſed Calviſius, Petavius &, ut puto, Polydorus * in 1366. ponit) apparuiſſe memorat. Sifardus

* lib. 8. p. 143.

iſti

isti Cometæ, qui ei à Christo nato XVI. ordine est, famem, quæ in Dania ob occisum à Jutiis Regem Canutum grassabatur, aliaque quæ ferè 20. annis post Cometam acciderunt, tribuit. Proximè Cometen hunc præcessêre non pauca nec levia adversa. Terræ namque motus Germaniam afflixit. Sclavi nondum depositâ gentili feritate Godeschalcum Principem suum, strenuum Christianæ religionis propagatorem, trucidarunt. Ferdinandus Rex in Hispania clarissimus, Fridericus Palatinus Saxoniæ, & alter, dux Lotharingiæ, fatalem attigerunt metam. Scythæ crudeliter direptâ Thraciâ & deleto Imperatoris Constantini exercitu, Græciam invaserunt. Ex Normanica ambitione Italia belli furore exarsit. Hujus fax & incentor Ricardus Capuæ Princeps fuit. Is non multò post extinctus est. *Cujus mortis prænuncia crinita stella* (de proximo Cometa Sigonius * loquitur) *fuisse putatur, quæ per viginti dies mirum secum fulgorem trahens apparuit.* Sed ad eventus Cometæ. Annus sexagesimus sextus supra millesimum duobus Regibus Norvegiæ & Angliæ, quorum utrique Haraldo nomen erat, diversam sortem attulit. Ille paganus, hic Christianus: ille invasor, hic defensor regni, ideò ille victus, cæsus & occisus, hic victor fuit. Cùm tamen is contra fidem datam regnum Angliæ Wilhelmo Normanno, quem Edouardus scripserat hæredem, erepturus invasisset, ab isto victus interiit, portendente hunc casum, ut Polydorus ait, Comete inusitatæ magnitudinis, qui per aliquot dies apparuit. Wilhelmus victor exeunte 1066. anno in Regem consecratur. Polydorus † hanc Haraldi sexti & trigesimi intra DXLVI. annos à Cerdicio, ac ultimi Anglorum Regis cladem & auspicia Gulielmi in 8. Kal. Jan. Anno MLXVII. ponit, & pulchrè ac prudenter lib 8. concludit: *Atque res humanæ*, inquit, *sic fluunt, ut nihil sit in iis tàm certum quàm certa mutatio aut in melius, in pejusve.*

*l. 9. de regno Italiæ pag. 214. † l. 8. fine.

CCXIII. *Anno Christi* 1067. *Cometa apparuit: quo anno Alexander Pontifex summus vexatus fuit à Cadolao Parmensi Episcopo.* Ricciolus ex Fiornovello.
Anno Christi 1067. *Cometa significat magnam siccitatem, pestem & famem.* Alstedius.

APertè hic Cometa à proximo distinguitur. Tristia quæ illum secuta sunt, hunc antecesserunt, præcipuè clades illa utriusque Haraldi, quæ mense Septembre & Octobre contigit. Hoc anno Henricus Imperator patruelem Egbertum (Eccardum sed & Egbertum Calvisius & alii * vocant) Marchionem Saxoniæ & Ducem Brunsuicensem, mortuo Ottoni Thuringiorum Marchioni, qui primus Episcopo Moguntino decimas solvere promiserat, suffecit, potentiamque ejus ampla Thuringiæ ditione auxit. Is nempe ut Patri ejus egregiam navârat operam, ita paulò ante eum cum periculo vitæ, ‡ postquam metu insidiarum ex navi in Rhenum ad Augustam Nemetum præcipitem se dedisset, servavit.

* Chron. Carion. l 4. in Henr. 4. Bunting. 1. part. Chron. ‡ Avent. Annal. 5. p. 432. Bunting. ibid

CCXIV. *Anno Christi* 1068. *apparuit Cometa ignitissimus, eorundem malorum, quæ diximus, ad duos præcedentes annos, index.* Alstedius.

TErtius ex ordine annus iste est, qui mundo hac tempestate stellam crinitam exhibuit. Hæ ab Auctoribus distinctè memorantur, non tamen cum cura describuntur. Hæc eorum incuria rerum Mathematicarum studiosis erit ingrata. Quæ proximum Cometam exceperunt tristia (nisi tamen ejus apparitionem præcesserint, quod sciri non potest, auctoribus circumstantias rerum reticentibus) hunc præcesserunt, mors nempe Constantini Ducæ Imperatoris Orientis sexagenario majoris, Rainimiri Aragonii, qui 32. annis regnavit, & Balduini Flandriæ Comitis, itidem Senis, qui annis 34. rerum potitus est. Hoc ex collatione annorum 1036. & 1067. apud Calvisium apparet, idemque numerus annorum ad ann. 1070. filio ejus, qui tantùm

tantùm triennio Comitatum rexit, tributus, patri tribuendus est. In annum hunc 1068. Funccius nuptias Philippi Regis Galliæ cum Berta Balduini Hollandiæ & Frisiæ Comitis (Florensem Petavius (*a*) ex quodam auctore Gallico, Serres Balduinum Flandriæ Comitem vocat) ponit. Eodem anno, certè eadem tempestate, Gulielmus ille Conquæstor, rex Angliæ, res in Normania constituere volens, *triumphanti similis*, ut Polydorus (*b*) perhibet, *eam ingressus, parùm ibi moratus, postquam res omnes ex sententia constituerat, in Angliam confestim remigravit.* Variis dehinc animorum & armorum motibus exceptum esse idem Auctor testatur. Sed hoc ei asperitas morum, præter nominis peregrini invidiam, & Edgari regii pueri (genitus enim erat Edouardo filio Edmundi XV. Anglorum Regis, qui Ferreum latus dictus est) in Scotia tunc exsulantis vicinitas, tùm verò & Canuti Dani, ab exsulibus Anglis ad repetendum avitum regnum perciti potentia, non illa crinita stella, portendit. De his & pluribus aliis Polydorus in vita Gulielmi videatur. Audiamus Trithemium: (*c*) *Wilhelmus mox* (à cæde Haraldi) *penè omnes ejusdem regni pontifices misit in exilium, nobiles & principes interfecit, mediocres in servitutem militibus dedit, uxores indigenarum advenis suis matrimonio copulavit, & in civitate Eboracense plusquam centum supra mille Sacerdotes crudeliter occidit. In festis etiam paschalibus hoc ipso anno Cometes per 14. fermè noctes in cælo apparuit.*

(*a*) R. T. 1. part. l. 8. c. 14. (*b*) lib. 9. initio. (*c*) Chron. Hirsaug. ad 1066.

CCXV. *Anno Christi* 1071. *post stellam novam versus Austrum & Occasum visam, apparuit Cometa longis ac flammeis crinibus per dies viginti quinque.* Ricciolus.

Anno Christi 1071. *visus est Cometa, eadem portendens mala, quæ diximus ad tres præcedentes, imprimis varias seditiones. Nam inde ab anno* 1060. *majestas Imperatoris ab Hildebrando pedibus conculcata fuit: Saxones rebellarunt: Cæsar factus est Papæ supplex: Rudolphus contra Henricum est electus, sed tandem cæsus: Papa ab Henrico IV. in maximas angustias est redactus.* Alstedius.

TUrbulenta, fateor, hæc tempora fuerunt. Sed nemo ignorat talia sæpè ante & citra ullam Cometarum apparitionem experiri mortales, qui erroribus, vitiis, flagitiis, velut proprio jumento, calamitates sibi accersunt, & divinitùs immissis malis à Deo justitiæ custode castigantur. Ante hunc Cometam Diogenes Romanus, quem sibi Eudocia Constantini Ducæ vidua maritum assumserat, bella cum Turcis, quorum arma sub Constantino Monomacho primùm, Egnatio * teste, per Asiam latius evagabantur, variâ fortunâ gessit. Ante Cometam & rebellio in Occidente contra Imperatorem exarsit, Ottone Bojariæ Duce facem seditionis Anno 1069. præferente. Ante Cometam & domesticis motibus † & bello Danico Anglia prælucentibus vitiorum portentis exarsit. Ante Cometam & Balduinus Junior, qui Flandriam non 34. (ut in Calvisii editione Francofurtana legitur) sed tribus tantum annis post patrem rexerat, & Godofredus ille Lotharingus, homo suam & alienam quietem perosus, mortuus est. Ante Cometam Henrici IV. Imperatoris cum Romana Curia dissidia orta, notante Aventino & Sigonio ad Ann. 1070. Ante Cometam denique, *inter Boëmos* & Australes (Austrios) orta dissentio, ac bellum usque adeò atrox, ut Bonfinius ‡ scribit, ut magnam cladem ediderit. *His Leopoldus, divi Leopoldi pater, quem pium ex cognomento nominant: illis Bratislaus cum Otthone & Corrado fratribus imperabant, è finibus bellum exarsit, quum arcta prius essent charitate conjuncti. Moraviam ab Austria, non montes, valles, amnesve dirimunt, quando undosa utrinque planicies effunditur. Unus duntaxat rivulus interfluit, quem Dian appellant. Hic primùm latrocinia inter finitimos pagos committi, abigi subtrahive pecora, mox præfacinorum impunitate, increbrescente audaciâ, vis palàm inferri, vicique vastari, ac ferro res agi, & suorum denique quisque fovere jura cæpit. E scintilla demùm emersit incendium, quod vix multo deinde sanguine potuit extingui.* Prodit clarè Bonfinius tanti mali citra stellam crinitam portentum,

* in Constant. Monom. † Polyd. l. 9. p. 152 & seqq. ‡ Dec. 2. l. 3. p. 239.

alieni

alieni ſcilicet cupiditatem. Hanc & Dubravius (*a*) perſtringit, & Bohemis pariter ut Bonfinius, victoriam inſignem tribuit. Aventinus (*b*) (qui Auſtriam perpetuò Bojariam Orientalem vocat, reclamantibus Hungaricis ſcriptoribus, qui eam Pannoniæ partem fuiſſe contendunt, quos & Dubravius (*c*) ſequitur, ac Marchiam Orientalem dictam fuiſſe teſtatur) rem ſine prælio compoſitam fuiſſe affirmat. Sed jam eventus, qui Cometæ apparitionem exceperunt, videamus. In Oriente Romanus Turcas ad pacem petendam coëgit. Hanc quòd negaſſet, rem proditione ſuorum improſperè geſſit, & vivus, (*d*) quòd antehac nunquam contigerat, in manus barbari venit. In ſummo honore à barbaro habitum & amplis donatum muneribus, pace initâ dimiſſum eſſe, Egnatius poſt reliquos ſcriptores annotat. Sed qui à barbaris tàm benignè, à ſuis crudeliter habitus eſt. Nam contra jurisjurandi fidem, & omnem honeſti ac rationem, imperio & oculis privatus, in inſulam deportatur, mox in tumulum deportandus, manifeſto viciſſitudinis rerum documento. Execrandum facinus juſtam divinam vindictam portendit, quæ è veſtigio ſecuta eſt. Soltanus enim Turca atrociter injuriam Imperatoris, à ſubjectis peſſimè habiti ultus eſt, & multò crudelius, quàm unquam antehac fecerat, omnia vaſtavit. Hâc tempeſtate in Occidente res paulò quietæ fuêre. Otto enim Dux Bojorum, genere Saxo, Princeps prudentia & bellica virtute præſtans, qui, ut Calviſius ex Urſpergenſi annotat, per annum ferè detentus fuerat, amicis pro eo apud Cæſarem deprecantibus, liberatur. Hi etiam ut in gratiam reciperetur, obtinuerunt. Et hæc quidem apud Schafnaburgenſem, nequaquam apud Urſpergenſem invenio. Ille enim Ottonem Anno 1071. inducias à Cæſare obtinuiſſe, anno autem vertente eidem conciliatum fuiſſe: denique Anno 1076. defeciſſe diſtinctè deſcribit. Iſte conciliationis non meminit. Verumtamen Otto tunc temporis Ducatu Bojariæ, qui Welphoni Quarto Lycatiorum (*fuit is antiquiſſimæ & illuſtriſſimæ apud Suevos familiæ ab Altorff, apud Bojos (e) Lycatiorum & Ambronum, apud Italos Aſtenſium ſive Ateſtinorum ſanguis, Celſiſſimorum Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducum (f) apud Saxones ſator, Princeps præpotens, qui & Orientem laude bellica & gloria (g) nominis ſui implevit*) tanquam jure (*h*) avitæ hæreditatis ad eum ſpectans creditus eſt, exciderat, paternis facultatibus contentus ut eſſet, juſſus. Hæc intempeſtiva Cæſaris clementia & verè crudelis miſericordia plurimas calamitates quæ ſecutæ ſunt, omni Cometâ & phœnomeno certius portendit. Prudenter Aventinus (*i*), poſtquam Cæſarem tanto turboni ignoviſſe, eumque non ſolùm vita, ſed & patrimonio donaſſe memoraſſet: *Nihilominus tamen*, inquit, *Otto hominum ingratiſſimus, atque perfidus, cui nullum ſcelus eſt, poſtea rebellionem facit: maximis cladibus majeſtatem populi Romani vaſtavit. Ubi miſericordia opus, nemo clemens eſt: viduas, pupillos, inopes, agricolas, cives compilamus, ſervire nobis cogimus, in hoſce levi rumore animadvertimus: ubi nihil opus eſt clementiâ, potentibus, latronibus, peculatoribus, qui neque patriæ neque famæ ſuæ, neque diis neque hominibus unquam peperarunt, ignoſcimus. Dumque paucis ſceleſtis parcimus, bonos omnes perditum imus.* Hic Otto fax & author (judice Aventino) ſeditionis, non illa Cometæ fax, bellum Saxonicum in Germania accendit: quod tamen plus rebellibus quàm Cæſari, jus majeſtatis ſuæ tuenti propitium fuit. At enim Urſpergenſis & Schafnaburgenſis benignius de Ottone judicant, potentiamque ejus Cæſari ſuſpectam, ruinam ei portendiſſe & attuliſſe demonſtrant. Hos & Thrithemius in Chronico Ducum Bavariæ ſequitur. Vid. Brunner. de virt. & fortuna Boica. Eadem tempeſtate inter Salomonem Hungariæ regem, & patrueles ejus, Geyzam ac Ladiſlaum exortum eſt diſſidium & bellum, alternante victoria & pace diſpunctum. Originem ejus Bonfinius (*k*) ad vetus illud ambitionis invidæ & ad pravos conſiliarios, non ad ullum Cometes portentum refert. Qui hîc de acerbiſſimo diſſidio inter Imperatorem & Pontificem Romanorum orto intimiora cognoſcere velit, adeat & audiat Aventinum (*l*) cordatè, liberè, &, ut affirmat, gratia & odio procul loquentem. Verum & illius apud Urſpergenſem Auctoris candor hîc eſt laudandus. Ego hîc nil addo, niſi quod non immerito ſentiam,

(*a*) l. 8. p. 521. (*b*) Annal. 5. p. 441. (*c*) ibid. p. 63. (*d*) Egnat. in Romano Diogene. (*e*) Avent. Annal. 5. p. 437. & 6. p. 482. 483. (*f*) Sigon. ad ann. 1088. (*g*) Avent. p. 484. (*h*) Trith. Chron. Ducum Bav. (*i*) Annal. 5. p. 444. (*k*) Dec. 2. l. 3. pag. 240. & ſeqq. vid. Avent. l. d. (*l*) pag. 446. & ſeqq.

vagam

vagam libidinem & adulteria infamia, quæ & Auctor ille apud Urſpergenſem, & Aventinus (*a*) in Henrico notat, licet multas ejus virtutes egregio Principe dignas enumeret, juſto Dei judicio hæc mala accerſiviſſe, cum acerrimum æmulum Gregorium VII. ingentium animorum, judice Petavio, (*b*) Pontificem nactus eſſet. Commemorationem hoc loco meretur Pontificum (inter quos 24. Epiſcopi erant) Germaniæ, (*c*) uxoribus cohabitantium, & tàm Scripturæ Canonicæ auctoritate, quàm antiquâ Eccleſiæ praxi ſe defendentium contrà Pontificem Romanum, qui cœlibatum eis imperabat, motus. Nec patitur ſe ſilentio obrui læta Conradi filii Henrici IV. Anno 1074. (*d*) nativitas, & Theodorici Domicelli (fuit is Florentii filius) Comitis Hollandiæ victoria, Anno 1076. parta, & patrimonii à Wilhelmo Epiſcopo Trajectenſi, auxilio Godefridi Gibboſi Ducis Lotharingiæ, ſibi pupillo ante quadriennium erepti, & inter victores diviſi recuperatio. Godefridus paulò ante ex inſidiis interfectus, Epiſcopus in prælio captus, ſocius ejus Comes Zutphanienſis occiſus, exemplum divinæ juſtitiæ peccata ſeverè vindicantis præbent. His meritò addendus eſt Rudolphus ille Cæſari rebellis, quem Alſtedius memorat. Sed hic caſus Anno demùm 1080. accidit. Ideò rectius ad proximum Cometam refertur.

(*a*) pag. 446 & 464. Vid. & Chron Carion. in Henr. 4. (*b*) Ration. Temp. p. 1. l. 8. c. 17. (*c*) Schafnaburg. ad ann. 1074 & 1075. Avent. l. d. pag 448. Sigon. ad ann. 1074 & ſeqq. (*d*) Schafnaburg.

CCXVI. *Anno Chriſti* 1077. *Dominicâ Palmarum circà horam ſextam, ſereno cælo ſtella apparuit.* Hiſt. Eccl. cent. 11. cap. 13. ex Sigeberto. *Henricus IV. Imperator hoc anno à Papa excommunicatus: Rudolphus Dux Sueviæ contra ipſum electus & coronatus, primo prælio cum ipſo congreſſus eſt, incertâ ſed non incruentâ victoriâ.* Eckſtormius.

IStum vel certè proximum Cometen Carionis Chronicon (*a*) indicat. Indiſcriminatim enim Cometam aliquot menſibus ante hos Germaniæ motus (quos à reditu Henrici ex urbe Roma, id eſt ab hoc (*b*) anno orditur, & tamen eis ad mortem Henrici triginta octo annos pro viginti octo tribuit, ego verò cum Aventino, Calviſio & aliis ab Anno 1067. quo molitiones Ottonis Bojorum Ducis motuum horum auctoris eruperunt, arceſſendos & ita demum eis 38. annos tribuendos puto) arſiſſe dicit. Hùc potius referenda ſunt triſtia, quæ paulò ante commemoravimus: longius enim ab illo, quàm ab hoc Cometa abſunt. Plura ejuſdem generis apud Auctores invenio. Nam Erneſtus Dux Auſtriæ in prælio contrà Saxones Anno 1075. occubuit. Romæ autem magnus tumultus, Pontifice Gregorio, Cincii præfecti urbis operâ in carcerem conjectô, (*c*) ortus eſt. Anno proximo (*d*) in Concilio Vormatienſi ab Imperatore, Hugone Cardinali, & XXIV. Epiſcopis, Pontificatus Gregorio, cujus ibi tunc multa ſcelera enumerata fuêre, (*e*) abrogatus eſt. At Pontifex Romanus triſtis, carminis lege ad ſe perlata, in Imperatorem & aſſeclas ejus viciſſim anathematis fulmen torſit, licet nonnulli jus majeſtatis imperatoriæ tuerentur. Fulmen illud Pontificium tantarum in animis plurium Germanorum erat virium, ut Imperator concilio ad Oppenheimiam indicto (*f*) de amittendo imperio in ſummum adductus fuerit diſcrimen, vixque ut feralis ſententia ſuſpenderetur, ſummis precibus impetrârit. Idem ille annus bello inter Giſulfum Salerni & Robertum Apuliæ Principem erat inſignis: ſed & ſummâ rerum omnium ad victum neceſſariarum inopiâ, quæ tanta in urbe Salernitana, Sigonio teſte, ſuborta erat, *ut veſcendi cauſa ad equos, aſinos, caneſque deſcenſum ſit.* Per hæc tempora Hungaria (*g*) acerrimo & pluſquam civili bello inter Salomonem & Geyzam ac Ladiſlaum orto conflictabatur. Favit initiò fortuna belli Salomoni, ſed ad ultimum deſtituit, & regno eum nequicquam reluctantem privavit, & in ſolitudinem agendæ pœnitentiæ cauſâ expulit. Ibi ingenitam ultrò depoſuiſſe ſuperbiam, pro trabea cilicium, pro purpureo ſtrato frondes aridas, pro epu-

(*a*) in Henr. 4. ſub fin. (*b*) Urſperg. Schafnaburg. (*c*) Urſperg. Schafnaburg. Sabell. Enn. 9. l. 3. p. 349. Sigon. ad ann. 1075. (*d*) Urſperg. Schafnaburg. Trithem ad ann. 1076. (*e*) Avent. Annal. 5. p. 453. Sigon. ad ann. 1076. (*f*) Urſperg. ad 1076. Thrithem. ad 1077. (*g*) Bonfin. dec. 2. l. 3. p. 240. Bakſchaj, in Salomone.

his

lis regalibus baccas ac glandes, pro Syrmico sæpè vino paluſtrem aquam, & pro frequenti ſtipatorum manu commutaſſe ſolitudinem; in eaque ſalubriorem quietem quam in regno inveniſſe, Bonfinius (a) perhibet. Is verò etiam paulò antè (b) deſcribit quàm cruentum illud fuerit ultimum prælium, quod ut plurimorum cæde ab utraque parte, ita regni amiſſione Salomoni conſtitit: & quantoperè pius Ladiſlaus illius acerbitatem & tùm imperantium per ſanguinem ad debitum quoquè regalis throni faſtigium pervenientium, tùm parentium quotidianis inſidiis à debitis obſequiis ſubductorum miſeram ſortem deplorârit. Per eadem tempora Boleſlaus Audax Rex Poloniæ Ruſſiam armis domitam, captâ metropoli Kioviâ, ſubegit. Henricus Imperator Anno 1077. ineunte, (c) nudis pedibus ante palatium Pontificis Romani ſtans, frigoris & inediæ patientiâ animum Pontificis expugnavit. Sed jam ad ea quæ Cometam exceperunt, properamus. Anno quo is luxit, concordia illa inter Imperatorem & Pontificem malè inſtaurata, non diu permanſit, Proceribus Germaniæ in Pontificem, & ejus auctoritate in Rudolphum Sueviæ Principem, Henrico Imperatori ſubrogatum, animo inclinatis. Quæ res ut Italiæ, ita & Germaniæ magnos & dolendos motus attulit. Anno 1077. (d) alternis victores Henricus & Rudolphus æmulus evaſêre. Ille tamen Germaniam ſuperiorem occupavit, & Sueviam Friderico Staufungenſi, viro ſtrenuo, quem ſibi in generum elegit, donavit. Anno 1078. in prælio Mellerſtadienſi Rudolphus pluribus Ducibus amiſſis inferior fuit. Poſt aliquot prælia dubio Marte commiſſa, illud Miſniacum, longè omnium maximum & atrociſſimum, juxta Elleſtram fluvium (e) Anno 1080. rem diremit. Rudolpho enim dextra, quam Cæſari dederat, & ita vita & auguſta dignitas, de Pontificibus (f) perfidiæ Auctoribus querenti, ablata eſt. Inter hæc Anno 1078. Michaël Conſtantini Ducæ filius Parapinaceus, à fame quæ ſub eo invaluit, dictus, abrogato imperio in cœnobium detruſus, ſucceſſorem Nicephorum Botoniatem vidit. Ignavia & ſævitia ejus inviſa vitia ab Egnatio notata, hanc tantam cladem ei pro Cometa portenderunt. *Facilè enim cives Nicephorum in ſocordis Principis invidiam admiſêre*; ut idem Egnatius ait. Boleſlaus Polonus per hæc tempora in vitia ex proſpero rerum in Ruſſia geſtarum lubrico lapſus, Staniſlaum Epiſcopum Cracovienſem acrius ſe objurgantem interfecit. Quam ob cauſam odium Pontificis Romani & ſubjectorum incurrit, titulo Regis, imò & regno privatus, ac in Hungaria, quò profugiſſe ſcribitur, Anno 1081. mortuus, quò Henricus V. Imperator natus eſt. Paulò ante Alfonſus Hiſpaniarum Rex Toletum urbem, quam 368. annis Saraceni tenuerant, feliciter recuperavit, arcem in ea condidit, ſedem regni & Epiſcopi eſſe, ſeque Imperatorem, ob devoluta ad ſe Legionis Aſturum & Caſtellæ regna, tùm multa alia à Mauris recepta, & alioqui res præclarè geſtas, appellari voluit. Multa fortiter & feliciter Henricus pro tuendo ſui imperii jure in Italia & Germania hac tempeſtate geſſit, de quibus paulò poſt pluribus agemus. Hìc ſola nobis verbo memoranda eſt *pax Dei in Synodo Moguntina communi conſenſu atque conſilio conſtituta* (g), ut Auctor ille apud Urſpergenſem ait.

(a) Dec. 2. l. 4. pag. 256. (b) Dec. 2. l. 3. pag. 245. (c) Urſperg. Schafnab. Trithem. (d) Calviſ. Bocholz. &c. Urſperg. ad 1078. (e) Urſperg. ad 1080. (f) Urſperg. ibid. Trithem. Avent. Ann. 5. p. 461. Bonfin. dec. 2. l. 3. p. 240. Sabell. Enn. 9. l. 2. (g) Urſperg. ad ann. 1085.

CCXVII & CCXVIII. *Anno Chriſti* 1092. *Cometa in plaga meridiana ſtans, ſuumque ſplendorem in obliquum, gladii more protendens, circà Nonas Octobris viſus eſt.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. cent. 11. c. 13. ex Urſpergenſi.

Anno Chriſti 1095. *die* 5. *Octoberis verſus meridiem conſpectus eſt Cometa formâ enſis. Eodem hoc anno iterum viſus eſt Cometa.* Eckſtormius ex Chron. Saxon.

Anno Gebhardi Abbatis 4. *qui fuit Dominicæ nativitatis* 1095. *circa Nonas Octobr. apparuit Cometes ad plagam meridionalem ſtans, ſuumque ſplendorem in obliquum gladii more protendens.* Trithem. Chron. Hirſaug.

COmeta ille ad annum 1092. poſitus, idem eſt cum iſto anni 1095. ut infra videbimus. Unde verò Eckſtormius habeat, iſto anno 1095. iterum Cometam eſſe viſum,

visum, ignoro. Dicit quidem Chronica Saxonica id testari. Ego tamen in Alberti Krantzii Saxonia, in Georgii Fabricii Chron. Saxon. aliisve Auctoribus secundò visum Cometam non inveni, nisi quòd hic eodem anno chasmata visa esse refert: Verùm de serie Cometarum hâc tempestate visorum infrà pluribus agemus. Nunc ad effectus istorum Cometarum (duos enim hîc numero auctoritate Eckstormil Chronica Saxonica allegantis) veniamus. Multa tristia intervallum 18. annorum Cometas dividens protulit, & talia citra Cometarum apparitionem evenire docuit. Nam ut nonnulla eorum (si vel Cometa ad annum 1092. observatus inveniatur) paucis attingamus, Nicephorus Anno 1081. imperio ab Alexio Commeno exutus, non minori jure illud amittit quàm acquisiverat. Inter hæc Michaëlis imperio dejecti caussam Robertus Normannus tuendam, & expeditionem in Orientem ad vindicandum imperium suscipit. Ex eo bellum atrox & cladibus mutuis nobilitatum, illud verò Romanum ex dissidio Imperatoris & Pontificis, cui novum Pontificem Clementem 3. Imperator suffecerat, ortum est. Dum ita belli motus alia regna, Angliam terræ motus Anno 1081. concussit. Eodem anno Canutus Rex Daniæ à subjectis cæsus, Funccio facinus hoc in annum 1078. referente. Eodem illo anno Boleslaum Poloniæ Regem mortuum esse diximus. Dehinc varii bellorum motus Sueviam, Misniam, & totam (a) Germaniam, tùm Italiam & Orientem quassarunt, occidente novi Imperatoris Hermanni Lotharingi, Oriente Commeni electione distracto. Anno 1085. Robertus ille Dux potentissimus, sed & Gregorius VII. Pontifex vitam cum morte commutavit. Eodem anno Juditha Bladislai (sive Vladislai) Poloniæ Ducis conjunx, & Vratislai Bohemiæ Ducis, qui eodem anno à Cæsare rex declaratus & Pragæ consecratus est; filia diem obiit, Bonfinio (b) notante. Post biennium sextum (ut verò ego ex Schafnaburgensi, (c) Aventino, Funccio, Bucholzero, Calvisio aliisque colligo, septimum, sex priora in annum 1075, 1077, 1078, 1079. & duo in 1080. collocans, quâ ratione & plura quàm diximus bella & prælia Saxonica ultra Schafnaburgensis historiam Anno 1077. finitam numerari possunt) bellum cum Saxonibus & Suevis instauratum, notante eodem Bonfinio, Calvisio in annum præcedentem hoc referente. Idem ille annus Wilhelmo Conquestori Regi Angliæ (quem Guilhelmi Neubrigensis (d), armis acrem, animo ingentem, successu felicem fuisse dicit, & singulare Nothorum decus vocat) & Saracenorum centum millibus à Victoris Pontificis exercitu in Africa cæsis (e) fatalis fuit. Tùm Hermanno illi Lotharingo, postquam cum Imperatore in gratiam rediisset. Anno 1088. Berta Regina mortua: Germania bello civili, 1089. Anglia motu terræ concussa. Henricus Comes Lovanienſis, anno postero Ecbertus ille Brunsuicensis, Marchio Saxoniæ, à militibus Cæsaris, cui ob maximas omnis generis vires ab adversa factione oppositus, & pro eo regnare jussus erat, occisus, rebus humanis exemti sunt. Hâc tempestate omnes Cæsari rebelles Principes, teste Aventino (f), occubuerunt. Eodem illo anno Imperator Italiam armis domuit. Anglia plusquam civile bellum, fraternasque acies vidit. Utraque belli procellam Anno 1091. sensit. Theodoricus verò Comes Hollandiæ, tùm Vratislaus rex Bohemiæ 14. Januarii, & Conradus frater & successor ejus (g), (solo tamen Ducis titulo, qui usque ad Vladislaum duravit, usus) 6. die Septembris 1092. è vita exiit. Mitto alia, & ad ea quæ Cometam (siquidem aliquis ad ann. 1092. monstrari potest, quod fieri posse nondum video) exceperunt, venio. Anno nonagesimo tertio supra millesimum à Christo nato Milcolumbus Scotiæ Rex obiit. Sed huic non tàm Cometa (si quis tamen illâ tempestate luxit) quàm violata ex levi causa conventæ pacis fides (h) & alieni cupido vitam & regnum ademit. Hoc quoque anno Vladislaus Hermannus, Poloniæ Princeps, Boleslai frater, rem contra Pomeranos, qui ab eo defecerant, ut & antea prosperè gessit; tunc enim eos ad deditionem coëgit. Hoc anno imperium Romanum, quantò diuturniori bello civili afflictum erat, tantò magis lætâ pace gaudere cœperat. Sed hoc gaudium diuturnum esse Conradus filius Henrici

(a) Ursperg. ad 1080. & seqq. ita & Trithem. & Sigon. aliique. (b) Dec. 2. l. 3. p. 240. (c) ad ann. 1057, 1074, 1075 & 1076. ibi quidem bis, hîc ter. (d) rer. Angl. l. 1. c. 1. p. 3. (e) Sigon. ad ann. 1087. (f) Annal. 5. p. 467, 468. (g) Dubrav. l. 9. p. 68. (h) Polyd. l. 10. p. 172.

Impe-

Imperatoris non ſivit. Is enim Italicis conſultoribus pravis credulus Auguſto fidem & obedientiam, Patri pietatem, patriæ & orbi quietem debitam violavit. Anno 1094. Alfonſus rex Portugalliæ primus natus eſt. Eodem Petrus Sanctii Aragoniæ Comitis filius, quadraginta millibus Maurorum cæſis, inſignem reportavit victoriam. Sed ut ad eventus, qui Cometæ, vel etiam Cometarum, indice, ut vidimus, Eckſtormio, anni 1095. apparitionem ſecuti ſunt, veniamus, excepit hæc phœnomena mors nonnullorum Principum, non tamen S. Ladiſlai Regis Hungariæ, qui ante eorum apparitionem, decurrente ſcilicet menſe Julio, diem ſuum obiit. Excepit & bellum ſacrum *(a)* ab Urbano 2. Pontifice Romano conflatum. Excepit pariter rebellio impii in Patrem Henricum Imperatorem, filii Conradi, quem Pontificia ſtudia & auxilia, Urbano ſedem & animum Gregorii VII. contrà Clementem 3. capiente, aluerunt. Sed talia vel naturales vel etiam civiles cauſſas ſuas, quæ prudentibus loco portentorum ſunt, citra Cometarum apparitionem, ut & aliàs habuerunt. Cometis pariter ſucceſſerunt, ut infelices aliorum Sacrorum bellatorum, ita felices Godefridi Bilionæi, Lotharingiæ Principis Magnanimi, ſucceſſus. In eundem annum referuntur felicia auſpicia Leopoldi Ducis Auſtriæ, qui Pius & Pater pauperum dictus eſt. Nuptiarum & natalium læta ſolemnia, quibus hoc anno Aulæ Principum perſonabant, in tabulis Principum apud Buntingum, Ritterſhuſium & alios videri poſſunt. Chronicon Auguſtanum de hoc anno ſic ſcribit: *Hyems varia, commoda æſtatis & autumni temperies: frugum ubique abundantia. Pro pace & regni reſtauratione colloquia. Imperatoris filius Conradus de Sicilia Nortmani cujuſdam filiam in uxorem duxit.*

(*a*) Sabell. Enn. 9. l. 3. p. 354. & ſeqq. Polyd. l. d. p. 174. Sigon. ad ann. 1094.

CCXIX. CCXX. CCXXI. CCXXII. & CCXXIII.
Anno Chriſti 1096. 1097. 1098. 1099. & 1101.

Anno Chriſti 1096. *viſus eſt Cometa.* Alſtedius.

SI vel ille Cometa enſiformis ad ann. 1095. poſitus hîc intelligatur, poterit hæc ſententia, ut puto, defendi. Auctor enim ille apud Urſpergenſem dicit ſe tunc Cometam vidiſſe, cum & ſignum in Sole vidiſſet. Hoc autem Anno 1096. vidiſſe ſe expreſſè teſtatur. Eandem confirmant illa ejuſdem Auctoris verba: *Anno verò poſt hæc tertio ſtellam &c.* quod de Cometa anni 1099. Auctores explicant. Atqui ab Anno 1096. ad 1099. triennium currit.

Anno 1097. *Cometes in occidente apparuit tota prima hebdomada Octobris.* Sigebertus. *Anno Chriſti* 1097. *in Occidente menſe Octobris Cometa per dies octo apparuit. Hunc aquarum inundatio magna ſecuta eſt, ita ut ſatio autumnalis impediretur: unde ſterilitas omnium frugum, fames ingens & peſtis ſecuta eſt. Eodem anno exercitus Chriſtianorum terminos paganorum tranſgreſſus cum hoſtibus feliciter pugnavit. Henricus Imperator Germaniam acceſſit, deque pace Moguntiæ in Conventu Imperii tractavit.* Rockenbachius.

ANnotat hunc Cometem Auctor Chron. apud Urſpergenſem, qui felices Godefridi contra Saracenos progreſſus, & occupatam Romaniam, tum illud de pace colloquium & æſtatem fertiliſſimam hoc anno memorat. Annotat eundem Hiſtoria Eccleſiaſtica cent. 11. c. 13. ex Sigeberto, Buntingus & Keckermanus ex Stumphio, Eckſtormius ex omnibus. Quivis autem videt eventus Cometæ iſtius non tantùm triſtes, ſed & lætos fuiſſe. Huc etiam referamus oportet Niceam à Chriſtianis captam, alioſque adverſus Saracenos ſucceſſus eorum proſperos. Licet enim hæc anno ſequenti evenerint, Cometæ tamen proximi apparitionem præceſſerunt.

Anno

Anno Christi 1097. *vel* 1098. *Cometes flammeus in occasu apparuit.* Ricciolus ex Keckermano.

GEminum in Occidente visum fuisse utroque anno Cometam Auctores tradunt. Illum jam vidimus, nisi fortè verbo dicamus Chronicon Augustanum, annotare ad ann. 1097. stellam non nimis fulgidam, quæ radium unum sublucidum de se portenderit, ut Luna. Cometam anni 1098. describit Robertus Monachus, ubi l. 5. histor. finiens de Antiochia occupata agit: *Nec reticendum*, inquit, *quoniam sub illa nocte Cometa, quæ regni mutationem præsignat, inter alia cæli sidera rutilabat, & suæ lucis radios producebat, & inter Septentrionem & Orientem igneus rubor in cælo coruscabat. His evidentibus signis in cælo radiantibus, & aurora terris lucem referente, exercitus Dei portas Antiochiæ intravit in virtute illius, qui inferni portas æreas contrivit, & ferreos vectes confregit, cujus potestas permanet in secula seculorum, Amen.* Rockenbachius verò hæc de isto Cometa memoriæ reliquit: *Anno Domini* 1098. *anno* 10. *Guilielmi ejus nominis* 2. (regis Angliæ) *Cometa per* 15. *dies durans Calendis Octobris apparuit, crinibus majoribus ad Orientem, minoribus versus Austrum tendens. Hunc & aliæ stellæ quasi jacula sunt secutæ, emissa invicem. Anshelmus dux Angliæ eodem anno Romam profectus est errorum tenebras fugiens. Præcesserunt quoque hunc Cometam prodigia alia & plurima. Cælum enim multis in locis* 5. *Cal. Octobris nocturno tempore ardere visum est, pestilentia magna animalia afflixit, segetem imber assiduus & ærugo corrupit. Ordo eodem anno Cisterciensis unà cum Præmonstratensi institutus est.* Eckstormius hunc Cometen versùs occasum visum esse, & instar incendii flagrasse ex Chronicis Saxonicis: reliqua quæ Rockenbachius de eo attulit, ex Historiæ Ecclsiasticæ cent. 11. & Malmesburiensi refert. Keckermannus sicut illum anni 1097. ex Urspergensi & Stumphio, ita ad annum 1099. ex Urspergensi pariter & Lavatero alterum Cometam annotat. Sed audiamus ipsum illum Urspergensem: *Multa tàm in aëre, quàm in terris portenta apparuerunt. E quibus aliqua hîc interseri duximus utilissimum, cuncta verò longissimum, & nos Cometem in plaga meridiana stantem, suumque splendorem in obliquum gladii more protendentem tunc* (Anno Domini 1095. vel 1096.) *circa Nonas Octobres vidimus. Anno verò post hæc tertio stellam aliam in Oriente locum suum longo intersitio saltibus mutantem* 6. *Kal. Mart. conspeximus.* Meritò hæc de stella ista anno 1099. accommodamus, etsi ille Cometa in 1095. annum referatur. Nam & rationes temporum, ut in aliis scriptoribus Cometam hunc ad 1099. annum annotantibus videmus, rectè sibi constabunt, & ipsa Auctoris verba, qui tertio anno vel currente, vel decurso Cometam istum alterum fulsisse dicere potuit. Antequam aliquid amplius de eventibus horum Cometarum, paucis dicam illa ex Urspergensi allata, ejus non esse. Ille enim, ut ipse ait, anno 1202. presbyter, Abbas verò 1215. renunciatus est. Hoc manifestò docet Chronica illa ab Urspergensi quidem in ordinem redacta vel etiam correcta & aucta, non tamen conscripta esse. Ideò Calvisius Francofurtanus grandem errorem commisit, dum Urspergensem Concilio Romano Anno 1102. interfuisse, & in Palæstinam profectum esse scribit. Ita clarè patet, quàm circumspecta fides nostra in allegandis vel admittendis Auctorum testimoniis sit oportet. Atque hîc etiam nos monet veritatis studium, ut non tantùm paulò ante dictorum Cometarum, sed & aliorum illa tempestate visorum sedes rectè constituamus. Quamvis enim de sede illorum aliquid jam dixerimus, tamen & de illis, tùm verò etiam de istis, qui proximè eos secuti sunt, non pauca dicenda, & difficultates haud leves removendæ occurrunt. De prioribus anni 1095. 1096. 1097. 1098 & 1101. de quibus hoc loco præcipuè agimus, & quos hîc simul numeravimus, & aliquot sequentibus hæc Alstedius annotavit: *Singulis annis singuli Cometæ sunt visi. Conradus & Henricus V. se opponunt patri Henrico IV. Nominatim Henricus, infandâ impietate parentem ab imperio remotum, & Bingæ captum miserè tractat. Secutum est bellum sacrum, quod multis annis duravit, & toti orbi Christiano fuit inauspicatissimum. Nam magnâ Christianorum jacturâ gestum est. Ingentia quoquè & multa mala secuta esse produnt historiæ: utpote fames & pestis miseranda ferè per totum orbem, item funestissimum bellum, quod Ponti-*

fex

fex excitavit in Germania, Saxones armando contra Henricum V. Quinquies in isto bello depugnatum est multo sanguine, & plurimi præstantissimi principes perierunt. Sedari tamen non potuit, donec Imperator, victus pertinaci ambitione Pontificum, edictum avi sui Henrici III. abolevit, quo sanxerat ille, ne quis pro Pontifice agnosceretur, nisi Imperator electionem ratam habuisset.

HOs & alios Cometas ad annum scilicet 1106. 1109. 1110 & 1112. simul posuit Alstedius, ad eosque præterea refert bellum funestissimum, quod Pontifex excitaverit in Germania, tùm bellum Saxonicum contrà Henricum V. & ejus compositionem, Imperatore avi sui Henrici III. edictum, quo sanxerat ille, ne quis pro Pontifice agnosceretur, nisi Imperator electionem ratam habuisset, abolente. Nos satius judicavimus hos Cometas dividere, ne in unam lancem multa simul confuse conjiciamus. Accedit quòd inter Cometas, quos Alstedius memoravit, inserendi sint alii ab Auctoribus aliis annotati. Hîc tamen de quinque simul Cometis sibi vicinis agemus. Verè de Cometis hac tempestate, exeunte scilicet undecimo & ineunte duodecimo Christiano seculo visis, Alstedius dixit, singulis annis singulos visos fuisse Cometas. Sed verius hoc dixisset, si omnes ab aliis Auctoribus annotatos protulisset. Hæc enim ferè continua est eorum series, quam apud diversos Auctores inveni.

Cometa apparuit Anno Christi.

1092. Cent. Magdeb. Eckstorm.
1095. Ursperg. Chron. Saxon. Trithem. Eckstorm. Alsted.
1096. Alsted.
1097. Sigeb. Ursp. Stump. Rock. Eckst. Alsted. Ricciol.
1098. Rob. Monach. Cent. Magd. Rock. Eckstorm. Ricc.
1099. Ursperg. Lavat. Keckerm. Eckst. Alsted.
1101. Eckstorm. ex Cent. Magd. & Bergomensi.
1102. Chron. Belg.

Anno Christi 1103. Bergom. Cent. Eccl.
1106. Marianus, Scotus, Sigebert. Tyria, Chron. Belg. Funcc. Rock. Bucholz. Calvis. Eckorm. &c.
1107. Rockenb. Cent. Magd. Eckst.
1108. Polyd. Eckstorm.
1109. Sigebert. Chron. Belg. Eckstorm. Alsted.
1110. Sigebertus, Tyrius, Calvisius Rockenb. Eckstorm. Alsted.
1111. Eckstorm. Alsted.
1112. Alsted.

Horum tamen Cometarum rectus & genuinus, quantum ego quidem non exiguo studio deprehendi, indiculus hic est:

Anno Christi 1095. Ursperg. Chron. Sax. Trithem. &c.
1097. Sigeb. Ursperg. Stump. Rock. &c.
1098. Robert. Mon. Cent. Magd. &c.
1099. Ursperg. Lavat. Trithem. Cent. Magd.
1102. Chron. Belg.
1103. Bergom. Cent. Eccl.

Anno Christi 1106. Mar. Scot. Sigebert. Tyr. &c.
1107. Lycosth. Cent. Magd. &c.
1108. Polyd. Eckstorm.
1109. Sigeb. Chron. Belg. &c.
1110. Sigebert. Tyr. Calvis. &c.
1111. Eckstorm. Alsted.
1112. Alstedius.

Ut autem veri studiosus Lector discrimen Auctorum & Conciliationem eorundem melius videat, subjiciam amplius tabellam cuncta simul exhibentem, & aliquot in hanc rem observationes.

Anno

1. Sigebert.	2. Ursperg.	3. Chron. Sax.	4. Cent. Magd.
A°. C. 1092. pax Saxonica.	1092. pestis Ecl. ☉.	1092. pestis Ecl. ☉.	1092. Cometa Non. Oct. ad merid. instar gladii.
1093. jaculum ignitum à merid. ad Aquil. per cælum ferri Cal. Aug. visum.	1093. facula volans per aërem ab Oriente in Occidente Ecl. ☉is.		1093. Jaculum ignitum à meridie Cal. Aug. Ecl. ☉
1094. pestis Germ. & Gall.	1094. pestis.		1094. annus pluviosus. Prid. Non. Apr. stellæ è cælo cadere visæ. Terræ motus 4. Id. Septembr.
1095. fames ingravescit. Terræ motus 4. Id. Sept. Sacro igne multi adusti. Stellæ de cælo prid. Non. April. cadere visæ.	1095. Cometa in plaga merid. Non. Octobr. in forma gladii.	1095. Cometa visus Non. Octobr. ad meridiem in forma gladii. Visa sunt & chasmata in aëre.	1095. Cometa in Oriente saltibus locum mutans 6. Cal. Martii.
1096. exped. in Palæst. Ecl. ☽ᵉ mense Febr. & August.	1096. Signum in ☉ 3. Cal. Mart. & diversa prodigia.	1096. exped. in Palæst.	1096. Ecl. ☽. duplex.
1097. Cometes in occidente tota 1. hebd. Octobr. Nimia inundatione autumnalis satio impeditur, & sterilitas frugum sequitur.	1097. Cometa. Fertilitas.	1097. Cometa visus horrendus. Secutus magnus omnium rerum proventus & vilitas annonæ maxima.	1097. Cometa in Occidente mense Octobr.
1098. Capta Antiochia à Christianis. Cælum arsit. Animal. pestis. Segetum corruptio.		1098. Ordo Cisterc. fundatur.	1098. Cælum arsit. Secuta animalium pestis & segetum corruptio. Cometa 15 diebus circa Cal. Oct. conspectus.
1099. Hierosol. capta.	1099. Stella alia in Orien. locum suum longo interstitio saltibus mutans 6. Cal. Mart. visa. Nubes sanguineæ &c.	1099. Hierosol. capta.	

Plura hìc possent ex Auctoribus dici. Sed ego hæc studio prætereo. Moneo tamen quæ monenda sunt.

1. Cometa ensiformis à Magdeburgensibus in ann. 1092. positus, in ann. 1095. vel 1096. & alter ille saltans in 1095. positus in 1099. reponendus.

2. Cometa saltans cum ensiformi in ann. 1095. simul à Trithemio positus, in ann. 1099. pariter reponendus est.

3. Eckstormius unum eundemque Cometam illum ensiformem Nonis Octobris visum, in ann. 1092. 1095. &, nisi fallor, in ann. 1099. (ubi potius saltantem illum, qui apud eum nusquam apparet, ponere debuit) ponit.

4. Cometa ab Eckstormio in ann. 1101. positus, auctoritate Magdeburgensium & Bergomensis, ob eandem in ann. 1103. est reponendus: nisi in annum potius 1106. per auctoritatem Simeonis Dunelmensis sit reponendus. Qua de re infra agemus.

Quicquid sit, clarè demonstravimus intrà 17. annos à 1095. ad 1112. tredecim minimum Cometas fuisse visos & annotatos. Rarò profectò tot Cometæ continua pro-

pemodum ſerie apparent, quot hoc loco videmus. Enumerat Aventinus (a) prodigia & portenta varia hâc tempeſtate viſa, & mala eorum apparitionem ſecuta. Nempe hæc & illa immenſorum flagitiorum præceſſerant portenta. Verè apud eundem Henricus 4. paulò infrà (b) ait: *Non opus eſt malis geniis* (addo ego, ominibus & portentis) *homini ex homine, imò & ex ſe ipſo, plurima mala. Uni animalium homini ambitio honoris, avaritiæ immenſa cupido: nulli rerum major libido, nulli rabies acrior.* Quis interea temporis dubitet de multiplici lætorum & triſtium viciſſitudine, Regum quoque & imperiorum exemplis ſancitâ? Videbimus nos ex ordine inſigniora, non tàm rei per ſe claræ, quàm mentibus noſtris ſalutaris ſolatii ac moniti lucem allatura. Sed hoc loco iſta tantum, ut promiſimus, ſuperioribus adjiciemus, quæ quinque illorum Cometarum apparitionem exceperunt. Captivitas Henrici IV. in annum 1106. rebellio Saxonum adverſus Henricum V. in 1115. at bellum ſacrum in 1096. refertur. Ita in eventibus Cometarum annotandis non ſatis rationes temporis Alſtedius, ſedulus alioqui Chronologus, ſervaſſe videtur, quod bonâ cum venia tanti Chronologi dicere liceat. Ut taceam bellum illud in Germania ex diſſidio Imperatoris & Pontificis ortum (quod à reditu Henrici IV. ex urbe Roma ad ejus mortem, ſive ab Anno 1077. ad 1106. non triginta octo, ut Carion putat, ſed viginti octo annos, ut ſuprà deduximus, duravit: Aventinus (c) ad necem Eckberti bellum civile, id eſt, Saxonicum 17. Germanicum verò triginta tribus, ſub Gregorio & Urbano, annis duraſſe ait) in tempora priora, ut vidimus eſſe rejiciendum. Vix enim levior quidam belli motus in Germania Henrico V. Anno. 1113. exortus erat. Adde quòd Quintus (d) ſemel tantùm in Saxones commiſſo prælio pugnaſſe Anno 1115. at pater, ejus nominis Quartus, quinquies (quod hîc Alſtedius & Eckſtormius *infra hiſtor. Cometæ* Ann. 1109. ad filium tranſfert) vel etiam ſepties, ut docuimus *ſupra*, (e) prælio decertaſſe legatur. Hac ἐδὲ πάρεργον, ut in tranſcurſu fieri ſolet, innuiſſe ſufficiat. Ad eventus iſtorum Cometarum apparitionem ſecutos (ut tandem ad eos deveniamus) quod attinet, triſtia quæ Anno 1095. evenerunt, ac Cometam illius anni ſecuta ſunt, eadem Cometam Anno 1096. viſum anteceſſerunt. Quis verò hoc integro biennio multa læta Regibus & regnis obtigiſſe dubitet? Pariter & triſtia multis dubio procul obtigêre. Memorabile hîc ponitur exemplum Petri I. Aragoniæ Regis, qui hôc (f) Anno 1099. in prælio occidit, IV. Reges nigrorum Arabum, quorum capita Regibus Aragoniæ inſignia fecêre, vincente. Idem paulò poſt Oſcam urbem recepit. Chronicon Carionis (g) Henrici IV. Imp. mortem in annum nonageſimum ſeptimum ſuprà milleſimum ponit. Qui error neſcio quomodo irrepſerit. Conſtat enim apud eos eum anno ſexto duodecimi à C. N. ſeculi mortuum eſſe, ſicut & ille ipſe Auctor in vita ejus paulò antè affirmavit. Fatalis verò iſte annus fuit Suenoni Daniæ Principi Magnanimo, qui ſacros Argonautas in Palæſtinam ſecutus, à Turcis oppreſſus eſt. Lætus tamen ſimul pace in Imperio compoſitâ & Argentinæ promulgatâ, perpetuoque edicto, more Germanorum, ut Aventinus (h) loqui ſolet, ſancitâ (poſtquam adhuc bellum civile, putà illud à Saxonibus & Suevis inchoatum *per annos tres & viginti*, à 1073. ſcil. ad 1097. *continentèr orbem Romanum*, ut paulò poſt ait, *(i) affixiſſet)* & primâ Chriſtanorum in Palæſtina victoriâ extitit. Hanc anno vertente expugnatio, prælucente, ut diximus, felici Cometâ, Antiochiæ & victoria ingens cæſis à Chriſtianis centum Saracenorum millibus ſecuta eſt. Cædem interim tot hominum inter gaudia victoriæ quis non doleat ſemper? Demum Jeruſalem (k) anno captivitatis (Perſicæ ſcil.) 484. ſecundum Bucholz. & Calviſ. &c. at ſecundum Sabellicum, & Pantaleon. 490. Saracenicæ verò 463. ſecundum Sigebertum, Funccium, Bucholz. Calviſium expugnatio & initium imperii Godefredi, qui ut primus muros urbis aſcendit, ita etiam primus oblatum ſibi regis titulum habuit: mox *inſignis* victoria, XXX. millibus Saracenorum cæſis excepit. Inter hæc Anno 1097. Come-

(a) Annal. 5. p. 470. (b) ibid. p. 471. (c) Annal. 6. p. 480. (d) Urſperg. Chron. Saxon. *ad 1115.* (e) vid. Avent. Annal. 5. pag. 444 445. 449. 450. 451. 459. 466. & diſtinctius cuncta prælia apud Fabric. *in Chron. Saxon.* ad ann. 1075. 1077. 1078. 1079. 1080. 1086 & 1089. quàm apud ullum Auctorem, quos vidi. (f) Ann. Aragon. apud Calviſ. ad 1104. (g) in vita Henr. V. ab initio. (h) Annal. 5. p. 413. 468. 472. & alibi. (i) Avent. Annal. 5. p. 469. (k) Bonfin. Dec. 2. l. 5. pag. 265. Sabell. Enn. 9. l. 4. pag. 358. Sigon. ad ann. 1099.

ta ut

ta ut diximus, maximam fertilitatem, notante Kerkermanno (*a*) attulit: at eodem auctore annus 1098 (quo etiam Cometam luxiſſe demonſtravimus) magnam peſtem, melioribus terræ, ut Keckerm. putat, halitibus in aërem elevatis, ibi terram ſua pinguedine fœcundantibus, hîc malignitate quadam contractâ aërem inquinantibus. At enim ſatis conſtat, & fertilitatem & peſtem aliaque bona & mala, nullis Cometis apparentibus à Deo mortalibus, tàm ad virtutem invitandis, quàm ob delicta puniendis immitti. Interim & læta concedi, occupata hoc anno à Chriſtianis Antiochia docet Anno nonageſimo nono ſupra milleſimum. Henricus Imperator, rebelli filio proſcripto & abdicato, Henricum filium natu minorem Cæſarem renunciat, & ſacramento adigit. Sed fruſtra fuit, impietate & ingrato animo in eo prævalente. Annus centeſimus ſupra milleſimum, ut morte Godefridi Bilionæi, ita auſpiciis regni Balduini clarus extitit. Periit tunc & Wilhelmus Rufus Rex Angliæ, & Bretiſlaus Bohemiæ, uterque in venatione, ille fortuito caſu, hic (*b*) ex inſidiis. Periit & Henricus Comes Lovanienſis in haſtiludio. Quis hanc mortalium, etiam Principum, ſortem ignorat, etſi nullus oriatur Cometes? Ita & Anno proximo leges mortalitatis implevit Clemens III. Pontifex Romanus, & Conradus Italiæ Rex Patri rebellis. Balduini auſpicia læta Chriſtianis, læva Saracenis fuêre. Cæſaream enim & alias urbes occupavit, ac de hoſtibus inſignem victoriam reportavit. Robertus Normanus ex ſacra expeditione feliciter, *optatiſſimus cunctis mortalibus*, ut Polydorus (*c*) ait, revertit, & de regno cum fratre natu minore Henrico, conceſſâ ſibi Normaniâ, & annuo trium millium marcarum vectigali, feliciter ſine ſanguine (*d*) tranſegit. Compoſita quoque res tunc eſt inter Imp. & Henricum Ducem Limburgenſem, qui inſcio illo Ducatum Lotharingiæ à Godefrido illo Bilionæo acceperat, ita ut Ducatum illum auctoritate Auguſta acciperet.

(*a*) l. 6. Syſt. Phyſ. c. 5. de Cometis edit. Dantiſc. pag. 921. 923. Th. Eraſtus judic. de Comet. Signif. p. 1. (*b*) Dubrav. l. 10. fine. (*c*) l. XI. p. 180. (*d*) Polyd. l. d. p. 181.

CCXXIV. & CCXXV. *Anno Chriſti* 1102. *apparuit Cometes Cal. Octobris* 15. *diebus, majorem crinem emittens ad Orientem verſus Auſtrum. Apparuerunt & aliæ ſtellæ, quaſi jacula inter ſe emittentes.* Chron. Belg.

Anno Chriſti 1103. *Cometa flammis latè rutilantibus exarſit.* Sebaſtianus Franco. *Hoc anno Henricus Craſſus Princeps ad Viſurgin, Comes Northeimenſis, à Friſiis cæſus eſt.* Eckſtormius.

DEbet hunc Cometam Eckſtormius Magdeburgenſibus. Verumtamen iſti rationibus diligenter inſpectis hunc Cometen paulò poſt illam ſtellam, ab Eckſtormio in ann. 1101 & 1106. poſitam, ut ſupra vidimus & infra videbimus, conſpectum eſſe memoriæ produnt. Ita & hîc meritò corrigendus eſt ex iis, à quibus ſua habet. Quòd verò ad illum priorem Cometam attinet, eum apud diligenter alioqui talia phœnomena notantes auctores, quos habeo ad manum, niſi in Chronico Belgico, non invenio. Præceſſit utrumque Anno 1102. menſe Majo, clades Balduini, temerario * auſu accerſita, ex qua ægerrimè evaſit, ſervatus ab Arabe, cujus paulò ante uxorem gravidam captam comiter habuerat. Præceſſit & mors, in diem Junii quartam anni illius 1102. ab Scriptoribus Polonicis aliiſque relata, Vladiſlai Hermani Poloniæ Principis. Anno quo prior Cometa apparuit, & Balduinus cladem illam egregiâ victoriâ, & Tancredus Dux Antiochenus lætis ſucceſſibus reparavit. Anno quo poſterior Cometes luxit, Boleſlaus Crivouſti Princeps Poloniæ filiam Suentopelci Kiovienſis Principis uxorem duxit. Idem contra fratrem Sbigneum, à patre noxio exemplo ex concubina genitum, & domeſticis ac peregrinis auxiliis ſubnixum, rem feliciter geſſit. Boamundus Antiochiæ Dux ex captivitate Turcica liberatus. Bellum Flandricum hoc anno compoſitum. Comes ſupplex Imperatori factus in gratiam receptus, & pax in Imperio per quatuor annos ſancita eſt. Anno proximo Balduinus Rex Ptolemaidem dedi-

* Urſperg.

tione cepit. Sed ad Carrhas rem prosperè gestam Christiani Principes ambitiosâ discordiâ (quæ eis in medio hostium præpotentum & ferocium positis damnum aliquod absque Cometa portendit) destituerunt & prodiderunt, ac verè Cariam, ut est in proverbio, multi imperare volentes perdiderunt. Prætereundum non est quod de rebus lætis, quæ hoc anno evenerunt, Auctor ille apud Urspergensem, temporum illorum æqualis, memoriæ reliquit. Postquam enim Sigeberti Comitis, Henrico 4. Imperatori ob nimiam potentiam invisi, cædem retulissent; *His tamen*, inquit, *exceptis undique satis terra quievit, pace simul & fertilitate, nec non aëris qualitate, corporumque sanitate delectabiliter jucundata. Nonnulli etiam palmati de Hierosolyma redeuntes Acris, quæ & Accaron, à nostris expugnatam* ‡ *nunciant: alia quoque præter hæc non pauca, quæ multam nobis lætitiam ministrarent, fausta super Hierosolymitanæ ecclesiæ statu narrant.* Annus centesimus quintus supra M. in Occidente bello parricidali, quod adversus Henricum 4. Imperatorem Henricus filius, non minori perfidiâ, quàm impietate, quæ illud portenderat gessit, in Oriente verò prosperis adversus Saracenos successibus, celebris fuit. Nam & Wilhelmus Comes Tripolitanus ad Antiochiam insignem de barbaris retulit victoriam, & Balduinus Rex Ascalone captâ eosdem, insperatò & maximis quidem copiis se adorientes, pariter vicit & rejecit. *Centum millia Saracenorum*, (scribit ille apud Urspergensem † Auctor de Balduino) *improvise se invadentium, virtus divina ante ipsum quatuor tantummodo millium manibus stravit, quodam scilicet Admirate, qui secundus à Rege Babyloniæ videbatur, capto, altero inter cæteram multitudinem occiso: Christi clementia peregrinis suis apud Antiochiam, Syriam, Palestinam totamque per Asiam proserante, eorumque servitute barbaricas circumquaque spurcitias eliminante.*

‡ Funcc. ad 1104. † ad ann. 1105.

CCXXVI. *Anno Christi* 1106. *à prima hebdomada quadragesimæ, qua & mediante hæc passi sumus, Cometam immensi fulgoris usque ad passionem Domini conspeximus.* Urspergensis.

Anno Christi 1106. *Cometes maximus in tempore carnis privii apparuit.* Funccius.

Anno Christi 1106. *anno Imperii Henrici Imperatoris IV.* 5. *Nonar. Februar. Cometa in cælo ab hora tertia diei, usque ad horam nonam, cubiti longitudine à Sole distans, interdiu visus est. Post hunc paulò post Idib. Febr. apud Barum Italiæ, stellæ interdiu in cælo visæ sunt, jam quasi inter se concurrentes, jam verò in terram decidentes. Cumque eodem anno, capta Noriberga, Henricus Imperator per Alsatiam, fortuna ipsi aliquo modo resistente, præter decorum grassaretur, urbem Rubequensem ingressus est, quæ multitudine civium & armis tùm temporis valebat, satellitibus autem ejus, non ut hospites decebat, in urbe grassantibus, armis à civibus oppressis, & in fugam conjectis versus est, coronâ, vexillo cum Aquila, pomo, Sceptroque aureo, ac alio vexillo, croceo rubeoque colore distincto, amissis. Sed pace postea utrinque factâ, Henricus contrà fidem datam cupidum incendit, atque in cineres vertit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1106. *à prima septimana quadragesimæ usque ad vigilias Palmarum, conspectus est horribilis Cometa. Eodem anno obiit Henricus IV. Imperator & filius ejus Henricus V. obsedit Coloniam.* Chron. Saxonic. *De hoc Cometa* Historia Ecclesiastica ex Simeone Dunelmensi Monacho *sic refert: Anno Domini* 1106. 14. *Cal. Martii ostensa est stella quædam insolita, & 25. dies eodem modo, eademque horâ visa est lucere inter Austrum & Occidentem. Parva visa est, & obscura, sed splendor qui de ea exivit, valde erat clarus, & quasi ingens trabs de Orientali & Aquilonari parte claritas ingessit se in eandem stellam. Legantur etiam de hoc Cometa, quæ habet Cosmodromion Personæ æt. 6. c. 55. Quidam dixerunt, se plures insolitas stellas eo tempore vidisse.* Eckstormius.

Anno Christi 1106. *fulsit Cometes toto mense Februario.* Bucholzerus.

Anno Christi 1106. *mense Februarii biduo post novilunium visus est magnus Cometa ad Occasum Solis brumalem.* Calvisius ex Tyrio.

Quæ

QUæ de hoc Cometa ab se viso Auctor ille apud Urspergensem scribit, ea quoque docent eum Urspergensi integro seculo fuisse majorem. Stellam illam à Dunelmensi ad hunc annum positam, in ann. 1103. à Bergomensi relatam esse supra vidimus. Utri potius illorum fides sit habenda, nondum mihi liquet. Magdeburgenses & Eckstormius phœnomenon illud utrobique ponunt, & ita rem in medio relinquunt. Continuator tamen Mariani Scoti in hunc annum stellam istam ponit, & Cometen vocat. Verum etsi hæc stella in ann. 1103. esset referenda, constaret tamen sua huic Cometæ auctoritas tot scriptorum fide. Nam & Sigeberti continuator Robertus de Monte, (qui eum toto penè Febr. luxisse scribit) & Vincentius, & Chron. Saxon. & Platina Cometam hic annotant. Eundem arbitror à Sabellico intelligi Enn. 9. l. 4. p. 359. Dicit enim eum miræ magnitudinis fuisse, quod huic magis quàm superioribus competit. Scribit præterea eum fulsisse paulò antequam Fluentinus ille Præsul celebris, Antichristum illâ tempestate natum esse affirmaret. Istam famam tunc in Ecclesia celeberrimam fuisse Baronius ad hunc annum testatur. Vid. Avent. Annal. 5. p. 470. & 476. Alstedius quoque & Ricciolus ex Joanne Prætorio hunc Cometam annotat, & Henrici 4. novissima tempora calamitosa ad eum refert. Sifardus pariter, qui à morte Henrici ad cladem Vandalorum, quæ Anno Christi 1147. * accidit, effectus Cometæ producit. Mortui & proximè ante Cometæ hujus apparitionem sunt diversi Principes: Edgarus scilicet Scotiæ Rex, Fridericus Senior Dux Sueviæ, Theodoricus Domicellus Comes Hollandiæ, & Raimundus Comes Tholosanus. Alios ut taceam. Venio ad ea quæ Cometæ successerunt. Maximè notabilis rerum humanarum vicissitudinis exemplum hic annus, quo hæc stella crinita fulsit, habemus. Nam Henricum Imp. Proceres partibus Pontificiis addicti deseruerunt, & proprium filium, pietatis & humanitatis ac verecundiæ studio Pontificis oblitum, ad eum bello persequendum impulerunt, ac patrem insigniis imperii spoliarunt. Hunc postea modo fugientem, modo vincentem, tandem filius Leodii captum & indignè habitum ac mœrore confectum, parricidali facinore in tumulum detrusit, nec sepulturæ honorem ei nisi post quinquennium habuit. Vitia multa Imperatore hôc puero grassantia, & quæ postea omnem medicinam respuebant, imò magis magisque viribus & audaciâ crescebant, ac tandem indomita & insuperabilia evaserunt, & tot bellorum incommoda omni cælesti phœnomeno certius portenderunt. Vide apud Avent. Ann. 6. Anno illo duodecimi à C. N. seculi sexto Henricus V. civitates quæ in fide parentis perstiterant, in fidem recepit, & res composuit.

* Bunting. Chron. 1. part. ad ann. 1147. ita & Chron. Saxon. Fabricii & Calvis. edit. Francof.

CCXXVII. *Anno Christi* 1107. *Cometa atri coloris, unà cum aliis signis & prodigiis in Oriente per* 40. *dies & paulò amplius circà initium noctis visus est, comam longam habens. Deinde à Solis ortu, usque ad horam tertiam diei Sol conspectus est habere duos Soles collaterales, ejusdem magnitudinis, sed splendore inferiores. Apparuit quoque tunc temporis circà Solem Iris sine coloribus destincta. Eodem etiam anno, Hugo de sancto Ademaro Tyberiadensium bellum cum copiis Damascenorum gerens, in pugna lethaliter confossus, victoriam tamen assequens, mortuus est, in qua tamen pugna multi utrinque interfecti sunt. Boamundus de Francia cum ingentibus copiis in Apuliam reversus, Græcorum fines depopulatus est, dumque in Syriam properat, in itinere mortuus est, ejusdem nominis filio relicto. Turcorum quoque copiæ, partes Edissanorum devastantes, cum Tancredo manus conseruerunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1107. *quadraginta dies & eo amplius ater Cometa circa noctis initium conspectus est, qui longè comam trahebat.* Eckstormius ex Hist. Eccles. ex Tyrio lib. 11. c. 5.

INter Cometas tàm proximos, multa ut læta, ita & tristia fieri in orbe oportuit. Ita anno proximo illa quæ paulò antè diximus, Cometam secuta, evenerunt.

Quæ

Quæ ex eis triſtia fuerunt, quibus addimus mortem Magni Ducis Saxoniæ, & (ſi Calviſio credimus) cladem Roberti Normanni, ab Henrico Rege Angliæ fratre ejus illatam, Cometam hunc anteceſſiſſe dicenda ſunt. Hoc quo is luxit Anno Henricus Imperator à Paſchali Pontifice Romano, qui ei jus inveſtituræ Clericorum (confirmationem in feudis rectius vocamus, Comitia & clientelam Epiſcoporum Aventinus vocare ſolet) Carolo M. & omnibus aliis Imperatoribus conceſſum, eiſque intrà trecentos amplius annos à 60. & aliquot Pontificibus Romanis (*b*) relictum, adimere volebat, inducias unius anni obtinuit. Eodem anno Sacri milites rem feliciter & contra barbaros & contrà Alexium Imp. Orientis, Latino nomini infenſum geſſerunt. Ipſe Rockenbachicus hanc lætorum & adverſorum viciſſitudinem, quæ Cometam excepit, prodit.

(*b*) Antiqu. Britann. in Vita Anſelmi pag. 120.

CCXXVIII. *Anno Chriſti* 1108. *in Nordmanniâ Cometes per aliquot dies apparuit.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. & ex Polydoro.

HIſtoria illa Magdeburgenſium Cometam hunc in ann. proximum refert, & cum illius Cometa, qui tamen diutius duraſſe illis ipſis memoratur, confundit. Hic quoque pariter quæ anno proximo acciderunt triſtia, & illum Cometen ſunt ſecuta (quibus addimus, Borivojo à Suatoplucho ereptam Bohemiam, cladem Henrici Lotharingi & mortem Hugonis Comitis Tiberiadis) hunc anteceſſerunt. Polydorus in hunc annum illam Roberti cladem refert, & ante eam Cometem apparuiſſe ſcribit. Utroque anno Cometam apparuiſſe docuimus. Cladem Roberti, quam Normaniæ ad regnum Angliæ adjunctio ſecuta eſt, in hunc potius quàm illum annum cum Polydoro, Jovio & Funccio rejiciendam eſſe, vero ſimilius videtur. Portendit vero eam omni Cometa certius, ut invida Henrici ambitio, ita parum cauta Roberti inconſtantia & imprudentia, quæ duo vitia in Roberto Neubrigenſis (*c*) & Polydorus, (*d*) illud in Henrico res ipſa indicat. Portendit hoc bellum parricidale utrique Principi incommoda: Dux enim captus & ad perpetuos carceres damnatus, Rex autem hoc bello, longè gravius aliud, illud ſcil. quod cum Ludovico Craſſo Gallorum Rege, ab anno 1118. ut Auctores (*e*) affirmant (quanquam prælia inter utramque gentem commiſſa Anno 1111 & 1116. invenio) (*f*) variâ fortunâ (*g*) diu geſſit, ſibi accerſivit. Ludovicus enim, qui eodem anno quo Cometes fulſit, patre Philippo, an ante vel poſt apparitionem Cometæ dubium, mortuo regnare cœperat, Gulielmo Roberti captivi filio Normanniam vindicare ſtudebat. Atque hæc belli Anglo-Gallici, quod, ut Auctores (*h*) teſtantur, *ſexcentis fœderibus diremtum, ſemper renovabatur*, initia, hæ cauſſæ fuerunt. Tàm diuturnum & difficile bellum multas calamitates utrique regno, (ut ſunt malorum continuæ calamitates & anxiæ

- - curæ catenatique labores)

portendit. De Anglo dixiſſe ſufficiat, eum *hoc bello ita fuiſſe exhauſtum, ut non dubitaverit ex clericorum conjugiis* (verba ſunt Antiquitatum Britann. (*i*) Auctoris) *quæ prius approbaverat, & de quibus ipſum Anſelmum* (Cantaurienſem Archi-epiſcopum) *etſi fruſtrà interceſſerat, pecuniarum quæſtum facere, & penſionibus ad retinendam illius Anſelmi conſtitutionis pœnam & retinendas uxores, Clericos ſupra vires ſuas onerare, quas tandem & remiſit, & ſacerdotum conjugia permiſit, ut ducentis penè poſt Anſelmi conſtitutionem annis rata manerent, etſi frequentia ſequentium Cantaurienſium Archiepiſcoporum edicta prohibitoria promulgarentur.* Vide de hac Sacerdotum emunctione Polydor. l. xi. in vita Henr. I. p. 194. Catecùm illa Roberti clades, & in tetro carcere crudelis detentio, plura mala Regi, omni ſigno cæleſti certius, portendit. Filius enim ejus Gulielmus, paulò ante Dux Normaniæ renunciatus, & regni ſucceſſor deſignatus, cum fratre Ricardo & Maria ſorore & nume-

(*c*) rer. Anglic. l. i. c. 3. p. 9. (*d*) lib. ii. p. 184. (*e*) Polyd. Jovius, Pantal. Funcc. (*f*) Calviſ. Serres initio vitæ Ludov. (*g*) Polyd. l. xi. p. 189. (*h*) Jovius, Tilio, Pantal. (*i*) in vita Anſelmi p. 122.

roſo comitatu Anno 1119 naufragio periit, cum turba nobilium juvenum, ut Neubrigenſis (*a*) ait, marinis beluis eſca datus. Henricus ſucceſſore orbus maſculo, licet graviſſimè totius ſobolis, præter Mathildem filiam, clade perculſus, ut nunquam deinde (*b*) riſiſſe tradatur, tamen ad ſecundas nuptias cum Adelicia Lotharinga tranſiit. Nihilominus ex puella facie & moribus pulcherrima nullam (*c*) prolem ſuſcepit. Imò dehinc variis calamitatibus vexatus, & de ſucceſſore ſollicitus, Mathildæ filiæ (quæ vivo marito Henrico V. Imp. ut nonnulli (*d*) tradunt, ad patrem confugerat, & poſtea Gaufredo (Galfredum Buchananus vocat) Andegavenſi Comiti matrimonio juncta, ab eodem rejecta ad patrem redierat, & filiis ejus ut regnum relinqueret, fruſtra laboravit. Regnum enim Stephano Gallo (*e*) Comitis Bleſenſis & Adelæ ſororis ejus filio reliquit. Filiæ verò multiplices calamitates vidit. Manifeſtum profectò juſtæ vindictæ divinæ, de liberis quoque ſumtæ ob præreptum fratri natu majori regnum, interverſum eidem promiſſum annuum vectigal, tandem bellum ſuppliciter deprecanti ademtam Normaniæ hæreditatem, imò libertatem & vitam, documentum. Longè juſtius Henricus cum fratre, quam Ladiſlaus Hungarus cum Salomone patrueli de regno decertans, dicere potuit (*f*) *ô nos longè miſeriores, quibus non tàm pro aſſerenda vita & dignitate noſtra, quàm regni libertate certantibus manus à noſtro ſanguine abſtinere non licuit.* Imò & illud quod Neubrigenſis (*g*) ſcriptor illius ævi de patre dixit, nos hîc de filio dicere jure poſſumus: Sanè quod idem Chriſtianos *innoxios hoſtilitèr Chriſtianus impetiit, & tanto ſibi ſanguine Chriſtiano regnum paravit, quantæ apud homines gloriæ, tantæ etiam apud Deum noxæ fuit.* Sed hæc ſufficiant, quæ dicenda hîc erant, quòd & in ſequentibus horum mentionem facturi ſimus.

(*a*) ibid. p. 12. (*b*) Buchan. rer. Scot. l. 7. (*c*) Neubrig. ibid. Polyd. l. XI. p. 191. (*d*) Polyd. l. d. pag. 192. (*e*) Vid. Neubrig. l. 1. c. 4. Polyd. l. 12. ab initio. (*f*) Bonfin. Dec. 2. l. 3. circa finem. (*g*) lib. 1. c. 1. p. 4.

CCXXIX. *Anno Chriſti* 1109. *arſit Cometa ſecundo anno imperii Henrici V. contrà quem cum Pontifex armaſſet Saxones, funeſtiſſimum bellum in Germania accendit, quod quanquam quinquies multo eſſet depugnatum ſanguine, & præſtantes Principes periiſſent plurimi, ſedari tamen non potuit, donec Imperator victus pertinaci ambitione Pontificum, edictum avi Henrici III. abolevit, quo ſanxerat ille, ne quis pro Pontifice agnoſceretur, niſi Imperator electionem ratam habuiſſet.* Eckſtormius ex Peucero in divinat. loco de Meteorologiâ.

ALſtedius quoque hunc Cometen numerat. Anno quo is apparuit Suatopluc Bojemiæ dux, qui paulò ante oculum amiſerat, hoc anno gloriam ex re proſperè in Hungaria geſta, & parta ingenti præda acquiſivit, ac cum ſuis victor domum lætus (*a*) revertit. Is tamen paulò poſt ex inſidiis oppreſſus, vitam & regnum, quod invaſerat, amiſit. In hunc eundem annum Jordanus annot. ad l. 10. Dubravii, mortem Colomanni Regis Hungariæ ponit. Sed hanc Bonfinius, Bakſchai, Funccius & alii Auctores in annum 1114. collocant. Eodem anno Calviſius Mathildem Henrici illius Angli filiam Henrico V. deſponſatam, ex Pariſienſi, (Trithemio (*b*) hoc ad annum 1110. referente) ſed Polydorus (*c*) Anno Henrici decimo, qui Chriſti undecimus (Jovio decimus) ſupra centeſimum & milleſimum, ac morte Anſelmi Cantaurienſis nobilis fuit. Anſelmum tamen hoc anno 1109. mortuum non pauci (*d*) Auctores produnt. Hoc diſcrimen biennii illud æræ Chriſtianæ vulgaris & veræ facili negotio conciliat. Nam non eſſe errorem in facili tranſpoſitione MCXI pro MCIX. anni Henrici docent. Sponſalia illa Mathildis cum ſolemni lætitia peracta eſſe, Polydorus & res ipſa indicat. Eodem anno, ut Calviſius ex Mariano putat (Taraphâ id in annum 1106. referente) Alfonſus 7. Rex Aragoniæ, Urracam Sexti filiam matrimonio & ſimul Caſtellæ & Legionis regna ſibi junxit. Chriſtiani in Oriente multa proſperè contra barbaros egerunt. Tunc & Boleſlaus Crivouſti, poſtquam Henricus Imperator pacis ſtudium contemſit, memorabilem de eo victoriam ad Vratiſla-

(*a*) Dubrav. l. 10. p. 77. (*b*) Chron. Hirſaug. Pariſ. Joranal. hiſt. Antiq. Brit. auctor. & alii. (*c*) lib. XI. p. 185. (*d*) Edinerus in ejus vita. Malmeſ. Math.

viam

viam reportavit. De quinque præliis Imperatoris contrà Saxones ab Imperatore Henrico Quarto, non isto Quinto commissis, supra diximus. Quintum enim toties cum Saxonibus conflixisse non invenio, imò verò una tantum * pugnâ iniqua congressum esse, Anno scil. 1115. licet belli motus alioquin Anno 1113. 1118 & 1121. citra pugnam diversa Germaniæ loca concusserint.

* Fabric. in Chron. Saxon.

CCXXX. *Anno Christi* 1110. *Cometa d.* 6. *Junii apparuit, qui caudam versus Austrum projecit.* Calvisius ex Tyrio.

Anno Christi 1110. *Cometa in mense Junio apparuit, radios suos versus Austrum dirigens. Ex hoc deinde prodigio jam apparente, multi ratiocinati sunt, prodigium hoc futuram expeditionem Henrici regis in Italiam significare ad componendam discordiam, quæ inter regnum & sacerdotium fuit, quæ quoque statim secuta est.* Rockenb.

Anno Christi 1110. *d.* 6. *Junii visus est Cometa radios ad Austrum spargens, quo multi Regis Henrici expeditionem in Italiam portendi conjiciebant.* Eckstormius ex Hist. Eccl. Sigeberto & aliis.

MEminit hujus Cometæ Vincentius, Chronicon Belgicum, Chronici Cassin. Continuator, Cuspinianus & Alstedius. Sebastianus Francus semestrem fuisse dicit. Auctor ille apud Urspergensem illam Henrici Italicam expeditionem describens, *licet*, inquit, *terrente quorundam animos ortu Cometæ syderis infausti, per sex ferè mensium inducias regia munificus liberalitate datis ubique inæstimabilis pecuniæ stipendiis, circa Augustum moveri undique exercitum imperat.* Cometen hunc qui semestrium familiam de qua aliàs egimus, auget, paulò ante præcessit cædes ultimi Maurorum Regis per Alfonsum Regem Hisp. mense Martio facta. Urbem Berythum Christiani mense Aprili vi ceperunt. Antecessit ejusdem stellæ crinitæ apparitionem bellum in Italia inter Cremonenses & Brixianos. Illi initâ cum Laudensibus societate hos Mediolanensium viribus fultos aggressi, temeritatis pœnam utrique dederunt. Ita cladem & opprobrium, nullam tulerunt utilitatem vel laudem. Laudem enim primùm, mox Cremonam socii ceperunt & vastarunt. (*a*) Sed & eis Padum Parmensibus subjectos contumaces ferro domandi impositam fuisse necessitatem scribitur. His temporibus dissidia & conciliationem Colomanni Regis Hungariæ cum Almo fratre Bonfinius (*b*) scribit. Veneti hoc anno mense Octob. feliciter sua contra Patavinos aggessores tutati sunt. Imperator, ut tandem dissidia & bella civilia (quibus per *duodequinquaginta annos*, ut Aventinus putat, sumto scil. ab Anno 1062. quo Henricus 4. puerum hujus Quinti patrem captum navigio & in navigio ad Augustam Nemetum supra retulimus, initio & ad hunc annum producto *continenter Respub. attrita est*) componeret, Italicam expeditionem maximo cum apparatu in Augusto suscepit. Illuc postquam venisset, contumaces armorum metu in ordinem redegit, (*c*) officium facere volentes (doctus justo imperio populos regere, &

Parcere subjectis ac debellare superbos)

in fidem & clientelam accepit, ac de pace componenda consilia volvit. Florentiæ, (*d*) *& milites ab itineris labore refecti, & populus Florentinus admirando in solemni Natalitio celebrando apparatu edito, eximiè delectatus.* Fuit hic quoquè annus Polonis contrà Bohemos felix & auspicatus.

(*a*) Sigon. ad ann. 1109. (*b*) Dec. 2. l. 5. 272. (*c*) Avent. Annal. 6. p. 486. 487. (*d*) Sigon. ad ann. 1111. Vid. hîc & Ursperg. Chron.

CCXXXI. *Anno Christi* 1111. *Henricus V. Imp. venit in Italiam, ut coronaretur. Contrà ipsum Papa Romanus tantam excitavit seditionem, ut de vita & fortunis cogeretur dimicare magnâ cum civium cade. Hos motus antecessit Cometa, qui diu fulsit, & judi-*

& judicatus est minitari Italiæ. Eckstormius ex Philip. Melanchth. Chron. 4. in Henrico V. Imperatore.

Idem addit, *Terræ motus & Cometa sub hoc anno meminisse* Simeonem Dunelmensem, referente Histor. Eccl. Cent. 12. c. 13.

ALstedius quoque, ut supra diximus, hunc Cometen annotat. Iste annus memorabilia vicissitudinis rerum humanarum præbet nobis documenta. Nam Imperator Romam mense Febr. veniens, primum quidem *magno cum populi plausu, & quibus aliis lætitia effusa vulgò significari solet*, * ut Sigonius ait, sed mox, ortà inter eum & Pontifices de jure beneficiorum Ecclesiasticorum conferendorum discordiâ, pessimè in templo & extrà illud exceptus, præsens vitæ periculum adiit Magno tamen hæc seditio Romanis constitit. Pax tandem potissimùm Welphonis Ambronum & Lycatiorum Quinti ab Altdorf, sexti Bojorum Ducis, secundi Mathildis mariti operâ composita, & Cæsar *octavo post Paschalia die à S. P. Q. R. magno cum gaudio in templum D. Petri deducitur, à Paschali consecratur, Augustusque cognominatur*, ut Aventinus ‡ memorat. Is paulò post etiam addit: *Nemo non tum lætitiam agitabat, pacem tot annis desideratam, terrisque depulsam, cælo tum reducem gratulabantur. Ad pristinam majestatem Imperium, Resque publicas rediisse, concordia perpetua stabilitum videbatur.* Ita pax magno emta coaluit. Quam non pauca prospera, justis parenti ante quinquennium mortuo à Cæsare præsolutis, excepêre. Auctor ille apud Urspergensem hic expressè dicit: *Christo respiciente in terram de cælo sancto suo, sicut ubique devotio & religio Christiana, ita etiam rerum prosperitas & copia frugum ac nova circumquaque crescere cœpit lætitia.*

* l. 10. de regno Italiæ ad hunc ann. Vid. Ursperg. Chron. ‡ Annal. 6. p. 487.

CCXXXII. *Anno Christi* 1112. *Cometa apparuit.* Trithemius & Alstedius.

NUllus Auctorum, quos ad manum habeo, & in scribenda hac historia sequor, hunc Cometen annotat, præter hos duos, quos dixi, Auctores. Qui tamen nullas ejus circumstantias designant. Igitur cum aliquot Principes hoc anno mortui sint, notante Bonfinio, Funccio & Calvisio, aliaque tristia acciderint, quæ memorat Dubravius, Aventinus aliique, præcipuè pax illa Romana ante annum jurisjurandi fide sancita, tunc à Concilio Pontificum, jus Sacerdotiorum Cæsari negantium rescissa: an tamen hæc Cometam hunc præcesserint vel secuta fuerint, dubium manet. Proximo anno Imperator Saxones feliciter bello domat. Cladem eis illatam contumacia eorum certius quàm Cometa portendit. Ita & illam Pruthenis & Pomeranis, sub idem temporis à Boleslao Principe Poloniæ illatam, Masoviam enim populantes 40. millia hominum amissis ad sua alienis relictis redierunt. Paulò ante gemina victoria Boleslai ejusdem. Vladislaus Bohemus domitus, hoc anno pacem cum Polono, Sobieslaum illius fratrem exulem reducente, matris fratrum Suatavæ accedente persuasione, inivit. Has Polonorum victorias & pacem Bohemicam in hunc annum Funccius ponit. Dubravius * hanc in ann. 1115 referre videtur, quò & Calvisii rationes inclinant. Is certè illam Boleslai victoriam de Pruthenis & Pomeranis obtentam in ann. 1115. auctoritate Historiæ Poloniæ refert. Anno 1114. † Imperator Mathildim Henrici illius, de quo supra diximus, Regis Angliæ filiam, matrimonio sibi junxit. Mox rebelles coërcuit. Eadem paulò ante soceri fortuna adversùs Wallos feroces quietis impatientes fuit, quos fractos ad petendam pacem coegit. Eodem anno Colomannus Rex Hungariæ mortem oppetiit. Huic impietas & crudelitas in fratrem Almum excœcatum & interemtum ac filium ejus Belam exercita, exitium meritum portendit. Mors ejus ad proximum Cometam, quem antecessit, utpote viciniorem, meritò est referenda.

* l. 11. initio. † Ursperg. & Jovius ad ann. 1114. Trith. ad 1110. Polyd. l. 11. p. 185.

CCXXXIII. *Anno Christi* 1115. *Henrico V. Romanorum Imperatore imperium tenente, Cometa per* 6. *menses integros, multarum calamitatum nuncius apparuit. Hoc anno Henricus Imperator Saxones secundò aggreditur, ac prælio commisso invicem ipse obiit. Hogier miles fortis, à partibus autem Saxonum Episcopus Halberstadensis, qui dux belli fuerat, occubuerunt. Ducatus Franciæ Orientalis Episcopo Wirtzburgensi ab Imperatore Conrado Ducis Suevorum fratri traditur. Cumque jam dictus Conradus Imperator, contra Saxones bellum gereret, apud Sylvam Guelficam, arx Goslarii Imperatoris, Febr. die* 11. *fulmine tacta, unaque clypeus & gladius Imperatoris combustus est. In festo Paschatis cælum magno hiatu scissum, fulgoremque de se nitidum edens, cum per horam integram duraſſet, imago aurei coloris in medio crucis visa est.* Rockenbachius.

SOli ex Auctoribus, quos sequor, Rockenbachius hunc Cometem, eumque semestrem debeo. Hunc cui ille debeat, ignoro. Fide tamen ejus hunc Cometem in censum refero. Hic mihi est in ordine semestrium septimus. Nullas ejus circumstantias notat Rockenbachius. Ideò decernere exactè non possumus, quæ tristia, quæ hoc anno evenêre, eum præcesserint vel exceperint. Imperator enim contra Saxones acerrimo prælio die 11. Febr. pugnavit. Ipse tamen non tunc, sed anno 1125. vitæ finem, nec Conradum, sed Lotharium successorem accepit, secus quàm Rockenbachius putat. Mathildis illa potentissima in Italia fœmina, Welphonis 2. Ducis Bojorum uxor, obiit. Sed huic annus ætatis sextus, Sigonio, nonus Funccio, supra septuagesimum, certius quàm Cometa brevem exitum portendit. Mors tamen ejus Sedi Romanæ, cui illa Lombardiæ & Thusciæ ditionem, quæ patrimonium Petri vocatur, legârat, profuit. Atque tunc vocem è cælo auditam esse; *Venenum melle illitum fœmina propinavit Christianis*, Æneas Sylvius & Aventinus * aliique graves auctores affirmant. Similem vocem, nisi alterutra sit ad exemplum alterius facta, ex aliis ad Cometam LXXXV. memoravimus. Mathildem incendio Vicentiæ periisse Vincentius, referente Sabellico, ‡ prodit. Is ut & Sigonius aliique Scriptores de illa voce audita nil habent. Memorabilis hic annus fuit rebus per Christianos contra barbaros in Oriente, & per Alfonsum totius ferè Hispaniæ Monarcham in Occidente gestis. Ibi victi aliquoties Saraceni: hîc eis erepta Augusta Cæsarea, quam 400. annis tenuerant. Verùm & sequentibus annis Balduinus rem prosperè contra eosdem gessit, usque dum Anno 1118. fato cederet.

* Annal. 6. p. 484. ‡ Enn 9. l. 4. p. 360.

CCXXXIV. *Anno Christi* 1119. *in prima hebdomada Quadragesimæ immensi fulgoris Cometa conspectus est usque ad passionem Domini sive Paschа: Fames & pestis miseranda ferè per totum orbem anno altero post Cometam exorta est.* Keckermannus l. 6. Syst. Phys. c. 5. de Cometis.

MUlta tristia Cometam hunc præcesserunt. Horum quædam hîc enumerabimus. Terræ motu ante multa secula, ut Sigonius (*a*) ait, inaudito, Italia concussa est Anno 1117. graviter, sed gravius non illa tantùm, sed & Germania tota, imò cæli terræque quies motu & dissidio iterum inter Imperatorem & Pontificem Romanum excitato. Pax enim illa nupera inter utrumque sacramenti religione sancita, à Concilio Episcoporum jus creationis & clientelæ suæ Imperatori adimere cupientium, ut antè diximus, convulsa, horrendis dissidiis orbem Christianum per hæc tempora quassavit. Vide de his Urspergensem (*b*) & Aventinum (*c*). Qui si cui à partibus Imperatoris stare videatur, non aliud ex Platina, Sabellico, Sigonio, Egnatio, & aliis partium Pontificiarum Scriptoribus, imò & ex ipso Baronio discere licet. Quin & Sigebertus Gemblacensis, Lambertus Schafnaburgensis, S. Bernardus Clarævallensis,

(*a*) ad ann. 1117. Vide Ursperg. Trithem. Funcc. & Calvis. ad eundem annum Sabell. Enn. 9. l. 4. p. 36. (*b*) ad ann. 1117 & seqq. (*c*) Annal. 6. p. 490 491.

Wilhel-

Wilhelmus Tyrius & Otto Friſingenſis, Orbis Chriſtiani & literarii id temporis lumina, tenebras illas morum corruptorum & horrendorum diſſidiorum orbi illa tempeſtate incubantes detexerunt. Vidit tunc Roma Anno 1118. indignè habitum (*a*) à Cincio Frangipanum familiæ patritiæ, juxtà viris ac viribus potentis principe, Pontificem Gelaſium 2. Vidit ei ab Imperatore ſuffectum Gregorium 8. Vidit & doluit orbis Chriſtianus ſumma ſui corporis capita graviſſimè colliſa. Vidit anno proximo, ante Cometæ tamen apparitionem 3. Kal. Febr. ſcilicet mortuo Gelaſio, Caliſtum 2. ſubrogatum, & paulò poſt Gregorium illum (*b*) contumelioſiſſimè Romam reductum & ſede ac libertate privatum. Inter hæc Anno 1118. fame & peſte, & terræ motu (*c*) maximo (Calviſius eum cum priori confundit) qui diebus 40. Lombardiam afflixit, tùm frigore ſævo & inſolenti exundatione laboratum eſt. Hic quoque annus morte Balduini Regis, ut diximus, & Alexii Imperatoris acerrimorum inimicorum, illô Latini nominis gloriam in Oriente propugnante hôc oppugnante fortiſſimè, inſignitus eſt. Tùm verò initiis diuturni illius belli, quod Gallos & Anglos dehinc variâ fortuna acerrimè commiſit. Sed ut ad ea, quæ Cometæ apparitionem ſecuta ſunt, veniamus. Eodem anno Balduinus Comes Flandriæ ſine liberis moriens, Carolum amitinum, Canuti Regis Danorum filium ſcripſit hæredem. Welpho itidem ille Lycatiorum VI. (al. V.) at ſecundus ex hac familia Bojorum Dux nullos liberos, ſed Ducatum fratri Henrico VIII. reliquit. Tunc & Mathildem illam celeberrimam uxorem *ejus defunctam eſſe* Aventinus (*d*) teſtatur. Quod verum eſt, ſi illa annum ſeptuageſimum nonum attigit, *quod Chronologis decernendum relinquimus.* Rogerius Antiochiæ *Princeps à Turcis victus cecidit. Sed Balduinus 2. victor paulò poſt evaſit. Victoriam à viſo Cometa contigiſſe invenio.* De clade, *cujus circumſtantiæ reticentur, certi quid non habeo dicere. Eodem illo anno Boleſlaus Polonus totam Pomeraniam armis primùm, dein religionis Chriſtianæ (quam antea bis ſuſceperant & rejecerant) cultu ſubegit, & ſic Principi Regum terræ ſibique ſubjecit, præbitâ forti* operâ Ottoni Epiſcopo Bambergenſi, qui ſacrorum Chriſtianorum notitiam primus terris illis intulit. Proximus annus, qui fuit 1120. victoriâ Colomanni Regis Hungariæ, de Venetis aliena appetentibus obtentâ ad Jaderam Dalmatarum, & urbis receptione inclaruit, putante Calviſio Francofurt. edit. Qui hîc non parum aliis Scriptoribus adverſatur. Colomannum enim Anno 1114. mortuum eſſe, Bonfinius, Ritius, Bakſchai, Funccius, Helvicus & alii affirmant. Vide & Dubrav. hiſt. Bojem. l. xi. p. 82. Hungaros præterea tunc victos, Venetos pluries victores evaſiſſe, Sabellicus (*e*) affirmat. Hic tamen poſt mortem Colomanni hæc geſta eſſe memorat. Sed Sambucus in Colomanno verſibus deſcripto, eidem victorias has & Jadræ receptionem tribuit. Miror Auctores tantum differre: ſed & Sambucum contradicere Bonfinio (*f*), cujus curator fuit, apertè ſcribenti: *Stephanus nono regni ſui anno* (erit is Chriſti xxii. ſuprà milleſimum) *in provinciam* (Dalmatiam) *contendit, ubi vulgò honorificentiſſimè receptus provincialium fidem redintegravit. Nutantes pleroſque Venetorum largitionibus & promiſſis animos confirmavit. Præſidia accepto ex Ungaria ſupplemento, inſtauravit oppidatim: mox curatâ provinciâ in Pannoniam ſe recepit. Quare ne ſatis quidem verè hi de rebus Venetis ſcripſiſſe viſi ſunt, qui à Dominico Michaële è Syria redeunte, receptam Jadram cum potiſſimis Dalmatiæ civitatibus tradiderunt: quum hanc à Vitale Michële, qui aliquot poſt annis Ducatum obiit, ex Venetorum etiam Annalibus receptam fuiſſe conſtet: nec aliquod bellum memoratu dignum, quum Stephanus rex provinciam viſit, tunc geſtum fuiſſe, apud Ungaricam hiſtoriam inveniatur.* Sive hic ſive ille victoriam adeptus, ſive etiam Dalmatia tunc pace gaviſa eſt, eſt quod in rationes lætorum, quæ Cometam iſtum exceperunt, referamus. Viciſſitudinis rerum dehinc ingentia annotantur ab auctoribus documenta. Wilhelmus Princeps Regius Angliæ, & Dux Normanniæ, ut ſupra diximus, Anno 1120. cum multis aliis abyſſo maris contectus eſt. Anno vertente, parens ejus Henricus, Nuptiarum cum filia Comitis Lovaniæ (Adeliciam ex veteri Lotharingorum ducum proſapia oriundam Neubrigenſis (*g*) & Polydorus (*h*) teſtatur) gaudiis mœro-

(*a*) Sabell. l. d. Sigon. ad ann. 1118. Bonfin. Dec. 2. l. 6. p. 281. (*b*) Sabell. Enn. 9. l. 4. p. 365. Sigon. ad ann. 1121. (*c*) Sigon. ad ann. 1118. (*d*) Annal. 6. p. 491. (*e*) Enn. 9. l. 4. p. 362. (*f*) Dec. 2. l. 6. p. 276. (*g*) lib. 1. c. 3. (*h*) lib. 11. p. 191.

rem

rem illum dispunxit. Pacis dehinc in Saxonia, (a) Germania, Italia & toto Imperio initæ dulcedine triennium hoc suave fuit. Hæc ultima magno quidem à Pontificibus, amissione scilicet juris eorum creandorum augustalis, emta fuit. *Romano* tamen *populo*, ut Sabellicus (b) ait, imò universo orbi Christiano bellis diuturnis fesso, *incredibilem lætitiam attulit*. Inter hæc Italia bello inter Pisanos & Genuenses, tùm verò inter Comenses & Mediolanenses orto distracta & concussa, vicissitudinis illius exemplum præbet. Comensibus tamen, utpote sua tutantibus, (c) bellum illud magis prosperum fuit. Aliquot victorias hac tempestate Balduinum Regem obtinuisse, (d) Sabellicus & Funccius memorat. Verùm varia tunc Christianorum fortuna in Oriente fuit. Clade affectos & Balduinum Regem captum à Turcis fuisse, idem ille Sabellicus, ibidem & Funccius ad annum 1124. scribit. Rem ante biennium gestam & Balduinum hoc anno liberatum esse, Calvisius testatur. Idem tunc Turcarum Regem à Christianis victum & cæsum, & Tyrum, classis Venetæ ope captam esse ait. Eodem anno Ottonis 9. qui Magnus & Dives dictus est, filius, Albertus Ursus, qui Magni & Pulchri cognomen accepit, Vir rebus gestis & meritis Inclytus, & Imperatori percharus, Comes Ascaniæ, Ballenstadi & Berenburgi Sereniss imarum familiarum Saxonicæ, Brandenburgicæ & Anhaltinæ sator felicissimus, mortuo patri successit; qui, ut postea videbimus, Marchionatum Brandenburgicum deficiente Bilingiana Saxoniæ Ducum familiâ, ab Imperatore jure clientelæ, quod feudum, voce à Gotthis mutatâ rectè vocamus, accepit.

(a) Ursperg. Trithem. Sigon. circa finem. (b) Enn. 9. l. 4. p. 362. vid. & Sigon. ad ann. 1122. (c) Sigon. l. 10. de regno Italiæ (d) l. d.

CCXXXV. *Anno Christi* 1125. *stella crinita apparuit, quæ mortem principibus minitari solet.* Dubrav. hist. Bojem. l. XI. p. 85.

HUnc Cometen in Centuria duodecima Histor. Eccl. *(a)* ex Chronicis Saxonicis, quæ eum 6. Non. Octobr. luxisse memorant, adnotari puto. Alioqui nullus Auctorum, quos sequor, hujus Cometæ meminit, præter Dubravium. Qui etiam paulò post (diem Dominicam 12. April. fuisse Calvisius dicit) Vladislaum Bohemiæ Ducem mortuum esse testatur. Minarum ille metus communi opinioni adscribendus est. Hæc cum religiosa sit, damnanda non est. Corrigenda tamen ita, ut dicatur citrà ejusmodi phœnomena Principes permultos assiduò mortalitatis legi subjici, eorundem verò apparitione omnes ad vitam meliorem invitari, tùm verò eandem bonis bona polliceri, malis mala minari. Sine Cometæ apparitione Principes mori hîc quoque discimus. Nam Anno proximè Cometam præcedenti Alexander Rex Scotorum & Calistus 2. Pontifex Romanus decessit, quo bella illa inter Pisanos & Genuenses, tùm inter Comenses & Mediolanenses continuata sunt. Vladislao Bohemo mortem adversa valetudo (b), quæ eum sæpius tentabat, portendit. Tam tristem casum, conciliatio ejus cum fratre Sobieslao, quem ex Moravia in exilium egerat, & amoris redintegratio præcessit: lætum verò Sobieslai regimen excepit. Ita in humanis assiduò lætis tristia, tristibusque læta miscentur. Eodem illo anno, (qui fuit Christi vicesimus quintus suprà millesimum, x. ut Aventinus, Funccius: XII. ut Sigonius putat) Kal. Junii, Henricus 5. Imperator obiit, tùm etiam Henricus 8. Welphonis illius Secundi, aliis Primi (c) frater Bojorum Dux. Illi Lotharius Saxo, huic Henricus 9. Cognomento Suberbus (d) successit: Hic est ille omnium Germaniæ Principum potentissimus, cui Saxones, Hethrusci, Norici, Vindelici, Narisci & Rhæti parebant, qui ab Avo Welphone I. (aliis II.) Lycatiorum quarto, patruo Welphone 2. & patre Henrico octavo, est in ordine quartus Bojorum dux, & Serenissimæ Domûs Brunsuicensis & Lunæburgensis sator fœcundissimus. Is paulò post *(e)* Gertrudin unicam Lo-

(a) Cent. 12. c. 13. (b) Dubrav. l. c. (c) Vide & confer Ursperg. ad 1126. p. m. 209. & seqq. & Trithem. Chron. Duc. Bavariæ: tùm Avent. Annal. Boj. l. 6. p. 483: & Crus. Annal. Suev. part. 1, l. 12. c. 10. p. 337. sed & Buntingi genealog. Welphonum, & Chron. Meibomii cumprimis, quorum copiam habere non possum. (d) Trithem. Chron. Ducum Bavar. p. 108. (e) Ursperg. loc. cit. Avent. Annal. 6. p. 492. Annal. Suev. part. 2, l. 9. p. 339.

tharii

tharii Imperatoris filiam, uxorem duxit, & Socero ſine hærede mortuo à multis imperio dignus judicatus, ab adverſa tamen factione (*a*) preſſus, non tantùm imperio, ſed & Saxonia & Bojaria excidit, ne tantâ potentiâ ad invidiam & periculum ipſi Imperatori eſſet gravis. Quantâ cum juſtitiæ & virtutis laude Bojos rexerit, & Socerum contrà rebellantes juverit, Aventinus (*b*) pluribus proſequitur. Verè Dubravius (*c*) caſum & cauſſam iſtius Herois candidè deſcribens ſubjicit: *Hîc eſt ludus fortunæ, quæ magnos quoque & præpotentes Principes pro pila habet, quâ datatim inter mortales ludit, nunc dando, nunc jactando, nunc mox data eripiendo.* Annus quo Cometa luxit, eique proximus, lætis rerum à Balduino contrà Turcas & Saracenos geſtarum ſucceſſibus, filiæque ejus cum Boamundo Juniori in Palæſtinam reduce, Antiochenorum Duce nuptiis celebrantur. Sed, quæ eſt rerum humanarum perpetua viciſſitudo, dum hîc læta fiunt, alibi fame, vel peſte, vel aquarum exundatione laboratur: hîc in thalamum, ibi in tumulum ducimur. Tunc etiam Sobieſlaus Bohemus contrà fratrem Ottonem, Germanicis auxiliis ſuccinctum, memorabili victoriâ obtentâ (*d*) Cæſarem ad pacis fœdera pertraxit, eademque cum affine Bela Hungarorum Rege (quem, non Stephanus, quod Dubravius ait, ſed Colomannus, ut ſupra vidimus, oculis privavit) ſanxit: ac dehinc fortiter, (*e*) feliciter ac piè res adminiſtravit. Colomanni mentio facta, ut aliquid ad inſtitutum noſtrum pertinens in Cometæ iſtius hiſtoria, velut in medio præcedentis & ſequentium Cometarum dicam, facit. Conſignavit literis Bonfinius (*f*) Pyriſcam Ladiſlai Regis Hungariæ filiam Imperatori Conſtantinopolitano, quem Emmanuëlem fuiſſe putat, nupſiſſe, & iſtum de Stephano tertio à Ladiſlao rege, qui eum aggreſſus fuerat, victoriam memorabilem reportaſſe. Nuptiarum & victoriæ gaudia meritò eventibus lætis unius iſtorum Cometarum annumerarem, ſi de tempore certus eſſem. Cum enim Ladiſlaus putante Bonfinio (*g*) anno 1095. Colomannus ejus ſucceſſor (*h*) 1114. Stephanus (*i*) Anno 1131. Alexius verò Imperator Stephani æqualis, Emmanuëlis avus Anno 1117. ut Funccius & Helvicus; vel 1118. ut Sigonius, Calviſius & Alſtedius putant, obierit, & Emmanuël demùm Anno circiter 1143. imperium à morte patris Joannis (qui & Calojanes vel Calo Joannes) acceperit, fieri non poteſt, ut filia Ladiſlai Emmanuëli nupſerit, ſaltim, ut Emmanuël de Stephano victoriam obtinuerit. Manifeſtum itaque eſt Alexium pro Manuële ſive Emmanuële, avum pro Nepote ſubſtituendum eſſe. Similem apud Sabellicum (*k*) invenio errorem de Michaële pro Manuële, tùm de Manuële pro Calo Joanne, id eſt, de filio pro patre poſito. Tutò proinde Bontinii errorem corrigimus, ne Pyriſcam vetulam Juveni Principi Græco, eique deliciis innutrito, & in libidines prono, ut Nicetas Choniatas Acuminatus (*l*) prodit, in matrimonium collocemus, & quod plus eſt, eundem cum Manibus Stephani pugnantem ſtatuamus. Imò verò ei pro illa annoſa puellam *Regiâ itidem ſtirpe ortam*, Gertrudis ſcilicet Auguſtæ ſororem, Anno 1142. auctore Sigonio, vel 1144. auctore Calviſio deſpondebimus. Cum Aventino verò eam Bertam nominabimus, filiam Gebhardi Comitis à Sultzbach, & Bojorum Dynaſtæ illuſtriſſima & antiquiſſima (*m*) proſapia oriundi eſſe dicemus. Eandem Embrichoni Wirtzburgenſi Epiſcopo cum multo auro in Græciam deducendam committemus, ut ibi Irena & Auguſta appelletur. Et certè paulò ante hæc tempora Mathildem, Henrico illo octavo Bojorum Duce & Magni Ducis Saxoniæ filia Wulphylda genitam, Friderici Barbaroſſæ materteram, Gebhardo (*n*) Comiti de Sultzbach matrimonio læto junctam fuiſſe apud Aventinum invenio. Atque ex hoc matrimonio illa Berta, Græcis Irene, Aventino Frideruna Princeps clariſſima nata eſt. Et ita quidem Aventinus (*o*) genealogiam iſtius Auguſtæ Sultzbacenſis deducit. Martinus Cruſius tamen Annal. Suevicorum conditor (*p*) accuratiſſimus, & ex Aventini Annal. l. 6. Germanico refert, & aliàs probat Berthæ avum fuiſſe Gebhardum, aviam Irmengardam, patrem Berengarium, quem Nariſcorum ſive Nortgaviæ regulum Avent. aliàs vocat, matrem Adelhaidam, ſororem Gertru-

(*a*) Urſperg. ad 1138. (*b*) l. d. & p. 493. Vide & Urſperg. ad 1126. p. 211. (*c*) hiſt. Bohem. l. 11. p. 89. (*d*) Dubrav. l. d. (*e*) Dubrav. l. d. p. 86. (*f*) Dec. 2. l. 4. p. 260, & l. 6. p. 278. (*g*) Dec. 2. l. 4. p. 260. (*h*) Dec. 2. l. 5. p. 275. (*i*) Dec. 2. l. 6. p. 280. (*k*) Enn. 9. l. 4. p. 364. (*l*) l. de Manuële 1. (*m*) Trithem. Chron. Duc. Bavar. in Erneſto p. 106. (*n*) Vid. & Urſperg. ad ann. 1126. p. 211. Trithem. l. d. p. 108. Bunting. part. 4. Chron. (*o*) Annal. 6. p. 492. 501. (*p*) lib. 10. part. 2. p. 391. 376.

dim

dim Auguſtam, fratrem Gebhardum 2. cui uxor Mechtildis filia Guelphonis fuerit, & ex iſto matrimonio natos ſex liberos Germaniam & Italiam poſteritate & laude multâ compleſſe. Apud eundem Nicetas Chroniates Bertham illam ſive Irenem, ex Illuſtri Principum familia oriundam, virtutum ornamentis fulſiſſe præcipuè conſtantiâ & gentilitiâ animi gravitate, teſtatur. Colligitur verò eam circa annum 1143. deſponſatam, Anno 1161. mortuam fuiſſe, ejuſque mortem à Manuële acerbiſſimè deploratam fuiſſe, non ſecus ac ſi membrum à ſuo corpore avulſum fuiſſet. Sed ad Stephanum illum Hungarum redeamus. Ante hujus mortem res læta & memoratu digna eventibus hujus Cometæ annumeranda contigit Almi, qui frater Colomanni Regis erat, filius Bela luminibus, ſed non favore Procerum & ſpe regni privatus erat. Poſt mortem enim Patris in exilio ab Imperatore Conſtantinopolitano (Alexio ſcilicet utpote affine) ut Bonfinius memorat, benignè habiti, ſed ante mortem Stephani à quibuſdam Proceribus clam Regem crudelem in regnum reductus eſt, ne ſucceſſor, qui nullus erat Stephano, in incerto eſſet. Hoc prudentis conſilii cum Rex reſciſſet, ex inſperato *in maximam lætitiam* (ut Bonfinius * ait) *effuſus*, ad ſe continuò adduci eundem juſſit, omnibuſque benevolentiæ documentis paternæ crudelitatis acerbitatem pro ſua virili edulcavit. Nam quem pater luminibus orbum eſſe voluit, hunc filius liberis, & regnum legitimo ſucceſſore orbum eſſe noluit. Itaque filiam Uri Macedoniæ rectoris ei fauſto omine conciliavit. Ex hoc enim matrimonio præſtantiſſima regni fulcra, quatuor ſcilicet filii, prodierunt. Horum primus Geiſa magno gaudio, ut Bonfinius notat, Regem affecit. Duodecim Reges ex maſcula poſteritate Belæ dehinc annis 160. in Hungaria regnarunt: donec ad fœmineam poſteritatem ex Apulia accerſitam res devolveretur, quæ itidem propè centum triginta annis rerum potita eſt, donec tandem jure affinitatis & fœderum, Auſtriaci habenas regni tractandas accepiſſent. Simile exemplum erroris ex occaſione læti facinoris ad eundem Cometam referendi hîc occurrit. Nam in Calviſii Chronologia edit. Francofurt. ad ann. 1127. invenio Gaufrido Duci Andegav. Regem Angliæ deſpondiſſe Mathildem Imperatoris defuncti Henrici filiam. Atqui hanc filiam fuiſſe Henrici Angli, viduam Henrici Quinti ſupra docuimus. Atque ſic etiam editio Calviſii Lipſienſis legit. Eandem Mathildem Auguſtam Henrici Angli filiam, ſororem ejus Funccius ad ann. 1132. vocat. Sed & Calviſii editio Francofurtenſis ad ann. 1139. ſororem Henrici, at Lipſienſis filiam vocat.

* Dec. 2. l. 6. p. 279.

CCXXXVI & CCXXXVII. *Anno Chriſti* 1132. *Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt. Lotharius Imperator pro corona Imperii conſequendâ Italiam petens, Auguſtam Vindelicorum pervenit, quæ magnâ ex parte ſeditione inter cives & milites ortâ combuſta eſt. Imperator per Lombardiam & Hetruriam Italiam ingreſſus, Innocentio Papâ reſtituto Romæ coronatus eſt cum Richâ conjuge.* Eckſtormius ex Büntingo, & Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13.

Anno Chriſti 1132. *apparuit Cometa. Suevi & Dani deficiunt ab Imperatore Lothario, à quo coguntur in ordinem.* Alſtedius.

Anno Chriſti 1133. 8. *Idus Octobris, ſtella Cometa apparet, unde Rex Angliæ, latuſque regium ambientes, & alii quamplures mirantes, & in cælum oculos levantes, Solem ad inſtar Lunæ novæ lucere conſpexerunt: qui tamen non diu ſe uno modo habebat. Nam aliquandò latior, aliquandò ſubtilior, quandòque incurvior, quandòque erectior, nunc movens, & ad modum vivi argenti motus & liquidus videbatur.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. hæc ex Priore Hauguſtaldenſi.

PRiorem Cometam annotat Chron. Saxoniæ Georgii Fabricii. Anteceſſerunt hunc Cometam multa triſtia. Nos quædam ſtrictim attingemus. Sobieſlaus Bohemus, conjuratione tetrâ appetitus, hâc detectâ in reos ſæviit, aliaque acerba ibidem acciderunt, quæ Dubravius * deſcribit. Anteceſſit mors Stephani Regis Hungariæ, ne alia

* l. 11. p. 87.

alia commemorem, de quibus *(a)* Bonfinius. Anteceſſerunt bella non tantùm illa privata Italica, inter Comenſes & Mediolanenſes, (quod deditione Comenſium Anno 1127. finem accepit) tùm inter Genuenſes & Piſanos, inter Pontificem Honorium & Rogerium Siculum 1127 & 1128. inter Cremonenſes & Cremenſes 1130. tandem uno anno proximo *(b)* inter Mediolanenſes & Papienſes, Cremonenſes & Parmenſes, Placentinos & Mediolanenſes, Bononienſes & Imolenſes, Nonantulanos & Mutinenſes: ſed & publica, quæ totum imperium Occidentis ipſamque ſimul Italiam afflixerunt. Nam & inter Principes profanos, Lotharium Imperatorem & Fridericum ac Conradum Sueviæ Duces, de imperio & regno Italiæ acerrima bella, & mortuo Anno 1130. Honorio 2. inter Principes Sacros Innocentium 2. & Anacletum 2. utrumque ſimul electum *(c)* acerbiſſima diſſidia orbem Chriſtianum graviſſimè concuſſerunt. Inter hæc nec alibi funera & diſſidia ac bella Principum deerant. Carolo illo Dano Comite Flandriæ Anno 1127. ex inſidiis die 1. Martii (quæ & Wilhelmo Duci Burgundiæ fatalis fuit) occiſo, Wilhelmus Roberti illius Normanni in Anglia captivi filius ei ſucceſſerat. Poſt anni ſpatium exactum Wilhelmus contra Theodoricum Elſatium aggreſſorem pugnans, victor quidem prælio evadit, ſed ex vulnere paulò poſt decedit. Anno 1129. Philippus, quem pater Ludovicus in Regem Galliæ conſecrandum menſe Aprili curaverat, menſe Octobre lapſu equi corruit & expirat. Eodem anno Godefridus Lotharingus Epiſcopum Leodienſem prælio ſuperat, cruenta tamen illa victoria fuit. *Poſtero anno Balduinus in Palæſtina rem improſperè gerit. Halæ Saxonum Legati Cæſaris violantur, trucidantur. Parricidæ armis Cæſaris petuntur, & atrocibus pœnis ſubjiciuntur. Annus denique triceſimus primus ſupra milleſimum, Boamundo Antiochiæ Duci, à Saracenis in Sicilia, Pontio Comiti Tripolitano à Damaſcenis in pugna cæſo, & Balduino Regi Palæſtinæ fatalis extitit. Sed jam ad ea quæ Cometarum apparitionem exceperunt, propero.* Bellum quidem Mediolanenſes *adverſus Papienſes iterum moverunt. Sed hoc mox poſitum eſt.* Ubi enim ſolitudinem fecerunt, pacem appellarunt. Innocentii Pontificis ex Germania reditu Anno 1133. potior Italiæ pars gaudebant. Is tunc pacem inter Genuenſes & Piſanos compoſuit, & cum Imperatore Lothario agmineque ejus pacato urbem inivit, eumque antiquo ritu auguſtalibus inſignibus in Laterano (quòd ædem Vaticanam alter Papa Anacletus cum ſua factione teneret) decoravit. Quæ res Conradum Lotharii æmulum ad deponendum titulum Regium, & petendam ab Imperatore veniam permovit. Hanc verò facilè obtinuit. Factum hoc Anno 1134. quo & Mediolanenſes, qui partes Conradi & Anacleti ſectabantur, compoſitis cum Romano Pontifice rebus, ingentem lætitiam, quam Sigonius memorat, conceperunt. Annus 1135. ut aliis proſperis, ita pace inter Mutinenſes & Bononienſes Nonantulanorum ſocios compoſita celebris extitit: at magis proximus, pace lætâ, de qua tunc Hungari, Bohemi, Dani & Poloni egiſſe ſcribuntur, toti *(d)* Germaniæ redditâ & Lotharii Auguſti cum Auguſta, genero Henrico Bojo (Ottonem Fabricius in Chron. Sax. ſibi contradicens vocat) & Conrado in Italiam adventu. Ibi Cæſar metu, domitis tumultuantibus, Papienſes in gratiam recepit, Bononienſibus & Æmilienſibus veniam dedit. Fœdus cum Venetis redintegravit: contumaces virtute Henrici generi ad officium reduxit, & rempublicam Italicam cum laude ſua & bonorum lætitia præſtitit. Dum hæc in Italia geruntur, Chriſtiani in Palæſtina Anno 1132. rem contra Turcas variâ fortunâ gerunt, cum Imperatore Calo Joanne, Antiochiæ Ducatum Raimundo eripere volente, rex Fulco pacem init, Raimundum Imperatoris clientem renuncians. Eadem tempeſtate Lotharius Imperator Canutum Sleſuici Ducem, regem Vandalorum creat: quo paulò poſt interfecto, Majeſtas illa Regia Nicolao regi Danorum mox ceſſit, cujus filius Magnus Canutum occiderat. Neuter facinus atrox tulit inultum. Pater in tumultu, filius *in prælio* cecidit. Anno 1134. Theodoricus Comes Hollandiæ victoriâ de Friſiis potitus, auctoritate Cæſaris avunculi pace gaudet. Eruperat tunc, circa annum ſcilicet 1134. ſimultas inter Boleſlaum Polonum & Sobieſlaum Bohemum, ut inter vicinos finium

(a) Dec. 2. l. 6. (b) Sigon. ad hunc annum. (c) Urſperg. & Trithem. ad ann. 1130. Polyd. l. d. Sigon. ad ann. 1130. Bonfin. Dec. 2, l. 6. p. 286. (d) Sigon. ad annum 1136. Trithem. & Chron. Sax. ad 1135.

vel

dim Auguſtam, fratrem Gebhardum 2. cui uxor Mechtildis filia Guelphonis fuerit, & ex iſto matrimonio natos ſex liberos Germaniam & Italiam poſteritate & laude multâ compleſſe. Apud eundem Nicetas Chroniates Bertham illam ſive Irenem, ex Illuſtri Principum familia oriundam, virtutum ornamentis fulſiſſe præcipuè conſtantiâ & gentilitiâ animi gravitate, teſtatur. Colligitur verò eam circa annum 1143. deſponſatam, Anno 1161. mortuam fuiſſe, ejuſque mortem à Manuële acerbiſſimè deplorata fuiſſe, non ſecus ac ſi membrum à ſuo corpore avulſum fuiſſet. Sed ad Stephanum illum Hungarum redeamus. Ante hujus mortem res læta & memoratu digna eventibus hujus Cometæ annumeranda contigit. Almi, qui frater Colomanni Regis erat, filius Bela luminibus, ſed non favore Procerum & ſpe regni privatus erat. Poſtquàm enim Patris in exilio ab Imperatore Conſtantinopolitano (Alexio ſcilicet utpote affine) ut Bonfinius memorat, benignè habiti, ſed ante mortem Stephani à quibuſdam Proceribus clam Regem crudelem in regnum reductus eſt, ne ſucceſſor, qui nullus erat Stephano, in incerto eſſet. Hoc prudentis conſilii cum Rex reſciſſet, ex inſperato *in maximam lætitiam* (ut Bonfinius * ait) *effuſus*, ad ſe continuò adduci eundem juſſit, omnibuſque benevolentiæ documentis paternæ crudelitatis acerbitatem pro ſua virili edulcavit. Nam quem pater luminibus orbum eſſe voluit, hunc filius liberis, & regnum legitimo ſucceſſore orbum eſſe noluit. Itaque filiam Uri Macedoniæ rectoris ei fauſto omine conciliavit. Ex hoc enim matrimonio præſtantiſſima regni fulcra, quatuor ſcilicet filii, prodierunt. Horum primus Geiſa magno gaudio, ut Bonfinius notat, Regem affecit. Duodecim Reges ex maſcula poſteritate Belæ dehinc annis 160. in Hungaria regnarunt: donec ad fœmineam poſteritatem ex Apulia accerſitam res devolveretur, quæ itidem propè centum triginta annis rerum potita eſt, donec tandem jure affinitatis & fœderum, Auſtriaci habenas regni tractandas accepiſſent. Simile exemplum erroris ex occaſione læti facinoris ad eundem Cometam referendi hîc occurrit. Nam in Calviſii Chronologia edit. Francofurt. ad ann. 1127. invenio Gaufrido Duci Andegav. Regem Angliæ deſpondiſſe Mathildem Imperatoris defuncti Henrici filiam. Atqui hanc filiam fuiſſe Henrici Angli, viduam Henrici Quinti ſupra docuimus. Atque ſic etiam editio Calviſii Lipſienſis legit. Eandem Mathildem Auguſtam Henrici Angli filiam, ſororem ejus Funccius ad ann. 1132. vocat. Sed & Calviſii editio Francofurtenſis ad ann. 1139. ſororem Henrici, at Lipſienſis filiam vocat.

* Dec. 2. l. 6. p. 279.

CCXXXVI & CCXXXVII. *Anno Chriſti* 1132. *Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt. Lotharius Imperator pro corona Imperii conſequendâ Italiam petens, Auguſtam Vindelicorum pervenit, quæ magnâ ex parte ſeditione inter cives & milites ortâ combuſta eſt. Imperator per Lombardiam & Hetruriam Italiam ingreſſus, Innocentio Papâ reſtituto Romæ coronatus eſt cum Richâ conjuge.* Eckſtormius ex Büntingo, & Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13.

Anno Chriſti 1132. *apparuit Cometa. Suevi & Dani deficiunt ab Imperatore Lothario, à quo coguntur in ordinem.* Alſtedius.

Anno Chriſti 1133. 8. *Idus Octobris, ſtella Cometa apparet, unde Rex Angliæ, latuſque regium ambientes, & alii quamplures mirantes, & in cælum oculos levantes, Solem ad inſtar Lunæ novæ lucere conſpexerunt: qui tamen non diu ſe uno modo habebat. Nam aliquandò latior, aliquandò ſubtilior, quandòque incurvior, quandòque erectior, nunc movens, & ad modum vivi argenti motus & liquidus videbatur.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. cent. 12. cap. 13. hæc ex Priore Hauguſtaldenſi.

PRiorem Cometam annotat Chron. Saxoniæ Georgii Fabricii. Anteceſſerunt hunc Cometam multa triſtia. Nos quædam ſtrictim attingemus. Sobieſlaus Bohemus, conjuratione tetrâ appetitus, hâc detectâ in reos ſæviit, aliaque acerba ibidem acciderunt, quæ Dubravius * deſcribit. Anteceſſit mors Stephani Regis Hungariæ, ne alia

* l. 11. p. 87.

alia commemorem, de quibus (a) Bonfinius. Anteceſſerunt bella non tantùm illa privata Italica, inter Comenſes & Mediolanenſes, (quod deditione Comenſium Anno 1127. finem accepit) tùm inter Genuenſes & Piſanos, inter Pontificem Honorium & Rogerium Siculum 1127 & 1128. inter Cremonenſes & Cremenſes 1130. tandem uno anno proximo (b) inter Mediolanenſes & Papienſes, Cremonenſes & Parmenſes, Placentinos & Mediolanenſes, Bononienſes & Imolenſes, Nonantulanos & Mutinenſes: ſed & publica, quæ totum imperium Occidentis ipſamque ſimul Italiam afflixerunt. Nam & inter Principes profanos, Lotharium Imperatorem & Fridericum ac Conradum Sueviæ Duces, de imperio & regno Italiæ acerrima bella, & mortuo Anno 1130. Honorio 2. inter Principes Sacros Innocentium 2. & Anacletum 2. utrumque ſimul electum (c) acerbiſſima diſſidia orbem Chriſtianum graviſſimè concuſſerunt. Inter hæc nec alibi funera & diſſidia ac bella Principum deerant. Carolo illo Dano Comite Flandriæ Anno 1127. ex inſidiis die 1. Martii (quæ & Wilhelmo Duci Burgundiæ fatalis fuit) occiſo, Wilhelmus Roberti illius Normanni in Anglia captivi filius ei ſucceſſerat. Poſt anni ſpatium exactum Wilhelmus contra Theodoricum Elſatium aggreſſorem pugnans, victor quidem prælio evadit, ſed ex vulnere paulò poſt decedit. Anno 1129. Philippus, quem pater Ludovicus in Regem Galliæ conſecrandum menſe Aprili curaverat, menſe Octobre lapſu equi corruit & expirat. Eodem anno Godefridus Lotharingus Epiſcopum Leodienſem prælio ſuperat, cruenta tamen illa victoria fuit. Poſtero anno Balduinus in Palæſtina rem improſperè gerit. Halæ Saxonum Legati Cæſaris violantur, trucidantur. Parricidæ armis Cæſaris petuntur, & atrocibus pœnis ſubjiciuntur. Annus denique triceſimus primus ſupra milleſimum, Boamundo Antiochiæ Duci, à Saracenis in Sicilia, Pontio Comiti Tripolitano à Damaſcenis in pugna cæſo, & Balduino Regi Palæſtinæ fatalis extitit. Sed jam ad ea quæ Cometarum apparitionem exceperunt, propero. Bellum quidem Mediolanenſes adverſùs Papienſes iterum moverunt. Sed hoc mox poſitum eſt. Ubi enim ſolitudinem fecerunt, pacem appellarunt. Innocentii Pontificis ex Germania reditu Anno 1133. potior Italiæ pars gaudebant. Is tunc pacem inter Genuenſes & Piſanos compoſuit, & cum Imperatore Lothario agmineque ejus pacato urbem inivit, eumque antiquo ritu auguſtalibus inſignibus in Laterano (quòd ædem Vaticanam alter Papa Anacletus cum ſua factione teneret) decoravit. Quæ res Conradum Lotharii æmulum ad deponendum titulum Regium, & petendam ab Imperatore veniam permovit. Hanc verò facilè obtinuit. Factum hoc Anno 1134. quo & Mediolanenſes, qui partes Conradi & Anacleti ſectabantur, compoſitis cum Romano Pontifice rebus, ingentem lætitiam, quam Sigonius memorat, conceperunt. Annus 1135. ut aliis proſperis, ita pace inter Mutinenſes & Bononienſes Nonantulanorum ſocios compoſita celebris extitit: at magis proximus, pace lætâ, de qua tunc Hungari, Bohemi, Dani & Poloni egiſſe ſcribuntur, toti (d) Germaniæ redditâ & Lotharii Auguſti cum Auguſta, genero Henrico Bojo (Ottonem Fabricius in Chron. Sax. ſibi contradicens vocat) & Conrado in Italiam adventu. Ibi Cæſar metu, domitis tumultuantibus, Papienſes in gratiam recepit, Bononienſibus & Æmilienſibus veniam dedit. Fœdus cum Venetis redintegravit: contumaces virtute Henrici generi ad officium reduxit, & rempublicam Italicam cum laude ſua & bonorum lætitia præſtitit. Dum hæc in Italia geruntur, Chriſtiani in Palæſtina Anno 1132. rem contra Turcas variâ fortunâ gerunt, cum Imperatore Calo Joanne, Antiochiæ Ducatum Raimundo eripere volente, rex Fulco pacem init, Raimundum Imperatoris clientem renuncians. Eadem tempeſtate Lotharius Imperator Canutum Sleſuici Ducem, regem Vandalorum creat: quo paulò poſt interfecto, Majeſtas illa Regia Nicolao regi Danorum mox ceſſit, cujus filius Magnus Canutum occiderat. Neuter facinus atrox tulit inultum. Pater in tumultu, filius in prælio cecidit. Anno 1134. Theodoricus Comes Hollandiæ victoriâ de Friſiis potitus, auctoritate Cæſaris avunculi pace gaudet. Eruperat tunc, circa annum ſcilicet 1134. ſimultas inter Boleſlaum Polonum & Sobieſlaum Bohemum, ut inter vicinos finium

(a) Dec. 2. l. 6. (b) Sigon. ad hunc annum. (c) Urſperg. & Trithem. ad ann. 1130. Polyd. l. d. Sigon. ad ann. 1130. Bonfin. Dec. 2, l. 6. p. 286. (d) Sigon. ad annum 1136. Trithem. & Chron. Sax. ad 1135.

vel

vel transfugarum vel prædationum, vel vicini hostis occasione fieri solet, orta in bellum *. Sed id mox trium annorum, pactis auctore Cæsare Lothario induciis, & è vestigio perpetua pace ad Glatium sancita, frequentissimo necessariorum conventu & lætissimo convivio, tùm trium simul nuptiarum Conradi Bohemi, Znonymæ Principis cum Sorore Belæ Regis Hungariæ, Vratislai, qui Sobieslai patruelis erat, cum Vasilea Rutheni Principis, & Leopoldi Austriæ Principis cum Maria Sobieslai filia tripudiis firmata. Eodem illo anno 1134. Fridericus & Conradus duces illi rebelles venià data & gratiâ, Nicolaus ille Danus cum filio Magno clientela, at Henricus Bojus ille superbus filiâ Imperatoris Lotharii in matrimonium collocatâ, & Saxoniâ in dotem datâ gaudent. Sed hìc thalamus, in Hispania struitur tumulus, Alfonso, qui quòd tricies, cum Mauris præcipuè, collatis signis pugnaverit, Pugnacis nomen obtinuerat, in prælio trucidato. Hunc Alfonsum Petro primo Arragoniæ Regi, fratri Anno 1104. successisse, triginta annis regnasse, successorem filium Ranimirum Monachum Anno 1134. habuisse, Calvisius ex Annalibus Arragoniis affirmat. At Tarapha Alfonsum ejus nominis Septimum fratri Petro Anno 1108. huic demùm Octavum Anno 1126. successisse, postquam annis 50. regnasset, Sanctium Tertium cognomento, ut & Sanctius Secundum Desideratum, filium successorem Anno 1176. reliquisse, hunc uno tantum anno regnasse: interim Raymirin Monachum Sanctii filium mortuo fratre Alfonso in regno successisse, à Proceribus Arragoniæ electum: tandem Sanctii III. filium Alfonsum IX. cognomento Bonum, ab Anno 1177. regnum Castellæ annis 38. tenuisse, ejus æqualem Petrum Alfonsi Arragonii filium fuisse memorat. Hoc Historicis & Chronologis industriis discutiendum & componendum in transitu indicasse sufficiat. Funccius Alphonsum VII. Anno 1126. imperii quarto successorem Sanctium 3. reliquisse: hunc unius anni spatio regnum obtinuisse, post hunc Ferdinandum annis 17. hujus demùm successorem Alfonsum 8. Cognomento Bonum, annis quinquaginta regnasse refert. Calvisius primùm Aragoniæ Regem Petrum vitam & regnum Anno 1103. fratri Alfonso, hunc per uxorem Urracam Alfonsi filiam unicam regna Castellæ & Legionis consecutum filio Ranimiro Aragoniæ, privigno Alfonso Castellæ regnum Anno 1134. reliquisse testatur. Helvicus Alfonsum 6. regnum Castellæ & Legionis ab Anno 1060. annis 42. Alfonsum 7. dehinc annis 51. tùm alterum filiorum ejus Sanctium 3. Desideratum 31. Legionis, alterum Alfonsum 8. cognomento Bonum, Castellæ regum 53. annis tenuisse dicit. Ita quæ de Alfonso Pugnace ex Calvisio attulimus, de Alfonso 7. ex Helvico explicamus. Non me latent eodem, vel exiguo interjecto tempore Alfonsos & Petros in Castella, Legione & Arragonia rerum potitos difficultatem peperisse, & quibusdam auctoribus de vitando sententiæ incerto parùm sollicitis confusionis errorem dedisse. Equidem in Calvisio, incomparabilis diligentiæ scriptore, Alfonsum Urracæ patrem, Tarapha sextum Anno 1080. & alterum Alfonsum Castellæ & Legionis Regem, Alfonsi Aragonii (qui maritus Urracæ fuit) privignum Anno 1135. Imperatoris titulum sibi arrogasse invenio. Errorem dicere nolo: Rem potius in medio relinquo. Verumtamen id apud Tarapham de Alfonso VII. illo Aragonio Urracæ marito, circa ann. 1106. regnante, scriptum animadverto. Tarapha Ritium dum sequitur, multùm sæpè à reliquis abit. Apud eum vel maximè Alfonsi & Petri nomina confusa esse suspicor. Errorem autem comperi, dum & Alfonsi Octavi filiam Beatricem, & Noni Blancam Ludovico 7. regi Francorum despondet. Atqui Ludovico 7. tres uxores fuisse Eleonoram, Wilhelmi Pictavensis (a) & Aquitaniæ Comitis, Constantiam (Mariam alii, (b) quidam (c) etiam Beatricem appellant) Alfonsi regis Galliciæ, & Alicem sive Alam Comitis Campani Theobaldi filiam, apud Aimoini Continuatorem (d) & Serrem (e) Regium illum Historicum invenio. Sed Ludovico 8. Noni (qui & Sanctus dicitur) parenti, Blancam Hispaniam puellam nupsisse lego, apud Ritium quoque, qui Septimi mediam uxorem Constantiam Castellanam vocat. Atque de his hactenus. Nunc me jam tempus & res aliò vocat. Longius à Cometis nostris absunt: mors scilicet post Alfonsum il-

* Dubrav. l. 11. p. 87, 88. Math. Paris. Tarapha. (a) Vid. Neubrig. l. 2. c. 24. (b) Tyrius l. 17. c. 8. Sugerius. (c) Westmonaster. (d) lib. 5. c. 53. (e) in vita Ludov. Vid. Neubrig. l. 3. c. 4. p. 328.

lum

lum Arragonium Henrici Regis Angliæ, de quo ad Cometam CCXXVII. pluribus egimus, niſi hìc dicamus, eum febrim lethiferam vitio comeſæ murænæ accerſiviſſe; ut Polydorus *(a)* tradit, qui tamen mortem ejus in Ann. 1136. ponit. Fuit is Gulielmi Nothi, qui Conquæſtor dictus eſt, filius, in quo illa familia, quod ad ſexum maſculinum attinet, anno ab adventu Normanorum ſeptuageſimo ineunte, defecit, *(b)* ut vetus illud in eo compleatur: *Adulterinæ plantæ non dabunt radices altas.* Mortem tamen ejus multa læta anteceſſerunt. Pœnitentia nempe ejus ſubjectis tributorum imminutione pergrata, & benevolentia ac comitas & juſtitia, majori quàm unquam antehac ſtudio culta. Acceſſit filiæ Mathildis Viro Gaufredo reſtitutio, & ex ea natus regni ſucceſſor Henricus, tùm Gaufredus & Gulielmus, fulcra domus, ut *nihil animum ejus lætum* (verba ſunt Polydori *(c)*) *majore affecerit lætitiâ, quàm quòd Mathildis filia alios duos filios peperiſſet.* In annum illum 1135. Calviſius mortem Principis Damaſci, in 1136. Wilhelmi Comitis Pictavienſis, Henrici Oſterlandiæ & Leopoldi Auſtriæ Marchiorum, ac Ludovici Craſſi Regis Galliæ, in 1137. mortem Lotharii Imperatoris ponit. Hæc tamen ab aliis in annum proximum refertur. At verò hæc & alia triſtia æquè vel etiam magis proximum Cometam anteceſſiſſe, quàm iſtos ſecuta eſſe dici poſſunt. Inter ea tamen, quæ tempora illa læta reddiderunt & nobilitarunt, pax Germanica, *(d)* Britannica *(e)* & Sicula, *(f)* quæ ad ann. 1139. ab Auctoribus ponitur, & ſic inter felices eventus Cometæ noſtri apparitionem ſecutos, meritò computari debet.

(a) l. 11. in fine. (b) Polyd. l. 11. in fine. (c) l. d. Polyd. l. 12. p. 198. (d) Calviſ. ex Spang. ad 1139. (e) Buchan. l. 7. p. 216. (f) Sigon. ad ann. 1139.

CCXXXVIII. *Anno Chriſti* 1141. *Cometes apparuit.* Ricciolus.

HUjus Cometæ, ut puto, meminit Aventinus Annal. 6. p. 500. Id enim ex ſubjectis eventibus, de Edeſſa capta, *(a)* & bello Ludovici Regis Galliæ contrà Comitem Theobaldum colligo. Niſi quòd Edeſſæ proditio à Sigonio, imò & à Friſingenſi *(b)* & Aimoini continuatore & Urſpergenſi in 1145. ponatur, ſecundum Neubrigenſem verò in annum Stephani regis Angliæ 12. à Chriſto nato, ut Polydorus Jovius, Funccius & reliqui putant, 1147. ponenda ſit. Sed nos cum Wilhelmo Tyrio, *(c)* Petavio & Calviſio annum 1142. præponimus. Hanc conjecturam meam confirmat authoritas Cruſii, Suevic. Annal. conditoris, qui Cometarum apparitionem & alia quædam phœnomena ab Aventino annotata aliquanto antè 1146. annum contigiſſe arbitratur. *Non enim*, inquit, *annum, quo facta ſint reperio. Aventinus ſæpè multarum rerum congeriem facit* (*ut alii hiſtorici*) *confuſè, ſine annorum diſtinctione.* Hæc ille. Præter illa triſtia proximè recenſita, quorum potiora hùc referri merentur, alia quoque Cometam hunc præceſſerunt. Motus nempe in Germania ex electione Henrici Saxoniæ & Bojariæ ducis, à Proceribus potentiam ejus metuentibus *(d)* & partes Conradi Suevi ſequentibus, abrogatâ anno 1138. ortus eſt. Nempe cum Henricus Heros, Incomparabilis potentiâ & jure fretus, cauſſam ſuam tutaretur, *(e)* tandem cum inſignibus auguſtis redditis & magnis promiſſis *(f)* deluſus, à Lothario Socero rerum Domino conceſſa, & bona fide poſſeſſa, reddere detrectaret, à potentiori æmulo Conrado, confeſtim *(g)* & non convocatis Comitiis Generalibus, contra antiqua inſtituta electo, opprimitur. Is enim Saxoniam Alberto Urſo Brandenburgenſi (non, ut Sebaſt. Francus ait, Auſtriaco) Henrici conſobrino, *(h)* Noricum & Bojariam Leopoldo Auſtriaco fratri ſuo uterino dedit. Ita vires illæ Henrici Imperatori graves & metuendæ, quæſito prætextu acciſæ. Quæ ſors adverſa mortem immodico mœrore mox *(i)* accerſivit. Eodem illo anno *(k)* Stephanus Rex Angliæ Henrici ſucceſſor Scotorum, qui in Angliam hoſtiliter irruerant, *(l)* undecim circiter millia cæcidit. Tan-

(a) Vide de hoc tragico caſu Neubrig. l. 1. c. 18. p. 45. & Sigon. ad ann. 1145. (b) l. 7. c. 30. lib. 5. c. 52. (c) lib. 16. c. 3 & 4. (d) Urſperg. ad 1138. ann. Avent. Annal. 6. n. 498. (e) Avent. l. d. p. 499. (f) Sigon. ad ann. 1138. (g) Avent. p. 498. Sigon. l. d. Dubrav. l. 11. (h) Urſperg. ad 1139. (i) Urſperg. ibid. Trithem. ad 1139. (k) Calviſ. ad 1138. (l) Polyd. l. 12. p. 201.

tam

tam cladem arrogans, & avara vel Anglorum, ut Buchananus, (a) vel Scotorum, ut Neobrigenſis & Polydorus (b) vel, quod æquitas judicat, utrûmque ſine ullo Cometa portendit temeritas. Ranimirus Arragoniæ regnum Raimundo Berengario Barcinonenſi Comiti genero, tradidit. Mitto turbas Italicas in belli flammam hîc & illîc erumpentes, & diſſidium atrox, inter Anacletum & Innocentium, Pontificis hoc demùm anno 1138. morte, Anacleti & Succeſſoris ejus Victoris 4. voluntariâ depoſitione finitum, quod orbem Chriſtianum tamdiu graviter laceravit. Proximo anno Boleſlaus, Principum Poloniæ bellicoſiſſimus (utpote qui quadragies ſepties victor in prælio fuerit) victus tandem ex mœrore animi contabuit. Ranulphus (c) Dux Calabriæ & Apuliæ, qui Rogerii illius ferociſſimi rebellionem ſæpius coërcuerat, obiit. Eum paulò poſt Henricus ex Bojaria profugus, ſed à Saxonibus benignè exceptus, licet ex Alberti manibus ditionem ſuam vindicaſſet, tamen mœrore animi preſſus, utpote à præcelſo fortunæ faſtigio repentino velut fulmine dejectus, ſecutus eſt. Ita tunc quoque armorum civilium ſtrepitus in Germania intonuit. Alfonſus enim Portugalliæ Comes ingenti prælio Mauros ſuperavit, & 5. regulorum ſignis potitus, eadem in documentum virtutis obtinuit pro inſignibus gerenda. Ranulphi mors in Rogerii animo impotenti odium adverſus eum non ſuſtulit: adeò ut & in defuncti Ranulphi & Archiepiſcopi Brunoris (d) cadavera barbarâ crudelitate ſævierit. Ranulphi fratrem Reginonem & alios Cæſarianarum & Pontificiarum partium acriter perſecutus eſt: nec à ſacris ædibus expilandis ſibi temperavit. Pontificem quoque ſummum Innocentium, qui eum jam ſacræ deteſtationis fulmine ferierat, ſibi cum Cardinalibus & exercitu occurrentem (e) comprehendit, atque ita obtinuit, ut ſe Regem Siciliæ, Ducem Apuliæ & Calabriæ & Principem Capuæ & Eccleſiæ clientem renunciaret. Hâc tempeſtate Germania iterum civili bello exarſit, Welphone Henrici (quem Trithemius (f) fruſtra hoc anno vixiſſe dicit, cum eum proximo mortuum (g) dixerit) fratre, (h) pupilli ſuamque cauſſam cum Saxonibus armis fortiter nec aliquandiu infeliciter proſequente. Inter hæc Italicæ civitates jam dudum hoſtilibus odiis flagrantes, abſente & occupato alibi Cæſare, animos & arma reſumunt. Nam Cremonenſes indicto Cremenſibus bello Mediolanenſes malo ſuo hoſtes experti ſunt. Taceo Fanenſe bellum anno 1140. à Venetis adverſus Ravennates, Senogallienſes & Piſaurenſes, (i) tùm à Genuenſibus adverſus Intemellinos, & à Leopoldo novo Bojorum duce (k) adverſus Reginoburgenſes & Lycatios, Welphonis partibus addictos, geſtum. Silentio prætereo & illud calamitatibus & luctu, ut Neubrigenſis (l) & Polydorus (m) perhibet, plenum bellum, inter Stephanum Anglum & Mathildem illam Anglam, Henrici I. filiam, anno 1139. ortum, Polydoro & Jovio id infra biennium ponente. Sed quis omnia triſtia, quæ brevi temporis ſpatio Cometam iſtum anteceſſerunt, enumeret? Nunc ea quæ eum exceperunt, videamus. Conradus Imperator Leopoldo illo Auſtrio, anno 1141. mortuo, Henricum fratrem (n) illius Germanum, ſuum pariter uterinum ſubſtituit, Saxones clementiâ atque beneficiis ſibi conciliat, (o) & viduam Henrici Boi, Henrico in matrimonio anno 1142. dat. Qua ratione Auſtrius Bojariâ potitus eſt, Saxoniâ tunc pupillo Henrico Sponſæ filio reſtitutâ. Ita quidem Calviſius: qui etiam (in edit. Francofurt. non Lipſenſi, quæ hîc quoque melior eſt) Welphonem anno ante Cometæ apparitionem proximo à Friderico Suevo ad Winſbergam cæſum, cum Trithemio, ſed invito Friſingenſi, (p) Cruſio (q) & Buntingo, (r) (qui hunc Welphonem anno 1191. demùm obiiſſe affirmant) perhibet. Sed longè aliter & Aventinus. Nam ſicut is memoriæ ſcriptum reliquit, Welpho à Rogerio Siculo (ſ) & Geyza Hungaro, utroque Imperatoris æmulo, magnis non tantùm promiſſis, ſed & ſuppetiis ad cauſſam ſuam acrius defendendam inſtigatus, & favore Pontificum adjutus, Bojariam circa annum 1145. ut puto, ingreſſus eſt, eamque perdomuit.

(a) lib. 7. p. 21. l. 1. c. 5. p. 16. (b) loc. cit. (c) Calviſ. ad 1139. (d) Sigon. ad 1138. (e) Urſperg. ad 1139. Sigon. ad eund ann. (f) Chron. Hirſaug. ad 1140. (g) ad ann. 1139. (h) Urſperg. ad 1140. Avent. l. d. (i) Sigon. ad ann. 1139 & 1140. (k) Sigon. l. d. (l) Urſperg. ad 1140. Avent. l. d. (m) lib. 1. cap. 7. p. 22. (n) lib. 12. p. 202 & ſeqq. (o) Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1141. & in Chron. Duc. Bavar. p. 500. Ann. Suev. par. 2. l. 10. c. 3. p. 382. Trithem. ad 1142. & in Chron. Duc. Bav. (p) Avent. l. d. & Chron. lib. 7. cap. 25. (q) Annal. Suev. part. 2. lib. 10. cap. 3. pag. 382. d. part. 1. Chron. in Welphone 8. Vid. & Bucholzer. ad ann. 1140. (r) l. d. p. 501.

Dehinc

Dehinc Imperatoris potentiæ ceſſit, & cautè ex temporis ratione rem geſſit: paulò tamen poſt (anno ſcilicet 1147. ut ex Sigonio (*a*) colligo, & in Cruſio (*b*) video) Bernardi Claræ-vallenſis Abbatis operâ Cæſari conciliatus, pactis, ut animadverto, inductis (*c*) eundem in Palæſtinam ſecutus fuit. Demùm à Cæſaris in Germaniam reditu, quem ab Auctoribus (*d*) in annum 1148. vel 1149. referri video, à Rogerio denuò, tùm & inveterata vindictæ cupidine impulſus, adverſùs Cæſarem arma reſumſit, tandemque ei operâ Friderici Suevi, quem Cæſaris frater Fridericus unoculus (*e*) ex Juditha ſorore Welphonis (adeò ſtrictâ affinitate, ut & conſanguinitate (*f*) Welphi præpotentes tunc quoque (ut & olim Ludovico (*g*) Pio) Imperatoribus jungebantur) genuerat, conciliatus, pacem coluit. A Conradi Imperatoris anno 1152. morte, Henrico Leoni, Superbi illius ſic dicti filio, Fridericus I. quem jam jam nominavimus, amitinus ejus (*h*) Saxoniam confirmavit, Bojariam (Auſtria & Occidentalis Bojariæ parte, quæ regio ſupra Anaſſum dici ſolet, Henrico Auſtriaco, relicta) reddidit, Welphoni verò avunculo illi Lycatiorum regulo Hetruriam, Spoletum totamque Mathildis hæreditatem attribuit. Aſſentit hîc Aventino Sigonius (*i*), Cruſius (*k*) & Calviſius ipſe. Nam Welphonem, quem anno 1140. in prælio ad Winſbergam à Friderico Suevo cæſum eſſe dixerat, eundem ab eodem Friderico ad auguſtam dignitatem evecto, poſſeſſione Italicâ anno 1156. donatum, & anno 1191. (quod ex Aventino, (*l*) Cruſio (*m*) & Buntingo (*n*) certius didici) mortuum eſſe ſcribit. Hîc etiam ex iſtis, quæ paulò poſt anno 1141. geſta ſunt, videre eſt, læta quoque Cometis ſuccedere. Anno quidem 1141. putante Calviſio, ut & hoc prioribus addam, Albertus Comes de Soltwedel, ille Urſus, quem ſupra rerum geſtarum gloriâ Clariſſimum vidimus, Marchionatum Brandenburgenſem jure feudi ab Imperatore Conrado accepit. Paulò poſt celebratæ ſunt lætiſſimæ illæ Bertæ cum Emmanuële Imperatore nuptiæ. Ita tunc duæ Principes Sultzbacenſes ſorores id beneficii ſingularis à Deo conſecutæ erant, ut Orientis & Occidentis rectorum ſociæ thori & throni fuerint.

(*a*) Sigon. ad hunc ann. (*b*) Annal. Suev. part. 2. (*c*) pag. 502, 503. Funcc. ad annum 1147. Vide & Urſperg. ad eundem ann. (*d*) Calviſ. Funcc. Sigon. Petav. (*e*) Urſperg. in geneal. Welphonum. Trithem. Chron. Duc. Bavar. Bunting. geneal. Welphonum. (*f*) Bunting. 1. part. Chron. in Henrico I. Ottone I. II. & III. & Lotharrio, & in geneal. Welph. Trithem. geneal. Duc. Bavar. (*g*) Auctor vitæ Ludovici Pii. Sigon. Avent. Trithem. Bunting. &c. (*h*) Avent. l. d. p. 504, 505. (*i*) initio l. 12. de regno Italiæ & ad ann. 1154. (*k*) Annal. Suev. part. 2. l. 12. p. 509. & alibi paſſim. (*l*) Annal. Bojor. lib. 6. p. 513. (*m*) Annal. Sueverum part. 2. lib. 10. pag. 454. (*n*) Chron. 1. part. in Welphone VIII.

CCXXXIX. *Anno Chriſti* 1145. *menſe Majo apparuit Cometes, quem ſequenti anno ſecutus eſt terræ motus ingens, vicibus quindecim, in urbe Moguntinâ.* Hiſt. Eccl. ex Mariano Scoto, vel potius appendice ejus. *Conradus etiam Imperator & Ludovicus Rex Franciæ, collecto exercitu expeditionem in terram ſanctam ſuſceperunt.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1145. *Cometa fulſit. Bellum oritur inter Saxones, Vandalos & Polonos. Nobiles in Haſſia rebellant.* Alſtedius.

ANnotat hunc Cometen & Fabricius in Chronologia Saxoniæ. Annotat & Trithemius in Chron. Hirſaug. ſed ad ann. 1146. unà cum illo motu terræ Moguntino. Quæ res documento mihi eſt, Cometam iſtum unum eundemque eſſe, licet Auctores cent. 12. Hiſtor. Eccl. ex Tyrii libro 16. c. 17. ad annum 1146. diſtinctum à priori notent Cometam, qui per multos dies viſus fuerit. Inter hunc & præcedentem Cometen varia triſtia contigerunt. Nam anno 1142. Leopoldus Auſtriæ Dux, poſtero Colojoannes Imperator & Sanguinus, verè Sanguineus, Turcarum princeps: anno verò ante Cometæ apparitionem proximo Celeſtinus Pontifex Romanus & Godefridus Lotharingiæ Dux: tandem hoc ipſo anno, quo Cometes fulſit, exeunte Januario, Lucius 2. Pontifex Romanus è vita exiit. Inter hæc bello Mathildis, Anglia*, illo verò Theobaldi Comitis Gallia, tùm Grimbergenſi Brabantia exarſit. Senatus

* Vid. Neubrig. l. 1. c. 22. p. 35.

quoque

quoque & populus Romanus (a) adverſum Pontificem Max: omneſque adeò Pontifices maxima auſi, ut ſcilicet iis in ordinem redactis, & ad ſolam rem divinam curandam reductis, jure poteſtatis magiſtratus, libertate plena ſubjecti gauderent, non exiguas turbas dederant, Pontificibus dignitatem poteſtatemque ſuam acriter defendentibus. Permoti illi dubio procul erant exemplò & monitis Arnoldi Brixienſis presbyteri, de quo ita Trithemius ad ann. 1128. *His temporibus ſub Honorio Papa 2. venit Romam quidam Preſbyter Arnolphus, Vir magnæ devotionis & prædicator egregius, qui cum inter annunciandum verbi Dei, clericorum laſciviam, libidinem, avaritiam & nimium faſtum reprehenderet, & paupertatem Chriſti & Apoſtolorum ejus integerrimamque vitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem nobilitate, ut verus Chriſti diſcipulus laudatus eſt, ſed Cardinalium & clericorum odio nimium eſt habitus, à quibus & noctu captus, occultè eſt interfectus.* Ita Abbas Spanheimenſis in Chron. Hirſaug. Sigon. ad annum 1139. prædicationem ejus deſcribit, ad annum verò 1143. auctoritate ejus Romanos ad antiquum Romanæ libertatis ſtatum reſtituendum permotos fuiſſe expreſſe fatetur. Vid. & Avent. Annal. 6. p. 500. & Petav. R. T. 1. part. l. 8. c. 20. Et ut alia mittamus, ad ea potius quæ Cometam ſecuta ſunt veniemus. Sifardus, qui etiam hunc Cometam ordine XVIII. numerat, effectus ejus ſuo more, id eſt liberaliter, imò prodigaliter ad Friderici Barbaroſſæ mortem, quæ anno 1191. accidit, producit. Itaque & nos paulùm veſtigia ejus ſequemur. Vladiſlaus Poloniæ Princeps improſperè quidem rem contra fratres gerit, ſed à ſua & uxoris ambitione, non ab Cometæ apparitione incitatus. Infelicem rerum progreſſum, mox exſilium, & tandem ex animi ægritudine mortem injuſta illa ambitio ei portendit, certè attulit. Inter hæc Conradus Imperator (b) & Ludovicus Rex Galliæ memorabilem expeditionem in Palæſtinam inſtituerunt, quæ tamen ob perfidiam [c] Græcorum parùm feliciter ceſſit. Felicior certè illa Danica & Germanica in Hiſpaniam & Wandaliam fuit. Ibi enim Ulyſſipona ex ſervitute Maurorum erepta: hic Sclavi [d] in ordinem redacti, & ad colendam religionem Chriſtianam cumque vicinis pacem adacti ſunt. Anno 1148. Rogerius Siculus [e] contrà Emmanuëlem illum perfidum rem proſperè geſſit, & Regem Galliæ à Græcis captum liberavit. Proximo Emmanuël magis propitiâ fortunâ hic & illic uſus eſt. Chriſtiani in Palæſtina circa hæc tempora publicam rem privata diſcordiâ ex ambitione ortâ prodiderunt. Rogerius Emmanuëlem duplici victoriâ anno 1150. ad pacem petendam coëgit. In Africa quoque Saracenos anno ſequenti perdomuit. Eodem anno minæ belli inter Regem Galliæ & Henricum Normanniæ Ducem exorituri, pace optatâ compoſitæ fuêre, patre iſtius Gaufrido paulò poſt mortuo. Hunc anno 1152. Conradus Imperator ſecutus eſt: qui memorabili exemplo fratris ſui filium Fridericum, qui à ruffa barba Barbaroſſa ſive Ænobarbus dictus eſt, proprio filio auguſta majeſtate digniorem declaruit. Is læta imperii auſpicia reddere volens, Petrum Regem Daniæ diademate inſignivit, ut refert Sigonius. Ego pro Petro Canutum ponendum conjicio: regni tamen ſtatum illa tempeſtate perturbatum fuiſſe, adeòque difficulter certum ſententiæ ſtatui poſſe fateor. Idem ille Fridericus novus Imperator Welphoni avunculo, Marchiam Thuſciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & totam terram Mathildis Comitiſſæ (vel ut cum Voſſio potius loquar, dominæ Comitis) conceſſit. Mox Legatos ab Eugenio Pontifice, quem de ſui electione certiorem reddiderat, læta omnia referentes audivit. Eodem anno pax inter Imperatorem & Pontificem Romanum coaluit. Induciæ quoque inter Stephanum Angliæ Regem & Henricum Normannum concluſæ: at ſequenti bellum difficile & diuturnum, utpote quod 17. annis duravit, pace optatâ [f] finitum, Henrico deſignato regni Succeſſore. Eodem è vivis exceſſit Eugenius Pontifex Romanus, tùm Bernhardus Abbas Claræ-vallenſis, paulò poſt in familiam S. S. adſcitus, & David Scotorum Rex Neubrigenſi [g] & Buchanano [h] plurimùm laudatus. Sed hæc triſtia in medio interter hunc & ſequentem Cometam poſita, non magis hunc ſecuta eſſe, quàm illum

(a) Sigon. ad 1143. (b) Neubrig. l. 1. c. 20. Avent. Annal. 6. p. 503. Sigon. ad ann 1147. [c] Nicetas in Manuel. l. 1. Avent. Annal. 6. p. 503. [d] Chron. Sax. ad 1147. [e] Sigon. ad 1148. [f] Neubrig. l. 1. c. 30. p. 83. Polyd. l. 12. p. 208, 209. [g] lib. 1. c. 23. [h] lib. 7.

præceſſiſſe

præceſſiſſe dicenda ſunt. Atque huc etiam pertinent motus belli inter Regienſes & Parmenſes, * tùm inter Mediolanenſes & Papienſes, denique inter Bononienſes & Imolenſes. Hi tamen lætam Parmenſibus & Bononienſibus victoriam, ab his verò etiam latam hoſtibus pacem attulerunt. Non tacenda hic & plena pax Germaniæ anno 1556. reddita, redditâ Henrico Leoni Bojariâ, vitrico verò ejus Henrico Ducis Auſtriæ primi dignitate ornato, ſicut frater ejus Otto Epiſcopus Friſing. in Chron. ſcribit. Vid. Urſperg. Chron. initio geſt. Frider. I.

* Sigon. ad ann. 1152 & 1153.

CCXL. & CCXLI. *Anno Chriſti* 1165. *Cometæ duo hoc anno ſimul apparuerunt ante Solis exortum, quorum alter ad Auſtrum fuit, alter ad Aquilonem.* Calviſius.

Anno Chriſti 1165. *inſtante Malcolmi Scotorum Regis fatali die*, 14. *diebus antequam Rex è vivis decederet, Cometa duobus longiſſimis radiis ardere viſus eſt.* Hiſt. Eccl. cent. 12. c. 13. ex Boëth. lib. 13.

Anno Chriſti 1165. *viſus eſt Cometa in ſigno Libræ. Henricus Leo Dux Saxoniæ, Woldemarus Rex Daniæ, & Albertus Marchio in Vandalos gravem expeditionem ſuſcipiunt.* Eckſtormius ex Herlicio & Crantzio in Vandal. l. 5. c. 5.

UT ſaltim præcipua, quæ Cometam hunc anteceſſerunt, memorem, anno 1154. Stephanus Rex Angliæ, & Anaſtaſius 4. Pontifex Romanus obiit. Idem temporis (a) Italiam armis Imperatoris ſubigi cœpiſſe vidit. Proximo Fridericus Dertonâ, captâ diademate Auguſto, Romæ inſignitur, ſed ſeditione civium appetitur: qui tempestatis pœnas exitio luerunt. Eadem mox fortuna Spoletanorum fuit. Wilhelmus quoque Siculus, Rogerii illius filius, Pontificis ditiones ferro vaſtavit: Ita tunc, ut & paulò poſt, Italia armorum ſtrepitu non leviter, cumprimis autem Apulia & Calabria, quaſſata fuit. Sed nec Germania belli tumultu, occupato in Italia Imperatore, caruit. Excitatus is erat (b) ab Hermanno Comite Palatino, qui poſtea publicâ auctoritate pœnas dedit. Hollandiæ quoque pacem ſæva Friſiorum irruptio (c) turbavit. Anno pariter 1156. Siculos Emmanuël Græcorum Imperator armis adortus, parùm tamen proſperâ fortunâ uſus eſt. Hoc quoque anno Conradus Marchio Miſnenſis è vita exiit. quem anno ſequenti Alfonſus, qui Imperator Hiſpaniæ dici voluit, hunc rurſus anno vertente filius Sanctius ſecutus eſt. Inter hæc bellum Vandalicum terras Brandenburg. Germanicum Poloniam, afflixit, ut taceam perpetua Chriſtianorum in Palæſtina contra barbaros bella & prælia. Anno quoque 1157. horrendi terræ motus varia Orientis loca concuſſerunt, ut in una Catanenſium urbe 20. millia hominum periiſſe ſcribantur. Anno 1158. Fridericus Imperator, jus majeſtatis (d) contrà Pontificem Romanum tueri, & ſuperbos coërcere volens, arma Italiæ intulit. In qua expeditione præclaram operam Imperatori inter alios Principes Vladiſlaus Bohemus (e), novo regiæ dignitatis beneficio nuper facto Imperatori obſtrictus, tùm Welpho Ducum ille potentiſſimus, cum filio fratris Henrico Leone, Bojorum & Saxonum Duce, navarunt. Ille avunculus Imperatoris Julio Cæſari, hic amitinus, Catoni à Radevico Fruxinenſi, illius ævi ſcriptore comparatur. Quanta verò cum laude ſapientiæ & juſtitiæ Welpho pater & filius tunc ſubjectos rexerint, Aventinus refert, laude & imitatione dignorum Principum (f) exemplum in utroque exhibens. Sed nos ad Fridericum rebelles in Italia armis ſubjugantem revertamur. Inde rebellantes Mediolanenſes acri obſidione, ferro ſcilicet, fame & peſte preſſos, ad deditionem compulit. Socii (g) eorum Brixiani fœdâ agri vaſtatione, & mox Veronenſes & Ferrarienſes parem fortunam experti. Puniti tunc & Placentini & Cremenſes à Cæſare, & Brixiani à Cremonenſibus ſua defendentibus. Haſta quoque diruta; Mediolanenſes priſtinæ libertatis jacturam ægerrimè ferentes, novæ rebellionis & perfidiæ ſimul crimine capita obſtrinxerunt. Cremenſes

(a) Urſperg. in geſt. Frider. I. p. m. 216. & ſeqq. Sigon. ad ann. 1154. & ſeqq. Trithem. ad 1554. (b) Trith. ad 1555. (c) Calviſ. ad 1555. (d) Trithem. ad 1157. Sigon. ad 1157. & ſeqq. (e) Urſperg. Chron. p. 217. Dubrav. l. 12. p. 94. (f) Annal. 6. p. 508. Vide & Urſperg. p. 221. (g) Urſperg. Chron. de bell. Frid. Sigon. ad 1159.

in ſocietatem ſceleris tracti, poſt edita inter eos & Germanos urbem obſidentes immanis crudelitatis exempla, ad ultimum acerrimæ obſidionis malis fracti ad deditionem adacti, patriæ urbis everſione culpam & pœnam 1160. luerunt. Inter hæc quartum illâ tempeſtate vel omnium, quæ ſupra viginti adhuc contigerant, ipſo Sigonio (a) judice teterrimum, ſacrorum Comitiorum diſſidium exortum, quod Imperatorem cum Pontifice Romano & Germaniam cum Italia, revocatis etiam priſcis Gibellinorum & Guelphorum vocabulis, diſſidiorum teſſeris, (b) viginti annis commiſit, Alexandro 3. & Victore 4. & hoc anno 1164. mortuo, Paſchali 3. denique Calixto 3. de ſede Romana graviſſimè (c) contendentibus. Hæc diſſenſio Mediolanenſes ad reſtaurandum Laudenſe bellum permovit. In quo Placentinis & Brixianis ſociis adjuvantibus anno 1160. bis ſuperiores evaſerant. Sed incendio in urbe conflato grave damnum ſubierunt. Ex eo annonæ caritate, tandem & inopia fameque graviſſima equos & canes ad exſtiandum ventrem rapiente, preſſi & extrema experti, anno 1162. ad petendam pacem & deditionem faciendam ſubeundaſque duras leges, uſque ad triſtem non tantùm murorum, (d) ſed & urbis munitiſſimæ & pulcherrimæ ruinam coacti ſunt. Quia verò ſe dediderant, pulcherrimam *ob cives ſervatos* coronam Imperator victor obtinere volens, eos *non diſperdidit, ſed diſperſit*, ut Neubrigenſis (e) ait. Inſultarunt tunc Laudenſes, Papienſes aliique potentiâ Mediolanenſium antehac obtriti calamitati eorum, eamque non tantùm vindictâ, ſed & exprobratione graviorem reddiderunt. Eodem anno bellum contrà Placentinos decretum. Hi, ut & Brixiani deditionem facere neceſſe habuerunt. Hac tempeſtate & Piſani ac Genuenſes novo inter ſe bello certabant, ex avaritia mercatorum orto. Patriarcha quoque Aquilejenſis Ulricus eodem anno Gradum bello adortus erat. Sed à Venetis cum 700. Nobilibus captus Venetias ductus & in vincula datus eſt. Idem ille annus Reymundo Aragonio, ſequens Balduino Hieroſolymit. & Theodorico Holl. Comiti fatalis fuit. Ut taceam alia Principum funera, bellorum & maris inundationes, peſtes, ſiccitates, hyemes prodigioſas (f) ac diſſidii in orbe Chriſtiano ſacri & profani mala, & Italicarum civitatum in Imperio conjurationes, aliaque triſtia. Ad ea quæ Cometam exceperunt propero. Expeditionem illam Wandalicam, quam Eckſtormius Cometæ ſubjicit, Calviſius binis illis Cometis ſuis præponit, eamque in ann. Chriſti 1162. refert. Secundùm rationes Funccii ex Crantzio, quem & Eckſtormius allegat, petitas. Hoc primum eſt bellum Wandalicum, à Woldemaro Dano & Henrico Leone ſuſceptum, alterum verò illud anno 1165. geſtum. Vide Chron. Stederburgenſe ad 1163. & Buntingi Chronolog. ad 1161. & 1165. Eodem anno, quo duo illi Cometæ apparuerunt, non pauca lætitiæ documenta ſimul viſa ſunt. Nam Henricus 6. Imperator (g) Friderici 1. & Philippus ille Auguſtus & Conquæſtor dictus, Ludovici 7. Junioris Regis Galliæ filius natus eſt, ſicut Aimoini (h) continuator, tùm Serres, Funccius & Calviſius putant, Petavio (i) naralem ejus in 1164. referente. Tunc & Henrico 2. Regi Angliæ magnam attulit, Polydoro referente, (k) lætitiam, quòd filius ejus Gaufredus, deſponſatâ Conſtantiâ, Britanniæ Citerioris hærede, totius Britanniæ potitus eſſet imperio. Paulò poſt, anno ſcilicet 1166. Mathildi Auguſtâ, illâ Heroinâ, mortuâ, (l) Henricus filiam Mathildin Henrico Leoni illi Bojariæ & Saxoniæ Duci locavit. Non diſſimulo Funccium & Annales Suevicos in ann. 1162. has nuptias referre. At enim 1172. anni putandi ſunt, ſi Henricus Mathildin anno 1165. in uxorem petiit, ut Calviſius ex Pariſienſi putat, & ſeptimo demum anno à factis ſponſalibus (ut Buntingus (m) ſcribit, qui ſponſalibus annum illum 1162. deſignat) eam domum duxit. Nec multum à verò abſunt illæ annus 1572. rationes, ſi Henricus eodem anno (qui Gerardo Stederburgenſi & Buntingo eſt 1171. at Calviſio 1173.) & Mathildam uxorem accepit, & filiam cognominem ex ea in Palæſtinam profectus ſuſcepit, ut Clariſſimus Meibomius (n) affirmat. Sed ſi

(a) de regno Italiæ l. 3. initio. (b) Sigon. ibid. (c) Urſperg. de ſchiſmate, & in annis Frid. ad 1159 & 1160. Alberic. Trois-fontan. ad ann. brig. l. 2. c. 9. l. 3. c. 2 & 3. Plat. Sabell. Baron. Dubrav. hiſt. Bohem. l. 13. Avent. Annal. 6. p. 512, 513. Rhenan. rer. Germ. l. 3. l. 6. p. 293 & ſeqq. Sabell. Enn. 9. l. 5. p. 369 & ſeqq. Trithem. ad 1159. (d) Dubrav. l. c. p. 120. Sigon. ad ann. 1162. (e) lib. 2. c. 8. p. 110. (f) Vid. de his Sigon. ad ann. 1159 & 1164. Trithem. ad 1157 & 1164. Sabell. & Urſperg. ad 1157 & ſeqq. (g) Trithem. Chron. Hirſaug. (h) lib. 5. c. ult. (i) Ration. temp. p. 1. l. 8. c. ult. (k) lib. 13. p. 214. (l) Confer Jovii Chron. Angl. reg. ad 1166. & Polyd. l. 13. p. m. 214. & Avent. Annal. 6. p. 512. ad ann. 1165. (m) in Chron. Brunſuic. & Chronolog. (n) append. apolog. pro Ottone 4.

nuptias

nuptias in annum 1567. ponit. Ex hoc matrimonio natus Sereniſſimorum Ducum Brunſuicenſium & Lunæburgenſium progenitor, Wilhelmus (*a*), cujus filius Otto puer titulo Ducis Saxoniæ Alberto 2. Electori Saxoniæ conceſſo, à Friderico 2. Imperatore Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis primus renunciatus eſt. Alter ab hoc Henricus, quem poſtea Palatinum Rheni fuiſſe, Aventinus (*b*) & Annales Suevici produnt, ut & Funccius ad ann. 1196. Clariſſimus Meibomius (*c*) verò affirmat. Tertius Otto, cui poſthac Auguſta inſignia in mercedem ſingularis virtutis & ſolertiæ citra omnem ambitum collata fuêre. Quâ de re videatur apologia Doctiſſimi illius Viri Henrici Meibomii pro Ottone 4. quâ tandem & unà adnexis opuſculis variis Hiſtoricis, dum hæc relego, potitus ſum. Eodem illo anno 1165. Alexander 3. Pontifex Maximus in Siciliam appulſa navi, & ibi & mox Romæ *lætiſſimis animis*, ut Sigonius (*d*) notat, *exceptus eſt ab univerſis.* Imò eodem teſte, *tota quoque Italia proſpero ejus reditu in ſpem melioris fortunæ excitata, continuò omnia ſua ad illum ſtudia detulit:* vigente inter hæc læta triſti inter hunc Pontificem & Imperatorem, tùm & inter Genuenſes ac Piſanos diſſidio. Mox anno 1167. tota ferè Italia fœdus contra Imperatorem, ſalvâ tamen ejus majeſtate & fide, ut dicebatur, iniit. Hoc equidem non Cometa, ſed avitæ libertatis recuperandæ cupido, avaritiâ & ſævitiâ præfectorum Cæſarianorum aucta, ut Sigonius memorat, portendit. Inter hæc Imperator Romanis domitis, & urbe in poteſtatem redactâ à Paſchali 3. Alexandri 3. æmulo unà cum Beatrice conjuge diademate Auguſto inſignitus eſt. Per hæc tempora bellum Tubingenſe & Palatinum Imperatoris, Welphoni avunculo faventis, & Romanis domandis intenti, auctoritate finitum, optatâ pace anno 1165. initâ, proximo (*e*) reſtitutâ & firmatâ. In Oriente Noradinus Turcarum Princeps victoriis contra Chriſtianos obtentis inclaruit. At in Occidente Alfonſus Rex Caſteſtæ duodecennis puer, regni hebenis ſuſceptis Toletum recuperavit. Imperator Hungaros ad pendendum tributum adegit. Woldemarus Rex Daniæ Rugiam occupavit, (*f*) & ad Chriſtiana ſacra recipienda perduxit. Inter hæc Almericus rex Hieroſolymitanus Soldano Ægypti amico Principi contra Perſas auxilium ferens, hos rejecit & ad pacem ineundam coëgit, ipſeque cum ingenti præda ex Ægypto rediit. Non diſſimulo diſſidentes hîc ſcriptorum ſententias de Almerico, qui Perſis [*g*] contra Saraconem ſive Siraconum illum Turcam, & Soldano Ægypti [*h*] contra Perſas auxilia tuliſſe, tùm verò & Soldanum [*i*] bello appetiiſſe, & à Turcarum illo duce Siracone Soldanum ſive Calipham Ægypti [*k*] juſſu Soldani, regis Syriæ defendente, rejectus fuiſſe proditur. His autem, ut & examinando Calipharum Ægypti [*l*] & Perſiæ [*m*] diſcrimini nolo immorari. Silere tamen non debeo pacem lætam inter Ludovicum Galliæ & Henricum 2. Angliæ Regem anno iſtius regni [*n*] XVI. (qui conſentientibus ſcriptoribus, Polydoro, Jovio, Funccio, Calviſio & Helvico, partæ ſalutis eſt centeſimus ſeptuageſimus ſupra M.) concluſam. Quæ tamen *non ſolida*, ut Neubrigenſis ait ibidem, *ſed temporalis fuit, ut poſtea claruit. Nempe memorati duo Reges nunquam diu inter ſe quieviſſe noſcuntur: populis hinc inde plecti aſſuetis, quicquid illi per ſuperbiam deliraſſent.* Atque hæc de Cometa iſto ſufficiant. Antequam tamen ulterius abeam, de hoc puto illa Riccioli ex Cardani l. 2. in quadripartitum textu 54. intelligenda eſſe verba, quæ appono: *Anno Chriſti* 1169. *Cometa in Scotia apparuit cum duobus longiſſimis radiis ardens & ingens, mortuuſque eſt Malcolmus* 4. *Scotorum Rex, dictus cognomento Virgo.* Ex Ricciolo hæc deſcripſit Diarii Europæi auctor, &, ut puto, alii. Ego colligo Scriptorem vel typographum annum 1169 pro 1166. poſuiſſe. Milcolumbum enim anno Henrici 2. Regis Angliæ duodecimo, qui (ſicut & Funccii, Jovii, Calviſii & Helvici rationes referunt) fuit à Chriſto Nato 1166. vitæ finem impoſuiſſe Polydorus ait. At reliqui cum Buchanano exceſſum ejus in 1165. referunt. Neubrigenſis Malcolinum vocat (unde aliis Malcolmus) & mores ejus caſtos mirè laudat, tempus mortis non definit.

(*a*) Trithem. Chron. Duc. Bav. p. 108. Avent. Ann. 6. p. 516. & 7. p. 525. (*b*) Ibid. & pag. 529. Bunting. paſſim. Meibom. not. ad hiſtor. Gerhardi de Henr. Leone p. 266. (*c*) app. apolog. pro Ottone IV. p. 427. (*d*) l. 13. de regno Ital. fine ad ann. 1165. (*e*) Urſp. ad 1165 & 1166. Avent. Ann. 6. (*f*) Bunting. ad 1169. Calviſ. ad 1168. [*g*] Neubrig. l. 2. c. 23. [*h*] Calviſ. ex Tyrio ad ann. 1167. Confer cum annotatis ad 1165. [*i*] Sabell. Enn. 9. l. 5. ab init. [*k*] Sabell. ibid. [*l*] Sabell. ibid. [*m*] Calviſ. ad ann. 1167. [*n*] Neubrig. l. 2. c. 24.

CCXLII. *Anno Christi* 1172. *circiter in Vigilia Natalis Domini, in occasu* 2. *stellæ igneæ coloris, quarum una erat magna, altera parva, apparuêre, fueruntque initio quasi conjunctæ, postea disjunctæ & longo spatio distantes apparere desierunt. Hinc civitas Turonensis ac templum cathedrale incendio perierunt.* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 12. cap. 13.

SUbdubito an hæ stellæ inter Cometas poni debeant. Ego quidem auctoritate Eckstormii hoc facio, rem tamen non decido. Urbes integras incendio & excidio miserabili, nullâ stellâ crinitâ prælucente, proximè Mediolani & aliàs sæpius vidimus. Hoc quoque phœnomenon non pauca tristia antecesserunt. Nam anno sexagesimo nono supra millesimum & centesimum, ut Calvisius, vel septuagesimo primo suprà M. C. ut Sigonius refert, Cathana urbs Siciliæ terræ motu periit, eodemque alia loca afflicta. Ægypti regnum Christianæ genti amicum Almerici regis Hierosolymitani, circà annum 1163. (non 1053. ut Sabellicus *(a)* putat) tyrannide pressum, occiso Soldano, cessit Siracono, (Saraconem Neubrigensis *(b)* & alii vocant) fratri Noradini Turcarum Principis Damasceni, cui filius, ut Sabellicus *(c)*, vel filius fratris ut Neobrigensis *(d)* & Calvisius ait, successit, Saladinus omnium qui in illa terra regnarunt, fortissimus. Is ut Neubrigensis ibidem ait, post Saraconem, qui Virga furoris Domini fuerat, *non jam Virga, sed malleus* surrexit. Atque hæc regno Christianorum in Palæstina ruinam, etsi nullus illâ tempestate luxisset Cometes, portenderunt. Romani illo ipso anno Albâ subversa Tusculo minas exitii intentarunt. Per hæc tempora nec Anglia dissidiorum malis caruit. Thomas enim Cantaurienſis, cui Alexander Romanus Pontifex, quanquam cautè, ne Anglum Imperatori Friderico & æmulo Paschali conciliaret, favebat, Regi Henrico *(e)* de jure Sacerdotiorum & disciplina Ecclesiastica se opposuit. Relinquo Damiatæ obsidionem, quam eodem illo anno Emmanuël Imperator Græcus cœptam reliquit. Anno postero Siraconus mortuus, Saladinus autem occiso Caliphâ Supremo Ægypti Domino (cui magistratui Ægyptus, postquam hinc Græcorum avaritiâ, superbiâ & animi impotentiâ, illinc Saracenorum potentiâ urgente desciviſſet, annis tercentum circiter & quadraginta, ut Sabellicus [*f*] putat, vel ut ex Helvici rationibus colligendum est, ter centum & decem, licet annos à subjugata [*g*] per Saracenos Ægypto numeremus, paulò infra quingentos quadraginta, paruit) universo regno potitus est. Hoc ipso anno Orientem ingens terræ motus aliquot mensibus afflixit, & ut multas urbes, ita plurima hominum millia absorpsit. Mare quoque finibus suis egressum in totam Frisiam sæviit. Saladini verò armorum potentia Christianos in Oriente afflixit. Ille enim Gazâ præter arcem potitus cum multis gazis in Ægyptum rediit. Tunc verò de toto Palestinæ regno laborari cœptum, & auxilia ex Occidente dissidiis sacris & civilibus distracto, frustra assiduis precibus, querelis & obtestationibus expetita. Hispania quoque ingentibus damnis affecta, Ariotho Saraceno ex Africa Hispaniam ad adeundam hæreditatem Lupi Saraceni, qui sine liberis obierat, adeunte. Longum foret motus Italicos ex Sigonio [*h*], Bohemicos ex Dubravio [*i*], Hungaricos ex Bonfinio [*k*], Polonicos ex Cromero [*l*], Anglicos ex Polydoro [*m*], Germanicos ex Aventino [*n*], alios ex aliis [*o*], tùm & prodigia ad ann. 1171. à Sigonio posita referre. Itaque de ea quæ phœnomenon hoc secuta sunt, venio. Primùm mitissima illius anni hyems & ver fœcundum erat. Is etiam Christianis auspicatus & lætus fuit, rebus contra Noradinum & Saladinum acerrimos hostes, Syriam ingentibus cum copiis invadentes, feliciter gestis. Par ferè fortuna anno postero fuit. Saladino rejecto, & ab excessu Noradini viduâ ejus ad precem & pretio obtinendam pacem compulsâ. Hanc & Venetis fortiter & prosperè sua tutantibus Emmanuël Imperator obtulit. Christianorum aliqui tunc ex tristi Saracenorum captivitate liberati,

* Ursperg. ad 1170. (*a*) Enn. 9. l. 5. ab init. (*b*) lib. 2. c. 23. (*c*) Enn. 9. lib. 5. pag. 369 & 375. (*d*) lib. 3. no. (*e*) Polyd. l. 13. pag. 213. [*f*] lib. cit. [*g*] Calvis. anno 635. [*h*] ad ann. 1168. & sequentes. [*i*] Lug. p. 103, 104. [*k*] Dec. 2. l. 6. p. 294, 295, 296. [*l*] in vita Boleslai Crispi. Vide hanc & ap. Pastor. in Floro Polonico. [*m*] lib. 13. pag. 215, 216 & seqq. [*n*] Annal. 6. pag. 512 & seqq. [*o*] Blond. Sabell. Funcc.

inter

inter quos & Raymundus Comes Tripolitanus, octo annis captivus, fuit. Idem ille annus, quo phœnomenon hocce viſum eſt, inclaruit natalibus Dominæ Irenæ, filiæ Iſaaci Angeli Commeni, qui poſtea anno 1185. in Oriente imperavit, tùm felici reditu Henrici Leonis Ducis Saxoniæ (ut in Annal. Suev. & Buntingo inveni, etſi ſupra jam dixerim, Calviſium ponere iter ejus in ann. 1173. Meibomium [a] in 1167. licet Chronicon Stederburgenſe ab eo editum in ann. 1171. hanc profectionem producat, niſi quòd qui eodem anno 1167. Henricum Mathildam duxiſſe, in Palæſtinam profectum eſſe, & primogenitam filiam matri cognominem ex ea ſuſcepiſſe cum Arnoldo Lubecenſi dixerat, mox alias, eaſque meliores rationes ſecutus, eidem Henrico anno 1172. peregrinanti, primogenitam filiam Richenſam ex illa Mathilda natam eſſe dicat) qui in Palæſtinam voti ſolvendi cauſâ iverat. Splendidiſſimos ſanè habuit comites itineris, inter alios Conradum Epiſcopum Lubecenſem [b], & Probiſlaum Mecklenburg. Principem. Sicut autem Viennæ à Vitrico Henrico Auſtrio, & à ſorore ejus regina Hungariæ magnificè pro dignitate tanti Principis exceptus; ita & à Manuële Imperatore ac uxore ejus illa Bertha Sultzbacenſi cognatâ ſua honorificentiſſimè & opulentiſſimè habitus eſt. Imò & à Soldano ipſo honoratus & muneribus donatus eſt. Sed paulò poſt à reditu [c] cum Imperatorem ad Alexandriam novam in Italia inter Haſtam & Derthonem, [d] Alexandri 3. Pontificis Romani gratiâ exſtructam & ab eo appellatam, quam Imper. diu acriter, ſed fruſtra, obſederat, metu ſacri fulminis reliquiſſet, & alioqui potentiæ (quæ ſanè æmula Regiæ fuerat) nimius, ideòque Imperatori ſuſpectus eſſet, invidia Imp. preſſus proſcribitur. Poſtquam Anno 1174. [e] Monachii urbis [f] clariſſimæ fundamenta potuiſſet. Inter hæc anno illo 1172. Rex Angliæ Henricus ſecundus ſecundam in expeditione Hyberniæ expertus eſt fortunam. Victoriâ enim omnium lætiſſimâ potitus eſt, utpote quæ ei *ſine armis*, ut Polydorus [g] ait, *evenit præter ſpem. Quippe cùm inſula parêret pluribus regulis,* [h] *ac factionibus & ſtudiis diverſis traheretur, non aliud magis gentem indomitam impediebat, quominus reſiſteret, niſi quòd commune conſilium non haberet ad propulſandum Reipublicæ periculum. Quocirca dum ſinguli adverſus tantum regem pugnare formidarant, univerſi ferè victi ſunt.* Ita rebus feſſis extremum malum diſcordia acceſſerat, victoriam vel incruentam hoſti accedenti portendebat. Paulò poſt, anno ſcilicet 1173. ut Neubrigenſis, vel 1175. ut Polydorus putat, idem Rex ſatis itidem proſperam fortunam, præſertim omnia domi foriſque infeſta videns, ſaltim metuens, habuit. Filius enim Henricus rex ab eo renunciatus & confirmatus, rapere quàm exſpectare regnum malebat, à Socero Ludovico rege Galliæ, antiquo patris, tunc autem occulto, eoque nocentiori hoſte, & malis Conſiliariis innataque juvenibus temeritate inſtigatus. Huic & fratres Ricardus & Gaufredus acceſſerunt. Cui incendio impii belli non parvum fomitem mater Aleonora, adulteria mariti Henrici filiis denudans ſubdidit. Ita Principum peccata omni Cometa vel eclipſi vel aſtrorum conjunctione certius ſecutura mala portendunt. Licet autem filii Gallicis viribus ſuccincti Aquitaniam, Normaniam & Britanniam ſimul invaſerint & perdomuerint, ac inter alia Vernolium, dum Henricus pater cum Ludovico Gallo conſultat, inſtar Sagunti captum & exciſum fuerit, tamen meliori patris cauſæ contra impietatem notorum cælum favit. Is enim non tantùm rebelles, ſed & ſocios Gallos & Scotos aliquot certaminibus & præliis coërcuit [i]. Memorabilem verò victoriam, eamque geminam, de Roberto Leceſtriæ S. Gloceſtriæ Comite, & Wilhelmo Rege Scotiæ [k], utroque Henricum foris bello tranſmarino occupatum, domi magnis animis viribuſque adoriente, retulit. Uterque [l] enim ita infeliciter pugnam commiſit, ut aliquot millibus ſuorum amiſſis cum reliquis in manus hoſtium venerint. Hæc anno 1175 & 1176. acta incredibilem lætitiam patri, ut Neubrigenſis [m] & Polydorus [n] & res ipſa docet; triſtitiam verò ſimul filiis & ſociis eorum attulerunt;

[a] app. apol. pro Ottone 4. p. 425, 426. Confer p. 427. [b] Avent. Ann. 6. p. 513. Chron. Stedenburg. ad 1171. Vid. Helmod. Buzovienſ. l. 2. à cap. 3. uſque ad 18. & Crantz. Saxon. l. 6. c. 29. & ſeqq tùm alios hiſtoricos de peregrin. Henr. Leonis, qui mihi non ſunt [c] Anno 1177. Meibom. not. ad hiſtor. Gerardi Stederburg. de Henr. Leone p. 245, 246. [d] Urſperg. ad ann. 1175. Neubrig. l. 2. c. 16. p. 143. Sigon. ad ann. 1168. [e] Calviſ. edit. Lipſ. [f] Avent. Annal. l. p. 4. [g] lib. 13. p. 220. [h] Neubrig. l. 2. c. 26. [i] Neubrig. lib. 2. c. 28, 29, 30, 31, 32, 33. Polyd. l. 13. p. 226 & ſeqq. [k] Buchanan. rer. Scot. l. 7, pag. 224, [l] Neubrig. l. 2. c. 30, 33 & 34. [m] lib. 2, c. 34, p. 197. [n] lib. 13. p. 230.

præſertim

præsertim postquam pater & Angliam domi pacatam reliquit, & Rothomagum ab hostibus obsessum defendit. Sed & Northumbriam, de qua potissimum agebatur, receperat. Ideò tot victorias, ut fieri solet, optata pax Anno 1177. excepit (ad quam eodem anno * petendam Henricus Leo Episcopum Halberstadensem sibi infestum coëgerat) Comes Flandrensis Regi Anglorum restituit, quod de jure ejus bellicus ei cessus contulerat, ut Neubrigensis (*a*) ait. Filii & subjecti ad obedientiam patris & domini redierunt. Leceſtrienſis & alii captivi libertate & priori fortunâ donati. Tandem & Scotus libertati restitutus, pacis leges, duras licet, subiit, seque & sua fidei (*b*) Victoris permisit. Sed & cum Gallo ac filiis pacem Henricus sanxit. Cum illo etiam renovata affinitas, altera Ludovici filia Adelâ altero Henrici filio Ricardo Aquitaniæ Comiti desponsatâ. *Quibus actis*, subjicit Neubrigensis (*c*) *optatâ populi pace fruebantur, & rex Anglorum tantorum operum atque successuum titulis clarus nominatus est usque ad fines terræ. Bellum ergò plusquam civile inter patrem & filium cum tanto multorum discrimine gestum, hunc finem accepit.* Inter hæc bella [*d*] Anconitanum, Genuense & Florentinum, insitâ hinc libertatis, vel dominationis vel etiam habendi cupidine instigante, in Italia gesta sunt. Atque hæc sunt antiqua illa bellorum portenta, Cometis aliisque signis cælestibus potiora, Friderici expeditio Italica anno 1174. suscepta, postero, pactis induciis districta & suspensa, anno autem sequenti resumta, victoriam Mediolanensibus & aliis Fœderatis præbuit. Certè *Mediolanenses castris captis* (verba sunt Sigonii [*e*]) *prædam ingentem pepererunt, ac clarissimo cum triumpho in urbem se retulerunt. Victoria omnibus rebus, quibus effusa significari lætitia solet, celebrata.* Mox idem Auctor subjicit: *Hæc Friderici clades finem tandem diuturnis Lombardiæ calamitatibus attulit, ac veræ pacis cum Pontifice, & fœderatis civitatibus componendæ occasionem aperuit.* Tandem pacem inter Imperatorem & Pontificem Romanum perpetuam concluſam, Imperatorem verò Wilhelmo Siciliæ Regi ad 15. annos, Lombardis inducias in sexennium dedisse scribit. Demum anno septuagesimo septimo supra millesimum & centesimum [*f*] Imperatorem Pontifici Max. tùm & S. P. Q. R. conciliatum, Italiam maximâ lætitiâ [*g*] ob partam pacem affectam, & Joannam Henrici Regis Angliæ filiam ad Gulielmum Siciliæ Regem, cui collocata in matrimonium fuerat, adductam esse, annoque sequenti Imperatoris & uxoris ejus Beatricis adventum Genuensibus & Mediolanensibus summam lætitiam attulisse memorat. Inter hæc annus 1175 & 1176. rebus per Christianos contra Saladinum Ægypti tyrannum feliciter gestis & memorabilibus victoriis insignis extitit. Quid verò de illo phœnomeno, quod Boëthius lib. 13. sic describit; Anno 1178. *Sidus immensum, plurimis circum stellis paulò rubicundius fulgentibus, noctem diemque perpetuo in Occidente fixum tenuit*, sentiendum sit, Mathematici judicent. Ego id sine justa auctoritate inter Cometas numerare nolui.

* Bunting. Chronol. ex Crantzio. (*a*) lib. 2. c. 37. (*b*) Neubrig. ibid. Poyld. (*c*) Neubrig. lib. 2. c. 37. p. 206. [*d*] Sigon. ad annum 1172 & seqq. [*e*] ad ann. 1176. p. 331. Vid. Chron. Stederburg. ad 1175. [*f*] Vid. Neubrig. l. 3. c. 2. [*g*] Neubrig. ibid.

CCXLIII. *Anno Christi* 1180. *Alexius Commenus Junior Imperium Orientis est adeptus. Ipsum Andronicus tutor triennio post nefariè occidit, regno ad se translato, & ipse vicissim biennio post Imperium cum vitâ amisit, sublatus ab Isaacio Angelo. Illo tempore Cometa in cælo conspectus est, qui gravissimas has clades portendit, atque ipsum adeò Andronicum expressit. Nam serpentem sinuosum repræsentans nunc progrediebatur, nunc in spiras se colligebat, nunc cum horrore intuentium, quasi inferiores ex alto devoraturus esset, humani sanguinis avidus, vastum rictum aperiebat. Sed cum non ultra diei istius reliquum & sequentem noctem durasset, evanuit.* Eckstormius ex Choniata in Imperio Alexii.

HUnc ipsum Cometen historiæ Eccleſiast. collectores cent. 12. cap. 13. in annum septuagesimum nonum supra undecies centesimum ponunt. Non nego cælestibus signis & portentis Principum busta à divina providentia prænunciari & notari. Sed semper dico nullo necessitatis vel efficientiæ vinculo hæc & alios eventus ac vicissitudines

dines rerum humanarum cum illis jungi: taliumque magnam copiam citra ulla phœnomena dari. Id verum eſſe hoc quoque loco videmus. Invenio enim Anno 1177.* Henricum Leonem ab Ulrico Epiſcopo Halberſtadenſi primùm bello eſſe appetitum, tùm illum Henricum Auſtrium Leonis vitricum fato functum: Mieciſlaum Polonum propter crudelitatem principatu pulſum: Chriſtianum Moguntinum, Italiam vice Cæſaris adminiſtrantem, à Marchione Montiſferratenſi anno 1178. captum. Inter hæc nec Bononienſibus bella [a], nec Florentinis diſſidia, nec Italiæ annonæ caritatis incommoda deerant: ut nec Bataviæ ſua, inundatione marinâ oppreſſæ. Longius hæc ab apparitione ſtellæ crinitæ abfuit. Erant tamen alia tantæ calamitatis portenta. Piè & prudenter & acutè, ut ſolet, Neubrigenſis [b], dum ſic ait: *Oceanus tanquam peccatis hominum irritatus, plus ſolito efferbuit, ruptiſque in Hoilanda* (ſive Hollandia) *repagulis, olim contrà tempeſtivos undarum impetus præparatis, eandem humilem planamque regionem 7. Idus Jan. violentius irrupit.* Anno centeſimo octogeſimo ſupra milleſimum non pauca læta & triſtia evenerunt. Emmanuel enim Imperator Orientis filio ſuo Alexio, Ludovici Regis Galliæ filiam deſpondit: Philippus novus Gallorum Rex nuptias cum Iſabella nepte Philippi Comitis Flandriæ celebravit. Imperator Occidentis Fridericus ille Ænobarbus anno 1181. [c] filiis duobus Henrico & Friderico Moguntiæ gladios accinxit & ſponſas elegit. Inter hæc Alexius ille & ſocerum & patrem intra paucos dies amiſit, ac paulò poſt (Anno ſcilicet 1181. ut Polydorus, Jovius & Funccius, vel 1183. ut Neubrigenſis, Buntingus, Calviſius & alii putant) vitam. Ac ejus quidem caſûs non illud phœnomenon, quod Eckſtormius putat, ſed ambitio Andronici [d], tùm verò odium Græcorum in Latinos & Alexium, qui hos honore proſequebatur, cauſſa eſt. Annus quoque ille 1180. damnatione Henrici Leonis, ejuſque de Halberſtadenſi capto victoriâ [e] eſt nobilitatus. Is etſi jus ſuum contra ſacros & profanos Principes aliquandiu, non tantùm fortiter, ſed & feliciter, ſingulari Bernardi Comitis Lippienſis, [f] copiarum ſuarum Ducis, virtute & fide armis defenderit, tandem tamen potentiæ & invidiæ Cæſaris poſt varios caſus & mutationes rerum ſuccubuit, *potentiſſimus* [g] *haud dubiè omnium Europæ ſecundùm Cæſarem atque Reges, Princeps, ut qui à ſinu penè Hadriatico, ad ſinum Codanum, Oceanumque Germanicum, Bojis, Suevis, Rhetis, Vindelicis, Noricis, Caucis dominabatur.* Hemningeſius in tabulis genealog. Electorem & Ducem Saxoniæ, Bavariæ, Angriæ & Weſtphaliæ, Comitem Holſatiæ, Stormariæ & Wagriæ, Dynaſtam Lubecæ, Brunſuigi & Luneburgi eum vocat. Is verò & Guncelinum [h] primum Comitem Suerinenſem anno 1160. conſtituit. Bojaria Ottoni de Wittelſpach Palatino Rheni [i], Saxonia verò Bernhardo Anhaltino, Arberti illius Urſi filio tunc data, ſolis Ducatibus Brunſuicenſi & Lunæburgenſi poſteritati Henrici relictis. Colonienſis [k] quoque ex hac damnatione Henrici Ducatum Weſtphaliæ & Angriæ, id eſt, bonam Saxoniæ partem, accepit. Ita cadente quercu quivis ligna colligit. Lubeca verò Henrico ut ſe Cæſari dederet [l] jubente, anno 1182. privilegiis aucta, & inſignibus duplicis aquilæ decorata eſt. Idem annus, rebus à Balduino Hieroſolymitano Rege [m] adverſus Saladinum Saracenum feliciter geſtis, Chriſtianæ genti lætus extitit. Adventus quoque Cæſaris Italiam gaudio replevit. Hæc interim bellis civilibus hîc, peſtilentiâ illîc laboravit. Anno tamen 1181. pax Imolenſibus à Bononienſibus data. Hâc à Lombardis cum Friderico Imperatore factâ annus 1183. fuit nobilitatus, ut Sigonius [n] ait. Hæc eſt illa celebris pax Conſtantienſis, ſcholiis Baldi illuſtris, quâ Eccleſiæ & Lombardiæ, totique adeò Italiæ quies domi erat parta, quæ ne foris eſſet conſtans, imminens Chriſtianorum non tantùm in Oriente, ſed & in Occidente rebus Saladini potentia prohibuit. Anno 1184. [o] Wilhelmus ille Brunſuicenſium & Lunæburgenſium progenitor felici ſidere initium vitæ, Alexandria verò illa palearis, Cæſari ſe ſuaque ſubjiciens ab eo nomen & jurium tutelæque beneficia accepit. Eodem anno

* Gerardi Stederb. hiſt. de Henrico Leone initio, & Meibom. ad h. l. [a] Sigon. ad annum 1178 & ſeqq. Vide plura talia in Chron. Stederburg. fine ad 1178 & ſeqq. [b] lib. 3. c. 1. [c] Uſperg. ad 1181. [d] Neubrig. l. 3. c. 4. Egnat. in vita Andronici. [e] Bunting. ad 1180. [f] Stederburg. & Meibom. loc. cit. [g] Avent. Annal. 6. p. 516. [h] Meibom. ad hiſt. Henr. Leonis numero 37. [i] Urſperg. ad 1175. Bunting. ad 1182. Trithem, Chron. Duc. Bavar. & Chron. Hirſaug. ad 1235. [k] Stederburg. hiſt. de Henr. Leone initio, & Meibom. ad h. l. [l] Calviſ. ad 1182. [m] Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1181, pag. 338. [n] lib. 14. de regno Italiæ [o] Meibom. apolog. pro Ottone 4. p. 380, 427.

regio

regio diademate Cæsar filium Henricum Mediolani insignivit, ac juri dicundo reique publicæ præstandæ operam anno 1184. & sequentibus dedit. Inter hæc pax inter fœderatas Italiæ civitates composita *; Constantia Sicula Henrico Regi desponsata. Sed de hac Constantia Sicula monendum vel in transitu est, eam Sigonio, imò & Viterbiensi † & Urspergensi, ‡ magni nominis Scriptoribus, & quidem Henrici & Constantiæ æqualibus, tùm & aliis, Rogerii filiam dici, & sic Wilhelmi senioris ejus filii, qui Mali cognomen à moribus acceperit sororem, Junioris verò, qui paternam infamiam morum probitate aboleverit, amitam statui, & anno 1186. Regi Henrico desponderi. Quod, cum Rogerius anno 1152, [a] vel, ut alii [b] volunt, 1153. Wilhelmus autem Senior 1166. [c] obierint, per rationem temporis fieri non potuisse, Baronius & ex eo Calvisius (sicut Francofurtensis editio habet) indicat. Sororem enim eam Wilhelmi (illius scilicet Junioris [d] & Boni) Senioris, illius Mali, filiam posthumam annos triginta natam fuisse ait. Sed melius in Lipsiensi editione positum erat, Constantiam Rogerii fuisse filiam. Erat autem tunc cum nuberet triginta, vel ut multi volunt 40. & aliquot annos, patre abhinc tricesimo quarto anno mortuo nata, quæ si posthuma Wilhelmi filia fuisset, vix vicesimum annum complesset. Et certè ferè quinquagenaria, [e] vel etiam, ut apud Æmilium Veronensem legimus, quinquagenariâ major, Fridericum 2. ex Henrico Anno 1196. ut Funccius, vel 1193. ut Buntingus & Bucholzerus ex Urspergensi putat, suscepit. Ideò & nimis annosa (f) & penè anus [g] Henrico nupsisse, negantibus id Scriptoribus Germanis [h], & Baronio (i), legitur. Circa ann. 1199. Fridericum quadrimum fuisse Bonfinius (k) rectè secundum illas rationes, quas & Funccius sequitur, scribit. Sed alibi, (l) sui oblitus, Fridericum anno quinquagesimo octavo supra millesimum natum esse ait, ubi etiam matrem ejus Constantiam istam Siculam fuisse rectè ait, quam alibi Aragoniam dixerat. Animadverto errorem & in Jacobo Spiegelio, quem allegat Wolphg. Hungerus annot. in Cuspin. qui Constantiam Rogerii 2. (fuit nempe is (m) Rogerii Roberti Guiscardi fratris filius) filiam, Guilielmi itid. Secundi sororem vocat, quam amitam vocare debuerat. Neubrig (n) Consobrinam vocat. Omnium maximè erravit Cuspinianus, qui Constantiam tunc cum nuberet, in potestate Guilielmi patrui fuisse ait, quod tamen & in Ursperg. invenio, sed causam ignoro. Guilielmus enim ille filius fratris ejus fuit. Cuspinianus (o) adhæc hanc Constantiam bis Rogerii, bis Guilielmi, & quidem Secundi filiam fuisse dicit. Quem etiam errorem in eo Hungerus animadvertit. Sed & aliam difficultatem ex nomine Constantiæ obortam apud Scriptores invenio. Hanc enim Constantiam Bonfinius (p) confundit cum illa Hispana Sanctii 3. (non Ferdinandi Tertii (q) vel Quarti (r) Regis Castellæ, ut quidam putant, quibus temporum ratio (s) & indiculus prolis Ferdinandi reclamat) filia, quæ primùm Emerico regi Hungariæ, deinde Henrico, ut Bonfinius ait (cujus tamen infra Constantiam (t) Gulielmi Siculi filiam Henrico isti despondet) vel Friderico ejus filio, ut Tarapha indicat, nupserit. Bonfinium Henrico Imperatore Constantiam Aragoniam pro Sicula, Emerici Viduam despondentem corrigere volens Dubravii Scholiastes Jordanus, Emerici quidem viduam cum Dubravio, Ritio & Bonfinio Aragoniæ Regis filiam, quæ Legionis & Castellæ Regis filia fuerat, fuisse dicit, iterum tamen eam cum altera Constantia Petri filia, quæ Frederico 2. Anno 1213. ut ex Tarapha & Calvisio (v) colligo, nupserat, confundit. Paulò inferius idem ille Jordanus Premislao Bohemo desponsatam, apud Dubravium Constantiam Belæ Hungari filiam, illam Aragoniam vel potius Castellanam Belæ nurum, Emerici viduam, Friderici 2. uxorem fuisse colligit. Ita igitur hîc non levis error circa Constantiam Castellanam, Siculam & Ara-

* Ursperg. ad 1181. † part. 17. in fine p. 522. ‡ loc. citato. Vid. & Otto de S. Blasio Egnat. in Henr. [a] Funcc. [b] Sigon. ad 1152. [c] Sigon. ad 1166. [d] Polyd. l. 14. p. 245. [e] Vid. Cuspin. in Henr. VI. p. 529. & annot. Wolphg. Hungeri in hoc loco. Jordan. in Dubrav. l. 14. Bunting. Chron. Brunsuic. p. 76, 77. [f] Bonfin. dec. 2. l. 7. p. 300. (g) Cuspin. l. d. (h) Hunger. ibid. Petavius rat. temp. p. 1. l. 8. c. 20. (i) ad ann. 1197. (k) Dec. 2. l. 7. p. 300. (l) Dec. 2. l. 9. p. 335. (m) Petav. l. d. Robertus. Rogerius I. Rogerius II. Will. I. Wilh. II. Constant. Vid. Sigon. ad ann. 1185. (n) lib. 3. c. ult. (o) in Frider. I. p. 327. in Henr. VI. p. 528. & seqq. (p) Dec. 2. l. 7. p. 300. (q) Dubrav. l. 14. p. 115. (r) Blond. l. 8. dec. 2. Paulus Collectius Æmyl. l. 7. Franc. rer. (s) Tarapha in vita Ferd. III. 1217. & IV. 1295. Alfons. à Carthagine anacephal. reg. Hisp. cap. 83. (t) Dec. 2. l. 9. p. 335. (v) Vid. Taraph. in vita Alfonsi 9. & confer cum Calvis. ad 1213. edit. Francof. Cuspin. in Frid. 2. & Hengerus ad h. l.

goniam

goniam occurrit. Petavius (*a*) rectè Conſtantiam Siculam Rogerii primi filiam fuiſſe dicit. Sed ne eam quinquagenarium Henrico Cæſari nupſiſſe, & inſolenti partu Fridericum 2. edidiſſe concedat, Wilhelmum illum Bonum Rogerio, nepotem (*b*) avo, Malo illo præterito, ſubjicit. Dirimit autem litem de Conſtantia Aragonia, dum Fridericum Mariam Aragoniam in uxorem duxiſſe ex Trithemio (*c*) ait. Quod quidem probabile quodammodo videtur. Conſtantiam enim hanc ex pellice natam, & Guillermo Raymundo de Monteada nupſiſſe Tarapha (*d*) prodit. Et ideò fortè Conſtantiam (*e*) Caſtellanam Friderico deſpondet. Neque enim Petro illi Aragonio ullam prolem præter Conſtantiam & Jacobum adſcribit. Sed quid reſpondebimns reliquis auctoribus, qui Fridericum Aragoniam & Conſtantiam quidem duxiſſe affirmant: ita ut inter 6. Friderici uxores nulla Maria apud Cuſpinianum & alios inveniatur. Itaque firmum maneat oportet patri Henrico Conſtantiam Siculam, filio Friderico Conſtantiam Aragoniam nupſiſſe. Illo Conſtantiæ Siculæ cum Henrico connubio, ut ad propoſitum & res Italicas redeam, regnum Siciliæ regno Italiæ junctum eſt, Tancredi Nothi, ut ad Cometam CLXXVIII. diximus, ambitione turbatum. Pacem quoque Cremonenſes à Cæſare inter illa Sponſaliorum Conſtantiæ (*f*) ſolemnia obtinuerunt. Filiam Cæſar Gulielmo Marchioni Montiſferrati deſponſavit. Toti inde Italiæ novum & benignum Henrici regnum, Urbevetanis quoque datâ pace, & Mediolanenſibus adverſus Sabaudam defenſis, lætitiam attulit. Sed (ut ſunt humana proſperis adverſiſque miſta) res in Oriente tàm à Chriſtianis diſcordiâ (*g*) & perfidiâ fractis, quàm contrà Saladinum hoſtem, aſtutiâ & potentiâ anteceſſores ſuos ſuperantem, connitentibus infeliciter geſta, & Jeruſalem, poſtquam paulò infrà 90. annos in Chriſtianorum poteſtate fuiſſet, Anno 1187. (*h*) amiſſa, ingentem, ut par erat, attulit dolorem. Tentarunt quidem mox aliqui Principes Urbis ſanctæ recuperationem, ſed obſtabat vetus malum diſcordia (*i*) & invidia. Non pauca tamen feliciter Philippus Galliæ & Richardus Angliæ, tùm Florentius & Wilhelmus Comites Hollandiæ contra barbaros egerunt, cumprimis verò Imperator Fridericus rem proſperè contrà Turcas Anno 1189. & proximo geſſit. Atque hîc (ſed Stederburgenſi, Trithemio, Funccio & Buntingo 1189. (*k*)) Principi Glorioſiſſimo fuit fatalis, non paucis itidem Principibus illâ tempeſtate morte ſublatis, quibuſdam tamen læta ſolemnia celebrantibus. Bela namque Rex Hungariæ cum Margareta ſorore Philippi Regis Galliæ (*l*) circà annum 1186. Richardus Rex Angliæ cum Adela (*m*) ejuſdem Philippi Sorore, & hâc repudiatâ (*n*) cum Beringera filia Regis Navarræ Anno 1191. ipſe autem Philippus Anno 1193. ut Meibomius (*o*), vel 1194. ut Calviſius putat, cum Canuti Regis Daniæ filia, ut idem Calviſius (*p*), vel ſorore, ut ante, & rectè quidem, Calviſius ipſe (*q*) dixerat (quod & Neubrigenſis (*r*) & Rogerius ab Hoveden (*ſ*) affirmat, & Serres (*t*), qui & Gelbergam, aliis Ingelburgam ſive Ingebergam, aliis Botildam (*v*) poſt Polydorum (*x*) nominat) & mox cum Maria (*y*) filia Ducis Morgiæ Anno 1194. iniit matrimonium. Conſtantia Gaufredi Ducis Britanniæ, relicta vidua Arthuri (*z*) mater, Anno 1187. Bela Rex Hungariæ Emerici, Henricus VI. Imperator * Friderici 1194. vel potius 1193.† (ut Funccii & aliorum opinionem de anno 1196. taceam) &, ut alios multos præteream, Anno 1199. Wilhelmus Rex Scotiæ, ‡ Alexandri pater, feſtivos liberorum natales egerunt. Alii inter hæc triumphos, ut illi paulò ante memorati Turcarum, & alii ſuorum hoſtium victores. Quos recenſere ut longum, ita minus quoque neceſſarium foret, re ipſâ id loquente, & hiſtoriâ rerum nuntiâ, nomina & geſta eorum memoriæ prodente. Taceo inter hæc inducias inter Polonos & Hungaros, tùm inter Flandros & Hannonios Anno 1185. inter Gallos & Flandros 1186. inter Gallos & Anglos 1187.

(*a*) Rat. Temp. p. 1. l. 8. c. 28. (*b*) Vid. Polyd. l. 14. p. 245. (*c*) ad ann. 1213. in Chron. Hirſaug. (*d*) in Alfonſo IX. (*e*) in Sanctio III. (*f*) Sigon. ad ann. 1186. (*g*) Neubrig. l. 3. c. 16 & 17. (*h*) Urſperg. ad hunc annum. Bucholz. Bunt. Calviſ. Meibom. ad hiſt. Stederburg. de Henr. Leone numero 7. (*i*) Neubrig. l. 3. c. 22. Polyd. l. 13. p. 237 & ſeqq. (*k*) Vide Urſperg. & confer cum Stederburg. hiſtor. de Henrico Leone, & Meibom. notat. N°. 22. (*l*) Polyd. l. 13. p. 237. Calviſ. ad ann. 1166. (*m*) Polyd. l. 14. initio. (*n*) Id. ibid. Calviſ. 1191. (*o*) Meibom. ad hiſt. de Henrico Leone N°. 39. (*p*) ad 1200. edit. Francofurt. (*q*) Idem ad 1194. (*r*) lib. 4. c. 24. (*ſ*) Annal. Angl. part. poſt. p. 731. (*t*) in vita Philipp. Auguſt. (*v*) Meibom. apol. pro Ottone 4. p. 363. (*x*) lib. 15. p. 264. (*y*) Serres ibid. Vid. Neubrig. l. d. & c. 30. (*z*) Polyd. l. 13. p. 238. * Calviſ. ad 1194. † Bucholz. ad 1193. Henger. loc. cit. ‡ Buchan. l. 7. pag. 226.

inter Pontificem & Senatum Romanum 1188. inter Saladinum & Richardum Anglum 1192. concluſas. Taceo pacem perpetuam inter Polonos & Hungaros anno 1193. confirmatam, & Ruſſos ac Pruſſos Poloniæ à Caſimiro ſubjectos, aliaque læta, quæ, quibuſdam ſolos triſtes eventus Cometis tribuentibus, eoſque ad multos annos extendentibus, ſatiſfacient. Verbo tamen addam: Conradi Ducis Sueviæ, Comitis Palatini, Viri in Imperio ſummæ poſt Imperatorem amplitudinis, ut Neubrig.* ait, & fratris Friderici Barbaroſſæ, filiam Agnetem (quam Auctor 14. tabb. ſed & Aventinus, quem refutat Meibomius loc. cit. Clementiam vocat) Henricus, Leonis filius, uxorem & unà Electoralem dignitatem accepit. Factum id anno 1194. Meibomius ibid. ex Stadenſi docet. Arnoldus Lubec. l. 4. c. 20. ſupra modum lætas has nuptias, quòd pacem primùm Germaniæ, quàm prolem ullam pepererint, celebrat. Hæc videantur in not. Meibomii N°. 40. ad hiſt. de Henrico Leone, Stederburg. qui etiam hanc publicam lætitiam & utilitatem, quam hoc felix matrimonium attulit, indicat.

* lib. 4. c. 30. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1235.

CCXLIV. *Anno Chriſti* 1200. *Cometa apparuit, quem Cardanus accenſet iis, ex quibus lapilli quidam ſulphurulenti & fœtidi deciderunt.* Keckermannus Syſt. Phyſ. lib. 6. cap. 5.

Anno Chriſti 1200. *Halus Ben Rodoan Arabs, cum juvenis Aſtronomiæ operam daret, vidit Cometam, cujus pars ſolida, triplo major Venere apparuit, & rotundæ figuræ, ejuſque lux, inquit, quantum ſi quarta pars Lunæ luceret, ejus locus in gr. 15. Scorpii, & movebatur motu primi mobilis, ab Oriente in Occidentem, ita ut velocius ferretur contra ſignorum ordinem, donec pervenit ad gr.* 15. *Virginis: ita ipſemet in l. ſecundo quadripartiti cap. 9. & Cardanus ibidem textu* 54. *plures circumſtantias Aſtrologicas hujus Cometis deſcribens ex Haly: ſecuta verò eſt rebellio in Africa, de qua ibidem. Tartarorum imperium tunc exordia ſua iniit.* Ricciolus,

HUjus Cometæ curſui nuperum Cometam in Corvo & Lepore ſupparem curſum tenuiſſe, accuratè * Clariſſimus Abrahamus de Grau Mathemat. Profeſſ. Franequ. deducit. Ex hoc Cometa probare Keckermannus contendit multos Cometas habere ſuas excretiones ſulphureas, atque adeò fumos quoſdam, qui circum undique Cometas ambiant, & per conſequens eos eſſe fumos in aëre incenſos. Facilè ad id reſpondent ii qui Cometas non tantùm æthereos, ſed & aëreos dari docent. Qui illos ſolos, dicent id fieri trajectione Cometarum quorundam per aërem. Bella ſine ullis Cometis eaque graviſſima geri, nec non magna imperia mutari, ſatis patet. Nam ne aliorſum eamus, & longè à Cometa noſtro abeamus, bellum inter Henricum Leonem & hoſtes ejus (quod miſerabile excidium Anno 1189. † urbi antiquiſſimæ Bardevico attulit) tùm inter Gallos & Anglos ‡ Anno 1196. renovatum. Hujus furor, etſi ſæviente in Gallia & Anglia quique annis valida peſte, magis exarſit, & Epiſcopi Belloracenſis *pro baculo paſtorali lanceam, pro mitra galeam, pro albo loricam, & clypeum pro ſtola, ac gladium ferreum pro gladio ſpiritûs*, ut ipſe Pontifex Max. apud Neubrigenſem (*a*) ait, celebri captivitate inclaruit. Paulò poſt ſcilicet in locum nuper (anno ſcilicet 1197.) mortui Henrici VI. Imperatoris electo, à quibuſdam Imperii Proceribus Pontifici Romano adverſantibus, Philippo Suevo Henrici fratre, ab aliis autem Ottone Henrici illius Leonis (qui fuit undecimus hujus nominis in Bojaria, non Henrici illius VI. Imperatoris noviſſimè mortui, ut Alſtedius (*b*) putat) filio, Imperatoris Lotharii ex filia pronepote (*c*) Brunſuicenſi Duce (*d*), cui & Pontificia (*e*) auctoritas favebat, tota Germania multis belli decem annorum calamitatibus (*f*) fuit implicita. Primiſlaus Bohemiæ Princeps, Philippi Imperatoris partes ſecutus, Rex ab eo creatur. Miecillao ambitioſo & promiſſorum parum tenace ex Polonia ejecto, Leſcus reſtituitur. At an-

* Diſput. de Comet. th. 9. § 5. † Meibom. hiſt Bardevici. ‡ Neubrig. l. 5. c. 16. p. 496. Polyd. l. 14. p. 293 & ſeqq.
(*a*) lib. 5. c. 22. p. 515. (*b*) Chronolog. p. 184. (*c*) Avent. Annal. 7. pag. 525. (*d*) Dubrav. lib. 15. initio. Bunting. Chron. Meibom. apolog. (*e*) Sigon. l. 15. p. 357. (*f*) Avent. l. d. p. 526. Meibom. apolog. pro Ottone IV.

nus



n°. 66.
Cometa CCXLIV A.C. 1200 ab Halij Ben Rodoan Ara be obs. à 15° ♏ n 15° ♍ ferri
Libra
Æquator
Virgo
CCXLIIX
A.C. 1214
CCXLVII
Aquarius
CCLXXII
A.C. 1301
CCCXLI A.C. 1492
Capricornus
Piscis
Aquarius
CCLXXIII β. CCLXXXV
A.C. 1337.
CCCXXXIV
A.C. 1472.
Taurus
CCLXXXVIII A.C. 1340
CCLXXXIX
V. CCCLV A.C. 1511



nus quo Cometes luxit, pace inter Philippum Gallum & Joannem Anglum ſancita, & matrimonio inter Ludovicum Regis Galliæ filium & Richardi recens defuncti Regis Angliæ (qui cor Leonis dictus erat) filiam concluſo inclaruit. Ita quidem Calviſius ex Pariſienſi de hoc matrimonio. At Polydorus* & ex eo Jovius† Blancam Alfonſi Octavi Regis Caſtellæ filiam Richardi & Joannis ex ſorore Aleonora neptim vocant. Idem annus nuptiis Wilhelmi Ducis Lunæburgenſis & Inferioris Saxoniæ, qui filius Henrici Leonis Longaſpatha‡ & Wintonienſis dictus, Sereniſſimorum Ducum Brunſuicenſium & Lunæburgenſium conditor fuerat, cum Helena Woldemari Regis Daniæ filia in hac Hamburgenſi urbe celebratis lætus extitit. Ita quidem Henningeſius & Auctor tabul. 14. geneal. Tubingæ impreſſarum. Sed Buntingus (*b*) has, ut & Woldemari Junioris Ducis Sleſuicenſis, qui unà cum fratre Canuto regnum Daniæ alternis rexerunt, cum Maria filia Ottonis IV. ſimul magno cum apparatu in hac urbe celebratus in ann. 1201. refert. At verò Doctiſſimus Meibomius Ottonem nullam reliquiſſe prolem contra Eliam Reuſnerum, & non ſuam, ſed fratris Henrici illius Comitis Palatini filiam Woldemaro deſpondiſſe, ab eo tamen ductam non fuiſſe apolog. pro Ottone 4. Imperatore probat p. 405. Nos tamen non ſine cauſſa lætas nuptias in ann. 1200. retulimus. Poſtero Primiſlaus ille Bohemus, malâ Imperatoris Philippi gratiâ ob repudiatam uxorem initâ, Ottonis partes ita amplexus eſt, ut Ottogarus (*b*), quaſi planè Ottonis dictus fuerit, cujus ideò cauſſa non leviter tunc firmata apparuit, auctoritate Pontificiâ & Angli avunculi potentia electionem ejus legitimam confirmante (*c*).

* lib. 15. pag. 265. † Chron. Reg. Angliæ ad ann. 1200. ‡ Meibom. apolog. pro Ottone 4. & in ejus appendice.
(*a*) Chron. Brunſuic. p. 78 & 84. & in Chronol. ann. 1202, 1203 & ſeqq. (*b*) Dubrav. l. 15. initio. (*c*) Sigon. l. d. & contin. l. 15. ad

CCXLV. *Anno Chriſti* 1202. *Cometa apparuit in Scorpio, ut aſſerit D. Herlicius. Otto IV. Romanus Res Goſlarienſes obſidione premit. Philippus itidem Rex mittit exercitum contra Ottonem: vaſtat Thuringiam, in urbe Erphurdenſi à Landgravio Thuringiæ & Rege Bohemiæ obſeſſus vix evadit.* Eckſtormius ex Meibomio Chron. Brunſuic. parte 1.

HUnc & proximum Cometam ſignum Scorpii, in quo uterque apparuit, conjungit, ſed eventus hunc ſecuti, qui huic non illi anno ſerviunt, hunc ab illo diſjungunt. Utrumque anteceſſit bellum inter Philippum & Ottonem de auguſto diademate exortum, quod incommodis, ut omne bellum, (id etiam illa tempeſtate* Lombardiæ populos in Italia vexabat) non caruit. Otto rem ſtrenuè & proſperè gerens, & jus legitimæ electionis contra Philippum† vitio creatum defendens anno 1203. à Pontificio Legato Auguſtum, ab hoc autem Primiſlaus Bohemus regium diadema inter ſolemnia gaudia accipit. Ideò Alſtedius‡ Ottonem pro legitimo Cæſare, Philippum pro Anticæſare reputat. Eodem anno Gallus Rothomagum, quæ urbs cum Normannia ante annos 327. Gallis à Danis erepta, poſtero autem totam Normaniam, Andes & Pictaviam (hanc donatione libera à Richardo Rege Angliæ avunculo conceſſam (*a*) Otto tunc cum per Legatos ad imperium vocaretur, poſſidebat) ſuæ ditionis, molli Anglo rem negligentius curante, fecit. Inter hæc pax (*b*) inter Mutinenſes & Regienſes compoſita Italiæ inſignem attulit lætitiam. Pariter illa Anno 1203. inter Mediolanenſes, Placentinos & Cremonenſes, tùm etiam Brixianos & Veronenſes, inter hos & Mantuanos, inter Bononienſes & Mutinenſes alioſque Italiæ populos 1203 & 1204. ſancita. Illo quoque anno, quo viſus eſt Cometa, *Otto rex & Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus, cum quibuſdam aliis Proceribus, colloquium habuerunt apud Trajectum juxta Moſam de Republica & diverſis negotiis regni, & inter alia pacem reformaverunt inter Ducem Brabantiæ & Comitem Gelriæ, qui magnis contractis armatorum copiis, non ſine graviſſima pauperum injuria ſeſe ad bellandum jam paraverant*, ut Trithemius

* Sigon. ad ann. 1200 & 1201. † Meibom. apolog. pro Ottone 4. ‡ Loc. cit. (*a*) Meibom. l. cap. p. 334.
(*b*) Sigon. ad annum 1202.

Chron.

Chron. Hirſaug. ad hunc annum notat. Paulò poſt Veneti Piſanis conciliati, & Balduinus Flander auxilio Venetorum rem feliciter contra Alexium, qui fratrem Iſaacium Commenum, à quo ex Turcica captivitate redemtus, anno 1195. oculis & imperio planè impius & ingratus in fratrem privaverat, geſſit. Iſaacium enim cum filio Alexio reſtituit, & his à Duca Alexio tyranno mox ſublatis, Conſtantinopoli & Imperio potitus, *imperium quod tot annos factioſiſſima & turbulentiſſima*, ut Egnatius ait, *Græcorum natio poſſederat, Latino nomini facilè aſſeruit.* Fuit is annus à parta ſalute quartus ſupra bis ſex centeſimum, qui victoriâ Philippi Imperatoris de Bohemo & pace Hermanno Thuringiæ Landgravio datâ, ac Philippi ſecundùm diademate Auguſto decorati lætitiâ, & maximâ rei frumentariæ & vinariæ ubertate celebratur. Sigon. ad ann. 1204. Proximus annus, ut morte Almerici regis Hieroſolymitani, & Balduini novi Imperatoris, ita & partâ à Venetis ex pacto Cretâ, quæ nunc Candia, & omnibus ferè maris Jonii & Ægæi Inſulis, & quibuſdam in Peloponneſo locis celebribus, Leſci Poloni iteratâ electione, ejuſdemque Ruſſicâ victoriâ inſignis extitit. Tunc & Cunigundis, quam pater Philippus initiis imperii firmandis dans operam * Ottoni Wittelſbachio deſponderat, & hoc ob homicidium abdicato ab eo ſive potius ei negarat†, ſeparârat, Wenceſlao ‡ filio Premiſlai Bohemi deſpondet. Paulò ante Ludovicus Bojus Laodamiam Bohemum (*a*), quæ prius Alberto à Bogen nupſerat, fœdere matrimonii ſibi junxerat. Atque his de cauſſis Bohemus tunc cum Philippo in gratiam rediit, Ottonis partes deſerens, nec cognominis Ottogari amplius memor. Hinc ſequenti anno, qui ducenteſimus ſextus à Chriſto Nato ſupra milleſimum fuit, belli inter Gallum & Anglum metus, imò & motus, induciis duorum annorum compoſitus, at poſtero bellum illud decennio ferè inter Philippum & Ottonem acerrimos Imperii æmulos geſtum, deſtinatâ Ottoni in uxorem filiâ Philippi Beatrice, (*b*) & factâ ſucceſſionis à morte ſoceri ſpe, feliciter ſopitum. Hinc mox pax anno 1208. per Germaniam publicata eſt. Nec ſolâ pace, ſed & rerum omnium copiâ (*c*) feliciſſimus iſte annus fuit. Pax illa magnum toti orbi Chriſtiano gaudium peperit. Sed mox non exiguum dolorem caſus Philippi ab Ottone illo Wittelſbachio *(d)* interfecti attulit. Inde Otto ille Brunſuicenſis (*e*) communi conſenſu in Imperatorem electus, Septem Electores, ut multorum fert ſententia (qui hoc beneficii Quarto non Tertio Ottoni deberi, ut ſupra ad Cometam CXCV. diximus, docent, aliis tamen hoc Friderico 2 tribuentibus) tunc inſtituit. Is poſtquam Principes Imperii Bruſuigæ *(f)* honorificè & magnificè excepiſſet, intra annum ſplendidiſſimâ & lætiſſimâ [*g*] expeditione in Italiam factâ, diadema Auguſtum [*h*] & facultatem ducendæ Beatricis cognatæ (erat enim magnæ amitæ ſuæ [*i*] proneptis) à Pontifice Romano obtinet. Cum tamen hæreditatem Mathildis (non Henrici 4. ut Calviſii editio Francof. non Lipſienſis habet; ſed Welphonis illius 6. aliàs 7. viduæ [*k*], nam & Henrico 4. aliis [*l*] 3. uxor Berta fuit, at enim Mathilda illa Pontifici donationem ſub Henrico 4. eoque, licet ejus conſobrina [*m*] & beneficiaria eſſet, præterito, Anno 1077. feciſſe ſcribitur: unde error Trithemii de Mathildis [*n*] Siculæ, Henrici 4. nurûs donatione facilè refellitur) ad ſe tanquam Imperatorem & Welphorum progeniem, gemino, majeſtatis ſcilicet & ſucceſſionis jure pertinentem, & quam prædeceſſores ſui ab uſurpatione Pontificia vindicarint, repeteret [*o*], malam Pontificis gratiam iniit. A quo mox anathemate perculſus, à ſubjectis multis contemni, mox & rejici [*p*] cœpit. Quæ res magnarum calamitatum in Imperio Romano fuit cauſſa. Inter hæc Anno 1210 Joannes Comes Bremenſis regnum Hieroſolymitanum & viduam regis Almerici uxorem accipit. Henricus Imperator Conſtantinopolitanus, erepta à Valachis & aliis recipit. Ferdinandus verò in Hiſpania multa Mauris eripit. Quorum ultra ducenta millia tunc periiſſe Calviſius

* Avent. Ann. 7. p. 525, 527. † Urſperg. p. m. 237. Arnold. l. 7. c. 14. Vid. Meibom. apol. pro Ottone 4. p. 347 & ſeqq. ‡ Dubrav. l. 15. p. 120. (*a*) Avent l. d. (*b*) Sigon. ad ann 1207. (*c*) Sigon. ad ann. 1208. (*d*) Urſperg. & Arnold. loc. cit. Trith. ad 1208. Sigon. ad ann. 1208. Avent. l. d. (*e*) Idem ibid. Meibom. apol. pro Ottone 4. pag. 350. (*f*) Henning. in tab. genealog. p. 118. Meibom. apol. pro Ottone 4. p. 353. [*g*] Otto de S. Blaſio cap. 51. [*h*] Idem ibid. [*i*] Avent. Ann. 7. p. 527. [*k*] Sigon. ad 1088. Annal. Suev. part. 2. l. c. 15. Bonting. Chron. Brunſuic. [*l*] Sigon l. 9. de regno Italiæ. [*m*] Meibom. apol. pro Ottone 4. p. 372. [*n*] Chron. Hirſaug. ad 1210. Vid. Meibom. l. d. p. 367. [*o*] Avent. l. d. Vide de toto hoc negotio apolog. Meibom pro Ottone 4. à p. 367. ad 378. [*p*] Urſperg. ad ann. 1209 & 1210.

cx

ex Mariana ſcribit. Tot documentis hîc non tantùm triſtia, ſed & læta Cometarum apparitionem excipere probatur.

CCXLVI. *Anno Chriſti* 1211. *Cometa in Polonia* 18. *diebus in Majo apparuit, Tartarorum irruptiones prænuncians.* Funccius.

Anno Chriſti 1211. *Cometa immenſæ magnitudinis in Polonia menſe Majo, per* 18. *dies durans, ſupra Daniam, Ruſſiam Poleucos girans, caudamque in occaſum dirigens, conſpectus eſt. Poſt hunc paulò poſt gens Tartarorum ignota multis, de ſubmontibus Indiæ, convenientibus pluribus nationibus, in Septentrione habitantibus, proprio rege prius, David dicto, ut fertur occiſo, ad Polucos (quos alii Gothos vocant) venit. Utraque Sarmatia multis bellis graviter hoc anno afflicta eſt. Poleucii & Ruſſi à Tartaris victi ſunt. Conradus Criſpus, filius Henrici Barbati, Ducis Vratiſlavienſium, in pugna occubuit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1211. *Majo menſe Cometes* 18. *diebus, comâ in Orientem Solem obverſâ, apparuit. Cromerus l.* 7. *de geſtis Polonorum. Poſt hunc Cometam Tartari Sileſios cum Henrico Sancto Duce vicerunt, & occiſis novem modios auricularum abſciderunt.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1211. *Cometes decem & octo diebus menſe Maji, coma in Orientem obverſa apparuit, futurorum malorum, quæ ſtatim Sarmatiam utramque afflixerunt, prodigium. Aliquandiu poſtea tacito quaſi conſenſu pax fuit inter Polonos & Ruſſos.* Cromer. l. 7.

MOx à Tartaris victos Polovucios, campeſtria ad Tanaim & Mæotidem paludem loca habitantes, indeque ut noſtra, inquit, fert opinio, finitimorum Ruſſorum lingua non valdè diverſum à Polonis nomen ſortitos: tùm & Ruſſos ab iiſdem domitos: Leſcum verò Poloniæ Principem ſtudia pacis amplexum eſſe, & in Pomerania ac Maſovia res quietè & feliciter geſſiſſe memorat, non obſcurum viciſſitudinis triſtium & lætorum præbens documentum. Cometen hunc ex Mechovita, vetuſto ſcriptore Polono, qui primus, quod ſciam, ejus auctor eſt, annotat Bucholzerus: tùm Spondanus, Prætorius, & ex his Ricciolus & Keckermannus, Alſtedius, & poſt hos omnes Paſtorius Flor. Polon. c. 12. qui minax plerumque imperiis prodigium, tùm verò haud dubiè Tartaricæ procellæ nuncium Cometen hunc vocat. Tartarorum incurſiones, & atroces hominum cædes ac internecina bella, & Rerumpublicarum converſiones, imò & everſiones, nullis Cometarum, ſed potius vitiorum humanorum portentis præcedentibus contingere, jam notius eſt quàm ut probatione indigeat. Experta id toties & experitur adhuc malo ſuo Polonia, tàm frugibus quàm moribus maximè luxurians, ideòque horum potius * quàm cæleſtium portentorum metu ad temperantiam & æquitatem revocanda. Vidimus bella & ſtrages aliaque mala Cometam iſtum præcedentia, & à proximo longius remota, licet multa ſilentio præterierimus, inter quæ Waldenſium cædes hâc tempeſtate, quòd ſe inveteratis Pontificum ſanctionibus & moribus corruptis † opponerent, exercitas ponere licet. Læta verò etiam hunc ſecuta ſunt. Rex Caſtellanus hoc anno, quo is apparuit, rem feliciter contra Mauros geſſit. Luſitaniæ regis filius Ferdinandus, Joannem Balduini, olim Imperatoris filiam ſibi, & jure dotis Flandriam regno junxit. Poſtero Beatricem illam Otto Imperator uxorem duxit, quæ intra quatuor, ut Annales Suevici ‡ perhibent, vel intra 14. ut alii (*a*) tradunt in thalamo & tumulo (*b*) viſa. Quæ res, ut par erat, tùm & electio æmuli Friderici 2. Pontificiâ auctoritate (*c*) ſuffulti, animum Ottonis graviter affecit, magnarumque turbarum (*d*) in Germania & Italia cauſſam præbuit. Anno ſequenti Fridericus Ottonis æmulus Petri Aragoniæ regis filiam Conſtantiam, de qua ſupra egimus, duxit uxorem. Tunc & Ferdinandus ille Luſitanus Flandriam contra potentiam Galli feliciter defendit: pax tandem inter Ferdinandum & Ducem

* Vid. Neubrig l. 5. c. 6. † Avent. Ann. 7. p. 519. Vid. Urſperg. ad ann. 1211. ‡ part. 2. lib. 12. cap. 18. p. 573.
(*a*) Henning. tab. genealog. Calviſ. ad 1212. Vid. Meibom. apol. pro Ottone 4. p. 402. (*b*) Calviſ. ad 1212.
(*c*) Urſperg. & Trithem. Sigon. ad 1210, 1211. (*d*) Vid. Meibom. apolog.

Lotharingiæ, qui Gallo ſemper ſuppetias tulerat, coaluit. Per hæc tempora res Italica * pacis & belli artibus, non ſine victoriarum laudibus & triumphorum ſolemnibus tractabatur, quæ certè perpetua eſt rerum humanarum, ſi has hîc & illìc ſpectes, ſive adſint ſive abſint ſtellæ crinitæ, conditio.

* Sigonius ad 1211, 1212, 1213.

CCXLVII. & CCXLVIII. *Anno Chriſti* 1214. *Duo Cometæ, aſpectu terribiles, menſe Martio viſi ſunt, quorum alter præcedebat, alter ſequebatur Solem.* Hector Boëtius lib. 13. *Chronicon. Hirſaug. unius meminit, qui pridie Non. Martii apparuerit. Refert. Hiſt. Eccl. Cent.* 13. *cap.* 13. *Hoc anno bellum fuit acerrimum inter Ottonem IV. & Imperatorem Albertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem.* Eckſtormius ex Meibom. Chron. Brunſuic. part. 1.

Anno Chriſti 1214. *duo ſimul Cometæ in Scotia apparuerunt, unus manè præcedens, alter veſpere ſubſequens Solem, quo anno inſignis prudentia & ſanctimonia rex Wilhelmus annorum* 74. *Sterlingi obiit, ut habet Hector Boëtius lib.* 13. *Hiſtoriæ Scotorum.* Ricciolus.

PRoximus annus, ſicut paulò antè innuimus, variis bellorum tumultibus & Principum funeribus, dummodo & Gertrudis Reginæ Hungariæ (quæ mater S. Eliſabethæ fuerat) ob proſtitutam fratri Banebani Præfecti Hungariæ uxorem, matronam tàm formâ quàm pudicitiâ inſignem * & Lucretiæ comparandam, mortem addamus, celebris extitit. Sed & iſte, quo Cometæ iſti conſpecti ſunt, qui etiam aliquot Principum funeribus elatis luctum induit. Tunc enim Alfonſus IX. Henrico I. relicto ſucceſſore, è vita exiit, ut Tarapha & Calviſius ex Mariana affirmat. Iſtum octavum hujus nominis à Polydoro † vocari Funccius notat, & video à Tarapha cognominari Bonum. Ubi monendum occurrit, Alfonſum VIII. cognomento Bonum, Sanctii filium, anno regni Caſtellæ paulo amplius ſupra quinquageſimum tertium, anno 1213. Alfonſum verò IX. itidem Caſtellæ, & poſtea ſimul, mortuo Henrico Legionis (quod Tarapha Ferdinando 3. Alfonſi regis Legionis filio tribuit) regem, anno 1215. mortuum ab Helvico ſtatui. Errorem hîc ſubeſſe, in aperto eſt. Ubi autem ſit & quomodo corrigendus, decernere meum non eſt, ad orbitam properanti. Annus ille, ut duorum Cometarum apparitione, ita & Philippi Galli *(a)* de Ottone Imp. (contra quem injuſtè *(b)* conceptum jam dire à Philippo odium bellum hoc portendit) & Mediolanenſium *(c)* de Cremonenſibus obtentâ victoriâ, tùm fædere Bononienſium cum Faventinis reſtaurato, cum Regienſibus autem adverſus Mutinenſes inſtaurato, tum verò *(d)* & nuptiis Ottonis cum Beatrice, ita lætitia, ſed brevi duraturâ, inſignitus eſt. Quod ſi Cometa tunc mortem Wilhelmi Regis Scotiæ, certe alter ſucceſſionem filii ejus Alexandri, qui *(e)* Buchanano teſte, *turbidis temporibus imperium adeptus, omnia prudentiùs quàm pro ætate compoſuit*, portendiſſe dicendus eſt. Quanquam patri ætas decrepita, utpote ſeptuaginta quatuor annos curarum regni ſepties ſeptem complens, mortem & prænunciavit & attulit.

* Bonfin. dec. 2. l. 7. p. 307. † lib. 15. p. 265. (*a*) Urſperg. ad 1214. Sigonius, Trithem. Bunting. &c. ad eund. (*b*) Meibom. apolog. pro Ottone 4. p. 334, 363. (*c*) Sigon. ad 1214. (*d*) Meibom. ibid. p. 402. (*e*) Rer. Scot. l. 7. in vita Alexandri initio.

CCXLIX. *Anno Chriſti* 1215. *Cometa illuxit menſe Martio, & die* 17 *Martii ſecuta eſt eclipſis Lunæ.* Calviſ.

Anno Chriſti 1215. *illuxit Cometa. Joannes Rex Angliæ raptim colligit exercitum contra Barones ſuos rebelles ad* 40000. *ſed is naufragio periit. Sub hoc ipſum tempus tranſubſtantiatio panis & vini in cana Domini à Lanfranco introducta, approbata, confirmata, decretaque, ſimul infelix expeditio in Paleſtinam.* Berckringer. diſſert. de Cometis.

HIſtoria Eccl. cent. 13. Cometam hunc & Eclipſes in 1216. profert. Cardanus, Eckſtormius & alii plurimum tribuunt efficaciæ Cometis, ſi Eclipſis Solis vel Lunæ





Ysenius Del.

S. Stopend. sculp:

Lunæ concurrat. Quod hîc factum est. Verum & hujus Cometæ apparitionem, non tantùm tristia, sed & læta secuta sunt. Proximis quoquè Cometæ eventus tristes, ad hunc, ut præcurso, res non immeritò referri possunt. Paulò post apparitionem Cometæ Fridericus Imperatoris Aquisgrani augusto diademate, à Legato Pontificio, contrà Ottonem legitimè electum, * & jus suum ac Reipublicæ justè vindicantem, insignitus est. Hoc anno † Fridericus Imperator Ludovico Teispacensi, Ottonis illius Wittelspacensis patrueli Duci Bojorum Ducatum Rhenanum, quem Palas vocant, tribuit. Eodem anno urbem hanc Hamburgensem Fridericus Imperator à Waldemaro Rege Daniæ, postero autem rex ab Imp. variante fortunâ recepit. Idem annus *(a)* publico gaudio, Colonienſibus ad pacem & subjectionem reductis, & inter festivas gratulationes excepto ab eis Friderico celebratur. Adhæc *(b)* Mediolanensibus Ottoni Imp. constantem fidem servantibus, & Placentinis, tùm Venetis victoribus lætus, Papiensibus & Patavinis victis tristis fuit. Tunc quoque Veneti Marchionem Montisferrati ad petendam pacem coëgerunt. Illo quoque anno Cometæ natali Conradus à Lichtenau in Abbatem Urspergensem, ut ipse adnotat, fuit electus. Unde clarè patet alium fuisse auctorem, qui integro amplius seculo priora se vidisse retulit.

* Meibom. apolog. pro Ottone 4. † Calvis. ad hunc annum ex annal. Suev. (a) Trithem. Chron. Hirsaug. ad ann. 1215. (b) Sigon. in Ottone 4. ad annum 1215.

CCL. *Anno Christi* 1217. *in autumno post Solis occasum stella in Australi parte apparuit, paulatim occidentem versus declinans, ex adverso coronæ Ariadnes. Ex ea radius in modum trabis ascendere in cœli medium usque visus est. Et post dies aliquot iterum diminutus, prioris stellæ formam recepit.* Eckstormius ex Hist. Eccl. cent. 13. cap. 13. hæc ex Urspergensi & Schedelio.

PRoximus annus, qui inter hos Cometas effluxit, non tantùm hyeme atrocissimâ & glacie insolita, sed & variis bellis *(a)* & motibus & mortibus aliquot Principum tristis extitit. Anglia enim bello civili ob asperos regis Joannis mores, qui certius Cometâ subjectorum rebellionem *(b)* portendere solent, exorto, arma Gallica accersivit. Et paulò post Regem amisit, studiis Procerum inter Ludovicum Gallum * & Joannis filium impuberem Henricum, illum electum, hunc natum Regem distracta. Verum Henrico, ut legitimo successori, anno quo Cometes luxit, ante ejus tamen apparitionem, Victori Kalendis Juliis diadema cessit, Gallo mox pecuniâ *(c)* acceptâ in patriam redeunte. Inter hæc Henricus Imp. Constantinopolitanus sine hærede, & Innocentius III. Pontifex Rom. mortuus est. Eodem illo, quo stella crinita apparuit, (sed antequam hæc apparuisset Henricus Castellæ Rex *(d)* ex vulnere fortuitò è vivis excessit) anno Hollandi & Frisii memorabili victoriâ de Sarracenis in Lusitania, rogantibus Christianis terras illas incolentibus, obtentâ, & castro Salaciâ expugnato, fessis Christianorum rebus subvenêre. Hic etiam annus *(e)* Fratrum Ordinis Theutonici (qui Cruciferi vocantur) à Conrado Masovio, quòd Pruthenis terras suas infestantibus resistere non posset, invitatorum in Prussiam ingressu celebris evasit. Sequens autem nativitate Rudolphi Comitis Habspurgensis, qui postea Imperium Romanum magnâ cum nominis sui gloriâ tenuit, & Sereniſſimæ ac omnium Europæarum Clarissimæ Domûs Austriacæ, tot imperia & regna possidenti, maximè felix conditor extitit. Eodem die *(f)*, qui septimus supra vicesimum Aprilis fuit, Otto Imp. mortuus Brunsvigæ putatur. Sed alii *(g)* 15. alii 19. Maji diem morti ejus assignant. Quicquid de die sit, satis hîc quoquè patet Cometis non tantùm obitus, sed & natales Principum succedere. Eodem anno *(h)* bellum inter Mediolanenses & Parmenses pace compositum. Hi etiam fœdus cum Regiensibus juxerunt. Tùm & inter Faventinos & Forojulienses pactæ induciæ. Anno decimo nono supra undecies centesimum Henricus 3.

(a) Sigon. Trith. Bunting. & alii ad ann. 1216. (b) Polyd. l. 15. p. 276. * Idem l. 16. initio. (c) Idem l. d. p. 291. (d) Tarapha in Henr. Calvis. ad ann. 1217. (e) Liber Ord. Pruss. Chytr. Funcc. (f) Sigon. ad 1218. Bucholz. ad 1218. Henningesius, El. Reusn. & alii. (g) Calvis. ad 1218. Albert. Stadensis apud Meibom. apolog. pro Ottone 4. p. 395. (h) Sigon. l. d.

Rex Angliæ, datâ in matrimonium Joannâ sorore regi Scotorum Alexandro (*i*), & hujus sorore in matrimonium collocata, firmam & fidam pacem cum eo inivit. Eodem anno (*k*) bellum quidem inter Faventinos & Imolenses erupit, sed mox pace lætâ compositum est. Hanc & Pistorienses cum Bononiensibus tunc inivêre. Hi etiam cum Regiensibus societatem restaurârunt. Sed & Imperator à Pontifice Romano consecratus (*l*) pacem cum eo sanxit, (parùm tamen, ut eventus docuit, firmam) & paulò post res in Sicilia & Apulia feliciter composuit. Henricus itidem Rex Angliæ optatâ pace potitus, anno 1220. (*m*) iterum consecratus est. In Oriente Damiata (*n*) (quæ olim Heliopolis dicta) urbe Ægypti clarissimâ, Christiani potiti sunt.

(*i*) Buchan. in vita Alex. p. 229. (*k*) Sigon. ad 1219. (*l*) Trith. & Calvis. ad ann. 1219. sed Ursperg. ad 1220. ita & Sigonius, Funcc. Bunting. Bucholz. (*m*) Polyd. l. 16. p. 293. (*n*) Ursperg. ad 1220. Bonfin. dec. 2. l. 8. p. 307. Polyd. l. 16. p. 292.

CCLI. *Anno Christi* 1219. *In Angliâ Cometes apparuit immensæ magnitudinis. Secuti sunt imbres continui, vehementissimi ventorum flatus, mare solito latius evagatum est.* Eckstormius ex Polyd. Virg. lib. 16.

IN eundem annum Cometam Historia Eccl. cent. 13. c. 13. ponit. Sed corrigendus primum hîc iste error est. Polydorus enim Cometam hunc in annum 1221. profert, quo scilicet Damiata tyranno Ægyptio, factâ pace & captivorum permutatione, reddita est. Moneo tamen Damiatæ redditionem à Sabellico, Sigonio & Calvisio edit. Lipsiens. (qui urbem anno 1219. captam triennio à Christianis possessam statuunt, cùm Calvisius in edit. Francofurt. ad 1220. vix octo mensibus in *manibus Christianorum eam fuisse dicat*) in annum 1222. à Funccio in ann. 1223. at à Calvisio edit. Francof. in ann. 1220. à Trithemio, Bonfinio & Petavio in 1221. poni. Aventinus, sed & Urspergensis, qui hæc circa ann. 1222. gesta tradit, tempus non determinat. Ut autem præteream hîc natales Bonaventuræ, qui Doctor Seraphicus, & Thomæ, qui Angelicus, & uterque sanctus appellatus est (licet talia quoque ad Cometas quidam referre soleant) commemorationem hîc merentur Ludovici Landgravii Hassiæ cum Elisabetha Andreæ Regis Hungariæ filia nuptiæ, quæ Princeps variis exercita* adversis patientiam probavit Deo, & inter Sanctos referri meruit. Inter hæc Fridericus Imperator rem prosperè contrà rebelles, tùm & hostes Saracenos in Apulia & Sicilia Anno 1221. gessit, aliaque per hæc tempora belli pacisque artibus peracta ‡ in historiarum monumentis invenire licet.

* Bonfin. dec. 2. l. 7. pag. 311 & seqq. Sabell. Enn. 9. l. 6. p. 386 & 387. Bucholz. ad 1231. ‡ Ursperg. Trithem. & Sigon. ad 1220 & 1221.

CCLII. & CCLIII. *Anno Christi* 1222. *Variis prodigiis insignis annus fuit: Stella crinita visa: Luna defectionem memorabilem passa, &c.* Sigonius.

Anno Christi 1222. *Alium Cometam ab Islandis nostris annotatum, ab authoribus exteris verò neglectum, addimus; cujus Cometæ ex Annalibus Islandicis* 1215. *mentionem fecit Consultissimus Vir, Affinis & amicus dilectissimus Petrus Resenius, in Edda Islandorum his verbis: Anno* 1222. *Sol sanguineum repræsentavit colorem, & visus est Cometa, quartaque ignis evomitio montis Heclæ facta est, qualis prima fuit Anno* 1104. *qua visus est sanguis è pane emanare.* Erasmus Bartholinus Comment. de Cometis 1664 & 1665.

Anno Christi 1223. *Cometa visus terribilis per totam Franciam apparuit. Post hunc Waldemarus Daniæ Rex ab Henrico Comite Suerini per insidias captus est. Damiata militum oscitantia denuò amissa est. Ordo fratrum minorum per Pontificem, Honorium dictum, institutus & confirmatus est.* Rockenbachius.

Anno Christi 1223. *Cometa in Occidente visus est.* Hist. Eccl. cent. 13. cap. 13. ex Guagnino. *Hoc anno die* 14. *Julii obiit Philippus Rex Franciæ.* Eckstormius ex Onuphrio.

Anno

Anno Chriſti 1223. *Cometa fulſit in Gallia. Friderico II. Imperatori non benè convenit cum Papa. Guelfi ſequuntur Papam, Gibellini ſtant à partibus Cæſaris.* Alſtedius.

CUm aliquot annorum diſcrimen ſit inter auctores de recepta à barbaris Damiata, Cometam hîc unum in diverſos annos poſitum eſſe primò arbitrabar. Poſtea tamen ex geſtis utriuſque anni, quæ Trithemius, Sigonius, Calviſius, Eckſtormius & alii annotarunt, præcipuè verò ex defectu Lunæ & terræ motu, & caſu Brixienſium à Sigonio, Calviſio (edit. Francofurt.) & Eckſtormio in hiſt. eclipſ. Lun. tùm & Trithemio annotato, duos fuiſſe diſtinctos Cometas colligo. An verò hæc quæ eis adſcripta ſunt, ſaltim omnia, eos ſecuta fuerint, & annon quædam anteceſſerint, licet eodem anno evenerint, tempore apparitionis & durationis Cometarum ab Auctoribus non annotato, nobis non conſtat. Dubitationi tamen locus relinquitur. Verum etſi omnia iſta Cometarum apparitionem fuerint ſecuta, ſatis rectè talia & ante apparitionem talium φαινομένων contingere novimus. Imò verò & his contraria, læta ſcilicet eandem excipere. Hoc ita ſe habere hîc quoque loci videmus. Annus enim viceſimus tertius ſupra duodecies centeſimum aliquot nuptiarum ſolemnia læta vidit. Joannes Brennes Hieroſolymitanus, Rex Berengarium, Alfonſi Noni & Boni * filiam, Henrici I. ſororem Alfonſi Legionis Regis relictam viduam, Fridericus Imperator Joannis filiam Jolam (aliàs Jolantam) cum regni Hieroſolymitani jure, quod dehinc † Siciliæ regno adjunctum eſt, filius verò ejus Henricus rex Romanorum ‡ Agnetem, Leopoldi Ducis Auſtriæ filiam (hanc Bonfinius *(a)* Margaritam vocat) in uxorem accepit. Has tamen nuptias Trithemius & Calviſius, at Sigonius paternas, in annum 1225. refert. Tunc quoque, notante Funccio, Vladiſlaus Poloniæ Princeps fœdere nuptiali filiam ſibi Suentopelci Pomeraniæ præfecti junxit, qui ſe à fide Leſci Poloniæ & Pomeraniæ tunc imperantis, ipſamque Pomeraniam à Polonia avulſit. Hermannus verò de Sultza, Ordinis Teutonici Magiſter, primus Sacræ Domûs vexilla in Pruſſiam hoc anno victor traduxit. Anno poſterò Fridericus Imperator cum Ludovico 8. Rege Galliæ Philippi ſucceſſore fœdus ſanxit *(b)*, fraternâ ſocietate inter Germanos & Gallos renovatâ. In Anglia diſſidio inter Regem & Proceres ſublato res quietæ extiterunt. Ferdinandus rex Caſtellæ contra Mauros hoc & ſequenti anno rem proſperè geſſit: Ludovicus verò contra Anglos, receptâ Rupellâ, & ita Anglis totâ Galliâ pulſis. Inter hæc, memorante Sigonio, Anno 1222. pax inter Bononienſes, Faventinos & Imolenſes firmata, Mediolanenſi civitate domeſtico diſſidio diviſâ. Tunc Fridericus Imperator filium Henricum Regem Romanorum creavit, & diademate inſigniri juſſit. Sequenti triennio res in Gallia & Italia belli & pacis artibus geſta. Anno 1222. Pontifex Romanus Jolantam, Friderici Imperatoris conjugem, auguſto diademate inſignivit: quo etiam pax inter Imperatorem & Pontificem Romanum ſancita, totum orbem Chriſtianum mirificè exhilaravit. Pariter & expeditiò in Palæſtinam à Chriſtianis Anno 1227. *(c)* ſuſcepta. Inter læta hîc ponere licet natalem anno proximo *(d)* Conradi Regis Siciliæ, & ſimul Hieroſolymitani primi ex Jole ſive Jolanta (quem Petavius *(e)* invitis, quod ſciam, pleriſque *(f)* auctoribus, Trithemium & fortè Blondum & Paulum Æmylium ſecutus, ex Maria Aragonia, cum Conſtantiam *(g)* Aragoniam duxerit, & Henricum ex ea ſuſceperit, natum Friderico eſſe ait) quam non Jolen, ſed ejus filiam Bonfinius *(h)* vocat. Illo autem anno 1227. nuptias Ottonis Ducis Bojariæ cum Agnete *(i)*, quam alii *(k)* Gertrudin vocant, contractas video. Sponſus Ludovici illius Teiſpacenſis Ducis Bojariæ filius, Comes Schirenſis & Wittelſpacenſis, Caroli M. ſanguis, *(l)* Sponſa Henrici Guelphi (quem Henrici Leonis filium & Electorem Palatinum ſupra vidimus) filia fuit. Ita Comitum Palatinorum & Ducum Bojariæ familiam, Sereniſſimam & inter omnes Germanicas numero-

* Taraphain Alfonſo IX. & Henr. I. † Sabell. Enn. 9. l. 6. p. 386. Bonfin. dec. 2. l. 7. p. 311. ‡ Urſperg. Cuſpin. Trithem. & Calviſ. ad 1225. *(a)* Dec. 2. l. 8. p. 329. *(b)* Æmyl. l. 7. Bunting. ad 1224. *(c)* Urſperg. Trithem. & alii ad 1227. *(d)* Calviſ. ad 1228. & Annal. Suev. *(e)* Rat. Temp. p. 1. l. 9. c. 1. *(f)* Urſperg. Avent. Cuſpin. Calviſ. *(g)* Meibom. Erect. Duc. Brunſuic. initio Petav. ibid. *(h)* Dec. 2. l. 7. p. 311. *(i)* Avent. Annal. 7. p. 529, 530. Meibom. Erect. Duc. Brunſuic. *(k)* Trithem. in Chron. Hirſaug. paſſim, & in Chron. Duc. Bavar. Bunting. geneal. Duc. Brunſuic. *(l)* Trithem. Chron. Duc. Bavar. p. 101 & ſeqq.

sissimam tàm feliciter, non tantùm in universo Imperio, sed & in Suecia radicatam, ex hac Guelpha Brunsuicensi & Lunæburgensi prodiisse invenimus. Pariter ex sorore ejus Irmengarda* (quæ Trithemio † Adelheidis, Buntingo ‡ Hedvigis, Meibomio (a) Gertrudis) Hermanno Badensi Marchioni primo, Hermanno Duce Zeringensi, Marchione Veronensi & Bertha Lotharinga orto, desponsatâ, Serenissimam familiam Badensem (b) & Durlacensem (c) propagatam adhuc videmus. Certè & Helena, Buntingo Mechtildis, filia Ottonis, illius qui Puer sive Parvus dictus, ac primus (d) Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis creatus fuit, non autem Imperatoris (e), ut Buntingus (f), & ille anonymus 14. tabul. auctor, sed & Elias Reusnerus putat, Alberto 1. illius Ursi Nepoti, Bernardi (qui avo Helenæ Henrico Leoni in Electoratu Saxoniæ successerat, & Serenissimorum Electorum Saxoniæ, uti frater ejus Otto I. Brandenburgensium & Ducum Lauenburgensium progenitor fuerat) filio desponsata, in septem Serenissimis Electoribus Saxoniæ usque ad abnepotem Albertum VI. tùm verò & Ducibus Saxoniæ utriusque vivit. Ut autem, quæ licet tempore paulùm dissita, argumenti tamen & officii mei ratione conjuncta sunt, uno velut obtutu exhibeam: Ottonis 4. ex filio fratris Ottone (g) illo Puero neptes duæ, Adelheida, quæ Henrico Hassiæ Landgravio primo, & Mechtilda, quæ Henrico Seniori Anhaltino Principi primo nupsêre, in lætissimam, ut videmus, posteritatem propagatæ sunt. Et ut harum sorores Agnetem, quæ Wenceslao Principi Rugiæ, & Elisabetam (h), quæ Wilhelmo Comiti Hollandiæ Regi Romanorum nupserant, taceam, clarissimè ex dictis patet, potiorem Principum Imperii partem in cognato Serenissimorum Ducum Brunsuicensium & Lunæburgensium sanguine originem suam agnoscere. Tanto verò magis cum, quod hîc meritò dicendum est, constet, non tantùm Serenissimorum Electorum Brandenburgensium originem, cum Guelphis & Serenissimis Ducibus Brunsuicensibus & Lunæburgensibus eandem (i), Majorum respectu, esse, sed &, si maternum genus spectes, eandem pariter convenire. Uxor enim Friderici, cognomento cum ferreis dentibus, Electoris 2. Catharina, Fridericô Bellicosô hujus nominis primô, & primô ex Misnensi familia Anno 1424. creato Saxoniæ Electore (cujus etiam, ut & Capetivinorum (k), in Galliis adhuc feliciter regnantium, origo communiter ad Wittikindum illum Saxonem refertur) & Catharinâ Henrici Ducis Brunsuicensis filiâ, nata, tùm Alberti Electoris 3. qui Achilles & Ulysses Germaniæ dictus est, uxores, altera Margareta Badensis, altera Anna Saxonica, utraque genus maternum ad sanguinem Brunsuicensem referens, totam Serenissimam Brandenburgensem familiam effuderunt. Sed in viam. Verbum addimus. Eodem illo 1227. anno Fridericus Imperator expeditionem in Palæstinam susceperat, quam tamen ob adversam valetudinem non perfecerat. Hinc fulmine injustarum (l) dirarum Pontificiarum ictus, socerum quoque (m) Brennem sublatâ in partu Conradi Jolantâ (quam, non Mariam Aragoniam Conradi matrem apud (n) Petavium intelligendam esse firmiter credo) velut rupto amoris vinculo, habuit sibi infestum. His tamen difficultatibus parem opponens virtutem cum felicitate junctam, Anno 1229. (o) Jerusalem & omnia à Saladino erepta, glorioſus & lætus firmatâ pace recepit, qui annus natali (p) Ludovici 2. Bojorum Ducis inclaruit.

* Auctor 14. tabul. genealog † Chron. Duc. Bavar. pag. 110. ‡ Chron. Brunsuic. 1. part. & geneal. Duc. Brunsuic. (a) Erect. Duc. Brunsuic. p. 499. (b) Auctor 14. tabul. geneal. Brunsuic. (c) Vid. eundem in tabulam genealog. Badensis. (d) Meibom. Erect. Duc. Brunsuic. (e) Meibom. apolog. pro Ottone 4. p. 405. Henningef. tab. geneal. Brunsuic. (f) Chron. 1. part. sed NB. non in genealog. Ducum Brunsuic. Chronicorum 4. parti & Chronolog. addita. (g) Henningef. tabul. Duc. Brunsuic. & Auctor 14. tab. (h) Iidem & Buntingus Chronol. ad 1251. ex Chron. Saxon. & Crantzio. (i) Auctor 14. tabul. in tab. Elector. & Marchim. Brandenb. (k) Serres in Odone. Petav. Rat. Temp. p. 1. l. 8. c. 14. (corr. 19.) Alsted. Chronol. p. 233; Helvic. in Hugone. (l) Ursperg. ad 1227. Vide Sigon. & Trithem. ad eundem annum. (m) Sigon. ad 1228. (n) Rat. Temp. 1. part. l. 9. c. 1. Conf. Trithem. Chron. Hirsaug. ad 1213. Ursperg. ad 1220. Paralip. ad 1222, 1225 & 1228. Calipin. in Frider. II. (o) Ursperg. Chron. fine Avent. Annal. 7. p. 531. (p) Idem ibid. p. 556.

CCLIV. *Anno Domini* 1230. *Cometes visus & alia quædam fortuita plerisque in locis repræsentata fuerunt, inter quæ Mesconis Principis in Polonia miserabilis interitus memorabatur; à muribus namque soricibusque nullâ vi humana, sed neque fluminibus atque aquis*

aquis ad resistendum sufficientibus, miserè arrosus & absumptus est. In Bojemia autem terræ motus fuit, qui rarissimè apud Bojemos apparere solet. Sed tunc Premyslao apprimè salutaris apparuit, ut qui animum ejus ex negligentia religionis torpentem jacentemque, ita motu suo vegetavit erexitque, ut multò quàm prius motu majore, templa, cultumque Dei celebraverit.* Dubravius l. 15. p. 124.

NEc Historia Ecclesiastica, nec ullus Auctorum, quos habeo, Cometam hunc adnotant. Ego tamen mox has Dubravii rationes & natalem Cometæ confirmabo. Ingenue & prudenter Dubravius de hoc Cometa judicat. Fortuita tamen ista, quæ sueto naturæ cursu eveniunt, dicenda sunt, ita ut divina providentia inviolata maneat. Cometas verò eatenus quoque salutares esse, quòd Viros Principes officii admoneant, & à diverticulo vitiorum in viam virtutis revocent, res ipsa docet. Premislaum tunc temporis operibus pietatis perfunctum, & adventu filiarum inter hæc plurimùm exhilaratum fuisse, Dubravius addit. Sed quæ de Mesconis sive Miecislai Principis in Polonia morte subjicit, veritati non conveniunt. Nisi de Miescone, ut Funccius, (*a*) sive Mieslao ut Jordanus, & ut ego libris defectus conjicio, Miecislao Conradi Masoviæ Ducis fratre, vel alio aliquo ejus nominis Viro Illustri, illis in oris degente, id intelligatur: quâ de re supra ad Cometam CLXIX. & CXC. egimus. Hîc verò meritò addimus illud Buchanani, (*b*) cordati & egregii Scriptoris dictum, quo miserum Joannis Cameroni Glascuæ, Episcopi crudelis & avari, exitum describens, rem in medio relinquit: *Hoc*, inquit, *tam perspicuum divinæ ultionis exemplum, ut neque temerè affirmare, nec refellere est animus: ita cum ab aliis sit proditum, & constanti rumore pervulgatum, omittere visum non est.* Cometam hunc isti anno convenire inundatio illa Frisia docet. Non equidem ignoro Calvisium (ut editio Francof. habet, Lipsiensis enim ejus non meminit) eam in ann. 1219. referre. Sed gesta Friderici 2. in Italia, mors Leopoldi 7. Ducis Austriæ Anno 1230. ut Trithemius & Cuspinianus, tùm & Calvisius habet, & illius Mesconis, quocunque genere fati exstincti, tum vicina Innocentii 4. Pontificis Romani tempora, cuncta in unam, quod dicitur, lancem, à Dubravio conjecta, hîc non illîc Cometam ponendum esse docent. Certè & illam inundationem Frisiam Alstedius (*c*) anno 1230. evenisse prodit. Nec falsa fides videtur. Nam & Sigonius hoc anno pluvias continuas fluvios inflasse, ut Lombardia tota ab inundatione fuerit magno cum damno infestata, scriptum reliquit. Sed ut de eventis Cometæ apparitionem secutis aliquid dicamus, proximus qui eam præcessit annus suis quoque non caruit malis. Italiam enim, revocatis Guelforum & Gibellinorum certaminibus & armis civilibus, miserè laceratam Sigonius (*d*) refert, nec patriæ suæ urbis Bononiensis calamitatis oblitus. At anno postero (*e*) Imperatorem inducias primùm, mox pacem à Pontifice Romano (fuit is tunc Gregorius ejus nominis IX.) obtinuisse, sacris diris exemtum, & liberali ac læto convivio Pontificio adhibitum testatur. Lætos tunc omnes non tantùm saliarem in modum triduo epulantes, sed & ubertatem pacis *silente*, ut Trithemius (*f*) ait, *à tumultu bellorum terrâ*, gavisos fuisse, nemo non videt, & Auctores (*g*) memorant. Mediolanensium tamen ferocia, quominus illa pax & lætitia plena foret, impediit. Sed & postero anno Bononiæ & alibi tumultuatum, & fœdus contra Imperatorem sancitum. Inter hæc Gregorius Imperatori conciliatus, unà cum eo paci reducendæ operam dedit. Ideò Imperator læta spectacula populo Ravennati edidit. Neque tamen hac ratione Lombardos rebellioni assuetos ad officium revocare potuit. Alibi quoque pacem Anno 1230. & paulò post compositam fuisse Trithemius (*h*) adnotat. Sequentes anni sua incommoda & commoda, ut sunt semper humana, enumerant. Ibi locustas edaces, sævam procellam aëris & belli, & ejus pedissequam penuriam (*i*): hic concordiam, pacem (*k*) ubertatem ac meliorem rerum faciem restitutam. Hanc certè Bononiæ, Petavii, Veronæ,

* Confer de Anglis Polyd. hist. l. 16. p. 294, 308. Camden. 2. part. hist. Elisab. ad 1580. p. 314.

(*a*) ad ann. 1237. (*b*) lib. 11. p. 370. (*c*) Chronol. p. 306. (*d*) ad ann. 1230 & seqq. Ursperg. ad 1229. Chron. fine. Paralip. ejus ad 1230, 1238. (*e*) Vid. & Paralip. & Trithem. ad 1230. (*f*) Chron. Hirsaug. ad 1230. (*g*) Avent. Annal. 7. p. 532. (*h*) Chron. Hirsaug. ad 1230 & 1532. (*i*) Sigon. ad 1234. Polyd. l. 16. p. 301. (*k*) Trithem. l. d.

Mantuæ,

Mantuæ, Mutinæ & alibi, ac lætitiam populorum ubique tripudiantem Sigonius anno triceſimo tertio ſupra MCC. Trithemius * verò pariter lætum pace annum triceſimum quintum ſupra duodecies centeſimum monſtrat. Triceſimo quarto autem inter hyemis ſolito aſperioris [a], rerum inopiæ, peſtis aliaque prodigia, *omnium truculentiſſimum illud fuiſſe* ait, *quod populi pacem, quam priore anno rigantibus ora lachrymis in nomine Jeſu Chriſti jurârant, fermè omnes uno tempore cruentandis mutua cæde manibus violârint.* Mox tamen [b] & Cremonenſes, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes & Papienſes, Imperatori fidem ſervantes, proſperâ contra Mediolanenſes rebelles fortunâ uſi ſunt. Ideò & pax è veſtigio ſecuta. Quam & altera inter Patavinos & Tarviſinos arbitrio Venetorum, tùm inter Brixianos, Mantuanos & Veronenſes, inter Pontificem & S. P. Q. R. facta, aſſecuta. Anno quoque triceſimo quinto ſupra MCC. res belli & pacis artibus geſta, & viciſſitudo adverſorum lætorumque cernitur. Inter illa Henrici Cæſaris, illâ Aragoniâ Mariâ vel potius Conſtantiâ geniti, adverſus patrem Fridericum rebellionem [c], meditatum parricidii ſcelus, belli Lombardici molitionem [d] ponas. Inter hæc impii filii coërctionem, patris liberationem, tùm & cum [e] Iſabella (quæ contra tot teſtes Trithemio [f] & Cuſpiniano Mechtildis) Henrici Regis Angliæ ſorore nuptias, alterius filii Conradi [g] (ex Jolanta, ut Trithemius Chron. Hirſaug. ad 1237. indicare, cum contrarium apertè ad 1213. dixiſſet, videtur & alii, non ex Aragonia illa, ut Petavius [h] Trithemium allegans, eidemque ſimul fortè, aliis certò contradicens ait, ſuſcepit, quem Trithem. [i] Jordanum omnibus, quod ſciam, invitis, vocat) inaugurationem, fœderis cum Pontifice uniticonfirmationem, belli Lombardici amolitionem meritò numeres. Nuptiis illis auguſtis Regias addere par eſt: Ludovici ſcilicet IX. in album S.S. relati, Galliæ Regis, [k] cum Margarita, Anno 1234 & Anno 1236. ineunte [l], Henrici Regis Angliæ cum Aleonora Raimundi Comitis Provinciæ [m] filiabus, tùm ſequenti ſororis Henrici Aleonoræ [n] cum Simone Montefortenſi Duce ſtrenuo. Inter hæc Anno 1230. quo Cometes apparuit Alfonſus Legionis Rex contrà Mauros rem proſperè geſſit. Mox, ſi Calviſium ſequamur, filius Ferdinandus ille tertius à morte patris, &, ut Taraphæ auſpicia ejus ad ann. 1217. referens ait, fratris Henrici morte, utrumque regnum Legionis & Caſtellæ conjunxit, qui pariter Mauros vicit, & ab omnibus Hiſpaniæ ſinibus [o] exegit, præter Granatæ regem, quem ſibi fecit ſtipendiarium. Sed & Aragoniæ regi hic annus contra Saracenos, Inſulâ Majoricâ recuperatâ, notante Trithemio [p], felix & lætus extitit, Taraphâ in Henrico I. id in proximum annum referente. Annus 1231. induciis quinque annorum inter Reges Galliæ & Angliæ [q] pactis, ſed & morte Ludovici Boi & S. Eliſabethæ (nam natales Principum, nullus Auctorum quos viderim, hîc adnotavit, niſi tamen Culmiæ Thorunii [r] & Elbingæ primariarum Pruſſiæ civitatum natales, qui in hos annos inciderunt, in cenſum referamus) celebris fuit. Anno 1232. pax [ſ] inter Moguntinum & Heſſum compoſita, & vinum crevit optimum. Poſtero [t] belli incommoda Bojaria furore Henrici Cæſaris, pacis commoda Vormatia ejuſdem Henrici benignitate ſenſit. Sequenti, qui 1234. fuit, Proceres Angli [v] Regi ſuo conciliati. Proximo Anno 1235. *omnibus ferè Principibus regni Teutonici convenientibus, pax juratur, vetera jura ſtabiliuntur, nova ſtatuuntur*, ut Godefridus Monachus ait. In eodem auguſto conventu, ad Moguntiam habito, *generoſiſſimi*, Suevici ſcilicet & Saxonici tot Cæſarum & Regum domi forisque nobiliſſimi *ſanguinis*, ut Meibomii [x] verbis utar, *Princeps Otto*, Henrici Superbi pronepos, Leonis Nepos, Wilhelmi filius, *ſatis ſuperque hactenus ſiniſtrâ fortunâ uſus, tranquillitati tandem & quieti redditus.* Tot enim Principum favore Imperatori conciliatus, ab eo Ducis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis dignitatem, Electoris Saxoniæ

* Chron. Hirſaug. ad 1233 & 35. [a] Avent. Annal. 7. p. 534. [b] Sigon. ibid. [c] Sigon. ibid. Trithem. ad 1234. [d] Sigon. ad 1235. Sabell. Enn. 9. l. 6. p. 388. [e] Pariſ. Georg. Lillius. Sigon. ad 1235. Polyd. l. 16. p. 302. Jovius Chron. Angl. p. 163. Bunting. & Calviſ. ad 1235. [f] Chron. Hirſaug. ad ann. 1213. [g] Sigon. & Avent. l. d. [h] Rat. Temp. p. 1. l. 9. c. 1. [i] Chron. Hirſ. ad 1213. [k] Func. ad 1234. [l] Polyd. & Jovius ibid. [m] Trithem. ad ann. 1235. Serres in Ludov. IX. Bunting. & Calviſ. ad 1235. [n] Polyd. l. d. p. 303. Jovius ibid. [o] Tarapha in Ferdinando III. [p] Chron. Hirſaug. [q] Polyd. lib. 17. l. 16. p. 299. [r] Funcc. Bucholz. [ſ] Trithem. ad 1232. [t] Trith. ad 1233. [v] Polyd. & Jovius ad 1234. [y] Erect. Duc. Brunſuic. ſub fine.

titulo

titulo in familiam, ut diximus, cognatam Anhaltinorum tranſlato, primus obtinuit. Maximum omnium ob redintegratam concordiam fidam, quale intra quadraginta quinque, notante ibid. Meibomio, in Germania non fuit, gaudium ad feſtivas gratulationes invitabat. Invitavit verò tunc & Imperator Principes, qui LXX. aderant, ad epulas: *quæ propter nimiam populi multitudinem extrà civitatem in loco campeſtri magnis ſumptibus fuerant præparatæ, ipſo Imperatore cum omnibus lætante, quòd Romanum Imperium in creatione novi Ducis auxiſſet*, ut Trithemius * ait. Qui & annum proximum maximâ vini abundantiâ lætum fuiſſe memorat. Eodem & ſequenti Imperatorem rebelles in Italia & Auſtria feliciter perdomuiſſe, ſed & à Pontifice Romano diris devotum, & bellorum incommodis magnam Germaniæ partem afflictam eſſe perhibet. Hæc tempora exhibent nobis læta & laudabilia maſculæ prudentiæ & virtutis proſperæ documenta, res ſcilicet Andreæ, qui Andreæ 2. Regis Hungariæ ‡ filius, S. Eliſabethæ frater erat, feliciter apud exteros geſtas. Is enim fratris Belæ 4. gratia regno cedens, Venetiis & in Gallia novas ſedes cum poſteris quæſivit. Hi per matrimonia Crojæ, Belgarum & Arſchoti dominia adepti, poſt Duces Arſchotani & Crojani renunciati ſunt. His Ducibus Clariſſimis, ab antiquo Hungariæ Regum ſanguine genus ducentibus, ortum debet Celſiſſimus Dux Crojanus Erneſtus Boguſlaus, qui adhuc ſuperſtes, inter præſtantiſſimos & generoſiſſimos Principes, ſeculo noſtro belli & pacis artibus Inclutos, meritò eſt ponendus.

* Chron. Hirſaug. ad 1234. ‡ Bonfin. dec. 8. l. 7. p. 305.

CCLV. *Anno Domini* 1238. *ſtella immenſæ magnitudinis apparuit per aliquot dies ante Solis ortum, quæ per longum cæli tractum veloci crebròque curſu ferebatur, modò ignem præ ſe ferens, modò fumum poſt ſe relinquens.* Eckſtormius ex Polyd. lib. 16.

HAnc ſtellam, quam & hiſtoria Eccl. cent. 13. Cometis adnumerat, Polydorus comatam vel crinitam fuiſſe expreſſè non dicit. Dicit tamen, dum aliquot diebus permanſiſſe dicit. Alia quippè phœnomena tandiu durare non ſolent. Meritò itaque Eckſtormius in familiam Cometarum hoc phœnomenon poſuit. Sed illud alterum quod ad ann. 1239. ex Hiſt. Eccl. adfert, ſeorſum ab hoc ſeparare, cùm unum idemque phœnomenon utrumque eſſe, res ipſa, levi unius anni diſcrimine non obſtante, doceat, non debebat. Non debebat & diſſimulare, quod ibidem Polydorus memorat, ſub ortum Edovardi tertii & anni illius ortam illam ſtellam fuiſſe, ut ita plura læta omina & auſpicia tunc occurrerint: Tùm etiam quod Auctor ille ſubjicit: *Quo ſanè oſtento futura Edovardi patris amplitudo ac Edovardi filii, quem poſtea genuit, exiguitas vanitaſque, velut ex oraculo quodam pronunciata dicitur.* Quibus verbis inſigne teſtimonium Viri fide, induſtriâ & prudenti ſcientiâ Clariſſimi, de indifferenti Cometarum ſignificatione continetur. Certè & nos in ſuperioribus Cometas natalibus Magnorum Principum præfulſiſſe oſtendimus. Triſtia quæ Cometam hunc anteceſſerunt, in hiſtoria proximi Cometæ jam vidimus. Belli Longobardici Anno 1236. orti, quod Imperatorem cùm Longobardis & Pontifice, tùm & ipſos Longobardos mutuò commiſit, progreſſum initio libri 18. de regno Italiæ apud Sigonium qui volet, videat, tùm & apud Sabellicum, Trithemium, Cuſpinianum alioſque ſcriptores, & in paralipom. Urſperg. Videbit inter plurima magnam illam Mediolanenſium rebellionis auctorum & celeberrimam ad Curtemnovam cladem. At annus quo phœnomenon iſtud apparuit, Mediolanenſes pacem, quam tamen non impetrarunt, arbitrio victoris ſubjicere ſe nolentes, petierunt: aliaque læta & triſtia illo anno eveniſſe Trithemius, Sigonius aliique ſcriptores produnt. Valentiam certè anno illo, ut Tarapha *, Calviſius ex Mariana refert, Jacobus Aragoniæ Rex per deditionem accepit, provinciamque Murciæ uſque ad novam Carthaginem adeptus eſt. Sequenti verò Fridericus Sardiniam Sarracenis ereptam, quam illi Pontifici eripuerant. Quæ res utrumque gravi diſſidio & odio commiſit. Mox enim Imperator & ſacratum † Pon-

* In Henrico I. † Pariſ. Calviſ. Paralipom. Sigon. ad 1239.

tificis exercitum & Bononienſes vicit. Celebres iſti anni fuêre, natalibus Academiæ Viennenſis *in Auſtria, & Neapolitanæ † in Campania, tùm urbis Wiſmarienſis ‡ à Comite Swerinenſi in agro Mecklenburgico conditæ, & regni (a) Granatæ, tùm & matrimonio (b) Alexandri Regis Scotorum cum Maria Ingelrami Cuciani Franci filia Anno 1239. inito.

* Bucholz. Calviſ. Helv. ad 1237. Alſted. ad 1236. † Calviſ. ad 1239. ‡ Funcc. & Bunting. ad 1239. Calviſ. ad 1240. (a) Mariana, Calviſ. (b) Buchan. l. 7. p. 230. Polyd. l. 16. p. 308.

CCLVI. *Anno Chriſti* 1240. *Cometa circa polum Septentrionalem conſpectus eſt, radios ſuos inter Orientem & Meridiem, magis tamen verſus Orientem ſpargens. Poſt hunc ſequenti anno, rex Tartarorum cum magno exercitu in Poloniam irrupit, cædibus & igne omnia vaſtans, deinde in Ungariam per Moraviam iter faciens eam per triennium miſerè afflixit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1240. *apparuit Cometa. Sequenti anno Tartari in Poloniam magno exercitu incurſione factâ, igne & cæde omnia compleverunt: poſtea per Moraviam Ungariam ingreſſi, eam tribus annis miſerè afflixerunt. In Burgundia accidit horribilis terræ motus, qui duos montes loco movit & multos homines oppreſſit.* Alſtedius.

Anno Chriſti 1240. *in Oriente Cometes apparuit, crinibus ad uſque cæli medium expurrectis, & pervenit uſque ad polum, ut teſtis oculatus Albert. M. ait, & vix intra 6. menſes extinctus eſt, teſte Daniele Santbechio: quo anno Tamerlanes irrupit in Aſiam, ut habet Pontanus, ſed hunc Cardanus refert in ann.* 1260. *dicens mortuum eſſe illo anno Urbanum Pontificem, quod falſum eſt. Alteruter porrò erravit in num.* MCCXL. *pro* MCCLX. *aut viciſſim.* Ricciolus.

REctè monet Doctiſſimus Ricciolus, erraſſe Cardanum, dum Urbani mortem, quæ in ann. 1264. incidit, proinde & Cometam in ann. 1260. refert. Intellexit, ut opinor, Cometam anni 1264. vel certè hujus anni Cometen, ad quem Gregorii Noni Pontificis Romani mortem referre poterat. Cometam noſtrum & eventus ab aliis hoc anno annotari, patet. Sed Pontanus falſus eſt, qui Tamerlanem ſeſqui ſeculo inferiorem hic ponit. Proximè hunc Cometam peſtilentia magna præceſſit, tùm & varii motus, qui Germaniam * & Italiam, † bello inter Imperatorem & Pontificem Romanum vigente, miſerè afflixerunt, fœdere Longobardorum acceſſione potentiæ Venetæ firmato. Annus qui hunc Cometam, etiam pacem deditâ Ferrariâ attulit. Idem natali Alexandri, id nomen Tertii, Regis Scotorum ‡, qui Alexandro 2. patre Anno 1249. mortuo, octennis regni fræna capeſſivit, lætus fuit. Huic anno Natalem urbis Wiſmarienſis, Academiæ Salmanticenſis & regni Murciæ Calviſius adſcribit. Fridericus Imperator inter hæc quinque exercitibus armatus rem proſperè geſſit. Eodem anno induciæ novæ à Templariis militibus (qui ordo Anno 1118. ad præſtandam contra Latrones ſecuritatem in Palæſtinam peregrinantibus inſtitutus, anno 1312. à Pontifice abrogatus eſt) in Palæſtina cum Sarracenis firmantur, Chriſtianis peregrinantibus utiles. Verbum addo, hunc Cometen eorum qui ſemeſtri ſpatio luxerunt, eſſe ultimum.

* Trithem. & Paralip. ad 1239. † Sigon. ad 1239. Annal. Suev. ‡ Buchan. l. 7. p. 231.

CCLVII. *Anno Chriſti* 1241. *Apparuit Cometes diro aſpectu, per* 30. *dies ferè continuos, circiter initium anni, qui ſecutus eſt, qui fuit à natali Chriſti* MCCXLI, *& Henrico à gubernatione regni ſui vigeſimus quartus. Is annus neque domi, neque militiæ, rem aliquam ferè memorabilem habuit.* Polydorus lib. 16. p. 305.

Anno Chriſti 1241. *Cometes ſub initium hujus anni diebus* 30. *exarſit.* Hiſtoria Eccl. & Eckſtormius ex Polyd. l. 16.

IPſe Polydorus, qui nil memorabile anno illo eveniſſe dixit, Walliam à Rege Angliæ Henrico in poteſtatem redactam eſſe ibidem memoriæ prodidit *, & addidit: *Atque*

* Polyd. l. 16. p. 305.

Atque ita provincia ſemper quietis expultrix, atque finitimorum turbatrix in ditionem Anglorum rediit. Eodem anno Iſabella, Federici Imperatoris uxor, eademque Henrici ſoror moritur, cum mira fuit Solis defectio. Facta hæc eodem anno eſſe ipſe, & ex eo Jovius teſtatur. Qui tamen unius anni intervallo, quod ad annos Henrici attinet, ab eo abit. Ideò & hîc inducias quinque annorum, inter Henricum & Ludovicum Gallum initas, ad ann. 1242. (quæ & Calviſii computatio eſt) Henricus 26. annotat, quas Polydorus * ad 1243. Henrici 26. annotârat. Sic illa Walliæ ſubjectio à Polydoro † in annum Domini 1241. Henrici 24. à Jovio autem in eundem quidem Chriſti, ſed 25. Henrici annum refertur. Mox ‡ Richardus regis Henrici frater Sanctiam (aliàs Cynthiam) ſororem fratriæ ſuæ uxorem accepit. Quarta earum ſoror Beatrix (*a*) paulò poſt Carolo Andegavenſi Ludovici fratri, regi Siciliæ nupſit. Ita iſtæ ſorores felicibus auſpiciis tres quidem tribus regibus, quarta Principi Regio nupſêre. Inter hæc Anno 1241. quo Cometes luxit, Clementia Imperatoris miſeriâ, precibus & lachrymis Faventinorum rebellium, ad vitam eis dandam expugnata, & ſimul laus *ob cives ſervatos* eluxit. Idem tunc rem pro tuenda Imperatoria majeſtate proſperè geſſit, belli & pacis artibus præſtans, univerſâ Romaniolâ ſui juris factâ. Deceſſit interim Gregorius IX. Pontifex Romanus, & intra paucos dies Celeſtinus III. ei ſubſtitutus. Inter hæc Italia bello diuturno & gravi implicita, multis conflictabatur adverſis: ita tamen ut hîc vel illîc lætitiæ documenta & pacis ſtudia & commoda, referente Sigonio (*b*) non defuerint. Nam & ſtannum (*c*) Anno quo Cometes luxit in Germania, ſicut intra decennium (*d*) in Polonia ad Bochnam, & Veliciam ſal foſſile & ſingulare, magno cum omnium gaudio & commodo, inventum eſt, & Chriſtianorum in Palæſtina & Hiſpania contra *infideles bellantium res illâ tempeſtate lætæ fuêre.* Reges Angliæ & Scotiæ Anno 1251. Legationibus, amico colloquio & affinitate pacem fidam inter ſe firmaſſe, Buchananus (*e*) auctor eſt. Eodem anno (*f*) Wilhelmus Comes Hollandiæ Eliſabetam illam Brunſuicenſem, in avito Sponſæ Brunonis vico, lætiſſimis nuptiis ſociam vitæ & thori ſibi adjunxit. Poloniam interim, Sileſiam & Hungariam Tartarorum ſævitia (*g*) miſerè laceravit, aliaque triſtia, ut fieri ſolet, hîc & illîc contigerunt.

* Polyd. l. 16. p. 306. † Ibid. p. 305. ‡ Ibid. p. 307. (*a*) Serres in Ludovico IX. (*b*) ad 1244 & ſeqq. (*c*) Calviſ. ad 1241. (*d*) Chron. Polon. (*e*) lib. 7. in vita XCV. Regis. (*f*) Bunting. ad 1251. (*g*) Dubrav. l. 16. pag. 129. Bonfin. dec. 2, l. 8, p. 314 & ſeqq.

CCLIII. *Anno Chriſti* 1254. *Cometa per aliquot menſes in Germania viſus eſt. Hunc venti inuſitati, ſilvas, caſas, domos atque arbores evertentes, mortalibuſque univerſis & pecoribus maxima detrimenta afferentes ſecuti ſunt. Ad montem Attinum collatis ſignis Florentinorum & Piſanorum certatum eſt graviter. In agro Veronenſi monſtrum ex equa, quadrupedem fœtum humano capite repræſentans editum eſt. Ad cujus murmur, vagitum & confuſum humanæ vocis ſonitum, agricola ruris illius, novo ſpectaculo perterritus adcurrens, gladio ingenti monſtrum occidit. Quo facto ab Agricola perpetrato ad judicium ſtatim tractus eſt, interrogatuſque de origine monſtroſi partûs, atque cauſis occidendi, horrore atque abominatione rei ſe hoc feciſſe reſpondit. Quo audito ab omni ſuſpicione tunc ſtatim eſt liberatus.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1254. *Cometa in Germania per aliquot menſes conſpicuus fuit, ſequente vehementi copiâ ventorum.* Ricciolus.

Anno Chriſti 1254. *Cometa portendit horribilem ventum.* Alſtedius.

HUnc Cometem indicat Aventinus * venti vehementis damna ei ſubjiciens, & aliquot menſium durationem ei adſcribens, niſi quòd tempora Urbani 4. Pontificis huic anno non conveniant. Cautè verò Ricciolus ventum illum magnum ſecutum eſſe (quanquam Trithemius eum in annum 1253. referat) Cometæ apparitionem ait. Nam ut hæc eum propriè portenderit, non adeò commodè dici poteſt. Teſtatur

* Annal. 7. p. 563.

enim assidua experientia ventos & procellas sine ullis Cometis prænunciis venire, sed & alia graviora mala. Id ita se habere, hoc quoque loco paucis dicemus. Ante hunc Cometam Italia bello civili & deterrimis Guelphorum & Gibellinorum certaminibus afflicta est, electo Anno 1246.* contra Fridericum Imperatorem Henrico Landgravio Thuringiæ, & intra biennium ‡ Wilhelmo Florentii Comitis Hollandiæ filio, quod dissidium universo Imperio noxium fuit. Testantur id urbium eversiones, provinciarum devastationes & exercituum strages. Inter quas illa Anno 1249 eminet: in qua Heinsius (Sigonio & Funccio Hencius, Auctor paralipomenôn Heinricum vocat, cum tamen Henricus Friderici 2. filius, ipso illo Auctore ad 1235. memorante, & aliis (a) consentientibus in vincula ob rebellionem datus, circa annum 1240. in Sicilia oberit) filius Imperatoris à Bononiensibus captus, nullo pretio redimi potuit, regali modo viginti duobus amplius annis in custodia habitus. Terræ quoque motus, eluviones aquarum, famem & pestem, aliaque plura mala per hæc tempora Europam totam (b) afflixerunt. Horum locuples testis est Aventinus (c), qui inter prodigia illius temporis Cometarum crines ponit, & contra Pontifices graviter detonat. Ut taceam mortem Henrici Anti-Cæsaris Anno 1248. (d) proximis duobus Alexandri (e) 2. regis Scotiæ & Friderici 2. Imperatoris, quem Aventinus (f) cum Nicolao Cusano Cardinali, Ægidio Bituricensi Præsule, viris doctissimis, secundum Cæsarem Augustum, haud dubiè secundum Carolum M. potentissimum utilissimumque Reipublicæ Christianæ, atque sine controversia sapientissimum Principem appellat. Cæterum & ipsi ejus adversarii, (g) Pontificiis partibus addicti, meritas laudes inter severas censuras non dissimulant. Exstincto Friderico, bellum Italicum, quod ejus filius Conradus (h) contra Pontificem Romanum ejusque factionem gessit, non fuit exstinctum: imò acerrimè continuatum. Anno 1252. (i) mortuus Ferdinandus Rex Hispaniæ potentissimus, quod decem annis post contigisse, Tarapha narrat. Ille verò qui Cometam, idem fœdus 60. ferè civitatum ad Rhenum, paci & libertati tuendæ deditarum, & pacem inter Hungaros & Bohemos adhuc belligerantes (cui bello 1252. Albertum M. Brunsuicensem interfuisse, & ob virtutem eximiam à Rege Bohemiæ Equitem auratum factum esse Buntingus (k) ait) tum & inter Regem Angliæ & Aquitanos vidit annus. Sed & nuptias Edovardi filii ejus, principatu Walliæ à patre donati, cum Eleonora Alfonsi Castellæ Regis sorore, idem exhibuit annus. Is & morte inclaruit Innocentii Pontificis Romani & Conradi Regis Siciliæ, qui à Manfredo notho interfectus scribitur. Sed non desunt (l), qui mortem Conradi in ann. 1252. referant. Memoriæ produnt scriptores (m) eundem Manfredum isti fratricidio parricidium, oppresso patre Friderico, præmisisse. Ita hîc quoque patet quàm periculosi Regibus & legitimis eorum liberis sint spurii.

* Paralip. Trithem. Sigon. Calvis. &c. Bunting. ad 1245. Funcc. ad 1248. ‡ Paralip. & Sigon. ad 1247. Calvis. ad 1248. Trithem. ad 1249. (a) Trithem. Sigon. Funcc. Calvis. &c. ad 1235, (b) Trithem. & Calvis. ad ann. 1248 & 1250. (c) Annal. 7. pag. 547, 548. (d) Trithem. & Calvis. ad 1248. (e) Buchan lib. 7. (f) Annal. 7. pag. 535. (g) Sigon. in Friderico II. (h) Sigon. lib. 19. (i) Funcc. Calvis. Helric. &c. (k) Chron. Brunsuic. 1. parte pag. 92. & in Chronol. ad 1253. (l) Paralipom. & Trithem. ad 1252. (m) Sabell. Enn. 9. l. 6. p. 393. Egnat. in Frid. 2. Trithem. ad 1251. Sigon. ad 1250 & 1254.

CCLIX. *Anno Christi* 1255. *Cometa immensæ magnitudinis apparuit in Anglia, mare præter morem solitum excurrit, loca altissima de cælo tacta sunt. Hæc prodigia statim mors Gualtheri, Antistitis Eboracensis, Viri magnâ virtute prædîti, & qui per 40. annos provinciam illam Pontificalem obtinuit, secuta est. Genuenses juncti Pisanis armata classe Venetias obsident, illorumque naves & litora deprædantur.* Rockenbchius.

Anno Christi 1255. *Mare præter solitum excrevit, Cometesque apparuit, atque etiam loca eminentiora crebrò cælesti igne tacta sunt. Hoc anno occisus est Wilhelmus Imperator.* Eckstormius ex Polyd. l. 16.

HIc Cometa, quem & Historia Ecclesiastica cent. 13. memorat, cum proximo non minus temporis quàm tristium & lætorum gestorum, utriusque apparitionem vel

vel præcedentium vel ſequentium vinculo conjunctus eſt. Annus quo Cometes effulſit, Manfredi in regem Apuliæ & Siciliæ conſecratione, ac ſolemni Ludovici 9. & Henrici 3. Regum Galliæ & Angliæ congreſſu * & colloquio, Chriſtianæ religionis apud Boruſſos infideles per Cruciferos & Bohemos propagatione, ‡ & Regii Montis ab Ottocaro Bohemiæ Rege fundati, natali inſignitus eſt. Hæc tempeſtate Edovardum ductâ in uxorem Caſtellanâ puellâ, ad Henricum Patrem lætum in Angliam revertiſſe, eandemque paulò poſt in Angliam cum ingenti comitatu & ære deductam, nec cum minori lætitiâ exceptam Polydorus memorat. Id Anno 1256. factum colligo.

* Polyd. l. 16. p. 311. ‡ Dubrav. l. 17. p. 137.

CCLX. *Anno Chriſti* 1256. *Cometa apparuit, ut annotavit Epitome mundi. Refert hiſtoria Eccl. c.* 13. *cent.* 13. *Albertus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis obſidet Aſſeburgum. Archiepiſcopus Moguntinus & Theodoricus Comes Eberſteinenſis, terram Gottigenſem infeſtantes capiuntur, & ad Ducem perducti pœnas perſolvunt.* Eckſtormius.

SUcceſſus Alberti Senioris (qui à rerum geſtarum magnitudine cognomen Magni accepit, * & Alexandro M. à Buntingo † comparari meruit) in eundem annum Funccius & Buntingus, at Calviſius in præcedentem refert. Obſidio urbis illius acerrima, quæ toto triennio duravit, & expugnatio felix, læta & glorioſa Alberto, at triſtis & ignominioſa hoſtibus (quos inter & Viri Principes fuêre) extitit. Annus ille quo hic, vel, ut quidam volunt (*a*), proximus Cometes apparuit, morte Wilhelmi Comitis Hollandiæ, Regis Romanorum, qui Alberti illius ſororem Eliſabetham uxorem habebat, à Friſiis, cum rem non geſſiſſet, ita ut Dux ejus Brederodius feliciter, cæſi, notabilis extitit. Qui caſus novi Imperatoris eligendi cauſa fuit. Atque tunc diſtractis Principum ſtudiis Alfonſus Rex Caſtellæ & Richardus Dux Cornubiæ, Henrici Regis Angliæ frater, eligebantur, quæ res Imperio varios attulit motus, interregno à morte Friderici 2. (*b*) uſque ad electionem Rudolphi Habſpurgenſis xxii. amplius annis durante. Ideò per illa tempora id ferè æquius quod validius cenſebatur. Albertus ille Brunſuicenſis, Princeps non minus belli quàm pacis ſtudiis Inclytus, Anno quidem 1258. ſororem ſuam Adelheidam Henrico Haſſiæ Landgravio, Sereniſſimæ iſtius familiæ adhuc florentis (quæ à Carolo M. via Ducum Brabantinorum deſcendens, totius Germaniæ Principibus ſanguine innexa eſt, ideoque pacto mutuæ ſucceſſionis cum Saxonica & Brandenburgica domo Electorali gaudet) ſatori feraciſſimo, in matrimonium collocavit. Sed anno proximo & ſequentibus Thuringiam, de qua affinis ejus Heſſus cum Henrico Marchione Miſniæ affine ſuo, (quòd Henricus ille Friderici 2. Imperatoris æmulus nullos hæredes, ſed tantùm filiam, quæ Brabantiæ Duci, & Sororem quæ Miſniæ Marchioni nupſerat, reliquiſſet) contendit, tùm Holſatiam & vicinas terras armorum & victoriarum famâ implevit. Sed & alibi bella & victorias, aliaque adverſa & proſpera videas. Germaniam interregni incommoda, Italiam Guelphorum & Gibellinorum factiones, tùm Pontificis Romani cum Manfredo de Siciliæ ſucceſſione certamina graviter concutiebant. Rem inter hæc pacis artibus cum utilitate & lætitia multorum à Bononienſibus ſuis, præcipuè in vindicatâ Romaniolâ & conſtitutâ libertate geſtam eſſe Sigonius (*c*) annotavit. Publicæ hilaritatis monumenta binos annuos equorum curſus memorat. At anno poſtero, qui fuit quinquageſimus ſeptimus ſupra duodecies centeſimum, popularis Reſpublica Mediolani eſt inſtituta. *Inſignis porrò hic annus fuit*, (judice Sigonio) *urbe Patavinâ ex manibus Icilini mirabili felicitate extortâ.* Quàm rem proſperè geſtam & ſuâ difficultate lætiorem pluribus proſequitur. Idem Ricardum Cæſarem Anno 1258. inſigni Regio decoratum ſcribit. Trithemius & Buntingus id in eundem annum refert. At in antecedentem Funccius, Calviſius, Helvicus, Alſtedius & Petavius. Quâ ratione

* Meibom. in aurea bulla Andron. Imp. p. 179, 183. † 1. part. Chron. Brunſuic. (*a*) Martin. Polon. ad 1255. Trithem. Chron. Hirſaug. & Sponh. Bunting. Funcc. Calviſ. Helvic. Petav. ad 1256. Sigon. ad 1257. (*b*) Calviſ. Vide Paralipom. Urſperg. p. m. 253. (*c*) ad ann. 1256 & ſeqq.

læta

læta iſta noſtro Cometæ propius conjunguntur. Erat Annus ille 1258. pace Mediolanenſi (a) (quæ & Sancti Ambroſii dicitur) tùm Comenſi & Anagnenſi, præcipuè verò poſt Normaniam Gallo cum Andegavenſibus & Cenomonis, Aquitaniam verò Anglo relictam, Anglo-Gallica (b) lætus: Inter hæc & ſeditione Romanâ ac Bononienſi & annonæ penuriâ (ut alia tàm læta quàm triſtia (c) taceam) celebris fuit. Moneo tamen Polydorum (d) & Calviſium pacem illam ad annum 1259 proferre. Hæc cuncta læta & triſtia ad hunc Cometam annotata, ſufficient Cometæ, qui ab Auctore Holſato (qui ſe tertium intervenientem vocat, quòd mediâ viâ incedens Cometarum ſignificationem nec timendam, nec prorſus temnendam eſſe doceat) ex Spondano & Cardano in annum 1258. ponitur. Si enim huic Cometæ ſua conſtat auctoritas indubitata, facilè quivis eventus lætos ad eum referre poterit. Inter læta Cometæ hujus apparitionem ſecuta, triſtis accidit Tartarorum in Poloniam, Rege Boleſlao Pudico, Anno 1259 & 1260. (e) irruptio, quæ auctoribus & ducibus Ruſſis facta, magna Reipublicæ damna attulerat: cui intra quadringentos annos ſimilem nuper, auctore & duce Chmielnicio vidimus, quam etiam ſuo loco, ſi Deus volet, videbimus. Annus verò 1261. annotante Paralipomeno Auctore, fertilis fuit.

(a) Sigon. ad 1258. (b) Jovius Chron. Angl. (c) Trithem. Bunting. & Sigon. ad 1259 & ſeqq. (d) lib. 16. p. 315. (e) Dlugoſſ. Cromer. de rebus Polon. l. 9.

CCLXI. *Anno Chriſti* 1264. *Cometes tàm notabilis apparuit qualem nullus tunc videns ante vidit. Ab Oriente enim cum magno fulgore ſurgens uſque ad medium hemiſphærii verſus Occidentem comam perlucidam protrahebat: in menſe Julio cœpit, fuitque curſus ejus uſque in finem menſis Septembr. In quodam verò Chronico ſic deſcriptum leges. Erat ſimilitudo illius, quaſi ſtellæ obſcuræ, & egrediebatur ab eo quaſi flamma diſpanſa: cujus magnitudo & forma erat quaſi velum navis: ſingulis verò noctibus paulò ſerius exurgebat, & flamma decreſcens in latitudinem, creſcebat in longum, ita ut* 10. *Kal. Octob. ante auroram in Meridionali parte verſaretur, & flamma* videretur cubitalis latitudinis: *longitudo verò protendebatur ferè in Occaſum, & ita paulatim attenuata ſtella evanuit. Quamvis autem forſitan in diverſis partibus mundi multa ſignificaverit, hoc tamen unum compertum fuit, dicto Cometâ primùm apparente Urbanum Pontificem infirmari cœpiſſe, & eadem nocte, quâ Papa obiit, Cometam diſparuiſſe, ultimâ die Septemb. in feſto B. Hieronymi apud Peruſium prænotato anno. Unde de Cometa & anno quo apparuit ſunt verſus ſequentes:*

M *bis* C, L *&* X, I. *quater jam Chriſtus adeſt Rex.*
Noviter eſt nata, quæ fertur ſtella Cometes.
Per cujus ſigna monſtrantur multa maligna.
Nam morbi, peſtis, belli, famis, eſt ea teſtis. Chron. Belg. pag. 254.

Anno Chriſti 1264. *Stella, quæ dicitur Cometes, apparuit, videlicet in Oriente ante Ortum diei poſt ſtellam matutinam: apparuit ſcilicet ante auroram cum radiis multis: ipſi ejus radii longè latèque apparuerunt antequam oriretur ipſa ſtella Cometes. Igitur velaci curſu laboravit ipſa ſtella Cometes, ita quòd præcurrerit & longè verſus Meridiem præceſſit ſtellam matutinam, id eſt, Luciferum. Viſa eſt circa feſtum S. Mariæ Magdalenæ, & uſque ad octavam S. Auguſtini apparuit.* Compilat. Chronolog.

Anno Chriſti 1264. *Cometes inſignis Orientem verſus illuxit, comam per medium cœli projiciens ad occiduum cardinem, & per tres integros menſes viſus eſt.* Erfordienſis c. 94. Bergom. l. 13. Niceph. Gregor. l. 4. *Schedel. ætat.* 6. *hujus Cometæ apparitionem in ann.* 1263. *rejicit.* Hiſt. Eccl. cent. 13. c. 13.

Anno Chriſti 1264. *Cometa apparuit in Oriente* 40. *diebus circa Kal. Auguſt. duabus horis ante Ortum Solis. Fuit principio magnus & clarus, comam habens longam & latam, quæ de die in diem cœpit deficere, ſoli adjungi & ad nihilum devenire.* Annal. Colmar.

Anno Chriſti 1264. *Cometa inſigni magnitudine per tres menſes apparuit, ac illâ ipſâ nocte quâ Urbanus Pontifex Romanus ejus nominis IV. obiit, exſtinctus eſt. Bondocdar Soldanus Chriſtianis in Syria bella infert. Peſtilentia ſæva, quâ homines & animalia innumera*

Figura faciem ac situm immobilem illum referens notabilis illius Cometæ CCLXII A. C. 1264. N.° 81.





mag
Cru
thu
Sicu
in
ac
Bab
mag
xim
Anno
cæli
phor
Cum
præ
lùm
disce
solst
retu
met
Imp
Scyt
eum
æstua

ANno
ad U
dius ei m
chium vid
Omnes ad
ribus anno
vas, & ha
nem esse a
(1264.) à
prianus (L
Cometes repu
& Keckerm
metam hun
1265. ut co
confuderit
plures Auc
apud Amic
lis morti U
quippe, u
MCCLXIV. p
illo dissita,
cent. Pleric
ad quem C
1261. conti
ta, multa a
Taceo maxi
cilia & Thu
Pontifex U

* Almag. T
(c) Bur

magna copia perierunt, gassari cœpit. Russorum in Poloniam magna facta est irruptio. Cruciferi fortunâ adversâ in Prussia utentes à Barbaris deleti sunt. Masovia à Lithuanis & Borussis devastata est. Carolus cum exercitu è Galliis bellum Manfredo Regi Siciliæ movit, quo victo, regnum Neapolitanum occupavit. Biennio postea elapso, Pœni in Hispaniam trajiciunt, magnaque clades hinc inde fiunt, sed Pœnis tandem fugatis ac cæsis, in Hetruria magni tumultus facti sunt, ac prælia utrinque commissa. Banducar, Babyloniorum atque Assiriorum Rex anno tertio postquam Cometa apparuit, Armeniam magno cum exercitu invasit, Antiochiam expugnavit, stragemque Christianorum maximam edidit. Rockenbachius.

Anno Christi 1264. *Cometes insignis magnitudinis, Orientem versus illuxit, comam per cæli medium projiciens ad occiduum cardinem, & per tres integros menses visus est. Erphordiensis, Bergomensis, Niceph. Gregoras lib.* 4. *Hist. Rom. de hoc Cometa sic habet: Cum Michaël Imperator in Thessalia versaretur, ostentum in cælo apparuit, vates & prænuncius malorum, Cometes illustris, juxta signum Tauri, noctu sub diluculum, paulùm supra horizontem: & quantum Sol procedebat, tantum indies & ille ab horizonte discedebat, donec tandem ipsum cæli medium præteriret. Nam cùm is primùm visus esset, solstitium æstivum fuit, Sole Cancrum perambulante: cum languesceret atque extingueretur, idem Sol autumnale æquinoctium confecerat: Tribus interim signis peragratis Cometâ circà Taurum fixo ac paulatim evanescente. Qui cum cladem minitari videretur, Imperator valere jussâ Thessaliâ, laxis habenis Byzantium contendebat. Nam fama Scytharum Istrum accolentium, qui mox Romanos fines irrupturi essent, non mediocriter eum turbabat: qui, priusquam in urbem rediisset, universæ propè Thraciæ, instar æstuantis maris longè extra littora evagati, circumfusi fuerant.* Eckstormius.

ANnotant hunc Cometen multi alii Auctores. Siffridus lib. 2. Auctor paralipom. ad Ursperg. Sigonius, Funccius, Camerarius, Buntingus & Calvisius. Alstedius ei magnam caudam expressè tribuit, tùm & effectus, quos apud Rockenbachium vidimus. Memorat eum & Bzovius, tùm Pontanus, & ex eo Ricciolus *. Omnes ad eundem annum, excepto Auctore Paralipom. qui his difficillimis temporibus annos non adsignat. Et posuit quidem Ricciolus hanc stellam infrà † inter novas, & hanc inter eas octavam putat, ejusdemque sententiæ ut alios, ita & Tychonem esse ait. De hôc tamen monet: *licet moveat etiam suspicionem de Cometa illi anno* (1264.) *à Camerario & Pontano adscripto, quem tamen caudatum ajunt fuisse, cum Cyprianus* (Leovitius, qui eam primus ex tenebris in lucem protulit) *hanc stellam inter Cometes reputans, sine crinibus apparuisse affirmet.* Itaque in Cardano Quadripart. 2. text. 54. & Keckermanno Syst. Phys. l. 6. c. 5. & aliis scriptoribus error corrigendus, qui Cometam hunc in 1260 referunt. Fortasse hunc Cometam Prætorius trahit ad annum 1265. ut conjicit Ricciolus, qui arguit Cardanum, quòd istum Cometam cum illo confuderit, cum Pontanus verbis expressis non numeris annum designârit: cui ideò plures Auctores consentiant. Similem errorem in Chronico Augustano, quod nuper apud Amicum inspicere & percurrere mihi licuit, animadverti, dum Cometa nobilis morti Urbani Pontificis Romani prælucens, in annum 1274. producitur. Facilè quippe, ut ibi annus 1260. pro 1264. ita hîc 1274. sive MCCLXXIV. pro 1264. sive MCCLXIV. poni potuit. Quæ hunc Cometen præcesserunt, longius etiam à proximo illo dissita, quàm assiduò tristia in orbe citra talia aliave phœnomena eveniant, docent. Plerique Auctores Urbani Pontificis Romani mortem ad eum referunt. Sed ad quem Cometam referenda erit mors Antecessoris ejus Alexandri IV. quæ Anno 1261. contigit? ut alios Pontifices (*a*) & Principes taceam. Taceo multa turbulenta, multa acerba, multa tristia, quæ annus MCCLIX. habuit, referente Polydoro (*b*). Taceo maximas Rheni inundationes Anno 1260. postero sanguinem copiosam in Sicilia & Thuringia (cum de illa occupanda Manfredus & Carolus Andegavensis, quem Pontifex Urbanus contra eum evocârat, de hac (*c*) Albertus Brunsuicensis cum Hen-

* Almag. T. 1. 2. part. l. 8. sect. 1. c. 3. † lib. cit. sect. 2. c. 1. (*a*) Trithem. ad 1260 & 1261. (*b*) lib. 16. p. 315. (*c*) Bunting. ad 1263.

rico

rico Miſnenſi acerrimè decertabant) effuſum, eodemque tùm 1262 & 1263. anno motus belli inter Archiepiſcopum Colonienſem & Comitem Juliacenſium, tùm illos qui continuis incommodis (a) rem Latinorum Conſtantinopoli & aliàs Chriſtianorum in Palæſtina, tùm Italam & Siculam magis magiſque per hæc tempora peſſumdabant. Unde non mirum ſi & poſt apparitionem Cometæ talia hîc & illîc viguiſſe videamus, ſicut Sigonius (b) memorat, quibus recenſendis nunc non immoror. Manfredus à Carolo victus Anno 1266. ſcelerum pœnas luit. Conradum Juniorem, quem multi, (c) præſertim Italici Scriptores (d) Conradinum vocant, Ducem Sueviæ ultimum, alea belli Carolo in manus tradidit, qui eum capitali ſupplicio affici Anno 1268. juſſit. Hoc ei triſte fatum non tàm Cometa, quàm æmulorum ambitio ſuſpicax & meticuloſa, ideòque ſæva, portendit. Unde illud celebre effatum: *Vita Conradini mors Caroli: mors Conradini, vita Caroli.*

(a) Sigon. ad 1260, 1261 & ſeqq. (b) ad 1265 & ſeqq. (c) Funcc. Bunting. Bucholz. Calviſ. &c. (d) Avent. Ann. 7. p. 564. Trith. Chron. Hirſaug. ad 1266. Petav. R. T. 1. part. l. 9. c. 2.

CCLXII. *Anno Chriſti* 1267. 18. *Jul. orta eſt ſtella in ortu Solis pulchra & magnæ propè Lunam, quæ magno impetu progreſſa à Luna verſus Orientem ad mediet atem hemiſphærii, reliquit poſt ſe comam ſeu nubem albam & incenſam, quæ pariter eſſe deſierunt.* Annal. Colmar.

SAtis malorum proximè hanc ſtellam comatam anteceſſit, ut jam jam vidimus. Plura qui videre volet, bella ſcilicet, cædes aliaque, adeat Trithemium, Sigonium, Polydorum, Calviſium alioſque Scriptores. Ad annum autem 1267. idem ille Sigonius, poſt turbas & jurgia, quæ diverſas Italiæ civitates exercuerant, pacem Bononiæ compoſitam, eamque opportuno multarum nuptiarum fœdere confirmatam memorat. Hoc quoque anno Poloni victoriam memorabilem de Tartaris & Ruſſis reportarunt.

CCLXIII. *Anno Chriſti* 1268. *Cometes miræ magnitudinis ſub Meridiem (magno utique miraculo oſtenti) pluribus diebus viſus eſt in Scotia. Ricciolus ex Cardano, qui ei tribuit clades ingentes in Scotia à ventis ortas.*

Anno Chriſti 1269. *in Scotia Cometes admirandæ magnitudinis quotidiè viſus eſt ſub meridiem. Boëtius lib.* 13. *ſequenti anno diem ſuum obiit S. Ludovicus Rex Francia.* Eckſtormius ex Onuphrio.

IN hunc quoque 1269. annum Hiſtoria Eccleſiaſtica hunc Cometen refert. Quem, Aventino * ſine anno natali memoratum, ventorum maximorum prænuncium (niſi tamen ille Anni 1264. trimeſtris potius ibi intelligatur) unum & eundem eſſe res ipſa docet. Potius tamen in annum 1269. ponendum eſſe, mors Ludovici regis Galliæ docet, quæ ab omnibus, quod ſciam, Auctoribus in ann. 1270. ponitur. De procellis Cometarum apparitionem excipientibus, ſupra diximus. Veroſimile eſt Cometas, ſaltim quoſdam, ad eas excitandas aliquid conferre. Non tamen neceſſarium vel ventos Cometis ſuccedere, vel Cometis ad eorum productionem opus eſſe, res ipſa docet. Anno 1268. Conradus ille Junior, præeunte (a) fideli Achate Friderico Auſtriæ Duce, magnæ ſpei Principe, vitali aurâ privatus eſt. Hunc paulò poſt, eodem ſcilicet anno & menſe, ut Aventinus adnotat, Clemens Pontifex Romanus, necis ejus ut quidam (b) affirmant auctor, ſecutus eſt. Chriſtianorum quoque res in Palæſtina amiſſâ Joppe & Antiochiâ, improſperæ fuêre. Anno, ut dictum eſt 1270. Ludovicus 9. Rex Galliæ, captâ Carthagine peſte conſumitur. Sed eadem die frater ejus Carolus Siciliæ Rex validam claſſem ad litora Africæ appellens, barbaros ad pacem potendam coëgit. Inter hæc varia bella hîc & illîc geſta, Italia verò avitis illis Guelpho-

* Annal. 7. p. 563. (a) Avent. Annal. 7. p. 566, 1268. Confer Sabell. Enn. 9, l. 7. initio. (b) Avent. ibid. 7. p. 565. Paralip. Funcc. Bunting. Calviſ. &c. ad

rum

rum & Gibellinorum certaminibus graviſſimè conflictabatur. Sed inter tot triſtia Cometam ſecuta, non pauca inveniuntur læta, quæ in cenſum referri merentur. Nam eodem illo anno filia Ducis Burgundiæ, magno Principum comitatu ſtipata, menſe Octobre in Italiam læta pervenit, ut ad Carolum, cui deſponſata erat, accederet, honorificè ab omnibus civitatibus ſui ſtudioſis excepta, ut Sigonius (*a*) ait, qui pluribus hanc populorum lætitiam deſcribit. Is etiam inter illas diſſenſiones & turbas pacis conſilia ſubinde effectu ſuo non caruiſſe teſtatur, ita ut illa tempora (*b*) tàm pacis quàm belli artes in Italia oſtenderint. Celeberrima tamen pax inter Venetos & Bononienſes Anno 1273. conventa fuit: quam poſthæc Florentinis, Brixianis, Turrianis, Mediolanenſibus, Bononienſibus, Cremonenſibus, Parmenſibus aliiſque obtigiſſe, idem ille auctor (*c*) literarum monumentis conſignavit. Sed & Trithemius anno 1270. pacem inter Colonienſem Præſulem & cives, operâ Alberti Magni, Ratisbonenſis tunc Epiſcopi, Varronis Germanici, imò Varrône, ut Aventinus judicat (*d*) longè doctioris, initam eſſe memorat. Eodem anno fœdus inter Principes Germaniæ ſtabiliendæ publicæ ſecuritati concluſum. Poſtero inducias inter Chriſtianos & barbaros in Oriente, pacem (*e*) inter Hungariæ & Bohemiæ Regem ſancitam videmus.

(*a*) Ad 1268. (*b*) Idem ad annum 1269, 1270, 1271 & ſeqq. (*c*) Ab ann. 1273. ad 1281. (*d*) Annal. 7. p. 561. (*e*) Calviſ. ad 1271. vide Bonfin. Dec. 2. l. 8. p. 330. Dubrav. l. 17. p. 140.

CCLXIV. *Anno Chriſti* 1273. *m. Jul. & Auguſt. ſtella quædam apparuit, quæ à ſe miræ magnitudinis radios emittebat. Hanc ſtellam dicebant eſſe Cometam.* Chron. Aug.

ANnus iſte, quo phœnomenon hoc viſum eſt, electione Rudolphi, Auſtriacæ familiæ conditoris feliciſſimi, clariſſimus extitit. Initia imperii ejus pace partâ (*a*) meliori facie rebus, reſtituta fertilitate terræ, paulò poſt victoriis de Ottocaro Rege Bohemiæ arrogante obtentis, ac partâ Auſtriâ, tùm nuptiis filiarum ejus, (*b*) Mechtildis quidem cum Ludovico Electore Palatino, Annæ (*c*) verò vel (*d*) Agnetis cum Alberto 2. Electore Saxoniæ, nobilitata fuerunt. Inter læta illius temporis reputes Comitatum (*e*) Norinbergenſem (vulgo Burgraviatum) collatum ab Imperatore Comiti Zollerio Friderico, Induciæ inter Hiſpanos & Mauros Anno 1275 initæ; ſed & Winceſlai Principis Bohemiæ & Ottonis Electoris Brandenburg. tùm Caroli Martelli regis Neapol. & Hungariæ & Ottonis Ducis Bavariæ, cum Rudolphi Imp. filiabus nuptiæ (*f*) tempora illa læta reddiderunt. Atque ex illa uxore (cui Mechtildæ nomen erat) Ludovicus intra annum (*g*) ſuſcepit Rudolphum filium, à quo Palatinorum ad Rhenum genus in hunc uſque diem propagatur, ut Bucholzerus ad ann. circiter 1275. ex Beuthero memorat, ubi in tranſitu error corrigendus, Rudolphum iſtum Ludovico & Mechtildæ Rudolphi Imp. filiæ, non Rudolpho Imperatori & Machtildæ Ludovici filiâ natum fuiſſe. De nuptiis ſororis Mechtildis Margaritæ cum Theodorico Comitæ Cliviæ, nil certi invenio. Satis tamen hinc primùm apparet, quantopere Habſpurgica familia Imperio & Auſtriâ potitâ, res ſuas per matrimonialia fœdera firmare feliciter cæperit. Multa dehinc bello paceque geſta triſtia & læta apud Trithemium, Bonfinium, Dubravium, Aventinum, Buntingum, Calviſium & alios invenire licet, quæ recenſere non libet.

(*a*) Trithem. ad 1273 Paralip. Urſp. p. m. 258. Dubrav. l. 17. p. 141. (*b*) Trith. ad 1273. in Chron. Hirſaug. & Spanheim. Avent. Annal. 7. p. 568. (*c*) Bunting. & Calviſ. ad 1275. (*d*) Funcc. ad eund. (*e*) Paralip. Auctor, ad 1274. Calviſ. ad 1275. (*f*) Trith. ad 1273. Dubrav. l. 17. pag. 142. Calviſ. ad 1278. Avent. 7. p. 569. (*g*) Avent. l. d.

CCLXV. *Anno Chriſti* 1282. *Cometa tempore Michaëlis Palæologi Imperatoris Græci arſit.* Sifardus.

EST illi Cometa iſte decimus nonus numero, à nullo horum auctorum, quos ſequor, ab eo autem ſinè ullis circumſtantiis annotatus. Ideo an Veſperæ illæ Si-

culæ,

culæ, quæ octies mille Gallos, in illa Insula duabus horis ad profundam noctem miserunt, ante vel post apparitionem Cometæ acciderint, nescio. Sed istam Gallicæ gentis calamitatem citra hunc quoque satis portendit * acerba mors Conradi illius legitimi Siciliæ hæredis cum sociis ejus generosissimis Principibus †, & vita longiori & fato meliori digni à Carolo immaniter trucidati: tùm verò lasciviâ in mulieres, luxus fastusque gentis populo, sed & potentia Gallica toti Italiæ gravis, sicut ‡ Scriptores annotant. Eodem tempore (*a*) & apud Forum Livii Galli cæsi sunt: quo alibi quoque in Italia bello paceque gesta Sigonius literis mandavit. Erat præterea annus iste auspiciis imperii Petri Aragonii in Sicilia, Alberti Rudolphi Imperator filii in Austria, alterius filii Friderici in Suevia lætus. Sed tertii filii Hinrandi sive Hartmanni in Rheno submersione (ut Calvisius annotat, Trithemio (*b*) casum hunc tristem in ann. 1277. referente) tristis idem fuit. Rursus autem victoriâ Lesci Nigri Principis Poloniæ de Lithuanis & Jazygibus obtentâ, sed & lætâ (*c*) aëris temperie lætoque rerum proventu memorabilis. Annus proximus pariter victoriâ Florentii Comitis Hollandiæ, cædem Wilhelmo patris ulciscentis de Frisiis, sequens Petri Aragonii de Gallis & Sarracenis, sed & morte Michaëlis illius Palæologi, Alfonsi illius Sapientis, Regis Clarissimi & Hugonis Regis Cypri morte, celebratur. Huc referendus est finis exoptatus miseriarum Bohemiæ, quem lætissimus Wenceslai reditus (*d*) attulit, stellâ lucidissimâ Lunæ vicinâ præsignificatus.

* Avent. Annal. 7. p. 566. † Id. ibid. ‡ Avent. Annal. 7. p. 572. Bucholz. Funcc. (*a*) Sabell. Enn. 9. lib. 7. pag. 404. Funcc. ad 1282. (*b*) Chron. Hirsaug. (*c*) Trithem. Chron. Spanheim. (*d*) Dubr. l. 18. p. 147. Bohæm. Pia l. 1. p. 9. Vide Paralip. p. 259.

CCLXVI. *Anno Christi* 1285. *Cometa insigni magnitudine apparuit. Post hunc Veneti, aut non multò antè induciis cessantibus, quas per aliquot annos cum Genuensibus pacti sunt, statim ad retinendum majus imperium publicè classem instruunt. Pisani navali prælio à Genuensibus victi* 50. *triremes &* 12000. *virorum amiserunt. In Italia gravissimus terræ motus per aliquot dies durans, quo multa ædificia ad terram usque prostrata sunt, factus est.* Rockenbachius.

NUllus Auctorum, quos in historia Cometarum componenda sequendos mihi proposui, Cometen hunc adnotat. Nisi fortè de eo intelligatur quod proximè ex Georgii Bartholdi Pontani Bohæmia Pia de stella illa, quæ id temporis, hoc scilicet anno 1285. die 5. Aprilis super unum cornu Lunæ promicans visa fuerit, attulimus: quod phœnomenon læti ominis & auspicii judicatum fuit. Hæc tamen stella potuit Venus fuisse, quæ aliquando sub concavo Lunæ crescentis hæret, & pro Cometa à multis haberi solet.

Memorabilis sanè annus iste fuit. Carolus enim rex Siciliæ, Philippus Galliæ, fratris ejus filius, & utriusque hostis Petrus Aragonius, Alexander Rex Scotiæ (error enim commissus est in editione Calvisii Francofurtanâ, quæ ex Buchanano mortem hujus Principis in annum 1295. producit, cùm Buchananus annum MCCXXCV. non MCCXCV. posuerit, quæ & Polydori, Jovii aliorumque est computatio) tùm Martinus IV. Pontifex Romanus, & Ludovicus Elector Palatinus è vivis excesserunt. Natum hoc vel proximo anno unum atque alterum Principem, quis dubitet! Equidem illo ipso anno, quo Cometes apparuit Wenceslaus & Juditham Rudolphi Imperatoris filiam uxorem & diadema Regium Pragæ, ut Aventinus * & Dubravius †, vel Egræ, ut Calvisius ex Annal. Austr. refert, accepit, utrumque maximâ cum pompâ & lætitiâ. Hæc etiam non exigua & conjuges illos & Imperatorem multosque alios anno vertente perfudit, nato filio Wenceslao. *Quæ quidem res eâ Cæsarem affecit lætitiâ* (ut Dubravius scribit) *ut propius accederet Bojemiam, & tam filiam quam generum ad se in civitatem Egram sevocaret, ut cum illis festa, Christia veteribus dicta, per mansiones & convivia familiariter agitaret. Datâ in dotem illâ ipsâ Egrâ Wenceslao, &* insuper

* Annal. 7. p. 585. † l. 18. p. 147.

arces complures in Miſnia & Luſatia, quarum Cæſar per mortem principis Miſniæ liberis orbi, Dominus factus erat. Hic poſtremo honor eidem habitus, ut ibidem regalia certis in locis à Cæſaribus in reges Bojemiæ proficiſcentia, Cæſar ſolemniter in Venceſlaum tranſferret, juberetque in acta publicè referri, quòd Rex Bojemiæ Electoribus Imperii, ſinè ullâ ambiguitate perpetuò adnumerari debeat, pocillatoris nomine, quod quidem jus in hunc diem reges Bohemiæ incolume obtinent.

CCLXVII. *Anno Chriſti* 1286. *Cometa apparuit, qui comam occidentem verſus dirigebat.* Eckſtormius ex Hiſt. Eccl. ex Joanne de Oppido, & Faſciculo Temporum.

POſſet quis ſuſpicari hunc Cometen cum proximo eundem eſſe. Sed nullam rationem video juſtam, quæ id exigat. Annus iſte partâ ab Italiæ civitatibus, pretio Imperatori dato*, libertate, memorabilis extitit, prodente memoriæ Sigonio, qui finem ſuæ hiſtoriæ cum regni Italici fine conjunxit. Idem annus † Philippo Pulchro Galliæ, Jacobo Siciliæ, Alfonſo Aragoniæ, Henrico Hieroſolymitani regni læta auſpicia, Martini quoquè Pontificis Romani locum Honorio V. Ludovici Palatini Rudolpho filio implente, dedit. Scotis enim, Alexandro cum omni prole exſtincto ‡ inter varia Joannis Balioli & Roberti Bruſſii æmulorum regni certamina, poſt ſex demum annos ac novem menſes à morte Alexandri Joannes ille rex obtigit, hôc regni, Robertô libertatis & famæ bonæ ſtudioſiore. Idem ille annus memorato Henrico Regi Cypri auſpicatus fuit. Acceptâ enim per deditionem Ptolemaide rex Hieroſolymitanus Tyri ſalutatus eſt. Poſtero *Rudolphus Imperator puellam Burgundam Agnetem (a) (aliàs Eliſabetham) matrimonio ſibi junxit. Idem annus lætam Arragoniis attulit victoriam de Gallis obtentam: tùm & Florentio Comiti Hollandiæ de Friſiis, quos tunc ſine armis inſervitutem redegit. Proximus annus expugnatâ à Sultano Babyloniæ Tripoli, & induciis ab Henrico rege cum eo pactis, tùm Joannis Ducis Brabantiæ contrà Reinhaldum Comitem Geldriæ aggreſſorem victoriâ & re feliciter geſtâ inclaruit. Idem, putante Calviſio, vel ſequens annus ſecundùm rationes Funccii, à Chriſto Nato octogeſimus nonus ſupra duodecies centeſimum, pacem inter Gallos & Arragonios initam & ſic lætitiam attulit. Hâc tempeſtate Caſimirus Oppoliæ Princeps (b), qui adhuc in fide Principis Poloniæ permanſit, Wenceſlao Regi Bohemiæ ſe ſuaque ſubmittens ingens rebus ejus momentum & gaudium attulit. Mortuo paulò poſt Leſco Poloniæ Principe, Reſpublica miſerè in partes ſciſſa lacerabatur. Potiorem partem Wenceſlaus ad ſe Gryphinæ Leſci relictæ viduæ, materteræ ſuæ jure prætenſo poſſidebat, ſibique lætos (c) fecerat progreſſus. Sed Anno 1292. triſti ſoceri Imp. qui ei dignitatem Electoralem Anno 1290. confirmârat, exceſſu lætitia illa non leviter turbata eſt. Rudolpho Adolphus Naſſovius ſuffectus, Albertô filiô præteritô, qui Anno circiter 1292. (d) filiam Wenceſlai Ruperto filio impetravit, quod matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit.

* Vid. Volater. Paralip. Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1286. † Calviſ. ad 1286. ‡ Buchan. l. 8. initio & p. 241.
* Calviſ. ad 1287. (a) Auctor 14. tabb. geneal. (b) Dubrav. l. 18. p. 148, (c) Dubrav. ibidem pag. 149.
(d) Dubrav. ibid.

CCLXVIII. *Anno Chriſti* 1293. *æſtate viſus eſt Cometa, quo tempore Adolphus Imperator ab Alberto victus in prælio fuit.* Ricciolus ex Prætorio.

POſuerat hunc Cometam Doctiſſimus Ricciolus, & ex eo Theatri Europæi auctor in 1283. Sed tunc imperabat Rudolphus, cui demum Anno 1292. Adolphus ſubrogatus eſt. Conjicio quidem Ricciolum loqui de victoria Alberti Anno 1298. obtenta. Sed ad hunc annum annotat ille alium Cometam, quem mox videbimus. Adhæc hoc quoque Anno 1293. * Albertus contra Adolphum exercitum eduxit,

* Trith. Funcc. Calviſ. &c.

eumque continuis armis lacessivit & damnis affecit, notantibus Scriptoribus. Sub idem tempus * Rudolphus, Ludovici Palatini filius, Mathildem Adolphi Imperatoris filiam uxorem, Premislaus Majoris Poloniæ, & paulò ante hæreditate ad se devolutæ Pomeraniæ Princeps, Poloniam regendam accepit, & regiam dignitatem † ducentis quindecim annis intermissam recepit.

* Calvis. ad 1295. † Dubrav. l. 18. p. 149. Calvis. ad 1295.

CCLXIX. *Anno Christi* 1298. *Cometa apparuit afflictiones Christianorum nuncians. Scoti duce Villaceo* (Villam Polydorus, Jovius, Buchananus & alii vocant) *ad libertatem aspirantes, Anglos ex Scotia depulerunt, castraque & oppida ab eis acceperunt. Sacra Christianorum hoc ipso anno à Judæis furto sublata, ludibrioque habita sunt, quæ etiam postquam in mortario pistillo contuderunt, sanguis emanavit. Judæi plurimi Noribergæ & in Francia Orientali gladio & igni extincti sunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1298. *apparuit Cometa miræ Magnitudinis & vagus.* Simoneta lib. 6. c. 14.

Hoc anno Albertus Austriæ Dux in prælio occidit Adolphum Imperatorem, & in ipsius locum electus est. Eckstormius ex Onuphrio.

Anno Christi 1298. *maximus terræ motus fuit in die festo St. Andreæ, & in fine Novembris apparuit Cometa.* Ricciolus ex Spondano & Bzovio.

MEminit hujus Cometæ Platina *, Bucholzerus & Alstedius. Eventus qui ejus apparitionem secuti sunt, non necessario cum eo cohærent. Nam & ante eum funera multorum Principum, ab apparitione proximi Cometæ longius distantia, & nostro Cometæ viciniora, cum Trithemio, Funccio, Calvisio aliisque efferre licet. Anno enim 1296. Premislaus Rex Poloniæ & Florentius Comes Hollandiæ occisi sunt, alios ut taceam: ut & bella & cædes in Germania, Gallia, Scotia, Frisia & alibi factas. At verò annus qui Cometam, idem pacem inter Philippum Galliæ & Edovardum Angliæ Reges, Aquitaniam Anglo, Margaretham Philippi sororem † Edovardo Sponsam, eidemque insignem de Scotis, ut & Alberto de Adolpho victoriam attulit. Calvisius Gallo-Anglicam pacem & affinitatem in annum sequentem cum Buchanano profert. Sed nos Polydorum & Jovium, qui tamen ab eo in annis Edovardi dissidet, sequi maluimus, præsertim cum Calvisii editio Lipsiensis nil de his prodat.

* In Bonif. 8. † Ritius l. 2. de regno Franc. Polyd. l. 17. p. 34. Jovius Chron. Reg. Angl. Serres in Phil. 4.

CCLXX. *Anno Christi* 1299. *Cometa mirabilis visus est. Calend. Decembris vehemens ventus ædificia evertit. Hist. Eccl. ex Balæo. Sequenti anno Bonifacius VIII. Jubilæum celebravit: Legationem Alberti Imperatoris rejecit: Primo solenni die in Pontificalibus apparens benedictionem populo impertiit: Altero verò die in Imperiali habitu progressus, nudatum ante se gladium deferri jussit cum acclamatione: Ecce duo gladii hic.* Crantzius lib. 8. cap. 36. Saxoniæ; *qui narrationi hæc subjicit: Vides ô Petre successorem tuum: Et tu salutifer Christe tuum cernis vicarium. Vide quò ascendit superbia Servi Servorum tuorum.* Eckstormius.

EOdem anno Rudolphus Alberti Imperatoris filius Blancam *, (Mariam Serres vocat) Regis Galliæ sororem duxit. Filiam Philippi tunc nupsisse non Rudolpho, sed ipsi Alberto Auctor Paralip. tradit. Tunc etiam Joannes Baliolus Scotiæ rex ab Anglo captus libertati restitutus est. De illa Bonifacii arrogantia queritur Cuspinianus, Platina, Aventinus, Blondus, Sabellicus, Guaguinus, Crantzius & quos non æquiorum scriptorum, qui res prout gestæ sunt, procul metu & adulatione linteris consignârunt? Vid. & Baronium de gestis & morte ejus. Hæc non ad Cometam, sed ad vitiorum portenta potius referri merentur.

* Avent. Ann. 7. p. 588. Calvis. ad 1299. Vid. Ritium l. 2. de regno Franc. Serres in Phil. 3. fine.

CCLXXI. *Anno Chriſti* 1300. *quo annus Jubilæus à Pontifice reductus eſt, Cometa apparuit. Hunc varii tumultus in Italia ſecuti ſunt. Bonifacius Pontifex VIII. nomine, auxilio Philippi regis Francorum, à Sarra Columnenſi Anagniæ captus, & in carcerem conjectus, hunc tamen cives Anagnenſes tertiâ die liberarunt. Apud Belgas opifices & infimæ conditionis homines à Francis defecerunt, dominique provinciæ facti ſunt, magnaſque regis Francorum copias ſuperarunt, & crudeliter interfecerunt. Albertus Imperator, magnum in Helvetia exercitum contra Hollandos conſcripſit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1300. *Horribilis Cometa viſus eſt. Sequenti anno Othomannus I. Imperium Turcicum eſt auſpicatus, quod deinceps ſubindè potentiâ crevit, & ad ſummum eminentiæ faſtigium conſcendit.* Eckſtormius ex Schoſſero.

ITa quidem ſe res habet, variis motibus tunc temporis à viſo Cometa Italiam fuiſſe quaſſatam. Sed quis neſcit eoſdem Italiam & alias Reſpublicas aſſiduò ferè concuſſiſſe, etſi nullus Cometes apparuerit? Illam verò Pontificis Bonifacii captivitatem Funccius Rockenbachii magiſter, ſed & Calviſius, & Trithemius, Platina, aliique auctores in annum 1303. proferunt. Hanc iidem, ut & plures paulò ante allegati Scriptores, non ad Cometam, ſed ad arrogantiam * intolerandam, certius omni Cometa motuum portentum, referunt. Sed & Principum ac Præfectorum ſuperbiam vel avaritiam & peccandi licentiam tales motus, quorum Rockenbachius meminit, vel ſinè ullâ Cometarum apparitione, frequenter ſequuntur. Ab illis itaque potius, quam ab his Principes imperiorum ſuorum ſecuritati metuant. Illa enim, non hæc populum in eos armare ſolent, qui licet tolerare potius talia quàm arma in Principem ſumere deberet, ſit tamen ſueto rerum humanarum curſu, ut portentis vitiorum illa motuum, ſeditionem, cædium aliorumque malorum ſuccedant. Meminit hujus Cometæ & Alſtedius. Hoc verò ipſo anno quo ſtella hæc crinita apparuit, Wenceſlaus contra Vladiſlaum Lokietkum, quaſi cubitalem ob exiguam ſtaturam dixeris, rebus ſuis in Polonia firmandis unicam regni hæredem Premiſlai filiam (cui ſecundum Dubravium Eliſabethæ, ſecundum noſtros Scriptores Rixæ nomen fuit, quod ego puto cum illo commutatum, idque ab aliis quoque Principibus factum, ſicut Bertha illa Sultzbacenſis Irenes nomen accepit, aliæ aliud, teſte hiſtoria) lautiſſimis & lætiſſimis nuptiis † Poſnaniæ celebratis ſibi copulavit. Hinc tam ad pacandam quàm ad conſtituendam Rempublicam incubuit. Tunc & Albertus Imperator diſſidentium à ſe Procerum quorundam animos ſibi conciliavit, & pacem Germaniæ reſtituit. Alſtedius qui ad hunc Cometam & alios ſubſequentes perſecutiones Chriſtianorum à domo Ottomanica refert, ipſe ſibi reſpondet, dum familiam hanc Anno 1297. potentiâ creviſſe fatetur. Hæc enim omni Cometâ certius hoſti exitium portendit. Annus porrò tercenteſimus ſupra milleſimum, inſtitutione anni jubilæi ludos ſeculares (*a*) referentis, lætus & celeberrimus (*b*) fuit.

* Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1303. Sabell. l. d. Annal. 2. p. 124. † Dubrav. l. 18. p. 149. (*b*) Sabell. Enn. 9. l. 7. p. 408. Polyd. l. 19. p. 385. (*a*) Dubrav. l. 23. p. 192. Avent.

CCLXXII. *Anno Chriſti* 1301. *Cometes in cælo apparuit, & ſecuta ſunt multa mala, ſeditiones & opiniones bellorum in diverſis regionibus.* Trithem. Chron. Hirſaug.

Anno Chriſti 1301. *Cometa in ſigno Scorpionis viſus durans* 15. *noctes poſt Occaſum Solis verſus Septentrionem caudam in Orientem fundens.* Fabric. in Origin. Saxon.

Anno Chriſti 1301. *apparuit Cometa in tota Iſlandia, mercatoreſque viderunt Cometam in æquore circa feſtum Michaëlis, qui reliquis ſtellis major erat, & caudam habuit deorſum tendentem, motuſque eſt motu inverſo ab Oriente videlicet in Aquilonem. In meridionali Iſlandia etiam Cometa viſus eſt ab ingreſſu hyemis uſque ad hyemem dimidiatam. Apparuit quoquè Bergis in Norvegia ante tempus Bacchanaliorum, Romæ verò ante feſtum Paſchæ.* Bartholinus de Cometa 1664.

Anno Christi 1301. *Stella Cometes visa est, quæ ante nativitatem Domini post occasum Solis apparuit, & ante mediam noctem occidit. Comam fudit ad Orientem, & visa est per noctes quindecim. Eodem anno rex Franciæ cum magno exercitu pugnatorum contra civitates Flandriæ, quibus indixerat bellum, properavit, sed ipsis rebellantibus multa millia nobilium & militum aliorumque pugnatorum de exercitu Regis ceciderunt.* Pistor. tom. 1. rer. German.

Anno Christi 1301. *Cal. Decembris Cometa in Aquario, alii in Piscibus, per noctes* 15. *durans, post occasum Solis apparuit, caudam versus ortum porrigens. Hunc factiones in Italia, Alborum & Nigrorum (quemadmodum & ante hæc tempora, Welforum & Gibellinorum) maximæ sunt secutæ. Turbines ventorum plurima ædificia ac casas destruentes ortæ sunt. Aquarum inundationes maximæ. Serenitas aëris tanta, ac calor insolitus, ut in ipso Januario mense arbores frondes gerere visæ sint. Benedictus Pontifex XI. mortuus, Wenceslaus verò Rex Ungariæ interfectus est.* Rockenbachius.

Anno Christi 1301. *ante mortem Caroli Martelli, & Andreæ Regis Hungariæ Cometa spectatus fuit.* Ricciolus ex Spondano.

FIde Annalium Islandicorum, & aliarum observationum, Cometa hic pluſquam semestri duraverit. Sed de hoc nil habent alii. Alstedius quoque Cometæ hujus, sed non durationis ejus meminit. Verè Trithemius Cometæ illius apparitionem multa mala secuta fuisse dicit. Ipse enim eodem anno Episcopum Trevirensem in bello occisum memorat. Sed hunc ejus, ut & exercitûs Regis Galliæ Philippi illius Pulchri, Principis bellicosi & inquieti, casum, ad bellandi potiùs licentiam, quàm ad stellæ comam referre licet. Illud enim est malorum certius omni Cometâ aliôve signô cæleſti portentum, & in Episcopo verum monstrum. Tales nempe judice Celestino III. Pontifice Romano, nec Pontificis Maximi, nec Ecclesiæ, nec Christi*, sed Martis sunt filii, quibus divina vox horrendi carminis legem, *Qui gladio percusserit, gladio peribit*, denunciavit. Motum belli, qui Anno 1302. Germaniam concussit, ipse Trithemius ‡ ad fœdus à tribus Electoribus Sacri Ordinis, quarto Palatino, & aliis Principibus, contra Imperatorem initum, sicut & Bonifacii Pontificis captivitatem ad ejus arrogantiam refert. Horum igitur non illorum cæleſtium portentorum, voluntariorum scilicet non naturalium metus hominibus est incutiendus. Illa enim, utpote à libertate, cui à Deo relicti sunt, provenientia vitare & corrigere possunt debentque. Hæc semel constitutum cursum immutabiliter servant. Porrò motus illos Germaniæ pax optata Anno 1302. (*a*) restituta excepit. Quod verò ad Cometam Caroli Martelli mortis prænuncium, à Doctissimo Ricciolo ex Spondano allatum attinet, demonstravi ego Amico illi plurimùm observando errorem, in assignanda Carolo Martello morte commissum. Nempe sive solus, sive cum filio Carolo sive Carolo Roberto, qui ideò quibusdam Carobertus dictus, regnum Hungariæ Carolus Martellus tenuit (dissentiunt enim de eo Annales Hungarici, & Blondus apud Bonfinium, & *sunt* multi, (*b*) qui solum filium regem Hungariæ fuisse dicant, patre tantum consilio & operâ regnum administrante) longè tamen posterior Andrea & superstes ei diu fuit. Imò verò multi filio quoque Carolo, qui Anno 1342. obiit, superstitem fuisse affirmant. Hunc errorem Vir ille Doctissimus literis humanissimis ad me datis, candidè agnovit. Eodem illo anno, quo Cometes hic visus annotatur, Edovardus Rex Angliæ (*c*) inducias cum Scotis percussit. Qui quidem paulò post cladem à Scotis accepit, sed mox restauratis viribus, sua ab eis recepit, & pacem petentibus dedit. Eodem anno Isabella Philippi Pulchri Regis Galliæ filia, Edovardo Principi Walliæ, mox pro Edovardo I. Patre suo in Anglia regnaturo, nupsit. Quod autem Rockenbachius hîc de morte Wenceslai Regis Hungariæ memorat, de Wenceslao Juniore Rege (*d*) Bohemiæ, qui ab Hungaris (*e*) Ladislaus dictus erat, intelligendum est, qui Caroli Siculi æmulus Olomontii Anno 1307. interfectus est.

* Gulielm. Neubrig. l. 5. c. 22. Drexel. Aurifod. ‡ Chron. Hirsaug. & Spanheim ad annum 1302; Chron. Hirsaug. & Sponh. ad 1302. Fabric. Orig. Sax. ad eundem annum. (*a*) Trithem. (*b*) Avent. Annal. 7. pag. 592. Backschai Dubrav. l. 18. p. 150. Bonfin. dec. 2. l. 9. Sambuc. in append. Bonfin. Ritius de Regibus Hung. l. 2. Chronol. reg. Hung. (*c*) Polyd. l. 17. p. 342. (*d*) Dubrav. l. 18. p. 150. & l. 19. p. 155. Fabric. Orig. Saxon. ad annum 1306. (*e*) Bonfin. dec. 2. lib. 9. pag. 341. Avent. Annal. 7. p. 592. Backschai in Wenceslao.

CCLXXIII. *Anno Chriſti* 1302. *Cometa apparuit, & ſequitur ſtatim bellum Flandrenſe, ubi cecidit flos militiæ Gallicanæ. Terræ motus magni fuerunt, nec auſi fuerunt homines manere in civitatibus.* Wernerus Rolevinckius in Faſcic. temp.

VEreor, ut is Cometes à præcedenti diverſus ſit. Interim Flandrenſe bellum à Funccio in 1303. à Calviſio in 1302. refertur. Hoc anno illa memorabili ad Cortracum victoriâ die 11. Julii Flandros duodecim millibus nobilium Gallorum hoſtem temerè temnentium conciſis potitos eſſe Petavius * & Serres † teſtatur. Idem annus unius Scotorum exercitûs victoriâ de tribus ‡ Anglicanis exercitibus obtentâ, tùm pace inter Gallos & Fridericum Siciliæ Regem initâ clarus evaſit. Tum verò & pace inter Regem Romanorum Albertum, & Archiepiſcopos Moguntinum, Trevirenſem & Colonienſem, ut notat Trithemius & Fabricius, quos proximè vidimus.

* R. T. 1. p. l. 9. c. 4. † In Philippo 4. ‡ Buchan. l. 8. p. 250.

CCLXXIV. *Anno Chriſti* 1303. *Cometa ut columna ignea deſcendens ac mox reaſcendens apparuit.* Ricciolus ex Keckermanno; is ex Lavatero.

ISTum Cometem, ut puto, Sabellicus * poſt ingentem terræ motum, qui Italiam horrendè quaſſavit, memorat, & inſigni magnitudine fuiſſe dicit. Hoc anno, quo Cometes luxit, Galli & Flandri belli mala peroſi inducias pepigerunt, & Guido Comes libertati reſtitutus eſt. Nil alioqui memorabile hoc anno geſtum invenio, de anni proximi geſtis mox dicturus.

* Enn. 9. l. 7. p. 408.

CCLXXV. *Anno Chriſti* 1304. *Cometa per 3. menſes durans, verſus Septentrionem viſus eſt. Hoc anno Danubius, Reginoburgii verſus Aquilonem curſum aliquamdiu direxit, lapidibus, lignis, truncisque arborum in magnam molem congeſtis ad priorem alveum redire tandem hiſce coactus eſt. Edoardus Anglorum Rex IV. Scotiam ſubegit, cui poſtea Odomarum Valentinianum Comitem Pembruchi præfecit. Bonifacio Pontifice VIII. mortuo huic Benedictus XI. ſucceſſit, qui Philippum Pulchrum Regem Franciæ excommunicatum à Celeſtino abſolvit.* Rockenbachius.

HUnc quoque Cometen Alſtedius prioribus continua ferè ſerie poſitis adjungit. Quæ Rockenbachius ei tribuit ab Aventino & Polydoro conſignata, tritâ rerum Naturalium vel humanarum viâ frequenter ſine ullius Cometæ apparitione eveniunt. Ideò Cometa ea producere, vel propriè ac ſtrictè portendere dici nequit. Annus iſte pace inter Philippum Gallum & Pontificem Benedictum XI. compoſita, reſtitutis Regi quæ Pontifex Bonifacius ademerat, tùm & Columnenſibus gratiæ Pontificiæ reſtitutis, inclaruit. Eodem anno Hollandi contra Flandros aggreſſores rem fortiter & proſperè geſſerunt. Imò verò Wilhelmus Joannis Comitis Hollandiæ filius claſſis Gallicæ auxilio ſuccinctus, graviſſimo prælio invaſores vicit, decem millibus cæſis, mille navibus eum ingenti præda captis. Joannes pater nimiâ lætitiâ exindè conceptâ exanimatus ruit. Flandri, licet clade illâ attriti, Gallum tamen aggreſſorem fortiter removerunt, & mox inducias cum eo pepigerunt ‡. Iſto quoque anno Fridericus Alberti Landgravii Thuringiæ filius, cum Eliſabetha Comitis Arnſhang. filia nuptias in magna Principum frequentia & lætitia celebravit.

‡ Calviſ. ad 1304.

CCLXXVI. *Anno Chriſti* 1305. *Cometa in ſeptimana paſſionis Chriſti apparuit, quem peſtilentia ſæviſſima per totum terrarum orbem ſecuta eſt. Factiones ſeditionum plurimæ in Italia*

in Italia & Thuringia ſunt ortæ. Marchio Theodericus Lipſiæ in templo D. Thomæ interfectus eſt. Rockenbachius ex Funccio, is ex Chron. Saxon.

Anno Chriſti 1305. *Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt circa ferias Paſchatis, quem ſecutâ eſt peſtilentia maxima. In Comitatu Manſſeldenſi vix tertia pars hominum à peſtilentiæ malo fuit ſuperſtes.* Eckſtormius ex Chronol. Buntingi, Spangenb. Chron. Saxon. c. 276.

Anno Chriſti 1305. *Paſchalibus feſtis Cometa peſtis per univerſum orbem graſſaturæ nuncius fuit.* Ricciolus ex Prætorio.

MEminit ejuſdem Cometæ Pontanus, & Buntingus ‡ alibi & Alſtedius. Peſtem ſine prævia Cometarum apparitione puniendis mortalium peccatis à Deo immitti toties vidimus, videmuſque. Eodem anno quo viſus eſt Cometas pax (*a*) in Flandria ſancita: Vilna Lithuanorum ad Viliam fluvium condita: cujus inſtituti auctori Ledzeikoni Radzivilii, ex re nomen à Gedimino M. D. Lithuaniæ inditum: (undè Celſiſſimorum Ducum Radzivilliorum, domi foriſque rerum geſtarum glorià Inclytorum, domus illuſtriſſima originem ducit) ſedes (*b*) Pontificia in Galliam tranſlata, ubi Avenione 74. annis manſit. Edovardus Walliæ Princeps memorabilem de Scotis victoriam anno poſtero retulit, qui paulò antè Roberto Bruſſio diadema regium impoſuerant.

‡ Chron. Brunſuic. 1. p. (*a*) Funcc. Calviſ. (*b*) Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1305.

CCLXXVII. *Anno Chriſti* 1307. *apparuit Cometa.* Alſtedius.

HOc ipſo anno Helveticum fœdus incepit, & Otto Henrici *Senioris* ſive Mirabilis nepos, Junioris filius, qui ad diadema Neapolitanum per Joannæ conjugium pervenerat, natus eſt. Poſtero Philippus rex Galliæ Iſabellam filiam ſuam Edovardo 2. Regi Angliæ in matrimonium collocavit. Henricus Lutzelburgicus in Imp. electus eſt. Eſtenſes, Scaligeri aliique, fluctuante ſine rectore Italiâ, dominatum in urbibus inchoarunt: anno ſequenti Flandri cum Philippo Rege Galliæ pacem iniverunt, Clemens V. Venetos, Ferdinandus rex Caſtellæ Granatenſes vicit: Helvetii privilegia ab Henrico novo Imperatore conſecuti ſunt. Jam aderat annus partæ ſalutis 1310. cum Carolus ille Caroli Martelli filius, qui adhuc Wenceſlaum Bohemum & Ottonem Bojum æmulos expertus erat, læto Hungarorum conſenſu Rex creatus diademate in Alba Regali (*a*) ex more coronatus eſt. Is annus & receptâ ab Hoſpitalariis Inſulâ Rhodo (*b*) unà cum quinque adjacentibus inſulis, & nuptiis Joannis filii Imperatoris cum Eliſabetha (*c*) Wenceſlai Junioris ſorore Spiræ celebratis, lætus extitit, ſequens (*d*) diadema Bohemicum Joanni dedit, multaque alia his temporibus, quæ ad pacem & lætitiam faciunt, facta ſunt. Sed inter hæc multa quoque triſtia evenerunt. Wenceſlaus Senior Bohemiæ Rex phthiſi Anno 1305. Junior ſicarii manu paulò poſt, ſicut & Dicemannus Marchio Miſniæ & Thuringiæ Anno 1307 & Albertus Imperator ſequenti, Edovardus Rex, vi morbi, ſeptuagenarium ferè conficiens annum, alii Principes alio mortis genere è medio ſublati ſunt. Bella quoque & cædes non paucas hac tempeſtate apud Trithemium, Polydorum, Buchananum, Sabellicum, Bonfinium, Dubravium, alioſque Scriptores videas, quibus immorari nolo.

(*a*) Bonfin. dec. 2. l. 9. p. 344. Bakſchai in Car. (*b*) Trithem. Fabric. Orig. Saxon. & Calviſ. ad 1306. Albertinus. ad 1307. (*c*) Trithem. ad ann. 1310. Dubrav. l. 19. p. 160. Chron. Belg. Paralip. (*d*) Calviſ. ad 1311.

CCLXXVIII. *Anno Chriſti* 1312. *Cometa per* 14. *dies apparuit.* Funccius.

Anno Chriſti 1313. *Cometa per dies* 14. *viſus eſt à Septentrione verſus Meridiem, ſuum motum Martis curſum ſuum dirigens. Hoc anno Florentia ab Imperatore Alberto obſeſſa eſt. Robertus Rex Britanniæ loca ſilveſtria in Scotia ſubegit. Fames maxima Lithuaniam ac loca finitima per totum triennium duriter afflixit. Montis pars maxima in Burgundia*

gundiæ Imperiali à monte maximo avulsa, multa 1000. *agricolarum oppressit, currensque per multa milliaria,* 5000. *ferè hominum suffocavit, & tandem, quod dictu mirabile est, ad montes alibi reversus est.* Rockenbachius.

Anno Christi 1312. *Cometa horrendæ magnitudinis per* 14. *dies apparuit. Büntingus ex Chron. Saxon. Henricus Lutzelburgensis Imperator bellum gerit in Italia, Florentiam obsidet.* Eckstormius ex Crantzio lib. 9. cap. 6. Saxon.

Anno Christi M CCC XII. *Cometa horrendus conspectus caudam suam versus occasum extendens: secutus morbus pestilens, pecoribus & hominibus infestus, unà cum ingenti annonæ difficultate.* Fabric. Orig. Saxon.

ANnotavit hunc Cometam & Alstedius ac Ricciolus ex Prætorio, durationis tempus idem ei tribuens. Idem & Buntingus ut ibi in Chronol. ita & in Chronico Brunsuic. fecit, caudam ejus in Occidentem directam fuisse dicens. Rockenbachius in annum 1313. eum ponit. Quo quidem anno Cometa, ut mox videbimus, sed alius apparuit. Annus iste lætus & clarus extitit, quòd Henricus Imperator (*a*) diademate Pisis & mox Romæ insignitus fuerit, & tres Reges (*b*) Pisis fecerit, postquam paulò ante, ut alias civitates, ita & Florentiam, inito (*c*) cum Friderico Siculo fœdere, ad obsequium adduxisset. Error enim hic est in Rockenbachio, qui Albertum Anno 1308. occisum, nec ab Italis visum, pro Henrico ponit. Sed & famem Lithuanicam, quæ anno 1314. sæviit, ad proximum Cometam proferre debuisset. Verum in annotando illo montis Burgundici prodigio sui ipsius meminisse debuit. Retulit enim hoc ad annum ut vidimus, 1241. in quem illud Trithemius, Aventinus (*d*), Sabellicus (*e*), Calvisius, Alstedius & alii ponunt. Nisi quòd Crantzius (*f*) hoc Anno 1251. factum putet. Wernherus in Fascic. temp. ante ann. 1224. ponere id videtur. Confusa tamen hæc in meo pervetusto exemplari anni 1481. invenio, posita scilicet inter Tartarorum in Poloniam & Hungariam irruptionem, quæ à Bucholzero, Funccio, Calvisio & aliis in anno 1241. & decretalium Gregorii 9. compositionem, & publicationem, quæ in 1236. refertur.

(*a*) Calvis. ad 1312. (*b*) Calvis. ad 1312. (*c*) Bunt. ad 1312. (*d*) Annal. 7. p. 534. (*e*) Enn. 9. l. 6. p. 386. (*f*) Wandal. l. 7. c. 25.

CCLXXIX. *Anno Christi* 1313. *apparuit Cometa. Milichius in lib.* 2. *Plin. cap.* 25. *Herlicius. Henricus Imperator veneno perit. Electores dissentientes elegerunt Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum, undè ortum est bellum octennale. Tanta fuit per Lithuaniam, Germaniam & Galliam fames, ut homo hominem mactaverit & devoraverit. Secuta etiam est pestis, quâ tertia pars hominum absumpta esse creditur.* Eckstormius.

Anno Christi 1313. *Cometa apparuit, qui à Septentrione versus Meridiem procurrebat secutus Martis motum.* Ricciolus ex Prætorio.

Anno Christi 1313. *Cometa apparuit & quatuor menses duravit, quem anno proxima secuta est magna fames & pestis, præcipuè ad Rhenum.* Schorerus dissert. de Comet. ex Chron. Basil. & August.

ADjungit hunc Cometam præcedenti Alstedius. Milichius *, quem Eckstormius allegat, hæc de eo ex summa Astrologiæ judicialis memoriæ prodit: *In summa Anglicana legimus Cometam fulsisse anno* 1313. *accensum in conjunctione Jovis & Martis in Cancro, & à Septentrione versus Meridiem discessisse juxta motum Martis. Cum igitur manifestum sit, trahi Cometas motu stellarum, non dubium est, & materiam eorum excitari à stellis.* Rockenbachius, ut diximus, ad hunc annum annotavit Cometam proximum quem vidimus, eique motum & eventus istius Cometæ, solo durationis tempore isti relicto, adscripsit. Henricum veneno in administratione S. Eucharistiæ à Monacho peremtum, sunt qui, referente Trithemio (*a*), scribunt. Fames & pestis

* In Plin. l. 2. c. 25. (*a*) Chron. Hirsaug. & Sponh. ad ann. 1313. Vide Paralip. ad Ursperg. Egnat. Vid. Petav. Rat. temp. p. 1. l. 9. c. 5. Fabric. rer. memorabil. Sax. & Chron. Belg. ad 1313.

aliaque mala ad vitiorum potius quàm cæli portenta referenda sunt, præsertim cum Cometæ in cælum evecti sint. Ita & Milichius paulò post ingenia monstrosa præ Cometis aliisve phœnomenis prodigia in Rebuspublicis tristia ducit. Annus iste, ut Funccius putat, & ex Polydoro (*a*) ac Jovio (*b*) colligere licet, Edovardi Tertii natali, induciis Flandricis & pace Erfurtana lætus & memorabilis celebratur. Occasione famis illius Lithuanicæ verbum hîc mihi addendum est. Cum Lithuania subjecta sit Capricorno, ut & magna pars Germaniæ, quæ alioqui cum Gallia Arieti subjicitur: Cometa verò ille apparuerit in Cancro, cui subjectæ regiones à fame & peste immunes fuerunt, patet hinc prognostica Astrologica ex Signis Zodiaci, in quibus Cometes appareat, veritati, saltim semper, non convenire.

(*a*) lib. 18. p. 358. (*b*) Chron. Angl. ad 1326.

CCLXXX. *Anno Christi* 1314. *tres simul Lunæ in cælo apparuerunt: Fulgor etiam quem Cometam appellant, tribus mensibus in cælo emicuit.* Trithem. Chron. Hirsaug. *Anno Christi* 1314. *Cometa in ultima parte Virginis per 3. menses continuos flagrans, caudamque vel crines versus Septentrionem dirigens, visus est. Hunc bellum civile inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum, suffragiis Electorum dissentientibus, deque Imperio per 8. annos certantibus secutum est. In quo bello Fridericus in prælio tandem captus est, & Ludovicus solus deindè regnavit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1314. *Mense Octobri horribili specie tres continuos menses arsit Cometa. Mense Decembri obiit Philippus Pulcher Rex Francorum. Designavit quoque bellum civile, quo Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus, dissentientibus Electorum suffragiis, electi, de Imperio octo annis decertarunt.* Eckstormius ex Peucero in divinat. loco de Meteorologia.

Anno Christi 1314. *demum Cometes in fine Virginis apparuit per tres hebdomadas, & flammam direxit versùs Aquilonem, tuncque fuit maxima fames in Lithuania & adjacentibus regionibus, pluviæ per totam æstatem & indè pestis, quibus tertia pars viventium absumta fuit. Philippus Pulcher Rex Galliæ 29. Novembris moritur.* Ricciolus ex Prætorio.

ADnotat & Sifardus hunc Cometam, & ad eum, more suo, multa tristia, lætorum oblitus, refert. Adnotat & Buntingus. Pro tribus hebdomadibus apud Ricciolum, tres menses reponendos esse arbitror, vel diversum durationis tempus pro ratione diversarum observationum intelligendum est. Ideò & Keckermannus * ex Antonino sex hebdomadis durasse ait, cum antea (*a*) ex Bodino trimestrem fuisse dixisset, quâ etiam occasione Cometam terræ quadrantem aut trientem exæquare posse docet. Alstedius hunc Cometam præcedentibus adnectit, sed circumstantiarum non meminit. Annus iste morte Clementis Pontificis Romani & Philippi Regis Galliæ victoriâ memorabili, (*b*) de Anglis à Roberto rege Scotorum partâ, tàm utili quàm læta (quæ, si Buchanani judicio stare velimus) *non solùm Anglorum ferociam repressit, sed Scotos etiam ex ultima desperatione erexit, nec eos pecuniâ solùm, sed gloriâ & armis & apparatu bellico auxit, imò multis captivis libertatem, egenis opes attulit,* & electione Ludovici Bavari clarus fuit. Huic tamen Imperatori oppositus æmulus Fridericus Austriacus Rempublicam distraxit. Quæ lis octavo dehinc anno, cum capto Friderico (*c*) sopita est.

* Syst. Phys. l. 6. c. 5. p. 985. (*a*) p. 983. (*b*) Bucham. l. 8. p. 259. (*c*) Dubrav. l. 20. p. 166. Trithem. in Paralip. ad 1323.

CCLXXXI. & CCLXXXII. *Anno Christi* 1314. *tres simul Lunæ in cælo apparuerunt, & fulgur, quem Cometen dicunt, tribus mensibus emicuit. (Hæc Florentius.) Item anno sequente circa natale stella Cometa apparuit, cursum suum per occidentem circa polum, comamque suam longam ad scopæ modum formatam, nunc versus Occidentem nunc versus Orientem, & aliquando ad partes alias portendebat, duravitque ipsius ad finem

finem mensis Febr. Paulò post secunda apparuit stella alia, quæ Cometa dicitur, in parte Orientali, sed minor quàm altera videbatur. (Hæc Bernardus) Chron. Belg. p. 290.

Anno Domini 1315. *apparuit Cometes protendens radios suos inter Septentrionem & Occidentem, & evenerunt tres plagæ permaximæ, quarum prima fuit pluvia, quæ incœperit in m. Majo & continuò perduravit per unum annum vel circa. Secunda plaga fuit maxima caritas non solùm in pane & frumentis, sed in omnibus victualibus, quibus homines sustentari debent. Quæ quidem caritas adeò magna fuit, ut fertellum siliginis venderetur in Antwerpia pro 60. grossis veteribus Turonensibus. Tertia verò plaga fuit mortalitas sive pestilentia permaxima, in qua, ut fertur, plusquam tertia pars heminum in hoc climate moriebatur.* Chron. Belg. ibid.

Anno Domini 1315. *radiosus Cometes apparuit, mortifera pestis inhorruit & valida fames invaluit, adeò ut plerique pauperes cadavera pecudum sicuti canes crudè, ut & gramina pratorum sicuti boves incocta comederent. Fuit enim hæc fames sive pestilentia tàm aspera ut mendicantes absq; numero morerentur in campis, sylvis, sive nemoribus, & eorum corpora sine Catholicis exsequiis sepulturæ traderentur in locis agrestibus. Quapropter hæc miseranda calamitas à threnis Jeremiæ Prophetæ in hoc solùm discrepare videtur, quòd hîc manus matrum proprios filios non decoxerunt & eorum carnes, urgente fame, non manducaverunt. Post biennium verò divina misericordia compatiens humanæ miseriæ, largitatem munificentiæ suæ clementer ostendit, & incrementa frugum ubique terrarum in tantum adauxit, ut modius siliginis pro 5. grossis Turonensibus emeretur, qui paulò pridem pro 5. Solidis Turonensibus emebatur.* Chron. Belg. p. 281, 282.

Anno Christi 1315. *apparuit Cometa, quem secuta trium annorum gravissima annonæ penuria & pestis, quibus tertiam partem hominum absumptam esse traditur.* Buntingus. *De hoc Cometa seu effectu ejus notus est versus:* Ut lateat nullum tempus famis ecce CUCULLUM! Eckstormius.

Anno Christi 1315. *Cometa mense Decembri circà nativitatem Christi apparuit, qui circa polum se volvens caudam in diversas orbis partes, in Orientem, Occidentem & Septentrionem extendit & duravit usque ad finem Februarii, ubi paulò post alius exortus est.* Calvisius.

Anno Christi 1315. *Cometa non procul ab isto loco* (in quo proximus visus est Aquilonem versus, quasi ad finem Virginis) *apparuit, ut & sequenti anno: post quos contentio magna fuit de Imperatore, dum alii Ludovicum Bavarum, alii Fridericum Austriacum voluerunt, undè bellum inter hos ortum est, quod octo annis duravit.* Keckermannus.

FAmem & sic etiam pestem portenderunt continuæ pluviæ, à primis* diebus frugum maturitatem impedientes, quæ Cometam præcesserunt. Annus quo is visus est, victoriâ Helvetiorum gemina, mox initio Reipublicæ eorum, & pace Erfurtensi *(a)* est memorabilis; sequens etiam pace *(b)* in omni Imperio à Ludovico decretâ lætus. Sed hanc lætitiam mox bellum adversus Fridericum ademit. Id autem Ludovico *(c)* prosperum, portentum verò & caussa simul vetus malum ambitio fuit. Anno decimo sexto supra millesimum tercentesimum, *inter læta quoque acceptum*, memorante Dubravio *(d)*, *quòd regina*, illa scilicet Elisabetha, *filium regi, quem nominari Venceslaum voluit (postea Carolus est vocatus) enixa fuerit.* Ita huic Principi, qui duplex nomen & postea Imperium sortitus est, geminus Cometa, præluxit.

* Bunting. ad 1315. (*a*) Fabric. rer. memorabil. Sax. ad 1315. Calvis. ad eund. (*b*) Trithem. ad 1316. (*c*) Dubrav. l. 20. p. 163. (*d*) Idem ibid.

CCLXXXIII. *Anno Christi* 1318. *apparuit Cometa in Cancro, ut annotavit D. Herlicius. Hoc anno diem suum obiit Albertus Princeps Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis.* Eckstormius.

COntinuò Principes, etsi nullus adsit Cometes, moriuntur vel nascuntur, si experientiam ubique gentium hac de re testantem audiamus. Annus qui hunc Cometem, idem nuptias lætissimas, quia Augustas Adelheidi (*a*) Henrici Mirabilis Ducis Brunsuicensis filiæ, quæ à Græcis, sicut & illa Bertha Sultzbacensis, Irene dicta fuit, cum Andronico 2. Imperatore Orientis, filio Michaëlis, nepote Andronici (qui etiam ducta (*b*) Irene Montisferratensi affinitatem cum domo Brunsuic. inierat)

(*a*) Meibom. in aurea bulla Andron. p. 190. (*b*) Meib. ibid. p 189.

inierat) & pacem *(a)* Bohemiæ dissidenti attulit. Ita rebus domi pacatis Joannes rex virtutem suam suorumque foris exseruit, & Ludovico Imp. victoriam illam insignem ad Ampfingum, vicum Bojariæ ignobilem, sed tantâ victoriâ nobilitatum Anno 1322. peperit, *quâ Ludovicus lætus*, perhibente Dubravio *(b)*, *postero die* (fuit is 29. Septembris) *amplius sexaginta nobilium proceres Bojemos Moravosque ad se nominatim* evocat, *baltheisque & aliis militaribus donis virtutis ergò singulos exornat.* Tunc & pars Marchionatus Brandenburgensis, mortuo sinè liberis *(c)* Woldemaro, ultimo ex familia Alberti illius Ursi hærede, dante & connivente Cæsare, cessit Bohemo, potiori parte *(d)* Ludovico filio à Cæsare data. Inter hæc Anno illo quo luxit Cometes, pax quoque Archiepiscopo Colonienſi *(e)*, qui adhuc Friderici partes contra Ludovicum turabatur, data, quæ tamen intra biennium rupta est. Multa dehinc bello paceque gesta, tristia & læta apud Trithemium, Sabellicum, Aventinum *(f)* (qui verè illius temporis gestorum occasione *lætis semper adversa interpolari* ait) aliosque Scriptores invenio. Hæc licet longius à Cometa dissita, vel secundùm illorum qui longissima quæque ad Cometas referre solent, huc pertinent, vel bella, Principum funera, regnorum mutationis aliaque adversa & maximè notabilia sinè Cometis evenire docent. Pauca talia ex diversis Auctoribus excerptâ hîc proponemus. Anno Cometæ apparitionem proximè sequenti Pisani maximam victoriam de Guelphis obtinuerunt. Postero Vladislaus Lokietkus diademate ornatus est & Carolo Regi Hungariæ filiam Elisabetam locavit. Rex Galliæ Philippus Longus cum Flandris pacem percussit, ac filiam Margaretham Ludovico Nivernensi Comiti elocavit. Anno vicesimo secundo supra ter decies centesimum, mortuo Philippo Longo, Carolus Pulcher successit. Hujus vidua Anno 1328. (quo etiam Ludovicus Romanus, Ludovico Bavaro Imp. Romæ, cum diademate augusto ornaretur, natus est) peperit filiam Blancam, quæ litem de regni Gallici successione inter Edoardum 3. regem Angliæ & Philippum Valesium diremit. Cum enim ille jure materno regnum sibi deberi, utpote Philippi Pulchri ex filia Margaretha nepos, trium Philippi filiorum, Ludovici, Philippi & Carolo sororis filius *(g)*, contenderet, hic jure sanguinis masculi, utpote Philippi Pulchri fratre Carolo Valesio genitus, & lege Salica regnum obtinuit, Anglis usque adhuc titulum regni Franciæ retinentibus. Inter hæc ex illo Caroli Hungari & Elisabethæ Polonæ conjugio Anno 1321. filius Carolus *(h)*, & tertio post anno Ladislaus: tùm Anno 1326. Ludovicus, Regum ille Clarissimus, quartus mox filius, cui Andreæ nomen fuit, postero: quintus tandem Stephanus dictus, paulò post natus est. Elisabeta quoquè Regina Bohemiæ paulò post Cometæ apparitionem Premislaum *(i)* & anno vertente Joannem enixa est. Anno 1323. Ludovicus Nivernensis, qui Roberto Comiti Flandriæ successerat, pacem cum Hollandis & Zelandis fecit. Rex Bohemiæ Joannes, restituto *(k)* libertati Henrico Austriaco, urbes quasdam ab eo recepit. Recepit & Anglus Aquitaniam à Gallo occupatam. Ideò fœdus renovatum *(l)* ac pactæ inter Anglum & Scotum annorum tredecim induciæ. Taceo reliqua, quæ apud Auctores *(m)*, quos citavi, occurrunt pacis & matrimoniorum fœdera, Principum natales, sed & funera, ac bella, quorum pariter hæc tempestas ferax fuit. In hæc tempora aliquot annis à Cometa nostro remota incidit celeberrima Henrici Brunsuicensis peregrinatio, Alberti M. avi & Henrici Leonis atavi exemplo in Orientem susceptæ, à qua Henricus de Græcia dictus. In hac nuptiæ ejus cum Maria filia Regis Cypri, & aurea bulla affinis Andronici Imp. atque ita, non secunda, ut Clarissimus Meibomius docet, sed tertia, initio à Berta illa Sultzbacensi facto & communi Bavaro sanguine ex alto deducto, affinitas maximo Serenissimæ Domûs Brunsuicensis ornamento notanda & hic meritò ponenda mihi erat.

(a) Dubrav. l. c. (b) Avent. Annal. 7. p. 606, 607. (c) Dubrav. l. 20. p. 163. (d) Bunt. ad 1319. (e) Trith. ad 1318. (f) Annal. 7. p. 607. (g) Polyd. l. 19. p. 360. Serres in Philip. Val. Petav. Rat. temp. p. 1. l. 9. c. 6. (h) Bonfin. dec. 2. l. 9. p. 348. (i) Dubrav. l. 20. p. 167. (k) Calvis. ad 1323. (l) Polyd. l. 18. p. 354. Jov. Chron. ad 1323. (m) Vid. Paralip. ad Ursperg. Fabric. Saxon. memorabil.

CCLXXXIV. & CCLXXXV. *Anno Chriſti* 1337. *regnante Imperatore Ludovico Cometa viſus terribilis in Tauro per* 4. *menſes durans apparuit, cumque hic vix per ſpatium menſis unius eſſet viſus, alius juxta priorem, per Junium, Julium, Auguſtum ſe conſpiciendum præbuit. Hos quibuſdam in locis ſanguinis pluvia ſecuta eſt, ut annotant Hiſtorici. Deindè locuſtarum copia magna ab Oriente venit, in qua ſingulæ alas ſenas habebant, dentibus in formam gemmarum nitentibus, armatæ fuerunt, Solis conſpectum more nubium auferentes. In longitudine* 35000. *paſſuum, in latitudine* 10^{m}. *occuparunt aëra, acie inſtructa ſulcantes, caſtra metantes in terra legiones præmittebant, ut antecurſores occupaturi locum caſtris itinere unius diei aptum, legiones anteibant, quæ in ordines vel cohortes poſtquam diſtributæ fuerint, cum Solis ortu profectæ ſunt,* 9. *hora ſuper tellure ſedentes, ubi annona defuit, in alium locum migrarunt. Hiemis verò tempore propter frigus ſe condere poſtquam coactæ ſunt, æſtate poſtea redire pollicebantur. Quarto autem anno ciconiarum, cornicum, graculorum monedularumque agmina, arborum frondes, ſegetes, herbæ per univerſam Germaniam, longo latoque tractu per* 3. *æſtates depaſtæ ſunt, cælum fruſtra æris crepitu, tintinnabuliſque arceſſitum. Rotuvila Imperialis civitas fulmine incenſa ac miſerè devaſtata eſt, licet* 60. *tantum homines cæleſti flamma conſumpti ſint. Peſte Noribergæ multa* 1000. *homines hoc anno conſumti ſint.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1337. *dirus Cometes in Tauri ſigno* 4. *menſes & amplius duravit, cui acceſſit alter, qui unà cum illo menſibus Junio, Julio & Auguſto effulſit. Clades bellorum multæ, vis locuſtarum & peſtis Norimbergæ.* Ricciolus ex Prætorio.

Anno Ludovici Imper. XXIII. Salutis MCCCXXXVII. *Cometes per quatuor menſes apparuit, & antequam exſtinctus ſit, emicuit alter menſibus duobus.* Chron. Belg.

Anno Chriſti 1337. *duo Cometæ arſerunt, prior* 4. *menſibus, poſterior menſibus duobus.* Bunting. in Chronol.

Anno Chriſti MCCC XXXVII. *Duo Cometæ diverſo tempore orti apparuerunt, quorum alter tres, alter quinque menſes durat.* Fabric. rer. memorab. Saxon.

Anno Chriſti 1337. *Duo Cometæ hoc anno fuerunt conſpecti. Contentio inter Ludovicum Bavarum & Clementem VI. eſt orta. Locuſtæ quoque multum damni hinc inde dederunt.* Alſtedius.

ANnotat hunc geminum iſtius anni Cometam Funccius, qui ei, ut alia triſtia, ita & bella tribuit, præcipuè illius inter Gallos & Anglos geſti, & cum nullo antehac geſto, ex quo Galli Romana arma ſenſerant, comparandi initium (*a*) proximè ante Cometæ apparitionem eveniſſe demonſtrat. Et tamen Sifardus, qui etiam hunc Cometen memorat, & multa adverſa pariter longè diſſita in ejus rationes refert, hoc quoque bellum ei, ut & Eckſtormius, imputat. Calviſius quoque hos Cometas recenſet. Sed occurrit alia de his Cometis difficultas. Nam cum uno anno apparuerint & viciniſſimi ſibi fuerint, ita ut vix prior alterum unius menſis ſpatio præceſſerit, non temerè quis ſuſpicari poſſet, unum eundemque Cometam qui octo circiter menſibus durârit, fuiſſe. Aventinus (*b*) certè unum illo anno per 3. amplius menſes apparuiſſe teſtatur. Sed & Eckſtormius, antequam duos illos Cometas, alterum quadrimeſtrem, alterum ex Spangenbergio bimeſtrem ad annum 1337. memoraſſet, duos Cometas eis, Peucerum allegans præmittit, dum ſic ait: *Imperante Ludovico Cometæ effulſerunt duo, alter Anno Chriſti* 1337. *alter biennio poſt. Secuta hos eſt præter atrocem peſtem pernicioſa diſſenſio Electorum, qui à Clemente Pontifice incitati depoſito Ludovico Carolum IV. crearunt: mox & eodem amoto Güntherum Comitem Schwartzburgenſem acceſſiverunt, quæ res novos peperit tumultus, & iterùm ad arma concurſum eſt: brevi poſt tamen veneno ſublatus Güntherus Imperium Carolo conceſſit.* At enim tot præclari Auctores geminum Cometam adnotant. Fateor famem, affirmante Trithemio, eodem illo anno ſæviiſſe. Sed Clemens VI. anno demum 1342. eodem Trithemio annotante & aliis, electus eſt. Tùm verò illa electio Caroli IV. anno demum 1346.

(*a*) Funcc. ad 1335. Polyd. l. 19. p. 366. Jov. ad 1336. (*b*) Annal. 7. p. 621.

facta est. Non video itaque quomodo hæc cohæreant. Annus ille quo Cometæ bini apparuerunt, victoriâ Alfonsi Castellani de Alfonso Lusitano obtentâ, Silesiæ Principum dissidiis, & luxu debilitatorum subjectione (a) Joanni Regi Bohemiæ facta, tractatione de pace, inter Gallum & Anglum sanciendâ insignitus fuit. Invenio etiam apud Dubravium pacem inter Vladislaum Lokietcum Poloniæ, & Joannem Bohemiæ Regem, tunc operâ Caroli Hungariæ Regis fuisse inter multa effusæ lætitiæ & munificentiæ Caroli documenta compositam. Sed annum quo hæc facta sunt non invenio. Bonfinius (b) pacem cum Casimiro, illo scilicet Magno Vladislai filio, & anno quidem 1335. sancitam scribit. Casimirus autem Anno 1333. felicibus auspiciis regnum iniit, utpote qui anno 1336 & 1337. (c) Russiam Poloniæ conjunxerit, postea & Masoviam in fidem acceperit, nec tantùm suburbium Cracoviæ maximum & auctoris sui nomen retinens, sed arces quadraginta & plurimas ædes sacras ac templa, maximamque ædificiorum lapideorum partem ac Rempublicam legibus condiderit. Ita pax illa cum Casimiro, quem Patri tunc de pace tractanti adfuisse Dubravius ait, inita foret, idque mihi rationibus temporum magis convenire videtur. Sed quicquid de eo sit, rem illam lætam apparitioni hujus vel proximè antecedentis Cometæ successisse patet.

(a) Dub. l. 21. p. 175. (b) Dec. 2. l. 9 p. 351. (c) Bielscius Chron. Pol. l. 2.

CCLXXXVI. *Anno Christi* 1338. *obiit Andronicus junior Imperator Orientis. Ante obitum ejus, cum Sol propemodum ad Solstitium æstivum pervenisset, vesperi statim post Solis occasum, stella non crinita, sed barbata gladio similis apparere cœpit. Ortum à pedibus Pegasi ducebat, qui à spina Tauri parum absunt. Coma ejus versus Orientem latè extendebatur: rectà quotidiè versus Septentrionem ascendebat tribus circiter partibus. Cum Polum Arcticum præteriisset, & post eum Ursam Minorem ex spiras Draconis, dextrum etiam Herculis pedem attigit, indèque coronam Ariadnes, postea sinistram Ophiuchi manum percurrit, & quia ibi latus est signifer circulus & æquinoctialis & locus calidus, durare Cometa non potuit, cum ejus origo humidâ exhalatione constet; quare comâ dissipatâ, & ipse penitùs evanuit: quippè qui stellæ speciem quidem haberet, stella verò non esset.* Eckstormius ex Nicephoro Gregora Hist. Rom. lib. 11.

HOc ipso anno (a) Philippa Edovardi Tertii Regis Angliæ uxor Antverpiæ, quò Rex fœderis cum Flanderis adversus Gallum firmandi causâ venerat, enixa est filiolum, cui Leonelli nomen impositum est. Tunc quoque Anglus, quòd Gallus prælii copiam facere nollet, victori similis Liliorum insigni (b) & Franciæ titulo assumto in Angliam transfretavit. Iste quoque annus victoriis Andronici Imperatoris, quas de Turcis, Ætolis & Acarnanibus in suam ditionem redactis, cum divite præda reportavit, insignis & lætus fuit.

(a) Polyd. l. 19. p. 267. Jov. ad 1338. Fabric. memorabil. Sax. ad 1339. (b) Jov. ibid. Bunting. ad ann. 1338.

CCLXXXVII. *Anno Christi* 1339. *Cometa effulsit.* Eckstormius ex Peucero.

ANnus ille, quo Cometes in cælo visus, multa bello paceque gesta protulit. Multa tunc temporis, & hoc ipso anno in Conventibus Imperii, pro tuenda adversus Romanæ Curiæ arrogantiam Imperatoris & Imperii majestate, facta esse affirmat, Calvis. edit. Lipsiens. ex Aventino (apud quem * hæc prolixè deducta invenio) in edit. verò Francofurt. ex Trithemio, apud quem nil tale in Chron. Hirsaug. & Sponheim. video. Verum enim verò is hoc anno Reinaldum Comitem Gelriæ, virum bello paceque clarissimum Ducibus, Wilhelmum verò Comitem Juliacensem, manu itidem & consilio promtum Marchionibus annumeratum esse, Imperatorem fratris sui Rudolphi Electoris Palatini, qui partes Friderici Austriaci pertinaciter † se-

* Annal 7. p. 621, 622. & seqq. † Trithem. ad 1313.

ctatus, exsilii pœnam subierat, hæreditatem filiis in gratiam receptis divisisse testatur. Huic quoquè anno natalem suum Academia Pisana, Francis. Petrarcha, Vir ingenii & virtutum meritis præstantissimus, lauream debet, Nauclero teste, sed Platinâ rem hanc in annum proximum referente. Hunc quoquè annum binâ Hispanorum victoriâ, de Mauris invasoribus obtentâ, clarum & lætum fuisse, Mariana perhibet. Funcius verò Ludovici Ungari (qui filius Caroli, nepos Caroli Martelli fuerat) in successorem à Casimiro rege Poloniæ adoptionem illo anno factam scribit, cum Bonfinius (*a*) eam in 1336. referat.

(*a*) Dec.2. l.9. p.351.

CCLXXXVIII. *Anno Christi* 1340. *circa Dominicam Lætare in Quadragesima Cometa apparuit.* Trithem. Chron Hirsaug. & Sponheim.

Anno Ludovici XXVI. Salutis M CCC XL. *Cometes in cælo est visus. Item pestis Florentiæ* 16. *millia urbanæ multitudinis extinxit, & per agrum fœda strage desæviit.* Chronol. Belg.

Anno Christi M CCC XL. *Cometa visus est Sole existente in Ariete, à Spica Virginis cursu suo die ac nocte quinque gr. conficiens, & tandem in Leone desinens.* Fabric. rer. memorabil. Saxon.

Anno Christi 1340. *Cometa in Virgine mense Martio apparuit. Hunc crudele bellum inter Francos & Anglos secutum est, in quo bello* 10000. *Francorum trucidata sunt. Florentiæ* 16000. *hominum peste exstincta sunt. Hispani ducenta &* 22000. *Saracenorum in regno Granatæ interfecerunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1340. *Hyeme finiente, & Sole in Arietem ingresso, apparuit Cometa in forma ensis, non dissimilis ei, qui ante triennium fuerat visus, nisi quòd locus & motus differebant. Incipiebat hic in fine Libræ, ubi tùm stabat Spica Virginis, & singulis* (adde, 24.) *horis progrediebatur* 5. *gradibus, donec veniret in signum Leonis, & tunc evanuit. Eodem anno Rex Angliæ Eduardus* 24. *Junii pugnâ vicit Gallos, & naves eorum aut cœpit, aut fregit.* Eckstormius ex Chron. Saxon.

HUnc, ut colligo, Cometam notat Bonfinius, (*a*) qui sic ait: *Tertio anno Poloniam, Austriam & Boëmiam invasêre* (Locustæ, postquam Pannonias invasissent) *mox bipartitò divisæ in Italiam & Gallias effusæ, populatis agris, communi exitio passim absumtæ sunt. Eadem quoquè tempestate Cometes in cælo visus, ac in Hetruria, inprimisque Florentiæ, pestilentia magna desæviit. Sexdecim hominum millia sunt lue hac absumpta: quum agitato in urbe censu conditoque lustro* 90. *hominum millia superiore anno censa forent.* Locustarum triennio Poloniam, Austriam, Bohemiam & indè totam Germaniam vastantium Calvisius anno 1338. meminit; Aventinus eas (*b*) Anno 1337. erupisse, & quarto demum anno Ciconiarum, graculorum, cornicum, monedularum & hujuscemodi volucrum agmina illas devorasse, herbas, arborum frondes, segetes, fænum per universam, quà longè latè porrigitur, Germaniam tres æstates depastas esse memoriæ prodit. Ille, quo Cometa luxit, annus non pauca memorabilia tristia lætaque exhibet. Mortuo, ante Cometæ hujus apparitionem, sine liberis Joanne Henrici 13. Bojorum Ducis filio, Joannis Bohemiæ Regis ex filia Margaretha nepote, Imperator sanguine proximus (*c*) hæreditatem ejus adiit, & utramque Bojariam conjunxit, & pacem sanxit. *Iisdem diebus Margaretha Tyrolia Maultesicha, ab oris magnitudine ità cognominata, nupta Joanni filio regis Bojemiæ*; ut Aventinus ibid. ait. Qui eam à Viro, quod liberis operam dare non posset, separatam, Ludovico Brandenburgensi Augusti filio, cujus uxor regibus Cimbrorum oriunda (dicta hæc quoque Margaretha fuit Christophori Regis Daniæ filia) pridem defuncta erat, nupsisse, & sic Ludovicum exacto Bojemo, ejus conjuge & Ducatu potitum esse testatur. Idem ille annus memorabili victoriâ (*d*) Edovardi Tertii, quam de Philippo illo Valesio ad Clusas retulit, induciis inter Reges factis, & nativitate Joannis regii Infantis à loco natali Gan-

(*a*) Dec.2. l.9. p.351. (*b*) Annal.7. p.621. (*c*) Avent. Ann.7. p.625. (*d*) Polyd. l.19. p.369.

davensis

davensis dicti *(quæres* Patris Edovardi *lætitiam adauxit(a))* clarus fuit. Tùm verò etiam memorabili inter Mauros & Hiſpanos alternante victoriâ, non obſcuro viciſſitudinis gaudiorum & luctûs, Cometarum apparitionem excipientis, documento nobilitatus. His addere licet, Ludovico Marchioni Miſniæ, Landgravio Thuringiæ hunc annum fuiſſe natalem. Fuit is Friderici, qui Gravis dictus eſt, filius, qui paulò ante *(b)* aliquot filios ſuſcepit, quorum læti natales proximorum Cometarum eventibus erunt annumerandi.

(a) Polyd. l. d. p. 370. (b) Fabric. memorabil. Saxon. ad ann. 1330, 1331.

CCLXXXIX. *Anno Chriſti* 1341. *Cometa iterùm apparet in Libra, viſus propè Spicam Virginis, qui ſingulis diebus ſingulis ferè gradibus progrediens, cum ad Leonem perveniſſet, evanuit, & Andronicus Imperator die* 15. *Junii paulò ante Solis ortum ex ſplenis tumore moritur.* Calviſius.

Anno Chriſti 1341. *alius Cometa in Signo Virginis apparuit menſe Martio, & Norimberga* 400. *ædificia incendio abſumta. Mortuus eſt autem Andronicus Imperator.* Riccioius ex Prætorio.

DE hoc Cometa, morti Caroli Hungariæ & Roberti Siciliæ Regis vicino, loquitur Bonfinius, qui illis, quæ proximè exſcripſimus, verbis, ſubjicit: *Poſtero anno & Cometes & prodigia multa, quæ Principibus orbis interminantur, maximorum Regum fata traxêre. Anno namque quadrageſimo ſecundo ſupra tredecies centum Roberti & Caroli obitus interceſſit, quorum morte Italia æquè ac Ungaria animo conſternata eſt.* Triſtis illa tempeſtas aliquot funeribus, ſed & læta aliquot nuptiis Principum fuit. Nam Caſimirus Rex Poloniæ, qui etiam tunc Ruſſiam edomitam, mox adverſus Lituanorum irruptiones defenſam in provinciæ formam redegerat, hoc anno Adelheidam, Henrici ſecundi illius Ferrei, Landgravii Heſſiæ filiam, mox Ludovicus ille Brandenburg. Ducatui Carinthiæ & Tyrolenſi Comitatui inhians, Margaretham, de qua diximus, Joanni Bohemo ereptam matrimonio ſibi junxit. Is verò Joannes filio primùm ex concubina, mox ex legitima uxore Beatrice Borbonia ſuſcepto, calumniam Margarethæ refutavit. Idem ille annus, quo Cometes viſus, lite (a) de hæreditate Britanniæ, Joanne 3. Duce ſine liberis mortuo, inter Caroli Bleſenſis Comitis uxorem Joannam Claudam & Joannem Comitem Montifortis exorta, nuptiis Mariæ Edovardi filiæ cum Joanne, & induciis, quæ unius tantùm anni pactæ erant, in biennium amplius prorogatis inclaruit. Hoc tamen anno etiam peſtem & famem immaniter graſſatam eſſe Trithemius memorat. Is anno 1342. bellum & pacem Leodienſem, tùm verò & horrendam tempeſtatem, Mœnique exundationem deſcribit. Hic etiam annus Scotiæ, adhuc inter pauca læta adverſis multis afflictæ, lætus & ſalutaris fuit. Nam IV. Nonis Julii (ut Buchananus *(b)* annotat) *David Bruſſius cum uxore ad Ennerbervium applicuit, anno, quam diſceſſerat, nono: cujus adventus eò fuit omnibus gratior, quò minore in ſpe tùm res Scotorum erant.* Eodem anno Ludovicum renunciatum Hungariæ, deſignatum Poloniæ Regem, omnibus Regiis virtutibus conſpicuum, & in quem optimas quaſque dotes Gallici & Pannonici ſanguinis conveniſſe facilè dixeris, regnum feliciter iniiſſe, Tranſylvanos rerum novandarum avidos ad officium reduxiſſe, Alexandro Tranſalpinæ Valachiæ Duci, qui à patre defecerat, veniam, pacem & largiſſima munera dediſſe, & fidum dehinc expertum eſſe Bonfinius *(c)* ſcribit. Is anno proximo Ludovici matrem Eliſabetham adventu ſuo Andreæ filio Regi Neapoleos & toti Italiæ ſummum peperiſſe gaudium, Andream mox diademate Neapolitano ornatum eſſe teſtatur. Ludovicum mox anno ſequenti in Poloniam fuiſſe, Regi & filio ejus Caſimiro (cum tamen ipſe ſolius Caſimiri regis, patre Vladislao Anno 1333. defuncto, meminerit) auxilia contra Lithuanos, tùm contra Joannem Bohemiæ Regem & Tartaros feliciter tuliſſe memorat. Inter hæc annus proximus partæ Salutis quadrageſimus tertius ſupra MCCC. pace Caſimiri cum Cruciferis initâ

(a) Polyd. l. 19. p. 370. (b) lib. 9. p. 293. (c) Dec. 2. l. 10. ab initio.

celebris

celebris fuit, tùm verò & lætus optimi Hungariæ Principis Andreæ nuptiis *(d)* cum Joanna Roberti Neapolit. regis filia, & optimi proventu uberrimo vini, cujus vas ſtupendæ magnitudinis, utpote octingentas propè urnas capiens, Heidelbergæ aſſervatur, quod nuper munificentia Sereniſſimi Electoris Palatini Caroli Ludovici, Principis Generoſiſſimi, inſigniter auxit. Ad eundem illum annum 1343. Guilhelmi Coclitis, qui ſextus filius Friderici illius Gravis Marchionis Miſniæ fuit, natalem, tùm pacem inter Polonos & Sileſios reſtitutam: ad proximum Comitum Vinarienſium cum Friderico dicto conciliationem Fabricius in memorabilibus Saxon. notat.

(*d*) Petav. R. T. p. 1. l. 9. c. 5.

CCXC. *Anno Chriſti* 1345. *arſit Cometa. Sequenti anno Carolus IV. Rex Romanorum appellatus eſt, contra Ludovicum Bavarum excommunicatum.* Eckſtormius ex Onuphrio.

TRiſtitiam Ludovico, gaudium Carolo, illam etiam Gallis & Bohemis, hoc Anglis Cometa iſte prænunciavit. Illa tamen Caroli electio, auctore Pontifice Romano, Clemente VI. facta, Imperium diviſit, ut Aventinus *(a)*, Trithemius *(b)* & res ipſa indicat. Sed nec ipſi Carolo laudi fuit, qui, ſi Aventino *(c)* credimus, *ob perfidiam omnibus inviſus, nuſquam receptus, vivo Ludovico aut Galliis aut Hercyniæ latebris prodire, nec habenas rerum uſurpare auſus eſt.* Hic annus Guilhelmo præpotenti Hanoniæ, Hollandiæ, aliarumque terrarum Comiti, prole orbo vitam abſtulit, opimam hæreditatem cognomini filio ſororis Margarethæ Ludovici Imperatoris uxoris dedit. Ita rebus tunc in Hollandia pacatis *(d)*, tot ampliſſimæ ditiones ad domum Bavaricam devolutæ, annis ferè octoginta ab ea poſſeſſæ, poſthæc Burgundis ceſſêre. Hic etiam annus conjugium inter Catharinam Hennenbergicam & Fridericum Marchionis Miſniæ filium, & diſſidio, cui Hennenbergicus dotem promiſſam negans cauſam præbuerat, compoſito, ac in dotem datâ Friderico Coburgenſi ditione (quæ hac ratione ad Landgravios Thuringiæ pervenit) pacem firmavit. Seditio interim Antverpiæ erupit, quam omni Cometa certius Edovardi Regis Angliæ, qui Ludovico Comiti Flandriam eripere tentabat, ambitio portendit. Proximus annus multis memorabilibus rebus adverſis & proſperis inclaruit. Carolus Ludovico Imperatori, ut diximus, ſubrogatus, patrem Gallo contra Anglum ſuppetias ferentem ſecutus eſt. Sed Anglus de Gallo longè omnium famoſiſſimam ad Creſciacum obtinuit victoriam *(e)*, quæ quidem, ſi quæ unquam, tàm Anglo, ut ingenium humanum, vel potius odium hoſtile fert, lætiſſima, quàm Gallo luctuoſiſſima fuit. Undecim enim Principes (inter quos duo Reges, Bohemiæ & Balearidum, & quatuor Epiſcopi) octoginta Barones, mille ducentos equites, & triceſies mille pedites, teſte Froſſardo, Gallo ſcriptore illius temporis, hauſit, ita ut Philippus & Carolus Reges *(f)* ægrè cum paucis evaſerint. Ita tunc occidit Joannes Caroli pater, eadem die, erat 26. Auguſti S. Ruffi memoriæ ſacra, qua anno *(g)* abhinc ſexageſimo octavo Ottogarus rex itidem Bohemiæ bellicoſiſſimus in prælio ceciderat, fortiter pro ſocio Gallo pugnans occubuit. Interitum ei omni Cometa vel alio augurio certius, cœca bellandi (cœcus enim pugnaſſe ſcribitur (*h*)) & rebus quidem deſperatis *(i)* libido, ut & tunc Ottogaro portendit. Prudenter Dubravius: (*k*) *Bojemis diem Divi Ruffi, quo die pugna fuit, ut triſti omine infamem execrantibus, qui alterum videlicet jam Regem bellicoſiſſimum illis abſtulerit, prius Othogarum, nunc Joannem. Quanquam non defuerant, qui illa neſcio cui fatali legi attribuerent, quæ ut vitæ ſimili utrumque alligaverit, ita per mortem quoque ſimilem illos conjunxerit. Pariter enim uterque laudis ex bellica virtute appetens erat, parique audacia in periculis confidens, pariter item mortem pro gloria contemnens, nec niſi in ultimo bellorum actu uterque à fortuna deſtitutus.* Salubre profectò bellorum avidis monitum *(l)*,

(*a*) Ann. 7. p. 628. (*b*) ad ann. 1346. (*c*) Ibid. p. 630. (*d*) Trithem. ad 1345. (*e*) Trith. ad 1346. Polyd. l. 19. p. 375. Avent. Annal. 7. p. 629. Fabric. memorab. Saxon. ad 1346. (*f*) Avent. l. d. Dubrav. l. 21. fine. (*g*) Dubrav. l. 17. p. 143. (*h*) Crantz. apud Bucholz. Dubrav. ibid. (*i*) Dubrav. ibid. (*k*) Dubrav. l. 21. p. 177. (*l*) Vid. Buntingum 1. part. Chron. Brunſuic. in Magno Torquato p. 103.

duorum

duorum Regum clariſſimorum infelici exitu ſancitum. Idem ille annus, ut multorum (a) fert ſententia, natalibus illuſtriſſimæ Academiæ Heidelbergenſis, quæ genitorem ſuum Rupertum I. Electorem Palatinum agnoſcit, tùm (b) Andegavenſis, clarus & lætus fuit. Non diſſimulo tamen Trithemium hæc in priora tempora referre, ann. ſcilicet circiter 1340. quo etiam Rupertum obiiſſe teſtatur, cum alii 1390. aſſignent; quo ferè tempore fratris ejus Adolphi pronepos deceſſit. Non diſſimulo Academiæ (c) Heidelberg. ann. 1387. Andegavenſis (d) 1396. natalem à quibuſdam conſtitui. Illa 1346. conſtituta, 1387. autem reſtituta putatur. Hanc Fabricius Anno illo 1346. à Ludovico I. Alſtedius 1396. à Ludovico 2. Duce Andegavenſi conditam ſcribit. Helvicus id de Ludovico Rege Siciliæ & Neapoleos ad eundem illum annum 1346. refert. Itaque ex ejus mente fuit iſte Ludovicus id vocabulum primus, Joannis Regis filius, Caroli id nomen Quinti, qui & Sapiens dictus eſt, paulò ante mortui frater, Sexti patruus, & à fratre conſtitutus Prorex Anno 1383. in Italia mortuus. Vid. Rit. de reg. Franc. l. 3. initio. Serres in Carolo V. VI. & Petav. R. T. 1. p. l. 9. c. 5. & 6. Alioquin & Ludovicum 2. (e) Anno 1410. (f) circiter, & hujus filium, id nomen tertium Anno 1421. (g) avitum jus, quod ſibi in regnum Neapolit. competere putabant, armis proſecutos eſſe invenio. Middendorpius fundatorem Acad. Andegav. Ludovicum pro II. ſive 2. facili errore 11. ſive XI. vocat. Cum autem hanc Academiam eodem ferè tempore cum Heidelb. Anno ſcilicet 1346. inſtitutam dicat, Ludovicum id nomen Primum non Secundum intelligat oportet.

(a) Munſter. Pantal. Bucholz. Avent. Calviſ. Helvic. Fabric. Alſted. Middendorp. (b) Fabric. memorab. Saxon. ad 1346. Calviſ. & Helvic. circa ann. 1347. Middendorp. (c) Bucholz. ad 1387. (d) Alſted. Chron. Schol. (e) Serres in Carolo VI. ad 1388. (f) Funcc. ad 1411. Petav. l. d. c. 8. initio. (g) Calviſ. ad 1421. Petav. l. d. Serres in Carolo VII.

CCXCI. *Anno Chriſti* 1347. *teſte Cypriano, Cometa in Tauro per duos menſes durans conſpectus eſt. Hunc peſtis ſæviſſima per integrum quadriennium durans, ac per totum terrarum orbem graſſans, ſecuta eſt, in qua, ab hiſtoricis ſcribitur tertiam partem hominum in Europa periiſſe. Ludovicus Imperator, de equo in venatione cadens* 11. *Octobris mortuus eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1347. *Apparuit Cometa, quem magna fames eſt ſecuta. Et ſequenti anno multa hominum millia peſtis abſumpſit.* Eckſtormius ex Chron. Saxon.

Anno Chriſti 1347. *in Auguſto conſpectus eſt in ſigno Tauri verſus Septentrionem ingens ſeu Cometes, ſeu vapor igneus de cælo velut cadens cum magno terrore ſpectatorum, per dies paucos viſus. Succeſſit totâ Europâ, ſed præcipuè in Italia fames valida. & anno ſequente peſtis ab Aſia uſque ad Britanniam, quæ triennalis fuit & maximam partem mortalium abſtulit, ſuperavitque omnes poſt hominum memoriam lues & morbos.* Ricciolus ex Prætorio.

REfert hunc Cometem in cenſum Cometarum Alſtedius & Schorerus in nupero de Cometarum commentario, cui etiam peſtem toto orbe graſſantem ſubjicit. Non eo inficias & tunc temporis & aliàs à Cometarum apparitione peſtem aliaque mala in orbe graſſari. Dico tantum etiam bona & læta eis ſuccedere, inter quæ & aëris temperiem ac ſalubritatem ſupra monſtravimus. Hic annus Ottoni Ludovici Imperatoris filio (a) lucis uſuram attulit, Andreæ Regi Apuliæ & Ludovico Principi, vel invidia teſte, omnibus regnandi artibus inſtructiſſimo, & pace belloque clariſſimo, abſtulit. Nempe naſcendi & moriendi vices ſedulò in Regum quoque turribus natura exercet, nec ad opera ſua determinata peragenda Cometæ crinibus trahitur. Ludovico non Cometa, ſed ipſa natura, & magno quidem Climacterico, anno ætatis ejus ſepties nono (b), vitam ademit. Non deeſt ſuſpicio veneno (c) eum peremiſſe. Aventinus id reticet, licet Calviſius edit. Francof. id ei tribuat, cum Lipſienſis Onuphrio id tribuiſſet, & equo excuſſum inopinato fine (apoplexiam vocant) naturæ

(a) Avent. Annal. 7. p. 630, 633. (b) Avent. Annal. 7. pag. 630. (c) Trithem. ad 1347.

conceſſiſſe

conceſſiſſe perhibet. Is non tantùm peſtem (*d*), ſed & terræ motum maximum & alia prodigia mortem Ludovici ſecuta recenſet. Eodem menſe Auguſti quo Cometes luxit, Anglus urbe Caleto in portu Giſſoriaco potitus, pactis paulò poſt cum Gallo induciis ac re præclarè geſta in Angliam trajicit. At menſe Julii Epiſcopus Leodienſis victoriam de civibus rebellibus reportavit. Poſtero anno David rex Scotiæ Angliam incurſans ab Anglo victus captus eſt. Galliæ Narbonenſis, præcipuè verò Allobrogum pars à Philippo rege emta, antiqui Domini Delphini nomen ex pacto retinens, filio Regis primogenito (*e*) (ſicut Wallia (*f*) Anno 1254. apúd Anglos) ceſſit, cum inſigni, ut par eſt, lætitia, cum illa regio agrorum proventu, civitatum opulentiâ, ædificiorum nitore, reliquâ Galliâ (*g*), lætior ſit. Inter hæc, ut & ſequentibus annis, multa bello paceque fiunt egregia. Eminet pax Imperio reddita, confirmato Carolo, poſtquam Edovardus Rex Angliæ imperium recuſaſſet, Fridericus Landgravius Thuringiæ & Marchio Miſniæ, & Guntherus Comes Schwartzburgenſis, pulcherrimum, Optimi, cognomen (*h*) à moribus indeptus, juri electionis, prece & precio victi, renunciaſſent. Ita Carolus imperium à clementia auſpicatus eſt, quod ut aliàs, Dubravio (*i*) referente, ita & Mecklenburgenſibus Comitibus, Alberto & Joanne (*k*) in cenſum Ducum Anno 1349. relatis, teſtatus eſt. Mox *Superiorem Inferioremque Germaniam*; ut Dubravius ſcribit, *peragrans, ab omnibus Imperialibus civitatibus; magno cum honore & lætitia, propter ſingularem ejus humanitatem, comitatemque & ſummam in rebus ſtatuendis, diſcernendiſque integritatem, atque æquitatem excipiebatur, debitumque ſibi ab illis Sacramentum, quemadmodum paulò ante ab ipſis quoque principibus accipiebat. Deflectens indè ad Palatinum Rheni principem, viduitatis ibi oblitus, cum Anna ejus filia matrimonium contrahit, atque ibidem apud ſocerum nuptias concelebrat, promulgato ad cæteros Principes omnes edicto, ut Herbipolim ad diem certum convenirent. In conventu de expeditione in Italiam facienda, coronæ Cæſareæ induendæ gratiâ, actum & concluſum eſt, ut poſt menſem ſextum primo verè illa iniretur.* Mox quî Ludovicus Elector Brandenb. Ludovici nuper defuncti Imp. filius, operâ Rudolphi Junioris Electoris Palatini Carolo Imperatori ejus genero conciliatus, inſignia Imperii eidem tradiderit, ab eo verò inveſtituram Marchionatûs Brandenburgenſis (confirmationem in feudo rectius dixeris) à Cæſare acceperit, refert. Porrò annus quinquageſimus ſupra terdecies centum ſolemnibus (*l*) ſecundi Jubilæi Romani, Clemente Sexto eum integri ſeculi ſpatio à Bonifacio 8. ut vidimus, definitum, ad dimidium ſeculi reducente, celebris & quamplurimis lætus extitit.

(*d*) Avent. ibid. p. 633. (*e*) Polyd. l. 19. p. 377. (*f*) Id. l. 16. p. 311. (*g*) Cluver. Geogr. c. 9. (*h*) Avent. Annal. 7. pag 634. (*i*) lib. 22. initio. (*k*) Ibid. p. 180. (*l*) Sabell. Enn. 9. l. 8. p. 420. Polyd. l. 19. p. 385.

CCXCII. *Anno Chriſti* MCCCLI. *Cometes ſub ipſo Septentrione menſe Decembri apparuit, quo exſtincto graves ventorum æſtus ſubſecuti ſunt, & cæleſtis trabs priori ardente parte per cælum labi viſa fuit, & flamma cæleſtis poſt Solis occaſum inter Zephyrum atque Auſtrum latiſſimè excreſcens, terribileque oſtentans incendium, tandem murmure magno per cælum ruit.* Chron. Belg.

Anno Chriſti 1351. *menſe Decembri Cometes ſub ipſo Septentrione apparuit, quo extincto graves ventorum æſtus ſubſequuti ſunt, & cæleſtis trabs à priori parte ardens per cælum labi viſa eſt.* Trithem. Chron. Hirſaug.

Anno Chriſti 1352. *menſe Decembri Cometa in plaga mundi Septentrionali apparuit, quo exſtincto graves ventorum æſtus ſunt ſecuti. Trabs cæleſtis priore parte ardente de cælo labi viſa eſt. Deindè Ludovicus, filius Principis Philippi Tarentini, poſtquam contra Ludovicum regem Pannoniæ regnum Apuliæ acquiſivit, & à Clemente Pontifice Neapoli eſſet inauguratus, poſteà poteſtatem regiam accepit. Frignans, Maſtyni filius expellice natus hoc anno, quando pater, recreandi animi cauſâ, Belzanum oppidum Teutonicorum ſe contulit, urbis dominium ipſe occupavit, conſpiratione inter cives ortâ, ac ipſum patrem Canem cum omnibus aliis filiis excluſit. Canis autem auxilio aliorum adjutus exercitu congregato urbem obſedit, eamque poſt oppugnationes multas recepit, deque*

filio Frignano, civibus ſeditionem moventibus, ſupplicium ſumpſit. Tartari & Ruteni in Poloniam irruperunt, omniaque devaſtarunt. Rockenbachius.

Anno Chriſti 1352. *menſe Septembri apparuit Cometa verſus Septentrionem, quem ſecuti ſunt venti vehementes & magna ſiccitas.* Eckſtormius ex Schoſſero, is ex Chron. Saxonico.

IN hoc quoque Cometa annotando diſcrimine unius anni Scriptores ab ſe diſtant. Alii & in menſe differunt. Alſtedius eum in 1351. refert. Ricciolus in 1352. Sabellicus [a] quoque his rationibus favet, dum eum morti Clementis VI. qui Anno 1352. obiit, ſubjicit. Ita verò ille: *Eſt & Cometes ingens in cælo obſervatus, ac biennio poſt* [b] *trabalis ſpecies ignea aperto cælo cucurrit, flamma ingens poſt occaſum Solis inter Zephyrum & Auſtrum magnum trahens incendium, cum terribili ſonitu ad terram deprimi viſa eſt; ſed hæc etſi rara viſu, naturæ tamen ſunt opera, vulgi opinione prodigioſa, & iccircò non omninò indigna quæ inter exempla temporum referantur.* Niſi deſcriptio & trabis apparitio doceret unum eundemque Cometam eſſe, annus & menſis diverſus ab Auctoribus annotatus, duos diverſos Cometas fuiſſe perſuaderet. Optaſſem Calviſius utrumque phœnomenon ex Trithemio accuratè, ut ſolet, annotaſſet. Equidem cæleſtem flammam Anno 1352. poſt Solis occaſum inter Zephyrum & Auſtrum latiſſimè excreſcentem, terribileque oſtentantem incendium, quæ cum magno tandem murmure per cælum dilapſa fuerit, anno verò proximo longum poſt ſe trahentem exſtinctum limitem, quæ à Septentrione in Auſtrum delata fuerit, ex eodem [c], ut Francofurt. editio docet, annotavit. Sed Cometam præteriit, ideòque neque hanc de natali Cometæ controverſiam attigit. Sed enim ille idem quod Bonfinius [d] fecit, qui iiſdem ferè verbis, quæ ex Trithemio exſcripſimus, geminam illam flammam cæleſtem deſcripſit, ſed Cometæ non meminit. Sabellicus vel flammam anni 1352. pro hac anni 1353. poſuit, vel Cometa ſecundùm ejus rationes in annum 1350. referendus. Sed hæc morti Clementis non conveniunt. Quam victoria inter Genuenſes & Venetos alternans [e] præceſſit & excepit non obſcuro viciſſitudinis rerum inter Cometas tranſparentis argumento. Inter hæc Tigurum fœderi Helvetico acceſſit ac principem locum obtinuit. Pax bellum inter Margaretham Ludovici Imperatoris viduam, & filium ejus Guilhelmum Hollandiæ Comitem, exortum poſt victoriarum vices, ut & illud Magdeburgicum ante Cometæ apparitionem [f] ortum, operâ Brunſuicenſium compoſuit. Fabricius [g] inter alia ab Anno 1351. bello & pace geſta, inducias quoque duorum annorum, ab Eduardo Tertio Rege Angliæ cum Joanne Rege Galliæ rebus adverſis mox maximè nobili futuro, pactas, & ordinis Garterii [h] ſive aureæ periſcelidis inſtitutionem ponit.

[a] Enn. 9. l. 8. p. 422. [b] Vid. Chron. Belgic. & Fabric. memorab. Saxon. ad 1393. [c] Trithem. Chron. Hirſaug. ad 1352 & 1353. [d] Dec. 2. l. 10. p. 368. [e] Sabell. Enn. 9. l. 8. p. 421: Bonfin. dec. 2. l. 10. p. 362. [f] Fabric. memorab. Saxon. ad 1350. [g] ad ann. 1351. [h] Vid. Polyd. l. 19. p. 378.

CCXCIII. *Anno Chriſti* 1353. *ut & præcedens ſuum Cometam ſenſit.* Ricciolus.

Anno Chriſti 1353. *Cometam ſecuta eſt ſiccitas & incendium multiplex à fulmine ortum.* Alſtedius.

QUàm non tantùm triſtia, ſed & læta Cometarum apparitionem excipiant, hic annus & ſequentes clarè oſtendunt. Illa ſunt, quod locuſtæ in Africa, Aſia, Cypro & alibi terrarum omne quod viride eſſet depaſtæ fuerint, & Henricus Archiepiſcopus Moguntinus diem ſuum obierit, & ſeditio Noribergæ exarſerit, pulſo Senatu, ſed mox auctoritate Caroli Imperatoris reſtituto, ac Rex Galliæ Joannes Carolum Navarræ Regem & Carolum Normanniæ Ducem in convivio ceperit. Plura enim non invenio apud Trithemium, Bonfinium, Sabellicum, Aventinum, Polydorum, Buchananum, Tarapham, Dubravium, alioſque auctores quos consului, nuò excutio. At læta non pauca occurrunt *. Bernenſes poſtquam in ſocietatem fœderis

* Calviſ. ad 1353.

deris Helvetii venerunt, proximum à Tigurinis locum obtinuerunt. Pax illa Hollandica inter matrem & filium firmata. Uratiſlavienſis urbs † ab Imperatore amplior & auguſtior reddita. Magdeburgenſis obtentâ antiquorum privilegiorum confirmatione, novis inſuper privilegiis ab Imper. aucta. Lætiſſimo rerum proventu terra luxuriavit. Mediæ naturæ eventus hîc ſeorſum ponendus, victoria ſcilicet Venetis læta, Genuenſibus triſtis. Hùc etiam quorundam rationes referunt illa læta, tàm nuptiarum ſolemnia Caroli Imp. cum Anna (al. Agnete) Rudolphi Electoris Palatini filia & tota Bojaria, & Alberti Boi cum Margaretha Ludovici Brigenſis filia, nepti ſua, quàm alia quæ Aventinus (*a*) multa enumerat. Nec ſequentes anni effæti gaudiorum fuêre. Anno quinquageſimo quarto ſuprà tredecies centeſimum Carolus fratrem Wenceſlaum, (*b*) Comitem Lucelburgenſem, novâ dignitate Ducis aliiſque honoribus ornat. Genuenſes victoriam de Venetis referunt. Wenceſlai uxor Brabantiâ à morte Patris, Carolus coronâ illâ ferreâ, Italici regni inſigni, Mediolani, poſtero verò, aureâ Romæ unâ cum uxore, Franciſcus Cateluſius in mercedem fidei & virtutis, Joanni Imperatori Orientis præſtitæ; ſorore Imperatoris & inſulâ Lesbo integro propè ſeculo à poſteris ejus obtinenda, tandem Caſimirus Rex Poloniæ Maſoviâ, Ziemomiſlo ſe in fidem & clientelam ejus conferente, potitur. Hoc quoque anno Ludovicus Magni Pii Ducis Brunſvicenſis filius, Mechtildam (*c*) Wilhelmi ultimi Ducis Lunæburgenſis (qui cum poſthac ſine maſculis liberis deceſſiſſet, genero Ludovico [*d*], & hoc *rurſus ſterili decedente, fratri ejus Magno Torquato patruelis ſui filio ditionem reliquit) in uxorem accepit. Sequens annus Bullam* auream, legum Imperii penu, quo nil toto *in Imperio* (*e*) *ſanctius, utilius, magnificentius, inter* terræ & belli motus condidit. *Idem Anglis novam & propè nuperâ Creſſiacenſi majorem peperit in* Pictonibus *victoriam, Rege Galliæ cum Philippo filio, 17.* [*f*] Comitibus & 1700. nobilibus (MD. Jovius [*g*], at Ritius [*h*] CLXX. tantùm putat, Serres vero MDCC. cæſos fatetur) capto, qui paulò antè Regem & Ducem cum multis nobilibus in illo doloſo convivio ceperat. Quàm incredibilem lætitiam hæc res exercitui, Regi, Senatui & populo Anglicano attulerit, Polydorus [*i*] pluribus proſequitur. Hæc paulò poſt induciæ duorum annorum ſecutæ ſunt. Anno autem proximo (qui 1357. à C. N. erat) Davidis Regis Scotiæ annis decem captivi liberatio, ſequenti Dalmatiæ regni per Ludovicum Hungarum à Venetis recuperatio [*k*], & pax iis data, tùm Anno 1359. Ottonis Ducis Saxoniæ [*l*] cum Agnete filia Guilhelmi Ducis Luneb. nuptiæ, tandem Anno 1360. pax inter Galliæ & Angliæ Reges ſancita, quo etiam Margaretha illa Maultaſchia ſe Rudolpho Alberti 2. filio, & ſic Ducatum Carinthiæ & Comitatum Tyrolis Auſtriæ felici connubio junxit, & poſtero Natalis Wenceſlai Imperatoris, omnibus Anglis verò jubileus Edoardi Tertii [*m*] grandia attulit gaudia. Iſtis ſumtuoſas Ducis Lotharingiæ cum Sophia Wirtenbergenſi [*n*] nuptias Anno 1361. celebratas adnumerare licet. Inter hæc funera Principum non pauca elata, cædes & ſtrages non exiguas factas eſſe, aliaque triſtia contigiſſe fateor. Hanc tempeſtatem lætam & inſignem, Academiæ Ticinenſis [*o*] inſtauratio, Pragenſis [*p*] verò & Viennenſis [*q*] (hujus tamen initium quidam ad ann. 1237. & Friderici 2. tempora referunt) erectio reddidit.

† Fabric. memorab. Saxon. ad 1353. & 1354. (*a*) Annal. 7. p. 634. & 635. (*b*) Chron. Belg. ad 1354. Chron. Sponheim. ad 1356. (*c*) Bunting. ad 1355. Fabric. memor. Saxon. ad 1354. (*d*) Bunting. Chron. Brunſuic. 1. part. p. 101. & ſeqq. (*e*) Fabric. ad 1356. Calviſ. ad eund. [*f*] Calviſ. edit. Francof. ad 1356. Serres in Joanne. [*g*] Chron. Angl. ad 1356. [*h*] de regibus Franc. l. 3. [*i*] lib. 19. p. 381, 382. Vid. Buchan. l. 9. p. 297. [*k*] Bonfin. Dec. 2. l. 10. p. 370. [*l*] Fabric. ad 1359. [*m*] Polyd. lib. 19 pag. 385. Jov. ad 1361. [*n*] Paralipom. [*o*] Fabric. ad 1361. [*p*] Fabric. ibid. Trithem. Bunting. Calviſ. Helv. Alſted. ad 1360. Vid. Bucholz. ad 1361. [*q*] Fabric. ibid. Calviſ. ad 1358. Helv. ad 1356. Vid. Alſted. Chron. Schol. ad 1236. & Middendorp. de Acad. Vienn.

CCXCIV. *Anno Chriſti* 1362. *Menſe Martio apparuit Cometa, caudam ſuam verſus ortum protendens. Secuta eſt in regno Polonico magna annonæ caritas.* Eckſtormius ex Schoſſero.

Anno Christi MCCCLXII. *Cometa apparuit* 5. *Id. Maji propè Venerem, caudam suam versus ortum ad signum Piscium porrigens, secuta magna in Polonia annonæ caritas.* Fabric. memorab. Saxon.

PRoximi ante hujus Cometæ ortum anni gesta jam jam attigimus, quæ scilicet læta ad Cometam antecedentem referri possunt, ex eorum saltim mente, qui plurium decadum annorum gesta Cometis tribuere solent. Nunc ut ejusdem illius anni tristia attingamus, par est, quò scilicet hîc quoque demonstremus, funera Principum, cædes, bella, aliaque adversa Cometas non exspectare. Philippo duce Burgundiæ ultimo mortuo, ditio illa juris fit Gallici, & cedit Joanni regi, cui mater Burgunda fuit. Idem annus Wilhelmo primo Duci Juliacensi fatalis fuit. Duo Comites [a] Coloniæ in hastiludio lanceis se confixerunt. Edoarus dux Gelriæ post multas cædes incendiaque multa fratrem Reinardum vicit & in vincula conjecit. Uratislavia [b] tota penè in ignes Anno 1361. 8. Cal. Augusti consedit. Alia ut taceam. Propero enim ad ea quæ Cometam exceperunt. Hæc tamen pauca hoc anno invenio. Plura autem proximus annus cum sequentibus ad proximum Cometam suppeditabit. Petrus Castellæ rex, licet à Mauris clade affectus, fœdus tamen cum rege Granatæ fecit. Hunc ille nihilominus ex insidiis peremit. Regem interea Scotorum Davidem, postquam ex carcere ad repetendum thronum regium revertit, per hæc tempora pacando regno operam dedisse, Buchananus [c] testatur. Polydorus [d] & Jovius [e] nil ad hunc annum præter Coloniam Caletum deductam, ut urbs illa opulentis mercatoribus abundans ditissimum fieret emporium, commemorat. Hoc quoque anno* Adolphus Comes Marcanus Comitis Cliviæ dignitate auctus est.

[a] Trithem. & Calvisius ad 1361. [b] Fabric. memor. Saxon. [c] lib. 9. p. 298. [d] lib. 19. p. 386. [e] Chron. Angl. * Fabric. ad 1362.

CCXCV. *Anno Christi* 1363. *Cometa immensæ magnitudinis per* 3. *menses integros flagrando durans in Oriente apparuit, qui terribili suo ardore & flammâ dimidium ferè cælum occupavit, spargendo radios versùs occasum. Hunc prodigia varia & mala hominum infestantia sunt secuta. Bella & seditiones plurimæ in Italia, Gallia & Anglia sunt secutæ. Fames & pestis sævissima in Polonia & Anglia. Innocentius Pontifex ejus nominis VI. & Joannes rex Galliæ hoc anno mortui sunt. Amurathes Imperator Turcicus, ejus nominis I. in imperio verò III. multas in Europa ditiones subegit.* Rockenbachius. *Anno Christi* 1363. *ingens Cometa per tres totos menses ab Oriente apparuit, diro incendio aëris ad medium cæli versus Occidentem suos radios projiciens.* Ricciolus ex Prætorio. *Anno Christi* 1363. *arsit Cometa: qui significavit reformationem Johannis Wiclefi.* Alstedius.

FAteor hîc quoque funera Principum, bella aliaque adversa: sed affirmo læta quoque Cometis succedere. Nam licet mortem Innocentii Trithemius, Onuphrius, Calvisius & alii in præcedentem annum referant, perinde est, cum & ibi Cometam viderimus. Sed quod ad pestem & famem, cujus Rockenbachius mentionem facit, attinet, hæ ad istum Cometam ab eo non ex æquo referuntur. Magister enim ejus Funccius famem Polonicam (quam alii auctores, ut vidimus, anno 1362. adscribunt) ut & Buntingus in annum 1361. pestem Britannicam in 1362. ponit. Atque hoc rationibus Buchanani (*a*) convenit. Verumtamen fames & pestis in Germania, auctore Trithemio, anno 1365. secundum rationes verò Fabricii (*b*) anno 1363. sæviit. Læta & prospera illo quiCometam protulit, anno & sequentibus non defuerunt. Hoc enim ipso anno (*c*) Carolus Imp. Elisabetham Boguslai Ducis Stetinensis filiam, Casimiri Regis Poloniæ cognatam, Ludovici regis Hungariæ consobrinam, præsentibus non tantùm his fœd & aliis duobus Regibus, Sigismundo Danorum & Petro Cypriorum (raro aliis exemplo & manifesto benevolentiæ illâ ætate tutæ argumento) multisque aliis Principibus

(*a*) L. 9. p. 298. (*b*) in memorab. Saxon. (*b*) Dubrav. l. 22. p. 185. Jordan. ad h. l. Chron. Pol. Buning. Cromer. Cracoviæ

Cracoviæ in uxorem duxit. Nihil tunc ad ſolemnem luxum & lætitiam publicè & privatim defuit, licet anno proximo, ut Chronica noſtra (*d*) teſtantur, fames illa in regno deſæviiſſet. Hoc etiam anno Albertus II. Dux Mechlenburgicus Rex Sueciæ electus eſt. Philippus à Joanne Rege Galliæ patre dux Burgundiæ creatus, ut illa ditio ultimum ex poſteritate Roberti, qui nepos Hugonis Capeti erat, & primum ex Valeſiis, qui etiam primum Regem Philippum hujus avum Galliæ dederant, haberet Philippum. Proximo Carolus quintus, dictus Sapiens, Joanne Londini (quo vel, ut Anglo ſatisfaceret, quod Polydorus (*e*) & Jovius (*f*), vel, ut bellum ſacrum parans fœdus cum Anglo percuteret, ut Serres (*g*) & Petavius (*h*) teſtantur, abierat) mortuo felicia regni auſpicia fecit, ac meliorem Galliæ faciem (*i*), qualis homini à longo morbo redire ſolet, reddidit. Adolphus autem reſignato Archiepiſcopatu Colonienſi puellâ Montenſi in uxorem ducta, Clivenſem & Marchiæ Comitatus conjunxit primus & poſteris tradidit. Hoc quoque anno (*k*) Academia Cracovienſis à Caſimiro fundata eſt. Joannes autem (*l*) Montifortenſis, victo & ſublato hoſte Carolo Bleſenſi, Britanniæ potitus bello de ea viginti annis geſto, finem impoſuit. Paulo ante (*m*) pax inter Carolum 4. Imp. & Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæ ac Daciæ Reges bellum parantes auctoritate Pontificiâ conciliata.

(*d*) lib. 4. cap. 20. Flor. Polon. in Caſim. M. (*e*) lib. 19. p. 386. (*f*) Chron. Angl. (*g*) in Joanne. (*h*) Rat. Temp. p. 1. l. 9. c. 6. (*i*) Serres in Carolo. (*k*) Chron. Polon. Middendorp. Funcc. Bucholz. &c. (*l*) Polyd. l. 19. p. 386. (*m*) Paralip. ad 1363.

CCXCVI. *Anno ſalutis humanæ* 1365. *fuit vis frigoris ſolito acrior, & Cometes per plures dies apparuit inter Occidentem & Septentrionem, cujus radii ad Franciam pertinebant, quaſi demonſtrantes eam paucis poſt menſibus rurſus magnis belli motibus fluctuaturam, perinde ut accidit.* Polydorus lib. 19. pag. 388.

HYemem aſperrimam trimeſtri Rhenum glacialibus compedibus adſtrinxiſſe Trithemius memorat, Cometam non annotat: nec quiſquam auctorum, qui mihi ad manum ſunt. Hic annus quoque fame & peſte, ut diximus, celebris fuit. Tùm etiam variante inter Petrum Regem Caſtellæ & Henricum fratrem ejus nothum, illum Anglicis, hunc Arragonicis & Gallicis auxiliis (quod diſtinctius Tarapha in vita Petri quàm Polydorus loco dicto enarrat) fultum, victoriâ, ad ultimum tamen cæde Petri & auſpiciis Henrici, res tunc finita, quanquam hæc Calviſius * ex Mariana in paulò poſteriora tempora referat. Et Petro quidem injuſtum uxoris Blancæ Borboniæ repudium & cædes nefaria, vita ſoluta, fratris quoquè Friderici & Rubei Granatæ Regis hoſpitis ſui cædes, & ſimul avaritia ac crudelitas, intoleranda vitiorum portenta, certius quàm ullus Cometa aliudve phœnomenon, meritum prænuntiarunt exitium. Eodem anno † animam efflavit Rudolphus Archidux Auſtriæ, qui anno 1363. Academiam Viennenſem inſtituit, quam frater & ſucceſſor ejus Albertus 3. mox magnificentiſſime & munificentiſſimè perfecit. Unde Paralipomenôn auctor eam an. 1365. ab Alberto fundatam ait. Eodem anno 1365. Carolus Rex Galliæ ſapientiæ & pacis artibus ‡ regnum feliciter condebat: eaſdemque ſequenti anno exercebat. Docet hoc pax inter Joannem Montifortenſem & viduam Comitis Bleſenſis anno 1365. tùm illa ad Bretiniacum paulò poſt compoſita, aliaque. Sed inveteratum utriuſque gentis odium (*a*), & hinc conſervandæ, illinc reparandæ gloriæ & prædæ ſtudium, propius autem Aquitanis gravia tributa indicta, & horum ad Gallos defectio, vel ſinè Cometæ iſtius apparitione bellum portendiſſet. Annum ſexageſimum ſextum ſuprà terdecies centenum natalis Ricardi 2. Regis Angliæ à Polydoro præteritus, ex eo tamen collectus (*b*), tùm illud magnum Civitatum fœdus, à quo Hanſeaticæ appellantur, clarum fecit. Interlæta illius temporis referri, meritò poſſunt Ottonis Ducis Brunſvicenſis, rerum fortiter & felicitèr geſtarum famâ clariſſimi, Ferrariæ tunc apud agnatos (*c*) Ateſtinæ familiæ principes agentis, (qui Henrici mirabilis nepos, Henrici Junioris filius fuerat)

* ad ann. 1369. † Calviſ. ad 1365. ‡ Serres in Carolo V. (*a*) Polyd. l. 19. p. 389. (*b*) Polyd. l. 20. p. 400. (*c*) Bunting. Chronol. Duc. Brunſuic. & Chron. 4. part. Meibom. in aur. bulla Andron.

nuptiæ

nuptiæ cum Joanna Siciliæ Regis filia, cum qua regnum Neapolitanum dotis jure acquisiverat, sicut Funccius & illarum 14. tabularum Genealog. auctor anonymus, tùm & Buntingus, qui Serenissimorum Ducum Brunsvic. & Lunæburgensium res accuratè descripsit, hujus rei meminit: Cumprimis verò Eruditissimus Meibomius in aurea Bulla (*d*) Andron. Imp. ubi hunc Ottonem cum fratre Balthasare quadragies victorem in Italia bello tunc ardente evasisse affirmat. Hîc quoque memorandum mihi est Magni Torquati Brunsvicensis Ducis fœdus cum Gebhardo Comite Mansfeldiæ initum (*e*), cujus filio Bosoni Agnetam filiam *laude pudicitiæ & formæ elegantiâ præstantem virginem mox* matrimonio junxit.

(*d*) pag. 198. (*e*) Fabric. memorab. Sax. ad 1366.

CCXCVII. *Anno Christi* 1368. *in quadragesima Cometa apparuit.* Trithem. Chron. Hirsaug. & Sponheim.

SOlus, quod sciam, Trithemius hunc Cometam annotat. Docet autem mori Principes & motus bellicos excitari sinè Cometis, dum talia anno proximo Cometæ apparitionem præcessisse monstrat. Plura talia Polydorus, Funccius, Calvisius & alii auctores habent. Propero ad eventus Cometæ, qui multis lætis rebus præfulsit. Natali scilicet Sigismundi Imperatis & Caroli VI. regis Galliæ: & nuptiis * Leonelli Ducis Clarentii (qui Edovardi III. regis Angliæ secundo genitus erat) cum Jolantide sive Violante Galeatii primi Ducis Mediolanensis sorore, tùm paci † inter Landgravios Thuringiæ & Erfurtentes inter Pisanos & Florentinos ‡, deniquè inter Cæsarem & Barnabavem conciliatæ. Cæterùm & tristia multa annus ille tulit. Abstulit enim vis lethi Petrum regem Portugalliæ, Guilhelmum illum ultimum Ducem Lunæburgensem, Magnum Seniorem Ducem Brunsuicensem: quorum utrumquè feroces Magni Junioris, qui hujus filius Torquatus dictus est, mores & adversum cum Gerhardo Episcopo Hildesheimensi prælium ad mortem (*a*) afflixerunt. Illo quoque anno Eberhardus Comes Wirtembergensis fatis cessit. Proximo Philippus Burgundionum Dux Caroli V. Rex Galliæ frater Margaretham Ducis Flandriæ filiam unicam, amplissimarum ditionum hæredem, Edmundo Duci Cantabrigiæ Edovardi 3. filio (*b*) desponsatam, uxorem duxit, quæ res fomentis belli restaurati melius quàm Cometa accenseri potest. Sequens annus aliquot Principum funera extulit. Casimiro Piastadarum (qui in Polonia quingentis amplius annis regnârant) ultimo Ludovicus Hungarus, Princeps ille laudatissimus, Davidi apud Scotos Robertus Stuartus, familiæ adhuc in Anglia regnantis sator, Rudolpho apud Saxones Wenceslaus frater, Urbano V. Romæ Gregorius XI. successit. Wenceslaus Dux Brabantiæ & Lucelburgensis, frater Caroli Imp. victoriam Guilhelmo Duci Juliacensi concessit, qui tamen paulò post captum Wenceslaum libertati restituit, annotante, & hîc Chronicon Hirsaugiense finiente Trithemio. Hic tamen in Chron. Sponheim hoc anno (*c*) Wenceslaum regem Romanorum fuisse creatum, addit. Multa dehinc per totum quadriennium bello paceque tristia & læta (qui est continuus rerum humanarum, si cunctas animo cernas, cursus) gesta sunt. Magnus Torquatus adversam belli fortunam hîc & illîc expertus est. Rainaldus ille Dux Gelriæ libertati anno 1371. restitutus fratri Eduardo successerat, sed hoc paulò post sine hærede mortuò, opima hæreditas Guilhelmo Duci Juliacensi cessit (*d*), quâ ratione duo illi Ducatus juncti fuêre. Hermannus quoque Landgravius Hassiæ bello ab Ottone Brunsuicensi Duce appetitus, fœderis societatem (*e*) & pactum successionis cum Thuringiæ Landgraviis fecit. Sigismundo verò tunc quinquennio Marchionatum Brandenburg. à Ducibus Bavariæ (*g*) emtum Carolus pater tribuit, & sic eum Electorem declaravit. Hæc & alia, quæ omitto, docent, magnam illâ tempestate circa successiones amplissimarum regionum factam esse mutationum. An-

* Polyd. l. 19. p 391. † Fabric. memor. Saxon. ad 1368. ‡ Paralip. (*a*) Funcc. & Bunting. ex Chron. Saxon. Fabric. memorab. Sax. ad 1368. (*b*) Polyd. l. d. p. 388. (*c*) Paralip. anno 1370. Bunt. ad ann. 1376. ita & Calvis. Bucholz. &c. (*d*) Trithem. ad 1371. (*e*) Fabric. memor. Sax. ad 1372. (*f*) Dubrav. l. 22. p. 186. (*g*) Tithem. ad 1373.

num 1373. inter Henricum Castellæ & Ferdinandum Portugalliæ reges, tùm inter Comites Wirtembergenses & civitates Suevicas pax composita, sequentem harum fœdus celebrem reddidit.

Hoc etiam anno Maria Ludovici Hungari filia, Sigismundo illi Brandenburg. desponsata. Calvisius edit. Francofurt. & sororem Mariæ Hedvigin (Adjugam Bonfinius * vocat, rectius Jaduigam secundum linguæ nostræ idiotismum dixisset) Jagelloni Lithuaniæ Duci, patre annitente desponsatam fuisse scribit. Sed id à patris demùm obitu & spretis quidem à matre puellæ Ziemoviti Masoviæ Ducis (cui quorundam Procerum studia diadema & Hedvigin detulerant) tùm & impeditis à Proceribus Guilhelmi Austriaci nuptiis, factum esse, auctores nostri tradunt. Illud etiam Bonfinius confirmat, qui Lithuaniæ Ducem Jagulam vocat. Huic & sequentibus Cometis succesſit optata illa & in exemplum Viris Principibus ponenda pax & concordia fratrum Palatinorum in Bojaria, de qua Aventinus ‡: *Tres filii Stephani quos ex Elisabetha Siciliæ regina tulit, Stephanus, Fridericus, Joannes, septemdecim annos summa concordia absque herciscundæ familiæ actione Bojariam administrant, cuique dos sua fuit. Joannes venatibus aucupioque deditus, simplicitate, quæ ævo rarissima nostro: Stephanus disciplinâ militari, Fridericus rerum civilium prudentiâ inclytus fuit, sicuti adhuc proverbium in usu est: hic pecuniæ studiosus, vitibus montes Lanshutæ consevit: ille laudis avidus extitit.*

* Dec. 2. l. 10. p. 377. ‡ Annal. 7. p. 638.

CCXCVIII. *Anno Christi 1375. Cometa visus est. Paulò post fames in Italia maxima fuit. Urbes à Pontifice tunc temporis defecerunt. Seditio Cracoviæ maxima orta fuit, in qua 160. nobiles perierunt. Bella in Thuringia maxima sunt orta. Erphordia obsessa est.* Rockenbachius.

Anno Christi 1375. post crinitum sidus secuta mors Caroli IV. Ricciolus.

ALstedius quoque ad hunc annum Cometam annotat. Sed cùm eum cum Cometa anni 1380. conjunxerit, meritò quis suspicari posset Cometas eum duos in ann. 1379 & 1380. contulisse. Ita quidem Clarissimus Berckringerus Alstedii vestigia presso pede sequens eum veluti * corrigit. Alibi † tamen eodem modo Cometas collocat. Suevorum, qui Francorum vicini sunt, dissidium, putante Funccio, in annum 1377, & sequentes refertur, à quo mox machinarum bellicarum inventùm Alstedio ibidem memoratum ponitur. Et sic omnia melius conveniunt. Adde, quòd Cometæ 1375, & 1380. prognostica simultatis inter Principes Francos exortæ non æquè commodè ac Cometæ 1379, & 1380. dici possint.

Accedit quòd Alstedius, si Cometam Anno 1375. annotare voluisset, vix mortem Edovardi Walliæ Principis Anno 1376, Edovardi regis Angliæ, & Guilhelmi Comitis Hollandiæ 1377. Caroli 4. Imperatoris, & Gregorii IX. Anno 1378. prætermisset, in annotandis tristibus Cometarum eventibus sedulus: Ricciolus saltem Caroli meminit. Sed habemus & læta eaque Cometæ nostro viciniora. Anno, quo Cometes fulsit, Carolus Imp. pacem ‡ Moguntino cum Spirensi composuit. Margareta eximium illud Reginarùm decus cum filio Olao anno 1375. ut Calvisius edit. Lipsien. ex Funccio (qui tamen in annum sequentem hoc refert) regnum Daniæ auspicata, illud cum regno Norvegiæ conjunxit. Bello Ecclesiastico (*a*) in Turingia & Saxonia composito, Marchiones Misniæ divisâ Anno 1376. hæreditate paternâ quieti se dederunt: & paulo post unus illorum, cui Balthasari nomen fuit, Margaritam filiam Joannis Burgravii Norinbergensis in uxorem accepit. Anno 1378. turbæ illæ in Thuringia penitus sopitæ. Carolus verò Imp. Wenceslaum Cæsarem creari prece (*b*) precioque fecit. Induciæ inter Gallos & Anglos duodecim mensium (*c*) factæ: at inter Archiepiscopum & urbem Colonienſem pax firmissima & perpetua, ut dici solet, etsi brevissimo temporis spatio duret, sicut & hæc non diu duravit, inita. Non immeritò

* Dissert. de Comet. p. 44. † Pag. 55. & 66. ‡ Fabric. memorab. Saxon. ad 1375. (*a*) Fabric. memor. Sax. ad 1376, 1377 & 1378. (*b*) Paralip. ad 1378. (*c*) Polyd. l. 19. p. 398.

adhunc Cometam referuntur res prosperæ Ludovici Hungari adversus Venetos gestæ. Sed dedimus his meliora, justitiæ & pacis artibus, bono generis humani gesta.

CCXCIX. *Anno Christi* 1379 *&* 1380. *Duo Cometæ fulserunt, prognostica simultatis inter Principes Francos exortæ. Bertholdus Monachus Germanus anno* 1380. *invenit bombardas.* Alstedius.

Anno Christi 1380. *Cometa in Aquario per* 3. *menses integros ardens apparuit. Hunc seditio populi in Anglia contrà Consiliarios Regios, itemque bellum inter Episcopum Coloniensem & Comitem Clevensem sunt secuta. Pestis sævissima tunc temporis per totam Germaniam grassata est, bellum intestinum inter Archiepiscopum Moguntinum & Electorem Palatinum Rheni, ortum est.* Rockenbachius.

DIxi probabile mihi videri hos Cometas ita in Alstedio collocandos esse. Quia tamen nullius Scriptoris Cometam in annum 1379. annotantis testimonium conjecturas meas firmat, hîc unicum tantùm Cometam numerare æquum duxi. Tantò magis cùm unus potuerit esse, etsi utroque anno, in fine scilicet illius & principio hujus, quod novum non est, apparuerit. Quod si demonstrari posset, interim assertio Rockenbachii de trimestri Cometæ istius duratione certa sit, Cometa iste inter eos, qui diuturniores fulserunt, numerandus foret. Quod ad eventus Cometæ tributos attinet, bombardarum, quæ vocantur, sive tormentorum æneorum & sclopetorum æneorum inventio, non certò [a] Bartholdo illi Monacho tribuitur, licet verosimile viris doctis [b] videatur, Monachum otiosum rerum naturalium investigationi addictissimum & chymiæ peritissimum, potuisse tàm ingeniosum in perniciem mortalium instrumentum, Salmoneâ audaciâ fulminis fragorem & ictum imitans invenisse. Nam sunt [c] qui talibus tormentis æneis Algeriæ civitatis in Africa maritimæ incolas Anno 1342. usos esse testentùr. Alii [d] Aphris ex Exilissa & Tuneto id tribuunt. Adde quòd illi ipsi qui Bartholdo hoc fatale & [e] tartareum inventum vendicant, id in annum 1354. referant. Deniquè invenias [f] qui ejusmodi machinas globos ferreos excutientes sive vasa fragosa, quæ instar tonitrui hostes procul ferire potuerint, Persis olim, Tanai Scytharum Regina ad Vexorem Ægypti Regem id perscribente, in usu fuisse, & Virgilium earum mentionem facere, dicant. Sed multorum [g] sententia fert tormenta ærea Anno 1380. in illo celebri bello Clodiano, quod variante fortunâ & alternante victoriâ Genuenses & Veneti tunc gesserant, vel inventa vel primùm producta esse. Taceo bellum illud à quibusdam [h] in annum 1330. ab aliis in 1373. [i] referri. Nam accuratè illud & simul eleganter ad annum 1380. describit Barthol. Facius, nisi quòd tunc Henrico Romanorum Imperatori cum Venetis ob Illyrium ademtum graves inimicitias fuisse dicat, quod de Ludovico [k] Hungarorum Rege dicendum erat, imperante Carolo IV. cùm Henricus VII. Anno 1313. obierit, cui nulla cum Veneto, at Hungaro diuturna [l] de Dalmatiæ jure erat controversia. Omnibus sanè notum est, & bella gravissima geri, & maximè memorabilia & nova inventa in orbe fieri, nullo apparente Cometâ. Hoc quoque anno quo Cometa visus est, multa non tantùm belli sed & pacis artibus ad Rhenum & in Flandria ac Gallia gesta sunt. Idem in Italia factum videmus, postquam Urbanus Pontifex Romanus Carolum Regem Hungariæ in spem regni Neapolitani contra Margaretham Reginam, quem fratrem ejus antea peremerat, & jam Ottoni illi Brunsuicensi, de quo antea diximus, nupserat, ac quòd matrimonium esset sterile, Ludovicum Andegavensem Caroli Sapientis fratrem, qui sibi in regno succederet, adoptârat, sicut Calvisii editio Funcofurtana ex Mariana adfert. Sed pro Carolo Ludovicum [m] Caroli filium, Andreæ

[a] Alex. Sardus l. 2. de invent. rer. [b] Ziegl. in ill. Germ. Viror. hist. c. 86. Avent. Ann. 7. p. 639. Febr. ad cyclo. Bunting. ad eund. [c] Mariana apud Calvis. [d] Alex. Sardus l. 2. de invent. rer. [e] Polyd. de invent. rer. l. 2. c. 11. & l. 3. c. 18. & Angl. hist. l. 23. p. 463. [f] Anonym. de bombard. invent. [g] Sabell. Enn. de bomb. inv. l. 9. Bucholz. ad 1380. Funcc. p. 429. Petav. R. T. p. 1. l. 9. c. 5. Dubrav. l. 23. [h] Anonym. de bomb. inv. [i] Pantal. Chronogr. [k] Bonfin. dec. 2. l. 10. p. 373. 374. [l] Bonfin. dec. 2. l. 5. p. 266. 267. 268. lib. 6. p. 294, 295, 296. lib. 10. p. 368, 369. & seqq. Trithem. ad 1358. Fabric. & Bunt. ad 1357. [m] Bonfin. dec. 2. l. 10. dec. 3. l. 1. initio. Sabell. Enn 9. l. 8. Ritius l. 2. de regno Hungariæ.

peremti
criter h
Neapoli
hoc mo
cum An
nonnull
trem fu
inter ha
quei, q
pependi
imò viv
regno Jo
instructu
Eodem
ctus est,
succesſèr
secutus
ropæ re
Joannis
bus rebe
diam, u
illi ipsi e
que docu
Cometæ,
mum vuln
Inter Mo
mala boni
dovicus H
ad medio
accepit:
Galli verò
decimum
perennis tæ
rediissent,
ait, exortis
rerum vice
[n] Funcc
l. 9. p
regn
ad 1
[a] F

CCC.
tas ta
ita cæ
intra
stis sæ
ses (c
dria,
Turca
Anno Ch
Chro
Anno Ch

perenni

peremti fratrem, & pro Margaretha Joannam ſubſtituendam eſſe, quivis vel mediocriter hiſtoriæ gnarus videt. Quum verò ibi Carolum 2. illum Dyrrachinum, regem Neapolitanum, anno 1379. [n] vel 1381. auxilio Ludovici regis Hungariæ factum, & hoc mortuo invaſorem Hungariæ intelligi Auctores putent, meminerimus Ludovicum Anno demum 1382. [o] regno & vitâ ceſſiſſe, Carolum Andreæ (ſecundum nonnullos [p] Ludovici, ſecundum alios [q] Caroli Dyrrachini) filium [r] non fratrem fuiſſe, regnum Hungariæ adverſùs Mariam patruelem Anno 1384. [s] occupaſſe, inter hæc Joannam [t] Anno 1381. ob Andreæ mariti cædem pœnas atroci morte laquei, quo maritum ſtrangulaverat, & ibi quidem, ubi ſcelus operata fuerat, Carolo pependiſſe. Dicendum itaque factum id à Carolo, cum nondum rex Hungariæ eſſet, imò vivente Ludovico Rege Hungariæ, qui eum in Italiam ad ejiciendam paterno regno Joannam à Pontifice Urbano; Joannæ inſolentia offenſo, exoratus, exercitu inſtructum miſerit. Ita enim hæc Bonfinius [v], Ritius [x] & Serres [y] deſcribunt. Eodem illo anno, qui Cometam oſtendit, Carolo Quinto Patri, illi qui Sapiens dictus eſt, & Friderico Landgravio Thuringiæ & Marchioni Miſniæ filii cognomines ſucceſſère, & hic quidem poſtea Dux & Elector Saxoniæ renunciatus eſt. Eo qui ſecutus eſt anno, Leo Armeniæ Rex in Hiſpaniam & in Galliam venit, pacem Europæ redditurus, ſed in ipſo conatu animam reddidit. Hunc etiam annum victoria Joannis Regis Caſtellæ à Ferdinando Luſitano, & Comitis Flandriæ à Gandavenſibus rebellibus armis laceſſiti, tùm pax inter Venetos & Genuenſes ad foſſam Clodiam, ut & inter hos & Ludovicum Hungarum compoſita inſignivit. Cæterùm & illi ipſi eventus rerum, Cometæ à Rockenbachio tributi, viciſſitudinis triſtium lætorumque documenta præbent. Seditio enim Cantianorum Londini excitata, quam non Cometæ, ſed *novi inſolentis* [z] *& intolerabilis tributi, in ſingula capita* indicti, *& plebis animum vulnerantis* portentum prudentioribus prænunciavit, intra triduum [a] ſopita eſt. Inter Moguntinum quoque & Palatinum concordia [b] reſtaurata. Atque ſic omnia mala bonis, triſtia lætis mutantur & miſcentur perpetuò. Inter hæc Anno 1379. Ludovicus Hungarus Venetos, dominium maris vicinorum cum injuria ſibi arrogantes, ad mediocritatem reduxit, idemque Poloniæ Rex Walachiam in fidem & patrocinium accepit: Wenceſlaus Rex Romanorum Coloniam maximum ſecum attulit gaudium. Galli verò & Angli, tùm res domi Regibus pueris (Anglus enim undecimum, duodecimum Gallus agebat) conſtituendis intenti, tùm *belli, ut ita dicam, æterni moleſtiæ perennis tædentes*, ut Polydorus [c] ait, pacem appetunt, & mox poſtquam ad arma rediiſſent, ſatietate cædium capti, *quaſi induciis tacitis quodammodo ſua ſponte*, ut idem ait, *exortis, à bello aliquantiſper ceſſarunt, & pacis nonnihil nacti ſunt*. Atque inter has rerum vices perpetuò res humanæ volvuntur.

[n] Funcc. ad 1381. Bonfin. dec. 3. l. 1. initio. [o] Bonfin. ibid. Backſchai in Ludov. [p] Bonfin. ibid. & dec. 2. l. 9. p. 339. [q] Petav. R. T. 1. p. l. 9. c. 5. Serres in Carolo 6. [r] Bonfin. ibid. Dubrav. lib. 23. Ritius de regno Hungariæ l. 2. Bakſchai in Carolo Parvo. Calviſ. ad 1382. [s] Calviſ. ad 1382, 1385. [t] Idem ad 1381. [v] Dec. 3. l. 1. initio. [x] lib. 2. de reg. Hungariæ. [y] in Carolo 6. [z] Polyd. l. 20. p. 402. [a] Polyd. l. 20. p. 404. [b] Trithem. ad 1380. [c] Polyd. ibid. p. 401.

CCC. *Anno Chriſti* 1382. *Cometa per* 14. *dies flagrans apparuit. Hunc aëris tranquillitas tanta ſecuta eſt, ut ventus nullibi ſentiretur à mortalibus. Inde quoquè putreſcere aër ita cæpit, ut peſtilentia ſæviſſima ſequeretur. Deinde Archiepiſcopi Meideburgenſes duo intra breve temporis ſpatium, unà cum Comite Gebhardo Manſfeldenſi, ſunt mortui. Peſtis ſæviſſima non tantùm Germaniam, ſed etiam totum ferè mundum afflixit. Genuenſes* (corrige ex Funccio Gandavienſes) *bellum inferunt Civitati Bruck ſitæ in Flandria, in qua pugna* 72000. *hominum interfecta ſunt. Boſſina, Croatia & Illyria à Turca devaſtatæ ſunt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1382. *circà ferias B. Martini viſus eſt Cometa diebus* 14. Eckſtormius ex Chron. Saxonico.

Anno Chriſti 1382. *Cometam extinctum ſecuta eſt peſtis ſæva.* Alſtedius.

MEminit hujus Cometæ Fabricius in memorabil. Saxoniæ: quem, ut ille ipſe adnotat, non tantùm triſtia, ſed & læta ſecuta ſunt. Anno enim 1384. Imperator pacem Ordinibus Imperii, cumprimis verò Saxoniæ confirmavit. Paulò poſt Lituania converſa, Academia Senenſis & Colonienſis erecta, aliaque læta evenêre.

Sifardo Cometa iſte eſt viceſimus ſecundus ordine. Is effectus ejus ad annum ferè bis ſepties centeſimum producit, ac nil boni per hæc tempora eveniſſe memorat. Rockenbachius tamen aëris tranquillitatem inſolitam ei tribuit. Sed huic peſtem ex putrefactione aëris ſucceſſiſſe, nil autem de magna annonæ abundantia, quam cum aëris tranquillitate magiſter ejus Funccius commemorat, dicit. Mortem duorum illorum Archiepiſcoporum Magdeburgenſium & Comitis Manſfeldenſis nec apud Funccium, nec apud Bucholzerum, imò nec apud Trithemium, ſed apud Fabricium in memorab. Saxon. & Calviſ. & apud hunc quidem juſti judicii divini in Archiepiſcopo illo choreas ducente ſtatutum invenio. Invenio autem non pauca alia virorum Principum funera. Nam Anno 1382. Ludovicus Hungarus & Ferdinandus Portugalliæ Reges (ante Cometam tamen, ille 13. Sept. hîc 20. Octob.) è vivis exceſſerunt. At anno ſequenti, ut Trith. (*a*) & Funccius & Calviſ. edit. Lipſienſis, vel 1384. ut idem Calviſius edit. Francof. habet, Wenceſlaus, ut Trithemius (*b*) & Calviſius (*c*) edit. Francof. non ut Funccius Buntingus & Calviſius (*d*) edit. Lipſ. habet, Wilhelmus Dux Brabantiæ & Lutzemburgii, ſed Wilhelmi (*e*) Comitis Hollandiæ hoſtis Imperatoris non Henrici 4. (ut Trithemius (*f*) habet) ſed Caroli 4. frater, Joannis Regis Bohemiæ non frater, ut Trithemius (*g*) putat, ſed (ut ille ipſe (*h*) dicit, Dubravius (*i*) & res ipſa docet) filius, Henrici VII. Imperatoris nepos (ut ipſe Trithemius alibi (*k*) teſtatur) tùm & Ludovicus Comes Flandriæ, diem ſuum obiit. Proximus annus, qui partæ ſalutis octogeſimus quintus ſupra MCCC fuit, Caroli Parvi, illius Dyrrachini, tùm & Reginæ Eliſabethæ morte acerbâ inclaruit. Sed illi ambitio & ingratus in Ludovici Regis, patrui & verè patris ſui hæredem Mariam animus, huic verò patrata Caroli cædes (*l*), interitum, omnia homicidia ulciſcente divinâ juſtitiâ, certius Cometâ portendit. Reditus Mariæ Sigiſmundo & omnibus maximè lætus fuit (*m*). Taceo alios qui præſertim poſterioribus annis vitam cum morte commutarunt. Venio potius ad læta, inter quæ nonnulla, ſi non omnibus, multis tamen læta invenias. Trithemius victoriam Suitenſium ſive Helvetiorum de Leopoldo Auſtriaco in hunc annum quo Cometes viſus eſt, refert: at Paralipomenôn Auctor Funccius, Bucholzerus & Calviſius aliique annum 1386. Fabricius 1385. aſſignant. Ricardus 2. Rex Angliæ Wenceſlai Imp. filiam matrimonio ſibi Anno 1384. copulavit. Poſtero Wilhelmus Bojus, ille memoratus Hollandiæ Comes, cum Philippi Burgundiæ Ducis filia, cum magna pompa & ſolennitate ſpectabili, notante Trithemio, celebravit. Eodem memorante, anno proximo pax Wormatiæ compoſita & tanta vini copia provenit, ut tempore vindemiarum præ ubertate vaſa deficerent, vendereturque plauſtrum vini pro uno floreno. Anno autem ſequenti pace bellum inter Dominam Brabantiæ Ducem & Dominum Ducem Gelriæ ortum ſopitum, ut idem tradit, qui inter hæc unum atque alterum Monaſterii ſui Spanheimenſis vel benefactorem vel profeſſum, ut ait, mortem oppetiiſſe memorat. Sed quis neſcit aſſiduis homines mori, ut & naſci, perpetuamque eſſe rerum in orbe viciſſitudinem? Sequentibus annis Trithemius, ut & Funccius ac Buntingus, multa triſtia & læta, bello pace que geſta ad annum uſque 1390. memorat, quibus recenſendis immorari nolo. Ex Calviſio tamen pauca afferam. Anno 1384. Joannes regno Portugalliæ Joanni Regi Caſtellæ & Beatrici uxori ejus, unicæ Ferdinandi Portugalliæ Regis filiæ præcepto, exemplis notorum legitimis liberis Principum moleſtias creantium accenſendis eſſe. Fuit enim Petri regis Portugalliæ nothus, ut Calviſius ex hiſt. Portugall. aſſert. At

(*a*) Chron. Sponh. ad 1383. (*b*) Chron. Hirſaug. & Sponh. ad 1355, 1356. & 1383. NB. Hirſaug. ad 1372. (*c*) ad ann. 1354, 1356, 1371, 1376. & 1384. (*d*) ad ann. 1383. (*e*) Trith. ad 1355. & 137[illegible] Chron. ad 1377. (*f*) Chron. Sponh. ad 1383. (*g*) Chron. Hirſaug. ad 1312. (*h*) ad ann. 1355, 1356. (*i*) ad Regum Bohem. & Boh. lib. 21. pag. 176. Jordan. ad h.l. (*k*) Chron. Hirſaug. & Sponheim. ad 1315-1396. (*l*) Bonfin. dec. 3. l. 1. pag. 394. (*m*) pag. 395, 396.

Taraph

Tarapha Petri filium Ferdinandum, hujus nothum Joannem istum fuisse dicit. Is anno proximo de Joanne Castellano, quietem suam sollicitante, victoriam obtinuit, Philippus verò Burgundus Dux Flandriæ gravissimum bellum libertate & pace Flandris datâ composuit. Hunc qui secutus est annus, octogesimus sextus supra M CCC. Sigismundi Marchionis Brandenb. cui paulò ante Maria Ludovici filia desponsata erat, felicia auspicia & nuptiæ Jagellonis Ducis Lithuaniæ cum Hedvige Maria sorore, & sic Jagellonis in baptismo Vladislai dicti, ad Christianam religionem conversio & Lithuaniæ cum Poloniæ conjunctio, clarum & lætum reddidit. Proximo anno vel præcedenti *(n)*, Henricus Quintus Rex Angliæ natus est, Margaretha verò illa Clarissima Regina, vel potius Semiramis Daniæ, ut Alstedius ait, ejecto Alberto, regni Suedici gubernacula tenuit, & sic Heroica virtute tria potentissima regna, cum solum Norvagicum primùm tenuisset, conjunxit. Hoc anno *(o)* Senensis, sequenti Colonienſis Academia erecta est. Hæc & superiora tempora pace Hungaricâ, Venetâ, Germanicâ & Hispanicâ (quæ fœderibus nuptialibus inter Castellanam & Lusitanicam & Lancastrienſem domum initis, firmata est) læta itidem fuêre.

(*n*) Vid. Polyd. l. 21. initio. (*o*) Fabric. memor. Sax. ad 1387. & 1388.

CCCI. *Anno Christi* 1390. *Cometa fulsit, quem inauditi & incurabiles morbi secuti sunt.* Alstedius.

NIl prorsus vel de Cometa isto, vel de morbis hisce apud Auctores invenio. Hoc anno mortem Robertus Scotiæ & Joannes Castellæ Reges oppetierunt. Adhæc novi Orbis pars Borealis, quæ versùs Groenlandiam, Islandiam & Frislandiam Insulas extenditur, detecta est. Adversus Saracenos in Africa res feliciter gesta [*a*] multis Christianis libertatem lætissimam dedit. Hic annus, qui Cometam & Robertum Secundum è vita exeuntem, & Tertium [*b*] (cui ante Joanni nomen, quod ex sententia Ordinum tanquam ominis mali deposuit & alterum assumsit) regnum ineuntem, mox & domi forisque factis cum Anglo trium annorum, ac paulò post in 4. annos prorogatis induciis pacantem vidit. Idem solemni tertii anni Jubilæi, quem Urbanus VI. ad tricesimum annum secundum ætatem Christi (verumtamen hic annus à quinquagesimo hujus seculi quadragesimus est) revocavit, successor verò ejus Bonifacius 9. celebravit, insignitus est. Lætum præterea hunc annum [*c*] pax inter Austriacum & Helvetios, tùm inter Venetos & Genuenses composita, deniquè triennales inter Gallum & Anglum induciæ reddiderunt.

[*a*] Paulus Æmyl. l. 9. [*b*] Buchan. l. 9. fine & 10. initio. [*c*] Fabric. memor. Sax.

CCCII. *Anno Christi* 1391. *Vesperi Cometa apparuit, formam veru referens, coma & radiis sursum, capite verò deorsum tendens. Hanc formam Cometæ Astronomi omnium pessimam esse judicarunt, quod ad significationem rerum futurarum attinet. Deinde tardè quoque mala hæc eventura esse ratiocinantur, propter temporis apparitionem jam dictam. Eodem anno terræ motus maximus Helvetiam concussit. Anno proximo clades maxima inter Sigismundum Ungariæ Regem & Gallos, fuit caritas annonæ maxima per triennium integrum durans, propter inundationes & crebras pluvias, itidemque pestilentia sæva, per Thuringiam & plura loca Germaniæ grassans, secuta est. Urbanus Pontifex, ejus nominis VI. mortuus est. Seditiones Coloniæ ad Rhenum, & Augustæ Vindelicorum plurimæ ortæ sunt. Imperator Wenceslaus à Bohemis captus, & de dignitate Imperatoria depositus est. Bajazetes Imperator Turcicus per octennium Constantinopolin obsidet, cui Sigismundus Rex Hungariæ se cum aliis Principibus & militibus Germaniæ opponit, ac clade maximâ à Germanis acceptâ in Vigilia Michaëlis per Turcam anno* 1395, *tandem à Tamerlano rege Scytharum, rursus Bajazetes post pugnam gravem utrimque commissam capitur, & in cavea à Tamerlano circumducitur captivus per Asiam, ut Peucer. in Chronic.* Rockenbachius.

Anno Christi 1391. *Cometes visus imaginem veru habens, quem Astrologi pessimum autumant.* Ricciolus ex Prætorio.

Anno Christi 1394. *In Catalogo Cometarum narratur, anno* 1394. *Cometam apparuisse, qui veru appellatur, satis singularis, cum coma & radiis sursum erectis, capite deorsum pendente. Hunc inter cæteros Cometas, qui apparere solent, Astronomi pessimum dixerunt.* Keckerm. Syst. Phys. l. 6. c. 5. p. 980.

Anno Christi 1394. *Cometa apparuit, qui veru appellatur, quem pessimum putant Astrologi. Significavit Italorum perfidiam. Nam circa hæc tempora cæperunt passim excutere jugum Imperii Germanici.* Alstedius.

DUo auctores in 1391. duo in 1394. annum referunt Cometam hunc. Nos rem in medio relinquimus. Duos Cometas hac tempestate visos, qui formam veru habuerint, Ricciolus ex Prætorio refert. Sed hunc nostrum in diversos annos positum unum eundemque esse descriptio Rockenbachii & Keckermanni ostendit. Ille enim in annotandis Cometæ effectis solitam oscitantiam (quod pace illius dixerim) prodit. Et cum Funccium presso pede sequi soleat, hîc multum ab eo abit. De motu terræ Anno 1391. nil iste habet.

Trithemius eum ad 1395. memorat. Anno proximo cladem maximam inter Sigismundum Hungariæ Regem & Gallos factam fuisse dicit. Hanc secundum Funccium & alios Scriptores Sigismundo & Gallis à Turcis Anno 1395. illatam dicere debuit. Et hoc quidem anno eam accidisse infra ait, duas clades ex una faciens. Atque hæc causa postulat à Rockenbachio annum qui proximè cladem hanc præcesserit, scilicet nonagesimum quartum supra MCCC. assignari. Sed obstant alia quæ ad Cometam refert, anno 1394. imò & 1391. priora. Urbani enim VI. mortis meminit, quæ à Funccio & Buntingo in annum 1390. à Sabellico, Aventino, Pantaleone, Calvisio, Helvico & Alstedio, in 1389. ponitur. Verumenimverò & Constantinopoleos obsidionem octo annorum Cometæ tribuit. At hæc secundùm Funccium Anno 1389. cœpit. Imputat Cometæ captivitatem Wenceslai Bohemicam anni 1394. secundùm Funccium, anni verò 1392. secundùm Calvisium, tùm depositionem in Conventu Imperii, quæ Anno 1400. facta est; tùm verò seditionem Colonienſem anni 1396. & Augustanam 1397. Tamerlanis expeditionem & Bajazetis captivitatem 1398. secundùm rationes Funccii. Ita modò in 1391. modò in 1394. annum ponere Cometam istum videtur. Alia mala quæ ad eum refert apud Scriptores non invenio, quos in manibus habeo. In Fabricio tamen, quem postea inspicere licuit, aliqua eorum legere me memini. Seditiones verò Italorum anno demum 1400. inveni in Cuspiniano. Satis autem clarè & tutò demonstravimus, talia sæpè sine ullius Cometæ apparitione evenire. Doleo graviter ex hac quoque causſa, erroneæ opinionis tenebras orbi literato hîc etiam incumbere. Nam, ut reliqua taceam, illam Sigismundi cladem ad Nicopolim, Pantaleon & Bucholzerus in annum circiter 1393. Trithemius & Auctor Paralipom. in 1394. Funccius & Buntingus ac Fabricius in 1395. Bonfinius, Leunclav. Ganfræus & Calvisius in 1396. ponit. Omnes uno ore discordia nostrâ victorem barbarum evasisse, ut (*a*) Egnatii verbis utar, dicunt. Ita tunc quoque discordia certum & Cometâ aliove phœnomeno certius rei perdendæ portentum extitit. Mox, ut mala quoque catenata sæpè fiunt, adversæ fortunæ conjuncta Sigismundi vita, Mariâ paulò ante mortuâ, solutior & aspera, secutæ contra eum felicionis portentum dici meretur. Cum itaque certum tempus apparitionis istius Cometæ assignari nequit, tutissimum arbitror, utramque sententiam, & earum quodammodo rationes, lectori erudito exhibere. Interim de eventibus rerum ab Anno 1391. aliquid dicemus, ut non tantùm tristes, sed & lætos fuisse demonstremus. Annus nonagesimus primus supra MCCC trium annorum (*b*), nonagesimus rerum porrò in quatuor annos, tandem nonagesimus sextus; ut Polydorus, vel, ut Jovius pronit, quintus in triginta annos productis Anglo-Gallicis induciis (pax enim componi non potuit, utraque parte, licet bello fessâ, nec pacem respuente, nec quæ

(*a*) in Sigismundo Confer. Paralip. p. 265. (*b*) Polyd. l. 20. p. 417, 418, 420. legas

leges accipiente) & desponsatâ Ricardo Regi Angliæ Isabellâ Caroli Regis Galliæ filiâ clarissimus & lætissimus fuit. Anno inter hæc 1391. (ut Fabricius (*a*) & Alstedius (*b*) putant) instaurationem, vel, ut plerique volunt, anno post hæc 1392. Academia Erfordensis ortum, Wenceslaus Imp. (*c*) Sophiam Joannis Comitis Palatini, Ducis Bojariæ filiam uxorem, postero bellum (*d*) Colonienſe finem, pace redditâ, accepit. Sequenti anno pax in Hybernia (*e*) restituta. Proximo anno Calmariæ in Suecia trium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ decernitur in conventu Procerum conjunctio. Multa inter & post hæc tristia lætaque, bellorum & pacis experimenta, & varios Principum casus & exitus, egregia vicissitudinis rerum perpetuæ documenta videas. Inter quæ eminet Joannis Aragoniæ & Lusitaniæ Regis equo excussi acerba mors, cùm & Castellæ Rex Joannes circa annum 1390. eodem fati genere periisset. Idcirco jam olim (*f*) creditum auctoritatem opinioni populari conciliante experientiâ, fatale Joannis Regibus esse nomen, alioquin tamen & gratiosum & multis fortunatum.

(*a*) In memorab. Sax. (*b*) Chronol. Scholarum. (*c*) Avent. Annal. 7. pag. 643. (*d*) Trith. ad 1393. (*e*) Polyd. l. 20. p. 429. (*f*) Polyd. l. 20. p. 419. Confer. l. 14. p. 255. & l. 15. in Joanne. Buchan. l. 8. p. 244. l. 12. p. 402. & 415.

CCCIII. CCCIV. & CCCV. *Anno Domini* MCCCXCIX. *visæ fuerunt tres caudæ magnæ ignitæ Cometarum propè Isenach. Et eodem anno Rex Angliæ fuit miserabiliter interfectus, & Dux de Monte cum magna militia fuit captus, & magna discordia fuit inter Ducem Brabantiæ & Ducem Gelriæ ac Juliacensem, in qua multi fuerunt capti & occisi.* Chron. Thuring. c. CXLI.

Anno Christi 1399. Visi in cælo longi ignei radii instar Cometarum. Bunting. 3. part. Chron.

OMittunt alii hoc phœnomenon. Auctor tamen Germanus, Fructiferi sodalitii à Ludovico Anhaltino instituti consors, qui se Candorin vocat, ejus meminit. Tres & quatuor Cometas aliàs luxisse, quinque lucere posse simul, alibi dictum. Quod ad eventus attinet, dissidia, bella & fata Principum Cometarum apparitionem non exspectant, certè non semper, & fiunt illa assiduè, hos rariùs videmus. Ne longius abeam, proximo anno pestis (*a*) & bellum graviter desæviit, (*b*) Rex Galliæ Pont. Max. Tamerlanes seu Temurlancus Bajazetem arrogantem ferro persecutus est. Ille ipse Montensis belli motus in ann. 1397. à Trithemio (*c*) refertur. Plures quoque Principes eod. anno (*d*) mortui. Hoc anno, qui Cometam protulit, natos multos Principes quis dubitet, etsi non sint adnotati. Hæc tamen tempestas translatis ex Græcia in Italiam, annos adhuc 700. sub tetra barbarie gementem (*e*), Musis, læta & par miraculo fuit.

(*a*) Bunting. ibid. (*b*) Calvis. ad 1398. (*c*) Chron. Sponheim. (*d*) Trith. Calvis. (*e*) Bucholz. ad 1399.

CCCVI. *Anno Christi* 1400. *Dominica quadrag. Cometa terribilis visu caudamque longam habens apparuit. Hunc magnæ calamitates, variique atque inauditi morbi sunt secuti. Amnes hoc anno exaruerunt, pestis sævissima sequenti anno secuta est. Presbyter quidam hoc anno albâ veste indutus, ex Alpibus in Italiam profectus est, magnam hominum multitudinem secum ducens, quam Alborum Sectam, Bonifacius Pontifex IX. nomine, radicitùs exstirpavit, auctore Sacerdote igni combusto.* Rockenbachius.

Anno Christi 1400. *& tribus sequentibus arserunt Cometæ. Eos sequuta est mutatio religionis in Bohemia & motus Hussitarum. Herlicius. Eodem anno Wenceslaus ab Imperio remotus est, substituto in ejus locum Friderico Duce Brunsuicensi & Lunæburgensi, qui Francofurto domum rediturus insidiis Archiepiscopi Moguntini propè Fritzlariam nefariè occisus est.* Eckstormius.

Anno Christi 1400. *ingens Cometa apparuit in Orientis cæli cardine, qui movebatur versus Occidentem, isque paucis mensibus antequam Tamberlanes Tartarorum Dynasta contra*

tra Bajazetem multis ſecundis rebus elatum in Aſiam cum maxima Turcarum clade irrumperet, quam cladem Annales Turcici conſignant Anno Hegiræ 804. *qui cœpit Anno Chriſti* 1401. *& Tamberlanem vocant Temirem, alii Tamyrim, vel Tamorlanum.* Ricciolus.

DE hoc & proximè ſequentibus Cometis, ut puto Keckermannus Syſt. Phyſ. l. 6. cap. 5. ſcribit, de temporibus Huſſi loquens, & tamen illos in ann. 140. & ſequentes referens, ſicut editio Dantiſcana 1610. p. 943. & Hanov. 1613. p. 379. prodit. Utraque multis erroribus ſcatens, exprimit menti ſincerum votum, quò in Republica literaria meliores bonorum librorum editiones habeamus, & occurratur publicâ auctoritate, ne typographorum avaritia incurioſa quæſtui nos & ludibrio habeat. Meminit hujus Cometæ Alſtedius, ſed nullam ejus deſcriptionem addit. Quod nec Eckſtormius fecit. Buntingus & Rockenbachius tempus Quadrageſimale indicat. Idem Schorerus ex Annal. Helvet. fecit. Verùm tamen an omnes eventus rerum Cometæ tributi ejus apparitionem anteceſſerint, vel exceperint, ſciri nequit. Satis autem conſtat, maximas quoque rerum mutationes ſine Cometis fieri; & præter hos dari certiora in terra malorum, ſive vitia, ſive pœnas ſpectes, portenta. Docet id hoc loco Wenceſlaus Imp. & tot regnorum hæres. Tandem enim cùm nec monita nec vincula eum coërcere poſſent, velut deſperatus rejectus ac à corpore Imperii reſectus eſt. Ignavia Wenceſlai, qui ſtupris, adulteriis (*a*) compotationibuſque perdius & pernox Principem magno cum Reip. damno egit, talem exitum ei (ut & Ricardo II. Regi Angliæ (*b*) paulò ante ad deponendum imperium coacto, Bajazeti verò etiam intoleranda crudelitas & in ipſa captivitate pluſquam temeraria arrogantia) portendit. Subrogatus ei erat Fridericus Dux Brunſuicenſis, Magni Junioris, illius qui Torquatus dictus eſt, filius, Princeps egregiis imò Regiis & Heroicis virtutibus (*c*) ornatus. Sed ſubmiſſo (*d*) ab æmulis electioni iſti adverſantibus percuſſore Comite Manſfeldiæ, ex inſidiis hoc anno die 5. Junii ſublatus eſt. Ita in cognatum ejus Rupertum Bojum Principem itidem virtutibus Regiis præditum, ſuffragiis itum eſt. Eodem illo anno Europa ingenti affecta eſt gaudio, magno metu horrendæ invaſionis Tamerlanicæ, quam victoriâ de Bajazete inflatus & totius orbis imperium vaſto animo complexus parabat, liberata. Verbum de illa Albatorum ſive Dealbatorum Secta, quam Rockenbachius huic Cometæ imputat, addo, eam à Bonfinio (*e*), Sabellico (*f*), Pantaleone, Auctore Paralipom. Calviſio, imò & ab ipſo Funccio, Rockenbachii duce in annum 1399. ex auctoritate priorum Scriptorum poni. Morbos inauditos tunc graſſantes & Alſtedius memorat, cùm paulò ante ad Cometam 1390. ejuſmodi morbos retuliſſet. Hoc quoque anno multi (*g*) Academiam Cracovienſem à Vladiſlao Jagellone conſtitutam & confirmatam affirmant, alii (*h*) ſequenti anno factum putant. Hic quoque annus Jubilæi ſolennibus & confirmatis triginta annorum Anglo-Gallicis induciis (*i*) celebris fuit.

(*a*) Bonfin. dec 3. l. 2. p. 410. Dubrav. l. 23. p. 194, 195. (*b*) Polyd. l. 20. fine. (*c*) Bunting. 1. p. Chron. Fabric. memor. Sax. ad 1400. Meibom. hiſt. de Henrico Leone p. 268. (*d*) Bunting. ibidem Meibom. ibid. (*e*) dec. 3. l. 2. p. 409. (*f*) Enn. 9. l. 9. p. 435. (*g*) Miechovita Funcc. Helv. Alſted. (*h*) Calviſ. (*i*) Polyd. l. 21. p. 432.

CCCVII. *Anno Chriſti* 1401. *Cometa viſu horrendus caudam habens expanſam ſimulem paronis in fine Februarii conſpectus eſt. Hunc maximæ tempeſtates ſunt ſecutæ. Pluvia enim à duodecimo Martii per dimidium anni ſpatium uſque ad Septembrem de cælo continuè cecidit, ex qua magna annonæ caritas eſt ſecuta inter mortales. Florentia peſtilentia ſæviſſimè graſſari tunc temporis cœpit. Marchio Georgius, frater Marchionis Wilhelmi Miſniam gubernantis, & Fridericus Landgravius Thuringiam regenti, mortuus eſt Coburgi, & in Pforten Princeps pius & fortis ſepultus eſt.* Rockenbachius. *Anno Chriſti* 1401. *Horribilis Cometa viſus eſt in fine Februarii, quem ſecuta ſunt bella & peſtis.* Eckſtormius ex Chron. Saxon.

SAtis diſtinctè & accuratè hic Cometa ab utroque auctore (ut & à Buntingo (*a*) & Sebaſt. Franco (*b*) & Piſtorio (*c*)) annotatur. Alſtedius eum priori & duorum

(*a*) Chron. ad 1401. & Chron. 3. part. p. 53. (*b*) Chron. Germ. in Ruperto p. m. 243. (*c*) Tom. I. rer. Germ. proximè

proximè ſequentium annorum Cometis accenſet, & omnibus ſine diſcrimine varia mala tribuit, quod illi duo diſtinctè faciunt. Sed hæc etſi nulla Cometarum, cum tot peccatorum humanorum portenta præcedant, ut & bona (ſi univerſum ſpectes) perpetuâ vice eveniunt. Hoc anno *(d)* quo Cometes viſus eſt, Rupertus (paulò ante electus, ut alii *(e)* putant) Auguſto diademate cincta habens tempora, *(f)* (fuit enim, ut Trithem. ait, *homo ſatis Chriſtianiſſimus, juſtitiæ cultor, in rebus bellicis ſtrenuus, amator cleri & pauperum defenſor integerrimus*) decem annorum imperium auſpicatur. Ineunte tamen anno id factum apud Trithemium & Calviſium *(g)* invenio. Ideò hæc ſolemnis lætitia ad Cometam proximum meritò eſt referenda. Hoc verò anno Henricus 4. in Anglia regni auſpicia tàm læta quàm firma, rebus domi foriſque pacandis intentus, reddebat. Eodem Anglos inſignem de Scotis retuliſſe victoriam apud Buchananum *(h)* invenio. Inter hæc Sigiſmundum Hungarorum Regem, & foris infelicem & domi populo gravem, varia fortuna exercuit. Captus quidem, in vincula conjectus, indignis modis habitus, ſed tandem tamen libertati & regno reſtitutus eſt.

(*d*) Trithem. ad 1400, & 1401. (*e*) Bunt. Calv. ad 1400. (*f*) Bunting. Chron. 1. part. (*g*) Ad ann. 1400. & 1401. (*h*) Lib. 10. p. 321.

CCCVIII. *Anno Domini* MCCCCII. *viſus eſt Cometa multis diebus ante carnis privium, qui ſurſum tendebat in modum lanceæ in ſpiſſitudine trium pedum, aliquando plus, aliquando minus.* Chron. Thuring. c. CXLVIII.

Anno Domini 1402. *fuit viſus Leodii & locis circumvicinis Cometa quaſi per menſem continuò & tandem evanuit.* Chron. Belg. p. 335.

Anno Domini 1402. *Ruperti Regis* 2. *per quadrageſimam apparuit Cometa, & jucundum tempus ſecutum eſt.* Id. p. 342.

Anno Chriſti 1402. *Cometa horrendus viſu, caudamque longam & pallidam habens, verſuſque occaſum Solſtitialem ſe vertens apparuit. Hunc mors Galeacii Ducis Mediolanenſis, totamque ferè Italiam ſubigentis* 3. *Septembris ſecuta eſt. Tamerlanes cum totam Aſiam cum exercitu pervagatus eſſet, ac in Ægyptum veniſſet, propter ſolitudines magnas & arenæ copiam (peſtilentia magna in exercitu ipſius graſſante) ſpoliis maximis acceptis, Sarmacandam uſque venit rurſus, diem ſuum ibi obiit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1402. *Per dies aliquot arſit Cometa ingens, luridâ & funebri oblongaque caudâ, verſus eam partem cæli, quæ in Corum ventum vergit, & ſecutæ ſunt novæ clades in orbe terrarum, quæ paſſim ex ingentibus motibus extiterunt.* Eckſtormius ex Büntingo & Peucero.

ANnotavit & hunc Cometam, ut diximus, Alſtedius. De eodem ſic ſcribit & judicat Polydorus (*a*): *Sub idem tempus Cometes immenſæ magnitudinis apparuit per plures dies, qui haud dubiè cædem denuntiavit, quæ deinde facta eſt.* Ideò certò affirmare poſſumus, quod Ricciolus ex Fiornovello colligit, hoc & proximo anno Cometam fulſiſſe. Verum quod ad illam ad Salopiam pugnam Anglicam attinet, certius Cometâ eam ſeditio & rebellio Procerum, fortunæ Henrici ad regiam dignitatem inopinatò & per Ricardi regis ruinam evecti; invidentium, tùm & occaſio, quæ commoda & peropportuna, Rege bello Wallico occupato, videbatur, portendit, quod ex ipſo Polydoro (*a*) judico. In hæc potius quàm illa cæleſtia portenta culpa rejicienda eſt. Victoria illa, licet non incruenta, læta tamen & glorioſa Regi, filioque ejus Henrico Principi Walliæ fuit, populo tantam victoriam utrique maximâ voce gratulanti. Hunc quoque Cometam Sabellicus (*c*) memorat. *Imminebat jam*, inquit, *Vicecomes* (Mediolanenſis, Galeacius) *nihil obſcurè Florentinorum rebus, quum bona ejus populi fortuna tantus hoſtis eſt è medio ſublatus, febre extinctus, anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſecundo. Portenderat tanti Principis interitum terrificus Cometes, aliquanto prius in cælo obſervatus. Poſt Galeacii mortem magna rerum mutatio brevi ſecuta eſt, tyranni pleri-*

(*a*) Lib. 21. p. 433. (*b*) Lib. 20. fine l. 21. p. 432. (*c*) Enn. 9. l. 9. p. 434.

que

que numero simul exorti, partium discordia ducentis & amplius annis per omnes Italiæ civitates evagata, adeò per id tempus invaluit, ut ad internecionem sit propemodum certatum. Notum ex historiis & ex ipso Sabellico, citrà ullam Cometarum apparitionem variis motibus Italiam concussam & afflictam fuisse, ut & Principes cedere fatis, quamvis non ignorem Joannem Galeacium hoc anno (*d*) mortuum inter primos sui temporis Principes, judice Facio (*e*), viro, ut Tarapha (*f*) ait, & facundissimo & fide dignissimo, virtute & auctoritate numeratum, variisque elogiis ab Auctoribus decoratum esse. Hoc anno, quo Cometa apparuit, & Galeatius obiit, Rupertus Rex Romanorum splendidas (*g*) nuptias filio suo Ludovico paravit, dans ei uxorem filiam Henrici Regis Angliæ, Blancam nomine, quæ peperit ei filium nomine Rupertum. Eodem tempore ipsum Henricum Joannam, Joannis Montifortensis Ducis Britanniæ relictam viduam, uxorem duxisse invenio apud Polydorum (*h*), qui illius Blancæ regiæ puellæ Sponsum Joannem vocat. At enim Ludovicus is erat, ille Barbatus, Joannis Neoburgici, ut & Ruperti & Stephani, à quo Serenissimi Electores Palatini, & agnati eorum Neoburgici, Bipontini, Sultzbacenses aliique Principes innumeri prodierunt, frater, Ruperti Imperatoris filius. Tamerlanis mortem in annum 1403. ex Prætorio retulit Ricciolius. Equidem & Funccius & Buntingus ita putant. Bucholzerus circà ann. 1402. Calvisius in 1404. producit. Mores, potentiam, successus & discordiâ filiorum, dilapsum vastissimum imperium Tamerlanis si spectes, redivivum Attilam in eo videbis. Hæ scilicet statæ rerum vices sunt, licet, perpetuò volvantur, ut eadem Comœdia hîc, tragœdia illîc in Theatro orbis, mutatis personis, sive adsit, sive absit Cometa, peragatur.

(*d*) Antonin. Palmer. Naucl. Funcc. Bunting. Chron. Sponheim. ad ann. 1402. vide & ad 1409. (*e*) de bello Veneto Clodiano p. 113. (*f*) in Joan. 2. (*g*) Trith.

(*h*) l. 21. p. 435.

CCCIX. *Anno Christi* M CCCC III. *visus Cometa in fine Martii & initio Aprilis caudam versus Septentrionem extendere.* Fabric. in memorab. Saxon.

Anno Christi 1403. *Cometa in Oriente apparuit. Hunc turbines ventorum maximi in festo Pentecostes tantæ sunt secuti, ut arbores in silva Turingiæ radicitus ex terra avulserint. Bella & seditiones plurimæ in Italia fuerunt, pestisque in Saxonia sæva tunc temporis orta est. Hoc tempore Hussus contrà Romanam Ecclesiam docere in Bohemia cœpit, inde postea tumultus maximi sunt secuti.* Rockenbachius.

Anno Christi 1403. *Arsit Cometa inter Orientem & Septentrionem, caudâ versus Septentrionem, protensa: quem sequutum est ingens bellum Bavaricum. Exspiravit eodem anno Tamerlanes Tartarorum Tyrannus immanissimus.* Eckstormius.

HUnc quoque Cometam proximis tribus, quos vidimus, Alstedius junxit. Nihil verò amplius de ortu, situ & motu ejus apud Auctores, quos assiduus verso, invenio. Ad eventus quod attinet, qui ei tribuuntur, paucis hos absolvemus. Bellum, quod sæpè diximus & demonstravimus, habet sua in terris, moribus scilicet & studiis Principum ac populorum, portenta. Idem dicendum & de illa Bojorum Principum potentia, quæ se Italiæ infuderat. Imperatorem magnâ vi auri ad Florentinis ferendâ adversus Mediolanenses auxilia impulsum esse, auctores literis mandarunt. Trithemius hanc expeditionem in annum 1402. retulit. Funccius & Calvisius in sequentem ponunt. Illius verò belli quod adversus Monachienses tunc temporis Duces Bojorum gesserunt, * seditio, non Cometa, seditionis porrò quâ rectorum injustitia, quâ subjectorum petulantia, portentum, ut sic dicam, fuit. Sequentibus annis aliquot Principes ad fatalem metam hos, ad Imperii culmen illos perveniisse invenio. Annus quo Cometæ (*a*), idem & Academiæ Wirtzburgensi, proximus verò (*b*) Salmanticæ, Georgio Castrioto, cognomento Scanderbego, Castrioti Ducis Epiri filio, Vitebelicis laudibus Clarissimo, natalis fuit. Tum vero etiam (*c*) læto Vladislai Jagellonis Regis Poloniæ, & Wenceslai, Bohemiæ conventu Uratislaviæ habito, insignis

* Avent. Annal. 7. p. 645. (*a.b.c.*) Fabric. memor. Sax.

CCCX

CCCX. *Anno Ruperti 6. Cometes in cœlo viſus eſt. Tamburlanus incredibilis potentiæ Tartarorum Imp. moritur.* Chron. Belg.

ANnus iſte à Nato Chriſto ſecundum Chronica erit 1407. Funccio & Helvico 1405. Trithemio & Calviſio 1406. Quod ſi annum mortis Tamerlanis attendamus, is à Funccio, Buntingo, Prætorio & Ricciolo, ut vidimus, in annum Chriſti 1403. à Calviſio in 1404. reducitur. Ita, ſive annum Ruperti ſextum, ſive mortem Tamerlanis reſpiciamus, non temerè hunc Cometam ſeorſum annotamus. Puto autem annum illum Ruperti 6. eſſe hujus quoque ſeculi ſextum. Nam in hunc & mortem Tamerlanis poni poſſe animadverto. Vicit ille nimirum Bajazetem, ut Cl. Leunclavius, noſtras & Turcicas rationes accuratè componens, putat Anno 1400. cui & ipſe Calviſius conſentit. Conſtat autem Bajazetem ab eo quatuor annis in vinculis detentum, & intra biennium dehinc Tamerlanem defunctum. Hoc anno Rupertus Cæſar Aquenſes ad obedientiam reduxit. Nihil præterea memoratu dignum hoc anno geſtum invenio.

CCCXI. *Anno Chriſti* 1407. *quo Pruteni à Polonis magnâ ſtrage ſuperati perhibentur, ſuum Cometam Prætorius aſſignat.* Ricciolus.

HOc anno, ut Trithemius memorat, pax Wormatiæ auctoritate Cæſaris reſtaurata: tùm etiam, ut Mariana perhibet, Joannes 2. Caſtellæ Rex victoriam de Mauris terrâ marique reportavit. Jagello verò Poloniæ Rex de Crucigeris *; quorum ſummus Magiſter Ulricus, cum ducentis præfectis, qui Commendatores vocabantur, tunc occubuit. Hanc præcipuarum Pruſſiæ urbium deditio, dehinc induciæ, tandem imminente Sigiſmundi Cæſaris, Germano ſanguini auxilia ferentis, potentiâ, pax ſecuta, de qua ſuo loco dicemus.

* Vide & confer Remp. Polon. in Ulrico p. 329. Funcc. ad 1410. circiter. Flor. Polon. in Jagell. Avent. Annal. 7. p. 648.

CCCXII. *Anno Chriſti* M CCCC VIII. *Cometa conſpectus.* Fabric. memor. Saxon. *Anno Chriſti* 1408. *fuit eclipſis Lunæ, & arſit Cometa. Spangenbergius Chron. Saxon. cap.* 305. *Ladiſlaus rex Apuliæ Romam invaſit, Capitolium occupavit, Angeli arcem obſedit, ſed à Paulo Urſino rurſum urbe ejectus eſt. Bellum fuit Archiepiſcopo Magdeburg. cum Principibus Anhaltinis.* Eckſtormius.

NEc eclipſis nec Cometa, ut à Ludovico Roma occuparetur, effecerunt, ſed Romanorum diſſidiis graviſſimis & funeſtis laborantium, Italiâ ab Innocentio preſſâ, & mox à tribus Pontificibus Maximis Gregorio XIV. ut Aventinus (*a*), vel XII. ut alii putant, Benedicto XIII. *(b)* (Sabellico XII. aliis *(c)* XI.) & Alexandro V. diſcerptâ, urbe verò tyrannide preſſâ & libertatis recuperandæ avidâ, preces. In quæ quia incidit ſtilus, paulò altius ea repetamus. Audiamus verò de his Sabellicum *(d)*, qui poſtquam de Joanne Maria Mediolanenſi & Philippo Maria Ticinenſi, Ducibus Joannis illius Galeacii filiis regimine incommodo loquutus eſt, ſubjicit: *Novitas igitur temporum & puerorum, ætas fecit ut florentiſſimi nuper Principatûs pars multò maxima ceſſerit occupare volentibus. Hinc tyranni multi numero, & hi ſupra modum facinoroſi emerſerunt, quorum flagitia tantum abfuit, ut Innocentius Pontifex armis aut interdicto inhibere curaverit, ut iniquo etiam animo ferret, ſi quis apud ſe de ea re mentionem feciſſet. Caterùm hic præ omnibus priores Pontifices acerbiſſimè inſectabatur, privatus adhuc; quòd neque ſchiſma ex eccleſia per eos tolleretur, neque tyrannorum injuriæ vindicarentur armis, adeò nonnunquam*

(*a*) Avent. Annal. 7. pag. 646. (*b*) Vide inter alios Alſted. Chronol. Papar. (*c*) Bunting, ad 1394. (*d*) Enn. 9. lib. 9. pag. 436.

cum

tum dignitate mutantur hominum ſtudia. Satis conſtat Romanis publicè petentibus ut ſibi libertas reſtitueretur, ut tolleretur ſchiſma, & tyrannorum flagitia vindicarentur, undecim ex primoribus civitatis ejus juſſu necatos. Suorum ſupplicio commota civitas, Ladiſlaum Romam excivit, armiſque tumultuoſè arreptis, tantum Pontifici metum incuſſit, ut Viterbium concesſerit cum Ludovico fratris ſui filio, cujus operâ fuerat nuper uſus in ſupplicio de Romanis civibus ſumendo. Sævire multitudo ſublato injuriæ auctore, quem ad ſupplicium requirebant, omnemque ultionis iram in aulicos vertit, multi itaque ſunt eo tumultu interfecti, bona eorum direpta, Capitolium occupatum cum ponte Milvio, Hadriani moles multâ ope oppugnata, juvantibus Joann. Columna & Monteranico, qui Ladiſlai ſtipendium merebant. Idem paulò inferius: *Poſt Innocentii obitum magna tollendi ſchiſmatis cura inceſſit Chriſtiani nominis Principes, pigebat pudebatque rem optimam, & in qua fidei ſumma ſita eſſet, Pontificum diſcordiâ labefactari, jam mos inoleſcere cæperat, ut duo eſſent Pontifices, Roma unus, alter in Gallia; ut igitur eſſet ovile unum & unus paſtor, tentata res eſt à Galliæ regibus &c.* Ad illa quæ prudentibus portenderunt, ſaltim re perpetrata, portendiſſe viſa ſunt, pertinet ambitio Ladiſlai, de qua ſic idem Sabellicus*: *Adjecerat ille, ut mihi videtur, animum ad rem Romanam ſuo regno ſubigendam, magis occaſionem quàm rectum conſilium ſecutus, urbe itaque potitus, Magiſtratus & omnem regiminis formam ſuo arbitrio mutavit, & jam Romanorum Imperium nihil obſcurè ad ſe trahebat, quum Paulus Urſinus cum Pontificio exercitu affuit.* Inter hæc tamen rem Venetam feliciter Vicentiâ, Veronâ, Petavio aliiſque urbibus ſuæ ditioni adjectis creviſſe, idem auctor perhibet. Eodem anno nuptiæ inter Fridericum Landgravium, Thuringiæ & Comitis Schwartzburgenſis filiam, celebratæ. Hac tempeſtate pacem inter Carolum VI. Galliæ Regem & Joannem Burgundionum Ducem, interventu † Wilhelmi Ducis Bojorum, utrique adfinitate conjunctiſſimi, compoſitam & fœdus initum, tùm & diſſidio paulò poſt orto & in bellum erumpente, redintegratum ‡ invenio. Diſtinctius hæc narrantur à Serre, quæ utpote inſtituto noſtro convenientia, paucis recenſebo. Gallia Rege Carolo VI. cui ingenium debile, tandem & mens mota erat, noxiis diſſidiis Philippi Burgundi, cui à moribus Audacis cognomen datum, & mox Joannis filii ejus patre vehementioris, ac Ludovici Aurelianenſis (frater is Caroli erat) aliorumque Procerum, tùm verò & Henrici Regis Angliæ, antiqui hoſtis, armis miſerè lacerabatur. Tandem Ludovico (lucente eodem anno, menſis enim & dies Cometæ natalis ignoratur, at prælucente & atrocem cædem portendente tàm Joannis audaciâ quàm Ludovici arrogantiâ) poſt pacem ſimulatam paulò ante factam ex inſidiis Anno 1407. ſublato, & Joanne parricidâ, tùm metu armorum tum favore multorum à crimine abſoluto, pax anno proximo & ſequenti inita & ſancita eſt, additis & duorum fratrum Philippi Nivernenſis & Antonii Brabantini, imò & Ludovici Delphini Regii adoleſcentis cum filia Burgundi nuptiis. Is tantâ affinitate audacior factus, omnia pro libidine agere, cuncta ad ſe rapere, in arrogantiæ ſuæ obſtantes ſævire, tandem Reginâ Iſabellâ, verâ Jeſabelâ, ut maritum & natos impiâ, partibus ſuis favente, omnia miſcere. Hinc bellum Anno 1410. exarſit, quod mox pace ad Viceſtriam initâ compoſitum, nec tamen oppreſſum eſt. Anno enim proximo menſe Julio ad arma, eodemque menſe anno vertente (*a*) ad pacem, quæ à loco Bituricenſis vocatur) recurſum. Hic tamen ita non coaluerant, inveteratis odiis exaſperati animi, quin inimicitias perpetuò exercerent & ſe invicem exacerbarent, cor & imperium Regis diſtrahentes. Excitata Anno 1413. (*b*) Lutetiæ ſeditio, fratrem quoque Reginæ Ludovicum Bojum, illum ſcilicet Barbatum, & alios in vincula, quoſdam etiam ad plures miſit. Sed detectâ Burgundi fævitiâ & fraude, & armis ejus rejectis & repreſſis, pax ei (*c*) quam ſupplex petiit, ad Atrebatum Arteſiæ metropolin data. Inter hæc Henricus 5. Angliæ Rex, qui patri Henrico Anno 1414. ſucceſſerat, nec antiqui odii nec rerum ſuarum oblitus, Galliam domeſticis diſſidiis laborantem armis Anno 1415. aggreſſus, memorabilem Dangincortii ad Blangium oppidum Normaniæ reportavit victoriam. Quam mox ſecuta Delphini mors, ſocero ejus Burgundo, cujus arroganti & inquietæ ani-

* Enn. 9. l. 9. p. 437. † Avent. Annal. 7. p. 649. ‡ Avent. p. 647. (*a*) Calviſ. ad 1412. (*b*) Calviſ. ad 1413. (*c*) Calviſ. ad 1414.

bitioni ille resistebat, arma & veluti vitam reddidit. Arma enim mox resumsit, & operâ Sigismundi Cæsaris pacem illâ tempestate inter Gallum & Anglum, hôc coràm compellato, restaurare cupientis, & Comitis Hannoniæ Joannem Delphinum sibi conciliavit. Sed mox hoc morte erepto, fratrem & successorem ejus Carolum adversarium expertus est. Et quamvis Isabellam ejus matrem impiam & Anglum in suas pertraxerit partes, & huic rerum summam, illi Normanniæ totius occupandæ occasionem in manus dederit, tandem tamen variante inter motus belli fortuna, ad pacem suppliciter à Delphino petendam adactus, tandem verò & contrà fidem datam, quam Aurelianensi fregerat, oppressus est. Utrumque Anno 1419 *(a)* factum invenio. Cædem Burgundi certius quàm ullus Cometa sævus & inquies animus, Regis & Regii successoris, pluriumque Procerum odium & justam pœnam meritus, portendit. Neque tamen cum hoc bella & mala Gallica exstincta fuêre. Philippus enim Burgundus patris cædem ulciscens, Regem, Reginam, Lutetiam & cuncta in manus Anglo tradidit. Inter quæ tristia nuptiæ Regiæ Henrici cum Catharina Caroli Senioris filia, Junioris sorore celebratæ, & pax cum Rege Carolo & Isabella facta. Sed hæc altera Medea, ereptum filio regnum hosti conciliato cum filia tradidit. Proscriptus ab hoc Delphinus, restitutus tandem est regno. Nam Anno 1422. quo Henricus VI. natus est, pater ejus Henricus V. Delphini affinis & hostis, tùm verò & Delphini pater Carolus, generum paulò post secutus, fato functi sunt. Atque hæc ad Cometam hunc uno velut spiritu de rebus Gallicis dicenda habui. Horum non pauca ad sequentes Cometas pertinebunt. Nunc ad priora revertor. Anno à parta salute 1410. Ruperto Cæsare defuncto, ab his Jodocus Brandenburg. sed à potiori parte, quæ etiam prævaluit, Sigismundus Hungariæ & Bohemiæ Rex, virtutis & prudentiæ opibus præstans sufficitur, ut ita tunc superstite Wenceslao orbis Romanus à tribus tàm Imperatoribus quàm Pontificibus distraheretur. His vicissitudinis rerum documentis addere licet Friderici 2. Placidi dicti, Electoris Saxoniæ, natalem annum 1411. tùm Stephani, illius felicissimi Serenissimæ Electoralis familiæ Palatinæ & agnatarum progenitoris, cum Anna Friderici ultimi Veldentiæ Comitis filia *(b)* nuptias. Huc etiam referre licet læta & quieta Ferdinandi regio Aragoniæ, diademate Anno 1412. ut Tarapha, vel biennio post, ut Calvisius putat, insigniti, & Angliæ Regis Henrici V. auspicia, antequam is se turbatis rebus Francicis immiscuisset, tum conciliationem gratiæ inter Sigism. Imp. & Vladisl. Jagell. Omitto alia plura tàm læta quàm tristia, cuique historiarum monumenta inspicienti obvia: dummodo verbo dicam annum 1409. Lipsensis, 1411. autem Sanctandreanæ Academiæ fuisse natalem, Fabricio, Calvisio, Helvico & Alstedio adnotantibus.

(a) Calvis. Serr, Petav. Chron. Belg. ad 1409. (b) Trith. ad 1213.

CCCXIII. *Anno Christi* 1414. *conspectus Cometa. Joannes Hussus & Hieronymus Pragensis vivi exusti.* Berckringerus dissert. de Cometis.

Anno Christi 1416. *anno sequenti apparuerunt Cometæ in diversis partibus cæli, de quibus Camerarius in lib. Ostentor. scribit, quòd uterque simul fulserit mense Junio.* Keckermannus Syst. Phys. l.6. c.5.

OBscura est horum Cometarum historia. Colligebam tres tunc temporis visos fuisse, anno scilicet 1414, 1416, & 1417. Sed quicquid hìc in errore consentientes Keckermanni editiones dicant, ego pro 1416. anno 1456. annum reponere non dubito: qua de re infra agam. Eventus tristis ferit oculos. Nam post Cometam funesti Anno 1415. & 1416. arsêre rogi, quibus Joannes Hus & Hieronymus Pragensis, qui ad Concilium Constantiense citati, & fide publicâ tuti venerunt, vivi impositi fuêre. Multa de his apud Æneam Sylvium, Dubravium, Bonfinium hinc, Auctorem paralipom. Funccium, Bucholzerum, Buntingum, Calvisium illinc affectibus abreptos invenio. Medium se ferè gerit Aventinus *(*)*. Illo enim teste Joannes

(*) Annal. 7. p. 647.

cum Hieronymo *in avaritiam, fastum, libidinem, communia mala Sacerdotum, quæ in proverbium vulgò venerant, & adhuc sunt, graviter invidioseque publicè concionatur, vitia carpit, scelera arguit: nec à pontificibus Maximis linguam protervam petulantemque abstinet, maledicta in eos congerit, Antichristos nuncupat. Eosdemque Cæsari, sicut cæteros Christianos, ac Episcopos subjicit: rerum fluxarum atque caducarum curam Sacerdotibus omninò adimit: omnem administrationem ad prophanos relegat, pleraque hujuscemodi, favente reginâ Equestrique ordine, licenter; sive ut ipse putavit, liberè disseruit.*

Hussum & Hieronymum uno eodemque anno, scilicet M CCCC XV. 6. Julii Combustos apud Dubrav. sed in margine, invenio. Funccius eund. annum, non diem, Buntingus eund. annum, sed diversos menses, diem scilicet 8. Julii & 9 Sept. utrumque diem Lunæ, Bucholzerus annum 1415. 6. Julii diem Sabbati, & 1416. 30. Maji itidem diem Sabbati; ita & Calvis. Auctor paralip. ann. 1415. 8. Julii & 1416. notat, conciliet hæc qui volet. De ipsa tamen re satis constat. Tàm crudeli exemplo stabiliri tunc necesse erat illam sanctionem in Concilio * latam, crudelitatis magistram, hæreticis non esse servandam fidem, quâ nil humanæ societati (ne quid de pietate dicam) adversum magis excogitari poterat. Inter tristia hujus temporis aliquot Principum obitum referas. Ladislaus enim rex Apuliæ anno 1414. sequenti Ludovicus Delfinus, de quo diximus, mortui sunt. Hunc Joannes frater paulò post, ut vidimus, secutus est. Wenceslaus ille Ignavus, Principum & nominis Christiani ac terræ ipsius opprobrium, alter Bonosus, Anno 1419. ut Bucholzerus, vel ante eum proximo, ut Dubravius (*a*) putat, apoplexiâ, gulæ vitiis & furore iræ accersitâ oppressus est. Idem ille annus, qui à Christo Nato vicesimus secundus supra bis septingentesimum fuit, Albertum Saxoniæ Ducem & Electorem mortuum, magnamque rerum mutationem vidit. Albertus enim Alberti primi & Helenæ illius Brunsuicensis abnepos, fato sine hærede functus, & sic Anhaltinorum, qui ducentis amplius annis Septemviralem Saxoniæ dignitatem obtinuerant, ultimus, Fridericum Marchionem Misnensem, Bellicosum dictum, habuit dignitatis successorem. Is ductâ in uxorem Catharinâ Henrici Ducis Lunæburgensis filiâ, totius Sereniss imæ Saxonicæ familiæ est progenitor, ut & hinc videas puellas olim Brunsuicenses, quasi ad edendos Electores fuisse natas. Sed ut ad læta, quæ illa tempora insigniverunt, deveniam, Anno 1414. 24. Novembris natus est Friderico Burgravio Norinbergensi, ex Elisabetha filia Friderici Ducis Bojariæ, (qui Ottonis illius Sereniss imæ Electoralis Palatinæ familiæ conditoris, & Agnetis sive Gertrudis Brunsuicensis abnepos erat) filius Albertus, Ulysses & Achilles Germaniæ, à meritorum magnitudine (*b*) dictus, Joannis Ciceronis Germanici parens, Alberti verò Junioris Alcibiadis Germanici proavus. Is ex binis uxoribus, altera Margarethâ Badensi, alterâ Annâ Saxonicâ, à Sereniss imâ Brunsuicensi familiâ genus ex alto ducentibus, totius Sereniss imæ Brandenburgicæ familiæ conditor in secula vivit. Postero anno natus est Fridericus 3. Imperator, at sequenti Sigismundus Friderici Bellicosi filius: ille verò Fridericus Burgravius Norinbergensis, Marchio & Elector Brandenburgensis à Sigismundo Cæsare dictus, anno demum 1417. in Concilio Constantiensi confirmatus est. Hoc autem anno Cometæ vicino natus Fridericus Simmerensis & Spanheimensis, Princeps Palatinus, pater Joannis, qui Sereniss imi Caroli Ludovici Electoris Palatini, Principis utraque Pallade Clarissimi, tricarus fuit. Proximo Cadomensis, hinc Anno 1419. Rostochiensis Academia condita: postero Electoralis dignitas in familia Misnensi (etsi confirmatio post triennium facta fuerit) initium sumsit. Hic etiam Georgio Podiebrad Regi Bohemiæ natalis fuit. Intra biennium Henricus VI. Rex Angliæ, patre mox morituro, & Joannes I. Dux Mecklenburgicus, fundator Academiæ Rostochiensis in regem Sueciæ electus est. Cæcilia verò Friderici illius Electoris Brandenb. filia trium Electorum, Joannis, Friderici & Alberti soror, Wilhelmo Victorioso Duci Brunsuicensi Anno 1423. felici & læto omine nupsit, egregiam paritura prolem in multas familias propagandam. Nati illa tempestate Henricus & Guilhelmus Friderico illo Bellicoso, aliique Principes. Inter hæc varias Gallorum, Anglorum & Hussitarum in Bohemia, duce fortissimo Ziska, quæ

* Sess. 19. (*a*) Lib. 23. fine. (*b*) Sabell. Enn. 10. l. 8. p. 528. primùm

primùm uno, poſtea utroque oculo amiſſo, corporis ac animi vigorem & bellandi ardorem quamdiu vixit retinuit) pro libertate conſcientiarum pugnantium, tum & Ducum Bojariæ pro Bojaria civili bello digladiantium, aliorumque victorias, gaudia & luctum alternantes & perpetua in orbe belli & pacis ſtudia videas. Diſſidium illud Bohemorum diadema primò Vladiſlao Jagelloni Regi Poloniæ Anno 1421. deindè patrueli ejus Vitoldo Duci Lituaniæ detulit. Ille regnum alienum, ſuo contentus, & ad id ritè regendum intentus, generoſè ſprevit. Iſte miſſo pro ſe Sigiſmundo Coributo, non affine, ut Dubravius ‡ ait, ſed agnato ſuo, à quo Illuſtriſſima Ducum Wiſnioveciorum familia ortum ducit, contra potentiam Sigiſmundi Regis legitimi, & diſſidia incolarum fruſtra fuit.

Vid. Avent. Annal. 7. p. 650. & ſeqq. Sabell. Enn. 10. l. 1. & l. 2. ‡ Lib. 26. p. 215.

CCCXIV. *Anno Chriſti* 1426. 9. *Junii Leodii Cometa apparuit ſuper Eccleſiam Fratrum Minorum, dirigens radios ſuos verſus forum Leodienſe, quaſi minans civitati, & perduravit quaſi per hebdomadam.* Chron. Belg.

HOc anno planè Electoralis Saxoniæ dignitas Friderico illi Bellicoſo, de quo diximus, ob ſpectatam fidem (*a*) animique magnitudinem judicio Imperat. confirmata eſt. Primiſlavia paulò ante à Pomeraniæ Duce intercepta, hoc anno ad Brandenburgenſes rediit: Brixia ſe Venetis dedidit. Is quoque Anglis & Bohemis victoribus lætus, Gallis & Miſnenſibus victis triſtis fuit. Tunc verò etiam (*b*) Lovanienſis Academiæ minimùm privilegiorum ejus (initium enim à quibuſdam (*c*) in ann. 926. refertur) fundamenta à Joanne Brabantiæ, Dolanæ verò à Philippo Bono Burgundiæ Duce, paulò poſt Pictavienſis celebritate à Pariſienſi proximæ à Carolo 7. Rege Galliæ jacta ſunt. Hoc itidem anno Epiſcopus Bremenſis Friſios bello aggreſſus, ab iis vulneratus & captus, infelicium Bellatorum Sacrorum catalogum auxit. Pax ad Berneburgum operâ Guilhelmi Luneburgici (*d*) conciliata. Anno proximo (*e*) fædus inter Venetos & Florentinos percuſſum, bellum inter hos & Lucenſes geſtum eſt: Friderico Bellicoſo Magdeburgenſis Burgraviatus (*f*) collatus eſt. Huic anno proximo filius Fridericus Placidus ſucceſſit. Pax inter Philippum Burgundum & Jacobum Comitatûs Hollandiæ hæredem inita, ita ut Burgundus hæres Hollandiæ, Hannoniæ, Zelandiæ & Friſiæ ac Namurci renunciaretur, læta & inſperata Bohemis (*g*) de Germanis non magis contrà libertatem conſcientiarum quàm contrà Deum (ſi Maximiliano 2. Imperatore Henrico 3. Gallorum & Stephano Polonorum Regi credimus) pugnantibus, ideoque panico terrore perculſis ad furcas Pragenſes obtigit, quam induciæ ſecutæ, variante dehinc ingenio humano & fortunâ. Hôc quoque anno fortuna belli primùm Anglis, deinde Gallis propitia apparuit, rem pro his ad miraculum proſpere (*h*) Joannâ puellâ Lotharinga ad Aurelias gerente, cujus heroica facinora, Jo. Lodoicus Micquellus ſingulari commentario memoriæ poſteritatis commendavit. Sequentibus dehinc annis magis propitia Gallis ſua recuperantibus fortuna fuit. In Germania, Hiſpania, Bohemia & alibi res bello paceque geſtas non paucas hac tempeſtate videas. Philippus ille Burgundus Anno 1430. uxorem Eliſabetham (Iſabellam Fabricius vocat) Joannis Luſitaniæ Regis filiam die 10 Jan. duxit, quâ ſimul ordinem Equitum Aurei Velleris inſtitutum Annales Flandrici aliis contradicentibus contendunt. Burgundus mox Philippo Brabantiæ Duce abſque liberis decedente opimâ hæreditate auctus eſt. Is proximo anno cum Leodienſibus in ordinem redactis pacem facit. Ita urbi illi Cometa non tantùm motus minatus, ſed & pacem pollicitus eſt. Poſtero anno Sigiſmundus diadema non tantùm ferreum Mediolani, ſed & aureum Romæ lætus & ovans accepit, ad pacandam Italiam toto biennio (*i*) & pectore incumbens. Hac etiam tempeſtate (*k*) Henricus VI. Rex Angliæ Lutetiæ Pariſiorum Gallico diademate redimitur.

(*a*) Fabric. memor. Sax. (*b*) Chron. Belg. (*c*) Alſted. Chron. Schol. (*d*) Bunting. ad 1426. (*e*) Funcc. (*f*) Fabr. mem. Sax. (*g*) Dubrav. l. 24. ſub fin. (*h*) Æmil. Trith. ad 1426. Rit. de reg. Franc. l. 3. Serres in Carolo 7. Petav. R. P. 1. p. l. 9. c. 10. (*i*) Fabric. mem. Sax. ad 1432. (*k*) ibid. Jovius ad eund. ann. Polyd. in Henr. 6. Serres in Carolo 7.

CCCXV.

CCCXV. *Anno Christi* 1433. *Cometa maximus per tres menses apparuit.* Chron. Polon.
Anno Christi 1433. *Cometa conspectus* 4. *Non. Febr. durat tres menses.* Fabric.
Anno Christi 1433. *Cometa per tres menses integros, face ad occidentem versâ apparuit. Hunc magna caritas annonæ per quadriennium integrum durans in Germania secuta est. Inundationes & turbines ventorum maximæ sunt ortæ. Bohemi & Poloni conjunctis copiis Marchiam & Pomeraniam devastarunt. Veneti, Florentini & Dux Mediolanensis bellum contra Eugenium Papam movent, eumque ut fugeret, coëgerunt. Sigismundus Imperator* 9. *Decembr. Anno* 1437. *ætatis verò* 77. *mortuus est, qui anno superius jam dicto, ab Eugenio Pontifice coronatus est.* Rockenbachius.
Anno Christi 1433. *ingens Cometa arsit, post quem Philippus Dux Burgundiæ Hennegojam, Hollandiam, Zelandiam occupavit, Bavaris inde ejectis. Bernhardus Dux Luneburgensis mortuus est anno* 1434. *Eodem anno Duces Brunsuicenses expugnant arcem Comitiis de Spiegelberg. Interim Archiepiscopus Colonienses, Comites de Hoja, Spiegelberg & Lippiâ Ducatum Brunsuicensem vastant. Wilhelmus Sen: expugnat Hojensium Comitum arcem Barenborg. Buntingus. Circa hoc tempus acre bellum fuit Magdeburgiis & Hallensibus cum suo Episcopo.* Spang. Chron. Sax. cap. 320.
Portenderunt etiam hæc Eclipsis & Cometa annonæ caritatem, quæ ante annos duos orta tùm valdè crevit usque ad Annum Christi 1438. *Modius frumenti Northusanus Stolbergæ veniit* 15. *grossis* 9. *numis. Ex Syleſiâ ex Sylviâ Thuringicâ venerunt hùc multi homines gregarii, qui pro solo pane suam quavis in re operam obtulerunt. Morbo etiam tùm passim pecus periit.* Eckstormius histor. Comet. & Eclipſ. ex Spangenbergio Chron. Saxon. c. 318.
Anno Christi 1433. *Apparuit Cometa maximus, quem secuta est annona caritas sex annorum.* Alstedius.

RIcciolus quoque hunc Cometam ex Prætorio recitat, & trimestrem fuisse dicit. Hoc anno, sicut Calvisius putat, sed edit. Francof. ex Polydoro (*a*), qui tamen hoc, ut & Jovius (*b*), Serres (*c*) aliique, in ann. M CCCC XXXII. ponit, Henricus VI. caput suum diademate Gallico redimi Lutetiæ, quam tunc temporis tenebat, passus est puer decem, ut Polydorus, non duorum, ut Serres ait, annorum. Induciæ verò sex annorum pactæ sunt, paulò tamen post ruptæ. Jacoba Hollandiæ Comes nupsit Gubernatori ageris Martini, & à Philippo Australem Hollandiam, qui reliquas provincias hæreditario jure accepit, consecuta est. Ita non tantùm belli sed & pacis artibus res à Cometarum apparitione geritur, & habent bella alias causas, quam Cometarum phœnomena, quas eorum portenta vocare soleo. Ita & fames & pestis naturales suas habent causas extrà Cometas. Quibus aliquando & læta, ut abundantiam rerum succedere, anno 1436. videbimus. Hîc verbum addendum, illis Brunsuicensium turbis pacem (*d*) mox successisse.

(*a*) Lib. 23. pag. 478. (*b*) Chron. Reg. Angl. (*c*) In Carolo 7. (*d*) Bunting. ad ann. 1434.

CCCXVI. *Anno Christi* 1434. *visus est Cometa. Hoc anno mortuus est Bernhardus Dux Lunæburgensis.* Eckstormius.
Anno Christi 1434. *Cometa fulsit, & Solis Eclipsis fuit. Secuta sunt varia bella, numero* 8. Alstedius.

HUnc, puto, Cometen Cromerus (*a*) notat: *Cometes*, inquit, *non obscurus per quam unum mensem pernox face ad occidentem versa apparuit, regiæ mortis (Vladislai scilicet Jagellonis) ut vulgò tunc creditum, & postea eventus comprobavit, præmonitus.* Eadem tempestate Heliam Palatinum Valachiæ in verba Regis jurasse, pactaque cum Stephano, qui Heliæ substitutus erat, opimis ditionibus Heliæ assignatis convenia, Tartaros fusos & repressos à Stephano, Bratislaviam Regi restitutam, indu-

(*a*) Lib. 20. pag. 467.

cias 12. annorum cum Cruciferis factas, aliaque læta, quæ Cometæ è vestigio successerunt, refert. Annotat hunc Cometen & Sifardus in imputandis ei tristibus annorum 19. ad captam scilicet Anno 1453. Constantinopolin, liberalis. Annotat & Ricciolus hunc Cometam ex Prætorio. Quo is luxit anno pax Romæ sancita est. Vladislao Jagelloni ætatis gravitate oppresso Vladislaus filius successit: Iste annus Carolo Burgundo natalis, Ludovico autem Andegavensi, tùm proximus Joannæ Reginæ Apuliæ fatalis fuit. Hâc ratione regnum Neapolitanum Aragonio cessit. Joannæ tamen mortem Funccius in annum, qui Cometam proximè anteceſſit, refert. Liceat lætis Christianorum rebus addere Turcicas (cuncta enim quæ in orbe inter Cometarum apparitionem maximè memorabilia geruntur, hîc percurrimus) nuptias scilicet Amurathis Imperatoris Turcici cum filia Georgii Despotæ Serviæ. Lætus quoque idem ille annus (*a*) Mediolanensibus fuit, victoriâ de Alfonso Aragonio, Apuliæ regnum appetente, victo & cum fratribus captivo. Sed & Alfonso lætitiam, quia libertatis restitutionem & Cajetæ deditionem attulit. Inter lætitiæ hujus anni (*b*) documenta meritò conciliationem Galli & Burgundi ponas. Anno 1436. (*c*) pax Hallensis omnes exhilaravit. Tum verò & aliquot Principes nuptiarum & natalium solemnibus lætitiam pepererunt, quæ dehinc multiplicem lætæ posteritatis frugem edidit. Henricus nempe Dux Brunsuicensis ille Pacificus uxorem duxit Helenam Adolphi Ducis Clivensis, Albertus vero III. Pius dictus, Comes Palatinus, qui paulò post oblatum sibi à Bohemis, diuturni belli pertæsis, diadema recusavit, Annam filiam Erici Ducis Brunsuicensis, ex qua mox numerosam suscepit prolem, quæ in Sereniſſimis Electorali Bavara & Saxonica familiis, quatenus hæc ab Ernesto Misnensium Electore Tertio descendit, firmiter & glorioſè viget. Illo quoque anno Ludovicus 2. Pacificus dictus Landgravius Hassiæ, pronepos Henrici illius Brabantini & Adelheidæ Brunsuicensis, Annam (*d*) Margaretham Friderici I. Electoris Saxoniæ filiam uxorem duxit, à qua pariter tota Sereniſſima Hassiaca familia ducit genus. Eodem anno & Ludovicus Delphinus Margaretham Regis Scotorum filiam matrimonio sibi junxit. Eodem nata Anna filia Friderici 2. Electoris Saxoniæ, quæ postea, ut suo loco videbimus, Alberto Electori Brandenburg. illi Achilli & Ulyssi Germanico, connubio juncta, fœcundissima multæ posteritatis Franconicæ, Anspacensis, Jagerdorfensis & Prussiacæ, quæ connubiorum & successionis jure Silesiæ partem, Juliacenses provincias & Prussiam obtinuit, & ad agnatos feliciter propagavit, genitrix extitit. Eundem illum annum insignem & lætum magna boni vini copia (licet anno superiore multis in locis vites frigore periissent, adeo divina bonitas spe nostra sæpè major est!) reddidit. Tùm verò & fœdus inter Saxones & Hæssos renovatum, & matrimonio illo, quod diximus, confirmatum, & res Hassiaca quatuor Comitatibus aucta: & Lutetiæ, ab Anglis 15. annis possessæ, per Gallos recuperatio. His optimo jure accensenda pax Bohemica, Sigismundo ad capessenda regni frena, sub conditione concessæ Bohemis S. Eucharistiæ, sub utraque, ut vocant specie celebrandæ, vocato. Huic Anno 1438. Albertus gener successit, qui die 6. Maji Pragæ (*e*) Bohemico, & mox die 30. Maji Augusto diademate cinctus est, postquam paulò ante Kal. Januariis ejusdem anni 1438. Hungaricum accepisset. Eodem anno pacta Conventa ad Corcinum in Palatinatu Sendomirienſi, quibus universa Russia (*f*) regno accesserat, Reip. Polonæ lætitiam attulerunt. Non injuria huc mihi est ex illo Anno 1436. Philippi Burgundi in ampliſſimam illam Hollandiæ & aliarum provinciarum hæreditatem successio referenda. Adeò lætorum tempestas hæc ferax fuit.

(*a*) Calvis. ad 1435. (*b*) Fabric. ad 1435. Serres in Carolo 7. (*c*) Trithem. Funcc. Bunt Calvis. (*d*) Fabric. mem. Sax. ad 1436. (*e*) Sylvius c. 1. Europæ. Cuspin. in Alberto Dubrav. l. 27. fine & l. 28. initio, Bonf. dec. 3. l. 4. sub init. (*f*) Fredro in Henr. 1. p. 14.

CCCXVII. *Anno Christi* M CCCC XXXIX. *Cometa ad occasum conspectus, caudam meridiem versus extendens, quem secuta lues pestilens vehemens, quæ tempore messis usque ad festum Trium Regum duravit.* Fabric. memor. Saxon.

Anno Christi 1439. *Cometa in Polonia conspectus est. Hunc mors Alberti Imperatoris, dysenteriâ laborantis, vicissim* 8. *Octobris secuta, atque in Alba Græca deindè sepultus est. Pestilentia universalis in toto orbe terrarum grassata est. Hoc anno Amurathes, Imperator Turcicus, mortuo Alberto Imperatore, magno exercitu Ungariam devastat, per Misiam & Albam Græcam eum ducens.* Rockenbachius.

Anno Christi 1439. *Apparuit Cometa. Eodem anno die Simonis & Judæ obiit Albertus II. Imperator. Amurathes Turcicus Imperator tùm magnâ cum solennitate Mahometem filium circumcidi curavit: Invasit Rasciam & Serviam, Sanderoviam arcem occupavit, Stephani Despotæ filiis abductis & deindè excæcatis. Occupavit etiam Epirum Scanderbegi patriam, & Thessalonicam urbem demolitus est.* Eckstormius ex Schosserο.

Anno Christi 1439. *Cometa fulsit. Ars typographica anno sequenti est inventa.* Alstedius.

Anno Christi 1439. *Cometa fulsit. His annis crevit Turcica res & vires Christianorum debilitatæ sunt.* Ricciolius ex Prætorio.

MEminit hujus Cometæ Funccius. Sed nullum ei tribuit effectum, quod fecit Rockenbachius. Quod autem ad mortem Principum attinet, hic quoque videmus eam sine Cometis evenire. Nam Anno 1437. *(a)* Sigismundus Imperator & Ludovicus Bavariæ Elector senio confecti: tùm Adolphus Dux Montensis & Juliacensis, Joannes ultimus Comes Spanheimensis; sequenti Edoardus Rex Portugalliæ, Ernestus Dux Bavariæ & Machtildis Ludovici illius relicta vidua (& quis omnes recenseat) diem suum obierunt. Præcesserunt Cometam & belli motus. Albertus enim Sigismundii gener, & tàm regnorum quàm Imperii successor, Casimirum Vladislai Polonicæ Regis fratrem Hungariâ pepulit. Fridericus Elector Saxoniæ Bohemos acri prælio vicit. Philippus Burgundus bello gravi Brugenses coërcuit. Amurathes Georgium Socerum armis appetiit & in Hungariam expulit. Non deerat illâ tempestate & fames & pestis in Germania utraque, & maris inundatio *(b)* in Hollandia, & incendium quod Gandarum vastârat. Sed ad Cometæ eventus veniamus. Hoc quo is luxit anno, auspicatus est apud Danos, Suecos & Norvagos imperium Christophorus, Joannis Neoburgici Comitis Palatini filius, aliis qui ex hac Serenissima Familia Augusta & Regia diademata gestarunt, merito annumerandus: eodem anno inexspectato & funesto bello exarsit Germaniæ nobilissima provincia Alsatia & vicina Helvetia. Sed hæc mala longè aliud quàm Cometæ apparitio portendit. Eugenius nempe Pontifex Romanus, ut dissiparet Concilium Basileense, Ludovicum Delphinum Viennensem, regis Franciæ primogenitum, in arma concitavit precibus & precio (ut ferebatur) contrà Imperium Romanum & Germanicam nationem, ut Trithemius *(c)* sincerè testatur, & Æneas Sylvius indicat *(d)*. Ille etiam ex hoc bello solita mala, annonæ caritatem, famem & pestem provenisse perhibet. Ita Pontificis arrogantia sanguinaria bellum, hoc reliqua mala portendit. Pontificis verò arrogantiam, ut tale facinus auderet, pragmatica Concilii Basilienſis Anno 1431. cæpti sanctio votis ejus adversa permovit. Hæc enim & *(e)* Eugenio abdicato Amedæum Allobrogum Ducem, Felicem V. electum subrogavit, & Pontificiam potestatem Concilii auctoritati subjecit, & reformationem Ecclesiæ in capite & membris approbavit. Atque hæc isto ipso quo Comites luxit, anno urgeri & executioni tradi cœpit. Quo etiam pax & concordia inter Græcos & Latinos in Concilio Florentino, tùm & inter Carolum VII. Regem & Ludovicum Delphinum filium ejus primogenitum in Galliis redintegrata. Hujus enim anni 27. Octob. dies Alberto Imp. Viro strenuo, pio, bono & sancto, ut Trithem. *(f)* judicat, & res ipsa suffragatur, imo Principi quo, ut idem ille Trith. ait, nemo non erat dignus, & qui ob præclaras virtutes *(g)* vita longiori erat dignissimus, immature premus fuit. Huic suffectus anno vertente Fridericus Austriacus, ætate juvenis, animo senex, alter Fabius, Princeps mitis, pius *(h)* & pacis amantissimus, Ladislao Posthumo

(a) Trith. Chron. Spanh. ad 1437 & 1438. (b) Trith. ad 1438. Calvis. ad 1438. (c) Chron. Spanh. ad 1438. (d) Ep. 10. ad Lapum de Portugal. (e) Constit. Imp. (f) ad 1438. (g) Paralip. p. 305. (h) Trith. ad 1440. Paralip. p. 306.

Alberti

Alberti filio paulò ante nato, quo neglecto Bohemi diadema ſuum Alberto Bojo, ut diximus (ut & præterito Alberto (a) Caſimirum Principem Poloniæ elegerant) obtulerant, quod ille magno animo ſprevit. Atque is Sereniſſimi Electoris Bavariæ, Ferdinandi Mariæ, Principis laudibus florentiſſimi, tritavus fuit. Cum autem Alſtedius artis typographicæ inventum ad annum à Cometa proximum referat, deque artis hujus inventione non minus quatuor Superioris & Inferioris Germaniæ Civitates Moguntia, Argentina, Auguſta Vindelicorum & Harlemum, quàm olim ſeptem Græciæ civitates de natali Homeri diſputent, paucis de ea agemus. Polydorus (b) eam Joanni Gutenbergio nobili Germano, & Moguntiæ, Jacobus Wimpfelingus (c) eidem Joanni & Argentinæ, Gilbertus Cognatus (d) Auguſtæ Vindelicorum; Hadrianus verò Junius (e) Laurentio Joanni, cognomento Ædituo, vel, ut alii volunt, Coſtero, & Harlemo urbi vindicant. Is quidem refugam illam laudem poſtliminio revocare, & hoc quaſi trophæum erigere contendit. Et firmis certè rationibus dicta ejus nituntur, ita ut Petrus Scriverius literis mandare non dubitârit:

Vana quid archetypos & præla Moguntia jactas?
Harlemi typos prælaque nata ſcias.
Extulit hinc monſtrante Deo Laurentius artem,
Diſſimulare virum hunc, diſimulare Deum eſt.

Ubi reſponſum habet Berckringerus, qui in illa ſua Diſſert. de Cometis inter infauſtos & triſtes Cometarum eventus inventionem artis typographicæ (quam omnes uno ore nobiliſſimam & artium omnium conſervatricem, Palladium, præſidium & divinam tutelam Muſarum omniſque doctrinæ vocant) ponit. Sic enim ille *Anno* 1439. *exarſit Cometa & ecce ars typographica anno ſequenti inventa, dubium ſitne majus* κρεῖττον *an* ἧσσον? Ecce verò & Beroaldus in quodam Hendecaſyllabo:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetuſtas,
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Sed nec illa carmina anno 1461. (f) in laudem urbis Argentinenſis & artis typographicæ edita præterire poſſum:

O fœlix noſtris memoranda impreſſio tectis,
Inventore nitet utraque lingua tuo.
Deſierat quaſi totum quod fundis in orbem,
Nunc parvo doctus quilibet eſſe poteſt.
Omnes te ſummis igitur nunc laudibus ornent,
Te Duce quando ars hæc mira reperta fuit.

Quibus auctor antiquit. Brit. ſubjicit: *Et ſanè divino beneficio hæc ars in hoc ſeculo hominibus patefacta eſt, ex cujus fœcundo quaſi gremio omnes artes ac ſcientiæ, cœcitate & caligine abſterſæ, tanquam è longævis tenebris prodierunt.* Verum enim verò ſunt, (g) qui hanc præclaram artem apud Chinenſes jam olim in uſu fuiſſe aſſerant. Hæc obiter de iſta arte, cujus & nos beneficio jam fruimur, annotanda eſſe duxi. Nunc ad reliqua pergo. Anno 1440. & 1441. reſtituta Italiæ pace bellum in Flandria ortum eſt. Sed & aliàs læti victoriarum & pacis fructus provenerunt. Hoc anno (h) Erneſtus Elector Saxoniæ, Friderici 2. filius, Henricus 3. Landgravius Haſſiæ, &, ut quorundam rationes ferunt, Albertus IV. Sapiens, utriuſque Bojariæ Dux Sereniſſ. Elect. Bavariæ atavus nati ſunt. Anna verò Friderici ultimi, Veldentiæ Comitis filia, Stephano Comiti Palatino, illi Sereniſſimorum Electorum progenitori nupſit. Proximus annus (i) gratiſſima & ſaluberrima aëris æſtivi temperie ac læto vini optimi & frumenti proventu, victoriâ Hunniadis Hungariæ Palatini de Amurathe & paterno Epiri

(a) Dubrav. l. 28. Paralip. p. 305. (b) Lib. 2. de inv. rer. c. 7. Vid. & Sabell. Enn. 10. l. 6. p. 498. (c) Hiſt. c. 65. Vid. Paralip. Urſperg. p. 308, 309. (d) Lib. 3. Sylvæ narrat. (e) Hiſt. Batav. (f) Antiquit. Brit. p. 293. (g) Garcia Horta lib. 1. aromat. apud Indos naſcent. c. 38. Joan. Barrus in ſua Aſia dec. 1. l. 9. c. 1. Jovius 14. hiſtor. & alii. (h) Fabric. memor. Sax. Auctor 14. tabb. (i) Trith. Bunting. Calviſ. &c.

regno per Georgium Scanderbegum, Joannis Caſtrioti filium, Virum fortitudine celeberrimum, recuperato, & ipſius Georgii ad Chriſtum converſione, ac induciis Anglo-Gallicis inſignis extitit. Sequentem quoque læta non pauca commendant. Nam *Herois illius* Clariſſimi Scanderbegi *tempore omnia fervebant gaudio, paſſim audiebatur dulce nomen libertatis*, ut Auctor paralip. ait. Huniades auſpiciis Vladiſlai Regis inſigni victoriâ de Amurathe potitus, ideò Rex Budam cum magna populi lætitia quaſi triumphator intravit. Ita Amurathes virtutem & fortunam Huniadis & Scanderbegi præſtantiſſimorum Ducum veritus, Deſpotæ Serviæ Socero cuncta reſtituit, & pacem à Ladiſlao Rege Hungariæ petiit, quæ in decem annos prorogata & ſancita eſt. Alfonſus, pulſo Renato Andegavenſi, de occupato toto Apuliæ regno Neapolin triumphans invectus eſt, & fœdus cum Eugenio Pontifice Romano iniit. Matthias verò Corvinus Rex Hungariæ, Joannis Huniadis filius, & Albertus Dux Saxoniæ, Mauritii & Auguſti Electorum Saxoniæ avus, vitali aurâ frui cœperunt.

CCCXVIII. *Anno Chriſti* 1444. *in Solſtitio æſtivali magno hominum terrore viſus eſt Cometa, excidia, bella, cladeſque futuras portendens hominibus. Hoc enim anno* 10. *Novembr. Chriſtiani damnum grave à Turcis propè Varnam illatum, belligerando paſſi ſunt. Vladiſlaus Rex confoſſus eſt à Turcis multis vulneribus, Epiſcopi in fuga crudeliter perierunt. Huniades autem vix evaſit. In Turingia & Miſnia bella plurima orta ſunt. In Bohemia rubigo, frugum malum cæleſte, ſiliginem exuſſit. Eruca plurima viſa ſunt, quæ flores & frondes arborum corruperunt. Pons Tiberinus* 15. *Cal. Octobr. Romæ corruit, ubi* 560. *homines perierunt. Baſileæ terræ motu, in feſto Andreæ* 20. *Novemb. concuſſa eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1444. *apparuit Cometa in Leone. Hoc anno pridiè Martini Ladiſlaus Hungariæ* (adde, & Poloniæ) *rex, ad Varnam cum Amurathe Turcarum Imperatore hoſtili exercitu congreſſus, in prælio occiditur cum Juliano Cardinale Legato Pontificis Eugenii, qui fuerat regi author rumpendi fœderis, quod paulò antè cum Amurathe optimis conditionibus factum fuerat.* Eckſtormius ex Paulo Jovio.

Anno Chriſti 1444. *Cometa ardet. Rex Galliæ movet in Helvetiam. Vladiſlaus rex Hungariæ cæditur ab Amurathe ad Varnam. Seditio gliſcit in Anglia. Turca anno* 1454. *expugnat Conſtantinopolim.* Alſtedius.

Anno Chriſti 1444. *ingens & terribilis Cometa Solſtitii tempore fulſit.* Ricciolius.

DUo hîc ſingularia notanda ſunt priuſquam ad hiſtoriam Cometæ hujus accedamus. Alterum eſt hunc Cometam Alſtedio à Chriſto nato cenſeri centeſimum decimum ſeptimum, ultrà quem numerum non facilè Cometas plures à Chriſto nato in hiſtoriis reperiri poſſe Keckermannus *(a)* ait, licet ipſe paulò poſt numerum Cometarum à condito mundo tercenteſimo majorem, non magnoperè tamen, ſtatuat. Alterum, monitum me à Clariſſima Iſmaële Bullialdo eſſe, ut Cometas à temporibus Joannis Regiomontani ſingulari diligentiâ deſcriberem. Iſte enim Clariſſimus Mathematicus (quem Trithemius *(b)* non minorem Anaximandro Mileſio aut Syracuſano Archimede, & Jovius *(c)* admirabili ſolertia divini ingenii Aſtronomorum omnium, qui ad illa tempora floruerant, præſtantiſſimum fuiſſe affirmat, & ob inventam decimæ ſphæræ circumgyrationem, & motûs iſtius ſupputationem, Thaleti, Eudoxo, Calippo, Ptolemæo ac Alfragano præponit) paulò antè Anno ſcilicet 1436. natus eſt. Is enim omnibus anterioribus Mathematicis diligentiæ palmam in obſervandis & deſcribendis Cometis præripuit. Nunc ad Cometam noſtrum venio. Adnotat eum Fabricius in memorab. Saxon. De hoc Cometa Aventinus *(d)* ſcribit eumdem ejus non exprimens: *Eodem temporis tractu Cometa ſolſtitio æſtivali viſus, mentes mortalium perterruit, excidia, bella, clades futuras portendit. Demum in Bojaria rubigo, malum frugum malum, nullo minus noxium, ſiliginem exuſſit. Erucæ dirum animal viſæ, quæ frondem, & florem arborum, & depaſtam arborem turpi facie relinquunt. Romæ* [illegible]

(a) Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. (b) De ſcript. Eccl. p. 372. (c) In elogiis doct. Vir. (d) Annal. 7. p. 616.

cimo Cal. Octobris pons Tiberinus corruit, aquis obruti interîêre quingenti ſexaginta homines, qui eò ſecularibus ludis, quos Nicolaus contrà decreta Conſtantienſis Senatûs aperuerat, confluxerant. In Oriente Ladiſlaus Poloniæ, Ungariæ rex, à Turcis cæſus eſt. Et paucò poſt tempore Ulricus Celeiæ poſtremus dynaſta, trucidatus. Joannes atque ejus filius Ladiſlaus Hunnoiani interîêre. Ladiſlaus rex Hungariæ & Bohemiæ, filius Alberti Cæſaris, amitinus Ludovici Landſhutenſis, Pragæ repentina morte, immaturo ævo raptus eſt. Mox Ugri & Auſtriaci, Imperator & Albertus fratres, civilibus armis digladiantur. Bojemi de ſuo corpore regem creant. Is filiam ſuam Georgio filio Ludovici Landſhutenſis deſpondet, atque Imperium utrumque Romanum & Orientale affectavit. Congeſſit non pauca triſtia eaque ſatis à Cometa longè remota, quæ ſcilicet circa annum 1458. (ſicut Rockenbachius (*a*), quæ anteceſſerunt Cometæ apparitionem) contigerunt, infeſta, Vir Egregius, communi ſententiæ de Cometarum ſignificatione obſecutus. Sed hanc experientia refutat, quæ non tantùm mala citrà Cometas & plurima & maxima, ſed & bona poſt eoſdem evenire teſtatur. Non nego hoc anno multa mala ex bellis variis eveniſſe. Sed hæc, ut toties diximus, habent ſua præter Cometas in animis hominum portenta vitiorum, quæ ea prænunciant & efficiunt. Id verum eſſe hoc quoque loco docemur. Illam enim celeberrimam cladem Varnenſem ambitio & perfidia Vladiſlai (hoc nempè citrà odium & gratiam ſecundùm hiſtoriæ & veritatis leges dicendum eſt) portendit. Illa in præripiendo Vladiſlao illi Poſthumo regno Hungariæ, hæc in violanda hortatu Pontificis Romani Eugenii fœderis cum Turca initi religione, eluxit. Utrumque candidè, ut ſolet, fatetur Æneas Sylvius (qui paulò poſt Pii 2. nomine ſellam Romanam tenuit) dum ſic ſcribit (*b*): *cum per plures horas nunc illi, nunc iſti cederent, inclinatâ ad extremum Chriſtianorum acie victores evadunt Turcæ, qui juramenta non ſolùm domeſticis fidei ſed & hoſtibus ſervanda demonſtrant. In hoc prælio adoleſcens Vladiſlaus occiſus, pœnas dedit uſurpati regni alieni, qui dum ſpoliare paterno regno Ladiſlaum quærit, ſuum amittit. Cæca eſt cupiditas hominum, qui non contenti civitatibus dominari, provincias quærunt poſt regnum, neque etiam ſic expleti regnis, regna cumulare nituntur, neſcientes, quòd parva res vitam eripiat homini, & omnibus pompis ac dominiis nudum in momento reddat. Corpuſcula noſtra, ubi ſpiritus evolavit, modico ſarcophago contenta ſunt. Quod ſi Vladiſlaus animadvertiſſet, quietus in regno ſuo (nam ſatis divitiarum poſſidebat) nunquam Hungariam attigiſſet.* Hæc ille piè & cordatè. Ita & Bonfinius *: *Ob commiſſum ingens violatæ fidei piaculum ad placandum iratum numen, hanc ſanctam & immaculatam regiamq; victimam devoveri ſibi Deus voluit.* Vid. & lib. 7. p. 496. 505. Ritium de regib. Hung. l. 2. ſub fin. & Dubravium l. 28. p. 233. Hæc ergò vitiorum portenta, quæ animos Principum & populorum etiam meliorum irritant, atrocia bella (quæ hoc quoque anno apud Helvetos, Alſatos, Mediomatrices & Belgas geſta eſſe auctores (*c*) tradunt) præ Cometis vel aliis ſignis cæleſtibus ſignificant. Interim nec bella omnis prorſus boni expertia ſunt. Victoriam enim prædam, rerum augmentum, decus, gloriam & pacem adferunt; quorum exempla plura in iis, quæ hac tempeſtate in Germania & Italia Trithemio & (*d*) Sabellico (*e*) annotante, geſta ſunt, habemus. Porrò tàm proſpera quàm adverſa, læta & triſtia, inter Cometarum apparitiones perpetuò verſantur. Meritò hîc Aventino, qui in illis ferè quæ exſcripſi, egregios libros Annalium Bojorum finit, repono dictum, quod apud eum eodem libro lego:

Sic variat fortuna vices, adverſa ſecundis
Subdit - - - - -

(*a*) Confer. Funcc. ad 1443. Trithem. ad 1444. (*b*) Epiſt. 81. * Dec. 3. l. 6. ſub fine. (*c*) Sylv. ep. 51. & 87. Urſperg. paralip. (*d*) Ad 1444. (*e*) Enn. 9. l. 3, 4 & 5.

CCCXIX. *Anno Chriſti* 1445. *Viſus eſt Cometa. Hoc anno obiit diem ſuum Otto Dux Lunæburgenſis.* Eckſtormius.

PLures quoque Principes hoc anno vel proximo è vita exiiſſe, ſed & eandem iniiſſe certum eſt. Annotantur quidem exempla quædam ab Auctoribus (*a*),

(*a*) Trithem. ad 1445. & ſeqq. Bucholz.

plura tamen vel ab aliis, qui mihi ad manum non ſunt, annotata eſſe vel eveniſſe, vix dubitare licet. Ut initia vitæ quidam, ita & regni Principes alii tunc fecêre, quæ, ut notum, plerumque læta eſſe ſolent. Vladiſlao ad Varnam cæſo in Polonia frater Caſimirus, at in Hungaria Vladiſlaus ille poſthumus uno omnium Ordinum ore rex renunciatus, dato quinquenni puero rectore Joanne Hunniade Corvino (a), qui rei & paci publicæ curandæ totum ſe dederat, & Regem puerum à Friderico Imp. acritèr repetebat. Eadem per omnia Georgii Podiebradii in Bohemia erant ſtudia, cum hoc ipſo anno, pariter ut Corvinus, apud Hungaros regni gubernator renunciatus eſſet. Tùm verò & paulò poſt, Anno ſcilicet 1448. Chriſtianii. cognomento Divitis Comitis Oldenburgenſis, qui Theodorico felice antiquum genus à Witikindo illo Saxone (b) ducente, & Hedvigi Ducis Sleſvicenſis & Holſatiæ Adolphi VII. ortum itidem (c) ab eodem illo Witikindo trahentis filia cretus, mortuo Chriſtophoro Palatino, Regi Daniæ in foro & thoro ſucceſſit. Atque is Sereniſſimi Daniæ & Norvegiæ Regis Friderici III. glorioſè & feliciter imperantis atavus fuit. Triennio abhinc, illo ipſo ſcil. anno (d), qui Cometam exhibuit, pactis inter Anglos & Gallos decem & octo menſium induciis, poſtquam paulùm refrixit bellum (e) exarſit amor. Henricus enim VI. Rex Angliæ Margaretham Renati Siciliæ Regis ac Ducis Andegavenſis filiam, in matrimonium accepit. Eòdem anno Chriſtophorus Rex Daniæ Dorotheam Joannis I. Electoris Brandenb. ſociam thori & vitæ eſſe voluit. Ludovicus verò Comes Palatinus Rheni & Elector, Ludovici illius Barbati filius, Margaretham Sabaudiæ Ducis illius Amadæi, qui in Pontificem Max. ad Baſileam electus erat, filiam, & anno illo memorato 1448. filium Philippum, Electorali dignitate poſtea ornatum ex ea ſuſcepit. Inter hæc An. 1446. (f) Wilhelmus Landgravius Thuringiæ Dux Saxoniæ connubio ſibi Annam (Eliſabetam Fabricius (g) vocat, ſed hæc (h) Caſimiro Regi Pol. nupſerat) Alberti Imp. ſeptennio abhinc mortui filiam junxit. Pax verò inter Fridericum Imp. & Helvetios, poſtero inter Wilhelmum illum & Fridericum Electorem Saxoniæ, ſequenti inter Anglos, incuriâ prius & fiduciâ ſui, priuſquam prælio victos & Scotos victores [i] compoſita. Lætam in Scotia horam temporum fuiſſe faciem Buchananus oſtendit, multiplicem promens lætitiam de victoria, de pace & de nuptiis Regis Jacobi cum Maria Arnoldi Ducis Geldriæ filia celebratis. Illa, quæ indicavimus, bella variâ fortunâ geſta pax excepit. Multa per id tempus bello paceque in Italia geſta, adeoque triſtia & læta Sabellicus [k] multis proſequitur, quibus immorari nolo. Propero enim ad alia.

(a) Bonfin. dec. 3. l. 7. p. 493 & ſeq. Dubrav. l. 28. pag. 233. (b) Author 14. tabb. genealog. Helvic. Theatr. Hiſt. p. 141. (c) Alſted. Chronol. p. 228. (d) Trithem. ad 1445. (e) Polyd. l. 23. p. 491. (f) Calviſius. (g) memor. Sax. ad 1446. (h) Auctor 14. tabb. in Alberto 2. & Wilh. Chron. Pol. Funcc. ad 1453. (i) Buchan. l. 11. p. 373, 374. (k) Enn. 10. lib. 5.

CCCXX. *Anno Chriſti* 1450. *viſus ille Cometes, de quo Georg. Phranza l. 5. hiſt. c. 21. ita ſcribit: Æſtate anni Chriſti* 1450. *Cometes ſupra horizontem quotquot veſperi, ſtatim poſt Solis occaſum, in rompheæ ſimilitudinem apparere cœpit: qui plenum Lunæ orbem ſubiens eclipſin efficiebat, juxta ordinem & motum ſolitum in orbem luminum cœleſtium. Quidam Cometen hunc gladii ſpeciem exprimere, & ab Occidente in Orientem moveri ac Lunæ appropinquare, defectioniſque illius tenebras videntes, ita rem interpretati ſunt, conſpiratione factâ Principes Chriſtianos adverſùs Turcam venturos, eoſque debellaturos. Turcæ quoque eo portento in timorem non levem inciderunt. Adeò manifeſtum fuit illum Cometam eſſe infrà Lunam: illo verò anno Amurathes Turcarum Imperator ex ebrietate mortuus eſt.* Ricciolius.

DE ſitu & itinere hujus Cometæ videatur idem Ricciolius Almag. l. 8. ſect. 1. c. 17. N°. x. Idem N°. xi. eum in conſequentia Signorum curſum tenuiſſe dicit. Paulò hunc Cometam anteceſſit triduanum prælium inter Corvinum & Amurathem, in Raſciæ Bulgariæque finibus, longè latèque ſpatiante planitie, quem Raſcii Conſonam vocant, Bonfinius (a) campum Merulæ interpretatur Anno 1448. ut Bonfinius, vel proximo

(a) Dec. 3. l. 7. p. 495.

ut Calvisius putat, commissum, quod triginta & quatuor Turcarum, octo Hungarorum millia absumsit. Tum verò & bellum Georgio Despotæ Rasciæ principi, qui ingrati animi turpissimo (nequicquam tempestivè* dehortante Corvino) crimini scelus sævitiæ, capto Corvino ex prælio fugiente, addiderat, illatum, quod tamen pace supplici datâ [a] mox sopitum est. Sed ex eo alterum cum Turca bellum ortum. Is Despoti ob dimissum Corvinum indignatus, & armis eum petens, Corvinum, Despoti privatas offensas publicæ utilitati condonantem & subjecto parcentem, in se excivit, ut nuperam cladem & ignominiam gloriosâ victoriâ repararet. Turpem Turcarum fugam & cladem Amurathis eorum Imperator mors secuta est, Anno scilicet, ut Ricciolius, quæ & Funccii & Bonfinii [b] computatio est, à Christo nato 1450 at secundùm Leonclavium [c], Krentzheimium, Calvisium, Helvicum, Alstedium & Petavium anno proximo, secundùm Buntingum 1449. Hanc non Cometam sed crapulam, quæ plures Principes quàm hostis ullus occidit, portendisse & attulisse Tyranno, ipse Ricciolius indicat. Ad hunc annum, quo Cometa fulsit, Fabricius inter memorabilia notat, typographiam inventam, beneficium magnum ac verè divinum, & haud dubiè cœlitus revelatum: tùm Guilhelmi Ducis Saxoniæ cum Friderico 2. El. Sax. fratre conciliationem. Annus 1450. & proximi non paucis principibus lætos natales dedêre. Anno enim 1450. [d] Ferdinandus Dux Hispaniarum, avus Caroli V. maternus, Olaus Christianus I. Regis Daniæ filius, Ursula filia Alberti Elect. Brandenb. proximo soror ejus Elisabetha, frater Olai Canutus, anno autem 1453. Edoardus IV. Rex Angliæ Henrici VI. ex Margaretha illa Andegavensi filius, proximo Joannes Rex Daniæ, Christiani I. filius, sequenti Joannes Elector Brandenb. Cicero Germanicus dictus, Ulyssis illius & Achillis Germanici Alberti filius in lucem editi. Et quis omnes enumeret? Nuptiarum quoque hymenæi tempora hæc læta reddiderunt. Anno 1451. ut Sabellicus [e], Onuphrius, Trithemius & Dubravius [f], vel ut alii [g] putant 1452. Fridericus Imperator cum Leonora Edoardi Portugalliæ Regis filia, nuptias Neapoli, postquam paulò antè [h] cum ea augusto diademate Romæ insignitus esset, celebravit, quas Alphonsus Rex Sponsæ avunculus tanto apparatu, tantaque pompâ apparavit, quantam illa ætas, Dubravio judice, apud nullum alium Regem viderat. Ita tunc cum bona pace, ut idem ait, Cæsar in Germaniam revertebatur, qui quamvis nominis sui dulcedini respondens, pacis atque otii, ut Egnatius testatur, studiosissimus fuerit; bello tamen ab Austriis ob detentum Ladislaum appetitus est. Quo ad regna paterna dimisso, motus ille quievit, ita ut in posterum Cæsar pacis artibus deditus ab Egnatio [i] tale meruerit elogium: *Pacem tenore perpetuò annos quatuor ac quinquaginta (tot enim rerum potitus est) coluit, seu fatum id fuerit, quietiore Germania quàm multis retrò actis ætatibus, seu prudentia verius id Principis effecit. Ille verò nihil ab initio antiquius habuit, quàm tuendæ pacis studio, tumultus qui oriebantur, sedare*, & quæ sunt reliqua, lætum subjectis & vicinis imperium ejus commendantia, Viris Principibus meritò boni publici studio imitanda. Anno 1453. Casimirus Rex Poloniæ Elisabetham illam, cujus mentionem paulò ante feci, Alberti Imperatoris filiam uxorem duxit. Inter læta temporis illius meritò ponenda est pax inter Fridericum Electorem Saxoniæ & Wilhelmum fratrem ejus, hoc innatæ generositati & pietati fraternæ [k] plusquam monitis Consiliariorum confisо, ad fratrem hostili odio in se ardentem confugiente; tùm inter Albertum Electorem Brandenburg. & Norinbergenses anno isto quo & Cometes apparuit & jubileus celebratus est, composita. Quam dehinc quadriennio secuta est illa 25. annorum pax Italiæ, adhuc armis domesticis & externis laceratæ reddita, de qua sic Sabellicus [l]: *Italia diuturno fessa bello per hæc in universum ferè pacata est, quarto & quinquagesimo suprà millesimum & quadringentesimum salutis anno, ex quo Philippo, ob Cremonam renatum erat bellum, octavo cum Sfortia, ob Mediolanenses socios, anno jam quinto exacto: cæterùm quia constans fama erat Alphonsum regem ab ejusmodi pace abhorrere, ex universa Italia missi sunt ad eum Legati*

* Bonfin. ibid. pag. 494. [a] Id. pag. 500. [b] Dec. 3. lib. 8. initio; [c] In Annal. Turc. [d] Bucholz. [e] Enn. 10. l. 5. p. 491. [f] Lib. 28. p. 234. [g] Fabric. Funcc. Cuspin. Calvis. &c. Vid. Paralip. p. 309. [h] Conf. Bunt. ad 1452. [i] In Frid. p. 1406. [k] Æneas Sylv. Europ. c. 32. [l] Enn. 10. l. 6. p. 494.

orantes,

orantes, ut quam Veneti & Sfortia ſuo & ſociorum nomine ſanxiſſent pacem, ratam haberet. Probavit rex tandem quæ acta eſſent, tenuit tamen ut ſibi bellum deinceps integrum eſſet cum Genuenſibus, quia ſibi tributum non redderent. Fuit inde Ciſalpinæ Galliæ, quæ Longobardia nunc eſt, ſtatus uſque ad Ferrarienſe bellum omnis ferè bellici motûs expers. Hùc referenda Vladiſlai Poſthumi in paterna Hungariæ & Bohemiæ regna reſtitutio [a] Anno 1452. à Friderico Imperatore pacis amante, eamque tunc etiam ſanciente, facta, quin & victoriâ Gallorum de Anglis reportatâ & Normaniâ Aquitaniâque, utraque provincia ampliſſimâ & feraciſſimâ, quas Angli annis circiter 300. obtinuerant, recuperatâ, annus iſte inclaruit. Sed cuncta hæc læta acerbo dolore [b] perdita Conſtantinopolis, Orientalis imperii ſedes, Græcorum laus & delicium, miſcuit. Hanc Conſtantinus ille Magnus, Helenæ filius, Anno Chriſti 330. condidit, nunc poſtquam annis 1122. ſtetiſſet, Conſtantinus Helenæ filius perdidit.

[a] Bonfin. dec. 3. l. 7. pag. 506. Dubrav. l. 29. initio. [b] Paralip. p. 310.

CCCXXI. & CCCXXII.

Anno Chriſti 1454. *Viſi ſunt Cometæ duo. Hoc anno Fridericus Dux Brunſuicenſis, Wilhelmi Senioris filius, acie victus ab Archiepiſcopo Colonienſi capitur. Cives Lunæburgenſes ortâ ſeditione prioribus depoſitis novos ſibi elegerunt Senatores.* Eckſtormius ex Chron. Sax.

CONſtantinopoleos expugnatio, civilis belli Anglici initium ex fine belli Gallici ortum [a], turbæ in Scotia Duglaſſianæ, Pruthenorum à Magiſtri Teutonici gravi imperio ad Polonum defectio, & bellum exinde erumpens, motus belli inter Moguntinum & Palatinum, & diſſidii in Aula Hungarica inter Ulricum Ciliæ Comitem in gratia Vladiſlai adoleſcentis regis validum, ac æmulos excitati, aliaque quæ Anno ante Cometarum apparitionem proximo evenerunt, triſtia propiora ſunt, his Cometis quàm priori. Oſtendunt itaque ſine Cometarum apparitione talia contingere. Mores Principum bella, (quod verum eſſe innumera exempla in hiſtoriis [b] docent) varia horum fortuna & vices rerum victoriam huic, cladem, vincula, cædem alteri portendunt. Urbicæ ſeditiones habent etiamnùm ſua vel Magiſtratûs vel populi portenta. Hoc anno quo Cometes fulſit, grata libertatis Pruthenicæ à tyrannide Cruciferorum ſacra vindicatæ, ſed & pacis Italis reſtitutæ lux effulſit, ut alia læta hujus anni, quæ ad proximum Cometam retuli, præteream: Niſi verbo moneam, nuptias Caſimiri Regis Poloniæ cum Eliſabetha Alberti Imperatoris filia, Vladiſlai Hungariæ & Bohemiæ Regis ſorore à Dubravio [c] in hunc annum referri.

[a] Polyd. l. 23. p. 497. [b] Vide inter alia exemplum in Carolo VII. R. G. apud Bonfin. dec. 3. l. 8. p. 527. & l. 10. initio, & alibi. [c] Lib 29. p. 238.

CCCXXIII. & CCCXXIV.

Anno Chriſti 1456. *Cometa inauditæ magnitudinis toto menſe apparuit, cum prælonga cauda, ita ut duo ferè ſigna cœli comprehenderet. Hunc multa mala ſecuta.* Schorer. ex Chron. Baſil. & Helvet.

Anno Chriſti 1456. *Cometa per totum Junii menſem apparuit. Cometa per eſtatem de nocte apparuit.* Funccius & Buntingus.

Anno Chriſti 1456. *Cometa in* 15. *gradu Cancri menſe Junio in Oriente per mane integrum viſus eſt, caudam tantæ longit. habens, ut ea, duo ſigna dodecatemorii in cælo occuparet. Hunc menſe Auguſto vis ventorum magna & terræ motus in Florentino & Volaterano agro villas plurimas diruerunt, Caſſianumque oppidum magnâ ex parte diruerunt. Campaniæ, Samnitum, Apularum Polignorumque urbes omnes terræ motu multis cum oppidis contritæ, (pereuntibus unà ultrà* 30000. *hominibus) plurimaque ſolo ditùs everſæ ſunt. Ex urbibus jam dictis populus ſuperſtes diſceſſit, & timore perculſus, ruri in tentoriis habitare cœpit. Peſtilentia ſæviſſima unà cum magna annonæ caritate, in dictis locis orta eſt. Mahomet Turcarum Imperator contrà Chriſtianos exercitum ducens, ad Albam Græcam, quod aliàs oppidum Taurinum dicitur, ad Savum Danubiumque*

binumque situm, castris exutus & profligatus est. In Europa undique bella intestina fuerunt: Joannes Hunniades terror Turcarum 10. Septemb. hoc ipso anno obiit. Rockenbachius.

Anno Christi 1456. *Cometæ bini hoc anno apparuerunt, ut habent Annales Turcici & alii, posterior fuit mense Junio proceræ caudæ: quibus Papa Calixtus territus ad avertendam Dei iram aliquot dierum supplicationes indixit, constituitque in urbibus, ut in meridie campanæ pulsarentur, ut omnes de precibus contrà Turcarum tyrannidem fundendis admonerentur.* Calvisius ex Platina.

Anno Christi 1456. *Cometa per æstatem de nocte apparuit, cum Mahometes II. Imperator Turcarum Belgradum obsideret. Mense Augusto cum Mahometes Joannem Hunniadem, urbem alacriter propugnantem, continuis & cruentis duorum dierum præliis exercuisset, accepto in pectore vulnere concidit, & pro exanimi ex acie elatus est. Turca castris exutus, amissis ad* 40. *hominum millibus & machinis bellicis, fugâ vitam conservavit. Jovius. Chron. Saxon. sic habet: Mense Junio post Viti exarsit Cometa in* 45. *gradu Cancri, versus ortum, & integrum mensem visus fuit. Obiit etiam hoc anno Joannes Hunniades, Turcarum fulmineus terror dictus.* Eckstormius.

Anno Christi 1456. *ut refert Jo. Prætorius, Cometa cum variis prodigiis apparuit per integrum mensem in Polonia, & alibi; prænunciasse creditus mortem Ladislai Bohemiæ Regis, veneno sublati. Anno autem sequenti, videlicet* 1457. *inquit idem Auctor, fulsit ille Cometa, de quo Pontanus in centiloquio Ptolemæi, aphorismo centesimo sic loquitur: Nobis adolescentibus insignis etiam Cometes ad Orientem, in Cancri Leonisque regionibus multis diebus fulsit, tantæ longitudinis, ut amplius quàm duo cæli signa comæ suæ tractu occuparet: eum secuta est Alphonsi regis mors, quæ Æmiliam, Sabinam, Campaniam universumque regnum Neapolitanum & longo & gravi bello implicavit; secuta est & pestilentia aliquantò diuturnior. Mortuus est autem Alphonsus anno* 1458. *Calendis Julii annorum* 66. *At Keplerus in Cometarum physiologia pag.* 130. *affirmat Pontanum intelligendum de Cometa anni* 1456. *quando Mahometes Turca Belgradum obsedit, Taurinum olim seu Albam dictum, postquam Constantinopolim anno* 1453. 29. *Maji expugnârat; sed hoc anno* 1456. *à Joanne Corvino Huniada, curatore Ladislai regis Hungariæ adhuc pueri, cum magna Turcarum strage & ignominia depulsus est ab obsidione, die S. Magdalenæ sacro, cujus pugnæ auctor fuit inprimis sanctissimus vir ex Minorum Ordine, Joannes Capistranus, illo enim agente crucis insigne & arma* 40000. *homines contrà Turcas sumpserunt. Mortuus est tamen felici exitu eodem anno Jo. Huniades, qui erat Vaivoda, id est, Princeps Transylvaniæ.* Ricciolius.

Anno Christi 1456. *Apparuit Cometa, quem magnus ventus & terræ motus secutus est. Turca occupat Lemnum, Mitylenen & Euboeam.* Alstedius.

AD eundem annum hunc Cometen, qui in 15. parte Cancri toto ferè mense Junii in cælo observatus est, & alia prodigia Sabellicus * pluribus annotat, tristium eventuum non oblitus. Cromerus ‡ Christianis lætum eum clade Turcica & turpi fuga Mahometis indicat. Duos expresse Cometas (quos à Keckermanno in ann. 1416. relatos vidimus) describit Funccius & Calvisius. Idemque prudentèr ex Keplero Ricciolius colligit. Nam ex memorabilibus Saxoniæ à Fabricio adnotatis, Cometen in annum proximum referendum esse videtur, utpote qui m. Junio apparuerit, & integrum mensem durârit. Verumtamen, ut Eckstormius & Rockenbachius aliique docent, anno sequenti alius Cometa assignandus est, ad quem pariter ab Eckstormio mors Vladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis refertur. Quin & idem apparitionis mensis eademque duratio ei tribuitur. Ita non caret horum quoque Cometarum historia difficultate. Nos quæ maximè verò convenire videntur, liberè sequimur. Cauda hujus Cometæ prælonga erat. Sexaginta enim gradus complesse Ricciolius † ex Pontano affirmat. Quod ad eventus Cometæ attinet, isti unius anni, anno proximo suum exhibituro Cometen, non vulgare vicissitudinis rerum & tristium lætorumque misturæ præbent documentum. Richardus enim Dux Eboracensis victo-

* Enn. 10. l. 6. pag. 497. ‡ Lib. 23. p. 460. † Almag. l. 8. scil. 1. c. 4. N. VII.

riam

riam obtinuit, & Regem Angliæ Henricum VI. cum multis Proceribus cepit. Factum id esse hoc anno Polydorus (*a*) & ex eo Calvisius affirmat. Jovius facinus in annum 1454. refert. Illo quoque anno Amurathes (*b*) à Belgrado inferioris Hungariæ urbe (quæ Taurunum vel Taururum antiquis, recentioribus etiam Alba Græca vocatur) fortiter cum 40. propè millium hominum jactura rejectus, clarissimam Corvino reliquit victoriam, qui extremum spiritum hoc Heroico facinore nobilitavit, & cumulum laudum suarum auxit. Has qui volet, apud Bonfinium legat. Is inter alia communi sententiæ indulgens (*c*). *Ejus*, inquit, *mortem prodigia multa portendêre, inprimis crinita stella in gradu quinto decimo, mense Junio, triginta circiter dies apparuit: in Sabinis Februario mense vitulum bicipitem fuisse natum: Romæ sanguinem ad portam Veneris, carnes in Liguria pluisse: & in Piceno agro infantem cum sex dentibus editum, ac facie insolentis planè magnitudinis fuisse memorant. Hæc signa fatum non modò Corvini, sed multa quoque mala significarunt.* Idem tribus verbis Bucholzerus dicit. At enim Corvino magis quàm Cometa vel ullum prodigium ætas dubio procul senilis (laudibus enim bellicis jam ante annum 1440. (*d*) clarissimus fuit) & continuis laboribus militaribus præsertim (unde ipse (*e*) ad Vladislaum Regem, *Vicies cum Turca*, inquit, *prosperè confliximus: bis tantum præ militis inopia cedere coacti sumus*) fracta, tùm verò intoleranda postremi prælii, in quo inaudito modo 24. horis (*f*) sine intermissione ullâ pugnatum, molestissima & perniciosissima fatigatio portendit. Ipse Bonfinius id indicat, dicens: *Corvinus longo intolerabilique labore belli defatigatus, in æstuantissimam febrem incidit, quâ paucis diebus absumptus est.* Idem judicat Sifardus, licet huic, ut & sequenti Cometæ multa & longè diffita adversa tribuat. Hic annus Academiæ Gryphiswaldensi natalis fuit.

(*a*) Lib. 23. p. 504. (*b*) Bonfin. dec. 3. l. 8. pag. 512. Dubrav. lib. 29. pag. 239. (*c*) Bonfin. dec. 3. lib. 8. pag. 517. (*d*) Bonfin. dec. 3. l. 3. pag. 448. Bucholz. ad 1438. (*e*) Bonfin. dec. 3. l. 7. p. 505. (*f*) Bonfin. dec. 3. lib. 8. pag. 517. Vid. Rit. l. 2. de regno Hungariæ.

CCCXXV. *Anno Christi* 1457. *mense Junio sub* 20° ♓ *Cometa, quem in numerum eorum referunt historici, qui nigri dicuntur, per integrum mensem visus est. Hunc terræ motus maximus in Italia secutus est, ubi montes propè Gadse sunt aperti. Petrus de Monte, Brixiensis Præsul Romæ mortuus est. Alfonsus Rex Siciliæ, cujus posteritas propter regni Neapolitani conservationem cum Gallis diù bellum gessit, Ladislaus Rex Ungariæ & Bohemiæ, filius Alberti Imperatoris* 11. *cùm se ad nuptias celebrandas cum Regina Galliæ, adolescens* 18. *annorum paravisset, veneno exstinctus est. Christiernus Daniæ Rex, regnum Sueciæ suis adjicit. Alphonsus Arragonum & Siciliæ Rex, classem* 30. *triremium ad reducendos exules parat, adversariosque vincit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1457. *apparuit Cometa in* 20. *gradu Piscium, ut notat Peucerus, quem secuta est mors repentina Ladislai Regis Bohemiæ, in ipso nuptiarum apparatu veneno sublati. Pestis grassata est in Hungaria. Rex Scotiæ vastavit Angliam.* Eckstormius ex Peucero; ex eodem Buntingus.

Anno Christi 1457. *Cometes, quem nigrum appellarunt, variè hominum mentes affecit. Eum secuta est mors Alphonsi regis Arragonum: quæ Æmiliam, Sabinam, Campaniam, universumque regnum Neapolitanum & longo & gravi bello implicavit. Sensa est & pestis aliquanto diuturnior. Turca occupat Peloponnesum.* Alstedius.

SIfardus quoque & Fabricius hujus Cometæ mentionem, sed ille nudam & fatè sulla descriptione facit. At dicti auctores legitimam ei conciliant fidem. Interest eventus Cometæ ponit Rockenbachius, quòd Christiernus sive Christianus Rex Daniæ regnum Sueciæ suo & suis opibus adjecerit. Quod certè non tantùm Danis hereditario, sed & Suecis utile extitit, potentissimis illis regnis avito more & secundùm legem quam supra vidimus latam conjunctis. Idem annus lætis Casimiri Regis Poloniæ in Prussia successibus insignis, sed Ulrico Ciliæ Comiti Huniadis æmulo, & Vladislao Huniadis filio, proximus ipsi Regi Vladislao fatalis fuit. At enim Ulrico animus ferocia, Hunniadem gladio & calumniâ appetitum (*a*) in vindictam armans, Hunniadæ

(*a*) Bonfin. dec. 3. l. 8. pag. 519.

cædes

cædes ad latus Regium perpetrata, Regi præcipitatum Hunniadæ ſupplicium, immemor meritorum Patris ejus, (qui Incomparabilis Heros, ſcutum Hungariæ, & Patriæ Pater, ipſo Rege poſt Ulrici cædem id coram vidua (*b*) Corvina dicente, audiebat) temeritas, imò præfractè violata (*c*) fides Sacramenti religione firmata, mortem, ſi vel Cometa abfuiſſet, portendiſſet. Nam hunc ad vitia homines impellere quis ſanus dixerit? Horrenda hæc profectò ſunt, quæ ſine magna animi commotione non legas, vix præ indignatione perlegas. Indignum nempe Principe facinus Rex tunc commiſit, imo in hoc uno plura. Audi Bonfinium judicem incorruptum, qui poſtquam juvenem Vladiſlaum vix quinto, contra leges, lictoris ictu jugulatum, corpus cum infamia conditum retuliſſet (*d*), ſubjicit: *Verùm ne minor quidem nota, non ſine ſupplicio, huic regi, & hujuſce mali auctoribus inuſta. Rex perfidiæ turpitudinem, infamiam perjurii, violatæ fidei & execrabilis inconſtantiæ crimen ſubivit: illi crudelitatis, invidiæ ac iniquitatis perpetuam ſibi notam inuſſêre. Hinc intercipiendæ regis vitæ qui annum non circumegit, anſam fata ſumpſêre: qui autem adoleſcentis probitatem malis conſiliis coinquinarunt, pœnas non immeritas dedêre.* Hæc quidem tunc ille. At infra (*e*): *Mortem*, inquit, *tanti Principis ſigna quoquè nonnulla prodidêre. Superiore anno Cometes, quem nigrum appellant, Junio menſe, vigeſimo gradu Piſcium ſuſpectus, triginta circiter diebus varia mortalium animos formidine exercuit.* Ita & Dubravius (*f*) Regis ingreſſum in urbem Pragenſem ad celebrandas nuptias memorans, *Nicolaus quidam* (inquit) *ex eorum numero, qui pronunciandi ſcientiam ex decretis aſtrorum profitentur, malè fauſtum ingreſſum planèque ſtellæ crinitæ regibus horrendæ, quæ eodem anno apparuit, congruentem pronuntiavit, quale vaticinium apud paucos curam, apud reliquos riſum, velut vanitate plenum excitavit.* Ego quidem hæc & alia portenta non temno, illa tamen vitiorum eis præfero, & omnibus, Principibus præſertim, quorum exempli maxima in utramque partem vis eſt, fugienda eſſe judico. Cometa nempe nil niſi bona nobis, ſi boni eſſemus, prænunciaret, at cum boni, & quidem comparatè tantum ad homines nequam, & mali ſimus, bona & mala ex ratione juſtitiæ & æquitatis prænunciat, hæc non prænuntiaturus, niſi improbitate illa mereremur. Nam ſi vel voluptario vati credimus:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Unum moneo antequam hinc ulterius abeam, falſum eſſe Sabellicum (*g*), qui huic Vladiſlao cæſo ad Varnam, æmulo Vladiſlao regnum Bohemiæ (illud enim à morte patris ſucceſſione ad eum devolutum erat) ceſſiſſe, & Vladiſlaum Hunniadem trucidato Ulrico ſolum vertiſſe dicit. Quâ etiam occaſione moneo in Doctiſſimo Ricciolo (*h*), qui Anno 1456. Cometam morti Ladiſlai Poloniæ Regis præfulſiſſe ait, Bohemiæ (ut & Hungariæ) Regem, ipſo Ricciolo docente, intelligendum eſſe. Nec illud prætereundum hunc Vladiſlaum Sponſum cum Vladiſlao Hunniade à Serre in vita Caroli VII. confundi. Nec illud tandem, quod apud Sabellicum (*i*) rurſus inveneram, omni ex parte turbatum & tenebras orbi Hiſtorico offundens, præterire, quin luce veritatis diſpelleretur, potui. Qua de re vide T. 1. in Communicat. Blumiana epiſtolam die 18. Julii Juliani 1666. ſcriptam.

(*b*) Ibid. p. 520. Dubrav. l. 29 p. 240. (*c*) Bonfin. dec. 3. l. 8. pag. 521. (*d*) Ibid. pag. 522. (*e*) Bonfin. dec. 3. lib. 8. p. 526. (*f*) Lib. 29. pag. 241. (*g*) Enn. 10. lib. 6. (*h*) Lib. 8. ſect. 1. c. 5. N°. ult. & cap. 3. pag. 8. (*i*) Enn. 10. lib. 7. pag. 505.

CCCXXVI. *Anno Chriſti* 1458. *Cometa menſe Julio in ſigno Tauri apparuit, Hiſpanis multa mala portendens. Calixtus Pontifex mortuus eſt. Caſimirus Rex Poloniæ Prutenis bellum infert, Mariæburgumque arcem munitiſſimam ordinis Teutonici occupat. Terræ motus maximi & turbines ventorum, unà cum caritate annonæ hoc anno orti ſunt.* Rockenbachius.

EGregium hic annus cum proximis circa se duobus vicissitudinis rerum humanarum exhibet nobis exemplum. Vladislaus Rex juvenili temeritate præceps intra paucos dies, viduâ Corvinâ amplissimis solatiis inter tripudia [a] & munerum largitiones erectâ, imò in matrem, filiis in fratres adoptatis, gratiâ [b] vestesque Regiâ donatis, & in amicos intimæ admissionis factis, & filio natu majori in manus carnificis, minori in vincula dato, lætis tristia miscuit, hancque esse rerum humanarum sortem, mox exemplo suo, inter nuptiarum apparatum ex improviso cadens, docuit. Sed divina providentia Georgio illo, [c] spretis exterorum ambitiosis votis, adhuc Bohemiæ Gubernatore ad regnum evecto, & Matthiâ Hunniade [d] ex carcere Viennensi, tùm & Pragensi liberato, & in Hungariæ solio collocato, ejusdem vicissitudinis, sed lætissimæ, & non tantùm privatim sed & publicè saluberrimæ captivum adhuc regno admovens, eundemque Georgii, qui eum in vinculis habuerat, generum faciens, exhibuit. Meritò hîc verba illius Æneæ Sylvii, laudibus virtutem [e] & meritorum pro Republica Christiana susceptorum Clarissimi, addam. *Singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentum ex duobus adolescentulis ætate moribusque penè paribus: alter Ladislaus Rex ex Regio solio dum novæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum: alter dum captivalem sententiam expectat trepidus, ex carcere vocatur ad regnum. Mirabile quòd matrem repentina lætitia non exanimaverat, cum tot cladibus afflicta prius Regem appellatum audierit filium, quàm vinculis exemptum.* Discant mortales, ipsi quoque Principes, quantum debeant Deo, cujus in manu sceptra, diademata, ipsa quoque vita & omnia sunt. Cuncta illa læta hoc anno [f], verumtamen antequam Cometes iste in cælo visus est, evenerunt, ita ut hæc læta ad proximum Cometam meritò referenda sint. Ad hunc læta utriusque imperii auspicia spectant: de quibus Bonfinius & Dubravius videantur. Hæc proximè nuptiarum Achillis illius & Ulyssis Germanici cum Anna Friderici 2. Elect. Saxon. filia festivitas, tùm Georgii Regis Bohemiæ cum eodem Friderico sopitis dissidiis concordia & Alberto ejus filio desponsatâ filiâ affinitas, tùm pax in Saxonia inferiori [g] & in Bojaria [h] inita, tandem nativitas Maximiliani I. Imperatoris, ne quid de Academiæ [i] Basileensis & primi Poëtæ Germanici Conradi Celtis natali nunc dicam, excepit. Quòd si quis mihi opponat Peloponnesum hoc ipso anno, quo noster Cometa luxit, à Turcis captam, huic ego ex Auctore Paralipomenon Urspergensi [k] certius dabo tantæ calamitatis aliarumque ei similium portentum, ambitionem & discordiam. Vide historiam Scanderbegi.

[a] Bonfin. dec. 3. l. 8. pag. 520. & seqq. [b] Rit. l. 2. de regno Hungariæ Backschai in Ladisl. 5. [c] Dubrav. l. 30. initio. [d] Bonfin. dec. 3. l. 9. initio. Dubrav. l. 30. initio. [e] Sabell. Enn. 10. l. 6. p. 499. [f] Dubrav. lib. 30 initio. Bonfin. lib. 8. fine. Æneas Sylvius Europ. c. 1. Bucholzer. ad 1458. [g] Bunting. ad 1457. [h] Trithem. ad 1458. [i] Fabric. ad 1459. Alsted. Chronol. Schol. [k] Pag. mihi 265. de familia Ottomanni & origine Turcarum.

CCCXXVII. *Anno Christi* 1460. *Cometa visu terribilis apparuit. Hunc mors Caroli regis Francorum VII. & Adolphi Ducis Holsatiæ secuta est. Cracovia ferro & igni devastata est. Clades maxima propè Butegau belligerando habita est, postquam potentia Polonorum crevit, Dominorum verò Crucigerorum decrevit. Pestilentia sevissima Thuringiam, Saxoniam & vicina loca afflixit. Mahomet ejus nominis II. Paphlagoniam & Trapezuntiam, ubi sedes Imperialis fuit, obsidione vicit, Imperatoremque Davidem Comnenum cum duobus filiis & patre Calo Joanne dicto crudelissimè interfecit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1460. *Visus est Cometa. Muhamed sive Mahomed II. inde ab anno 145. duo Imperia & duodecim regna sibi subjecit.* Alstedius.

Anno Christi 1460. *visus Cometa, ex quo Jo. à Capistrano secuti mala vaticinatur.* Ricciolius.

MOrtem Adolphi Holsati Calvisius ex Annal. Flandricis in annum præcedentem refert. Quod huic avunculo suo Christianus I. Rex Daniæ cæteris hæredibus pecuniâ pacatis (ut ex Chronicis Saxonicis Funccius refert) successerit, & illos duos Ducatus

Ducatus regnis ſuis adjunxerit, meritò inter læta referas. Funera Principum, buſta urbium, converſiones civitatum, undarum eluviones, famis & peſtis ſævitiem aliaque dura mortalitatis & rerum viciſſitudinis, tùm juſtitiæ divinæ peccata plectentis, etiam abſque Cometis eſſe documenta, toties diximus, & res ipſa ſuffragatur. Non ſunt iſta gravia per crines Cometarum in mundum trahenda, ſed iis vel vitandis vel molliendis apta remedia, à virtute & induſtria cæli favore adjuta Cometarum quoque indicio petenda ſunt. Quod ad eventus Cometæ iſtius attinet, fateor pacem illam apud Bojos factam hoc anno fractam fuiſſe, Friderico Comite Palatino & Ludovico Divite Duce Bojorum *(a)* contra Moguntinum 12. Principum potentiâ ſuffultum, arma expedientibus, mox *(b)* tamen pax redintegrata, cujus gaudium & illa cum Ludovico Nigro inita auxit. Idem annus Fridericum Anſpacenſem Marchionem Brandenburg. in lucem protulit. Eodem anno in Peloponneſo rem à Mahomete pace belloque geſtam Calviſius ex Annal. Turcicis perhibet. Ex Polydoro verò Regem Henricum à Duce Eboracenſi victum & captum, & mox alternante belli fortuna & rerum vice Eboracenſem à Regina victum & cæſum ac Henricum liberatum eſſe, ut & inſtitutam à Pio 2. Pontifice Romano Academiam Baſilienſem, Friburgenſem verò ab Alberto Duce Auſtriæ memorat, licet Munſterus in anteriorem annum, Funccius in poſteriores hæc ponat. Sed Calviſio Zwingerus præit, eundem Helvicus de Baſileenſi, Alſtedius de Friburgenſi ſequitur, illo ortum Friburgenſis in 1450. iſto Baſileenſis in 1459 *(d)* referente. At enim eodem illo 1460. anno, ut Polydorus *(e)* perhibet, Ricardus ille Eboracenſis, capto Henrico, eodemque regiâ poteſtate privato, & rerum ſummâ ad ſe ſub nomine Rectoris vel Protectoris *(f)* tranſlatâ, pacem Londini edixerat. *Hoc cæſo Regina Margaretha virilis animi fœmina (g) & ſemper ſuis quàm mariti auſpiciis felicius rem gerens, Comite Varvicenſi profligato victoriam ſibi, marito libertatem peperit.* Sed mox prævalente Edovardi Merchiæ Comitis, qui Ricardi *filius*, Henrici æmulus erat, potentiâ, maritum regem in Scotiam fugientem ſecuta, & mox regnum, in Galliam cum filio Edovardo ad patrem Renatum fugiens, deſeruit. Buchananus *(h)* auctor eſt, quod inter læta & calamitatis illius, quæ domum Regiam afflixerat, levamenta reputari poteſt: ut amicitia jam inchoata firmius inter Reges coaleſceret, duas Reginas, utramque genere Gallicam, tractare cœpiſſe de affinitate confirmanda, Jacobi ſorore Henrici filio, quem Walliæ Principem nominabant, deſponſa. Hæc & alia docent Cometæ hujus eventus, licet ſocias tres eclipſes, unam Solis, duas Lunæ, habuerit, partim lætos, partim triſtes fuiſſe, præſertim ſi ex æquo res, non habito ad perſonas reſpectu, ponderentur. Porrò Joannes Capiſtranus anno eodem, 1456. quo Huniades mortuus, ex hoc Cometa (ſed & ex duobus proximè viſis) mala ſeculi vaticinari non poterat, ut Riccius ex Prætorio refert.

(a) Trithem. ad 1460. (b) Trithem. ad 1460 & ſeqq. (d) Vid. Fabric. & Middendorp. (e) Lib. 23. p. 509. (f) Buchan. l. 12. initio. (g) Buchan. ibid. Polyd. l. 23. p. 510. Sabell. Enn. 10. l. 6. p. 501. (h) Lib. 12. initio.

CCCXXVIII. *Anno Chriſti* 1461. *Viſus fuit Cometa, ut annotat Cunæus, quem ſecuta eſt mors Sophiæ relictæ viduæ Ladiſlai Regis Poloniæ: & Caroli VII. Regis Galliæ.* Eckſtormius.

MOrtem Caroli, quam Eckſtormius ad Cometam refert, ego potius ætati ferè ſexaginta annos attingenti *(a)* & voluntariæ metu veneni inediæ tribuo. Hoc anno *(b)* Moguntina ditio belli ſævitiem ex diſſidio duorum Archiepiſcoporum experta eſt. Proximo Fridericus ille Palatinus de quatuor Principibus memorabilem retulit victoriam, illis captis opiparo convivio, ſed ſine pane in exprobrationem injuſti belli exceptis, & mox ſoluto lytro dimiſſis. Idem Joannem Nix Epiſcopum Spirenſem ad pacem petendam coëgit. Hæc eodem anno inter Albertum Brandenburgicum & Ludovicum Bojum, cognomento Divitem, tùm inter æmulos Moguntinos

(a) Serres in vita Caroli VII. Ritius l. 3. de regno Franciæ. (b) Trithem. Chron. Sponheim.

tinos ſancita & anno ſequenti firmata, qui etiam à fertilitate læta commendatur, annotante cuncta hæc Trithemio. Hunc virum dignitate & multa doctrina Clariſſimum idem, qui Cometam, annus (ut ipſe annotat, quod tamen Bucholzerus, Calviſius & Alſtedius in proximum profert) ut & Æmiliam (c) Alberti Electoris Brandenburgenſis filiam, quæ poſtea Ludovico Manſueto Electori Palatino connubio juncta eſt, at proximus (d) Alexandrum Ludovici Nigri Comitis Palatini ex Joanna Antonii Ducis Crojani filium, Sereniſſimorum Caroli XI. hodiè apud Suecos feliciter regnantis tritavum, Philippi verò Wilhelmi Ducis Neoburgici Chriſtiani Auguſti & Philippi Sultzbacenſium, Principum Inclytorum atavum, in lucem produxit. Æmiliæ ſoror Barbara (quæ poſtea Henrico 2. Duci Glogovienſi & Croſnenſi nupſit & Croſnam jure dotalitii familiæ ſuæ attulit) Anno 1463. at Sibylla, quam poſthac Guilhelmus 3. Dux Juliacenſis & Bergenſis uxorem accepit, Anno 1467. nata eſt. Quam anno vertente frater Sigiſmundus ſecutus eſt. Inter hæc Fridericus 3. Sapiens dictus, Elector Saxoniæ & fundator Academiæ Wittebergenſis (ut & Joannes Picus Mirandulanus Comes, Vir divino ingenio) Anno 1463. proximo Albertus frater ejus, Epiſcopus Moguntinus (ut & Sophia (e) Caſimiri Regis Poloniæ filia Friderici Anſpacenſis Marchionis Brandenb. uxor, & Alberti primi in Pruſſia Ducis Clariſſimi mater) horum frater Joannes Conſtans Elector (f), ut & Sigiſmundus I. Rex Poloniæ Anno 1467. (g) & anno præcedente (h) Wilhelmus Senior, ſequente verò Wilhelmus alter Ludovici 3. Landgravii Haſſiæ, tùm verò Henricus Junior Ottonis Victorioſi Ducis Brunſuicenſis, cum Otto ante annum (i) Annam Naſſoviæ Comitem duxiſſet, filius, natus eſt: ut aliorum Principum natales taceam. Adeò horum iſti anni Cometæ proximi & vicini feraces fuerunt. Nec dubito hanc fuiſſe & ſuperiorum annorum rationem, ſi à Scriptoribus talia tàm diligenter ut poſteriora fuiſſent literis mandata, inter hæc læta & alia ejuſdem generis reperias. *Nam Anno 1462.* Caſimirus Poloniæ & Georgius Bohemiæ Reges Glogoviæ *convenerant, & inter* mutuæ lætitiæ & benevolentiæ certamina fœdus icerunt. Eodem anno res Polonorum in Pruſſia magis magiſque creſcere, Cruciferorum verò minui cœpêre, uſque dum Caſimirus cum Magiſtro Ordinis illius pacem Anno 1465. ut Bucholzerus ex Chron. Polon. vel proximo, ut alii (k) putant, faceret. Pruſſia, quæ Regalis dicitur, Regi conceſſa. Qui annus (l) & pace inter Burgundum & Leodienſes conciliata celebratur: quæ mox violata, vertente anno redintegrata eſt. Sed & alibi illâ tempeſtate, in Hungaria ſcilicet, Bohemia, Germania & Gallia geſtis bellis pax finem lætum impoſuit, graviſſimè omnium afflictâ Bohemiâ. Hæc enim poſtquam Lucelburgiâ, Sileſia, Luſatia & Moravia à Georgio Rege defeciſſent, & opibus ſpoliata erat & in fide nutabat. Cujus rei cauſa non ad Cometam, ſed ad imperium conſcientiarum maxima bellis miſcens & evertens imperia, referenda eſt. Aula enim Romana Georgio Huſſitis faventi indignata ſubjectos ad perfidiam & rebellionem, & Matthiam generum ad aggrediendum Georgium armârat. Magna hinc malorum (ut dicitur) panegyris conſecuta, cum perpetuo velut tenore malum malo ſuccederet, aliis poſt aliosà Georgio ad Matthiam deficientibus, ut ipſe Dubravius (m) ait. Inter hæc Edovardus IV. Rex Angliæ Eliſabetham Riverii Comitis filiam Anno 1464. in uxorem duxit.

(c) Auctor 14. tabb. geneal. (d) Idem. (e) Funcc. ad 1464. (f) Auctor 14. tabb. ſed Bucholz. Anno 1463. (g) Funcc-ad 1467. ita & Bucholz. (h) Auctor 14. tabb. (i) Funcc. Bunting, ad 1467. (k) Funcc. Calviſ. Fabric. (l) Calviſ. (m) Lib. 30. p. 248.

CCCXXIX. *Anno Chriſti* 1467. *poſt Michaëlis apparuit Cometa longè ſurſum i ſigno Piſcium, quaſi orta eſſet ſub ſigno Cancri, ſed rariſſimè videbatur, quia erat nimbus tunc pluvioſum, & miſit comam ſuam verſus Orientem.* Piſtor. tom. 1. rerum German.

HOc anno Edovardus ille Rex Angliæ ſororem ſuam Margaritam Carolo Burgundorum ultimo Anno 1467. ut Jovius (a), vel 1468. ut Antiquit. Brit. auctor (b) putat,

(a) Chron. reg. Angl. (b) Pag. 294.

Polydoro

Polydoro certum annum non deſignante, hæc tamen ante ann. 1467. ponente, elocavit. Poſthæc Anno 1469. Ferdinandus filius Joannis Regis Aragoniæ, ductâ in uxorem Iſabellâ ſorore Henrici 5. Regis Caſtellæ ſine liberis mortui, regno Caſtellæ potitus eſt, aliaque poſt regna occupavit. Eodem anno Margarita Chriſtiani I. Regis Daniæ filia Jacobo III. Regi Scotorum nupſit. Annam Calviſius edit. Francof. ex Buchanano, ſed is * eam Margaritam vocat, at nuptias 1470. anno celebratas teſtatur. Turcorum potentia per hæc tempora magis magiſque graſſans & imperia imperiis, regna regnis accumulans noſtris peccatis tùm diſcordiâ, inertiâ aliiſque vitiis crevit, & adhuc ſtat.

* Lib. 12. pag 409.

CCCXXX. & CCCXXXI. *Anno Chriſti* 1468. *duo Cometæ apparuerunt, unus poſt alterum, qui multa mala portenderunt, ut bella, famem, peſtem, ſiccitatem, inundationem, quæ omnia poſtea evenerunt. Et ſiccitas quidem tanta fuit, ut immenſa murium multitudo orta fuerit, qui conſumtis frugibus in horreis, etiam in agris eas depaſcebantur.* Chron. Pol.

Anno Chriſti 1468 *Per eos dies quibus Gedani & Marieburgi commoratus eſt* (Rex Caſimirus) *Cometes inter Orientem, Occaſum & Septentrionem* 15. *diebus apparuit. Quo extincto ſtatim alter illuſtrior totidem etiam diebus ad Occaſum viſus eſt, inſignium malorum mortalibus impendentium prodigia. Et ſanè permultùm ſanguinis humani hoc anno profuſum eſt in Inferiore Germania, cum Carolus Dux Burgundionum Leodienſes, qui dominum ſuum Epiſcopum Caroli ſororis filium ceperant & in vincula conjecerant, expugnaſſet, amiſſiſque in oppugnatione* 40. *millia hominum urbem eam penitus excidiſſet, & ſolo æquaſſet. Plurimis autem in locis maximæ inundationes aquarum magnam annonæ caritatem effecerunt.* Comer. l. 27. p. 604.

IPſe tamen Cromerus in ſequenti res Caſimiro, Maſoviâ adjudicatâ, Stephano Palatino Valachiæ, & Henrico Plavenio Ordinis Teutonici Magiſtro in fidem accepto, Vladiſlao Caſimiri filio regno Bohemiæ delato, & alias proſperè ceſſiſſe ſcribit. Nullus, quod ſciam, auctorum Cometas hos annotavit. In Chronicis tamen noſtris ſic annotatos, & ab illo Cometa anni 1472. diſtinctos inveni. Bella, quæ famem, fameſque quæ peſtem mortalibus affert, catenata mala vitio hominum non Cometarum oriuntur, quod ſæpè oſtendimus. Siccitatis, quæ etiam annonæ caritatem, famem & peſtem afferre ſolet, paulò alia eſt ratio. Cometæ enim ſi ſint aërei, vel ſaltem aërem noſtrum trajicientes, poſſunt aliquid ad ſiccitates vel tempeſtates conferre, præſertim ſi crebrò & plures appareant, ut ipſe Ariſtoteles vult. Læta Cometas hos ſecuta proximè vidimus, quæ re ita ferente uno faſce, quod dicitur, complecti viſum eſt. Hic tamen de bello & pace pauca dicemus. Bella ex moribus imperantium vel parentium pravis (in quorum libertatem quid juris habeat Cometa?) oriri omnes equidem cordati auctores uno animo & ore pronunciant. Videantur tamen de bellis hac tempeſtate geſtis in Bohemia Dubravius l. 30. p. 249. in Anglia Polydorus l. 23. p. 516, 517. in Hungaria Bonfinius dec. 3. l. 10. p. 557, 558, 559. dec. 4. l. 1. pag. 565. & ſeqq. tùm verò quod ad hunc annum maximè ſpectat, de bello adverſus Georgium Regem Bohemiæ à Maximiliano Rege Hungariæ genero hæreſeos prætextu, Pontificis juſſu geſto vide p. 572 & ſeqq. & l. 2. initio; denique pag. 578, 579, 580. Atque hic cordata vox Georgii legitur: *Siccine*, inquit, *mecum agis fili? patrem hoſtiliter inſequeris, & ſub orthodoxæ fidei prætextu me regno ſpoliare contendis? Non religio, ſed ambitio: non divina charitas, ſed imperandi libido te furentem trahit*: Videantur ſimilia & in Gallia: Serres in vita Ludovici II. ad Leodium, Trithemius Chron. Sponheim. ad annum hunc 1468. ut alios taceam. Hoc verò anno pacem inter Leodienſes, (mox tamen malo ſuo rebellaturos) & Epiſcopum eorum, inter Gallum & Burgundum factam idem Trithemius memorat. Pax iſta Gallica tunc Philippi Cominæi ſingulari induſtria Peronnæ conventa, illam geminam, quæ ad Atrebates & Carentonum

rentonum inita præceſſerat, confirmavit, ut Serres teſtatur. Eodem anno pax in Hiſpania, reſtituto rege Henrico, & in Pomerania ſancita eſt, ut Calviſius notat. Arbitror me ſat clarè monſtraſſe Cometas non tantum bella ſed & pacem ferre, & ſæpè præconis vice, oraculum pronunciare:

Cedant arma togæ - - -

vel potius: *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella uſque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni. Quieſcite & videte, quoniam ego ſum Deus.* Pſal. XLVII. 8. & ſeqq. Sed quàm ſæpè numero ſurdis auribus hæc à nobis excipiantur, hîc quoque docemur. Pax enim illa Gallica Leodio excidium miſerabile, hoc magis tutam Galliæ pacem, hæc tandem bellum Angliæ peperit. Quâ de re legatur Serres & Polydorus locis cit. præcipuè verò Sabell. Enn. 10. l. 7. p. 505. Adeò ut hîc etiam illa Phyſica regula vera comperiatur: *Generatio unius eſt corruptio alterius.*

CCCXXXII. *Anno Chriſti* 1470. *Cometa Idibus Januariis longiſſimis capillis decurrit: ſi Bodino credas lib. 2. theatri: ille verò de quo Pontanus, refertur ad annum* 1471. *quo Alphonſus Rex Portugalliæ Tingin & Argillam expugnavit. At Keplerus in Cometarum Phyſiologia pag.* 129. *cladem illam Turcarum & Tartarorum* (Mahometi ab Uſſono Caſſano, Parthiæ atque Armeniæ Rege illatam) *ait fuiſſe* 1473. *Cometam autem* 1472. Ricciolius.

COmeta prior à colore Venereus dictus eſt. Is quaſi paſſo capillo ac radiis longius protenſis morbos quoſdam ſonticos, ut ſunt paralyſes, febres violentæ, item novarum rerum cupiditatem, ſeditioſos Principes, hæreticos & qui lingua plurimum apud populum valent portendere Aſtrologis creditur, referente Keckermanno (*a*). Qui rarò talem Cometam cerni, & ſi quando conſpiciatur, 12. ſigna Zodiaci eum peragraſſe credi dicit, idque exemplo iſtius Cometæ probat. Ita iſti Cometæ ſua conſtat auctoritas, licet in illa Doctiſſimus Ricciolius addubitaverit. Cæterùm qui anno ſeptuageſimo primo ſupra bis ſeptingenteſimum à Chriſto nato Cometes apparuit, idem eſt cum illo, qui anno ſequenti viſus eſt, nec ab eo dividi poteſt. Ita enim locuples teſtis Trithemius (*b*): *Eodem anno* (M CCC LXXI.) *in menſe Decembri & per Januarium anni ſequentis Cometa horribilis & ingens apparuit: per dies ferè* 80. *igneo colore in principio Libræ rutilans, qui caudam in longum protendens, atque in Septentrionem paulatim circumflectens, omnes in pavorem & admirationem convertit.* Uſun Caſani victoriam Turcicam Funccius in annum 1272. ſed Leonclavius in Annal. Turcicis, tùm Bucholz. & Calviſ. in 1473. ponit. Fortè & Funccius irruptionem Uſun Caſani in Armeniam, quæ anno illo facta eſt, intelligit. Ita ubique occurrit inter auctores de rerum geſtarum tempore diſſidium. Quod nec hîc effugimus. Nam Henrici VI. in regnum, prævià inter eum & Edovardum regni invaſorem alternante victoriâ, reſtitutionem Jovius, Funccius, imò & Calviſius ex Polydoro in annum 1470. at Polydorus (*c*) ipſe in 1471. ponit. Verùm anno vertente redux Eduardus Henricum rerum victum & vinctum regno, filium verò cum matre rurſus victum vitâ etiam privat. Annus iſte quo Cometes apparuit, intra menſem Erico (*d*) Seniori Duci Bremenſi, & quinto dehinc menſe Carolo VIII. (*e*) Regi Gallorum natalis fuit. Ac proximo (*f*) Fridericus Elector Palatinus Ludovicum Nigrum Ducem Bojariæ agnatum ſuum ad petendam pacem adigit. Hoc quoque anno venæ metallicæ à Schneebergenſibus inventæ ditiſſimæ.

(*a*) Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. (*b*) Chron. Sponheim. (*c*) Lib. 24. p. 521. (*d*) Bunting. ad 1470. Serres in vita Ludovici XI. (*f*) Trithem. Chron. Spon h.

CCCXXXIII. *Anno Christi* 1471. *in autumno visus est Cometa. Ludovicus Landgravius Hassiæ diem suum obiit. Spangenb. Chron. Saxon. cap.* 337. *Turca Trapezuntum in Asia & Walachiam in Europa occupavit. Henricus VI. Rex Angliæ ab Eduardo IV. in prælio victus in carcere necatus est.* Eckstormius.

Anno Christi 1471. *Ardet Cometa. Multi Principes hoc anno moriuntur.* Alstedius.

ILlum quidem Cometam qui mense Decembri hoc anno apparuit, cum illo qui anno proximo visus est, pro eodem reputo. Invenio tamen apud Eckstormium, legitimâ auctoritate nixum, auctumno visum fuisse Cometam, quem ideò seorsum ponere æquum judicavi, sicut Ricciolius & Alstedius fecit. Ille infra hunc Cometen illis prioribus anni 392. & 402. aliisque posterioribus, qui ab Oriente versùs Occidentem sed obliquè tranârunt, adjungit. Ad istum Cometam, hoc quidem auctumno vel hyeme visum, refert illa Pontani in Centiloqu. Ptolem. aphor. 100. *Annis his superioribus Cometes alius, tenui primò capite, comaque admodum brevi conspectus est: mox miræ magnitudinis factus, ab Ortu deflectere in Septentrionem cœpit, nunc citato motu, nunc remisso, & quòd Mars Saturnusque uterque repedabat, aversus ipse prægrediente comâ ferebatur, donec ad ipsas Arctos pervenit, undè cùm primùm Saturnus ac Mars recto cursu pergere cœperunt, in Occasum iter flexit tantâ celeritate, ut die uno ad triginta gradus emensus sit: atque ubi ad Arietem ac Taurum pervenit, videri desiit. Hic & dies plurimos fulsit, & qui initiò brevis visus est, adeò crevit, ut quinquaginta gradus & amplius occuparet. Non multò post Ussonus Cassanus Parthiæ atque Armeniæ rex ad Euphratem profectus eo consilio, ut Asiam invaderet, collatis signis cum Mahometo Turcarum Rege ita dimicavit, ut qui ingentem & inferret & acciperet cladem; duo enim potentissimi exercitus; duo maximi Duces, in paucis diebus bis conflixêre.* Et paulò post: *Sensimus iisdem temporibus universam Hispaniam quassari bello, Ericum Regem diem obiisse.* Multos hoc anno Principes mortuos non nego. Nam & ipse duos nominavi, Bohemum & Anglum. Trithemius nullius Principis mortem in hunc annum annotat. Calvisius Paulum 2. diem suum hoc anno obiisse dicit. At enim Chronica Saxoniæ, indicante Funccio, hæc funera memorant. Funccius & Bucholzerus quidem hoc anno mortuum Fridericum, cognomento cum ferreis dentibus, Electorem Brandenburgensem, qui se primus Ducem Stetini & Pomeraniæ scripsit, & Albertum illum Achillem & Ulyssem Germanicum ei successisse dicit. Sed alii (*a*) ad annum præcedentem hoc referunt. At verò eodem anno nati sunt Georgius Dives Dux Saxoniæ, & Wilhelmus Junior Landgravius Hassiæ. Quis autem dubitet de pluribus Principum natalibus vel nuptiis, si omnes fuissent in fastos relatæ? Cæterùm hic annus, ut Funccius, vel, ut alii (*b*) putant, proximus Academiæ Ingolstadiensi læta & insignia incrementa attulit. Vladislao quoque Casimiri Regis Poloniæ filio, ad sceptrum Bohemiæ capessendum vocato, felix & lætus fuit.

(*a*) Auctor 14. tabb. geneal. (*b*) Middendorp. Fabric. Helvic. Alsted.

CCCXXXIV. & CCCXXXV. *Anno Christi* 1472. *Cometa apparuit in principio anni* 1472. *circa festum Sanctæ Agnetis: transivit super Coloniam in opposito Libræ, & caudam longam quasi graduum* 30. *misit ad Occidentem. In festo Sancti Blasii stetit in Ariete, & misit caudam quasi ad Plejades versus Orientem. Vaga nimis erat alba, quandòque flammea crinitaque valdè. Sequuntur bella & epidemiæ in diversis partibus. Et anno* 73. *fuit æstas ferventissima & siccitas inaudita, & in quibusdam terris ignis sub terra succensus usque ad arenam fuit.* Fascic. Temp.

Anno Christi 1472. *Cometa in principio anni. Duo Cometæ notabilis magnitudinis visi, quos trium annorum siccitas & bella cruentissima secuta. Vide Chron. Polon. cap.* 62. Funccius.

Anno Christi 1472. 13. *Januarii Cometa in Libra apparuit, qui in principio tardè pro-*

gressus

greſſus eſt, donec ad Arcturum pervenerit. Indè properans totum hemiſphærium, intra polos Zodiaci & Æquinoctialis tantâ celeritate percurrit, ut ſpatio unius diei 40. aut ad ſummum 4. ſigna peragraverit. Tandem ſub finem Menſis Februarii propè 14. Arietis quaſi à Solis radiis conſumptus, exſtinctus eſt. Sunt aliqui ex hiſtoricis, qui duos apparuiſſe Cometas hoc anno, primum in Libra nondum prorſus exſtinctum aſſerunt. Alterum in ſigno Arietis caudam in Orientalem plagam porrigentem. Hos ſiccitas propter æſtum Solis in æſtate tanta eſt ſecuta, ut ſilvæ plurimæ iis accenderentur, Danubiuſque in Ungaria totus ferè exſiccaretur, pedibuſque per eum incederetur. Erphordiæ incendium maximum ortum eſt, in quo 6000. ædium abſumpta ſunt. Peſtilentia tanta orta eſt, ut parentes etiam ſuos liberos deſeruerint. Georgius Podebrad Rex Bohemiæ, & Jacobus Rex Cypri, Henricus Rex Hiſpaniarum paulò poſt mortui ſunt. Henricus Rex Angliæ in carcere interfectus eſt. Bellum cruentum inter Uſum Caſſanem Regem Capadociæ, Armeniæ & Perſiæ, Imperatoremque Mahomet ortum eſt: in quo Uſum Caſſanes bis victor evaſit, tertia autem vice cedere coactus fuit. Imperator Fridericus contrà Carolum regem Burgundiæ bellum gerit. Seditiones in Anglia plurimæ fuerunt. Alphonſus Rex Portugalliæ cum exercitu in Africam proficiſcitur, duaſque munitiſſimas civitates, Tingin & Argillam devaſtat & occupat. Rockenbachius.

Anno Chriſti 1472. *Cometa horrendæ magnitudinis viſus eſt circa diem S. Agnetis ſub Libra, qui arſit hebdomades* 4. *Buntingus ex Chron. Saxon. Horribile bellum hoc tempore geſtum eſt in Epiſcopatu Hildeſheimenſi, cum duo creati eſſent Epiſcopi, Henningus de domo nobilis, & Balthaſar Dux Megapolenſis. Duravit hoc bellum triennium. Ab Henningi partibus fuerunt Wilhelmus Senior ejuſque filius Fridericus Duces Brunſuicenſes & Lunæburgenſes. Erphurdiæ incendium abſumpſit ſex ædificiorum millia. Fatalis etiam fuit hic Cometa Georgio Regi Bohemiæ. Chronologia Cometæ eſt in his verbis: ECCe CVI CoMeta LVXIt.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1472. *Duo Cometæ apparuerunt, ut habet Hiſtoria Polonica. Unus ex illis, ut habet Petrus Surdus, viſus eſt in Martio formam jaculi habens, quem ſecuta eſt tanta ſiccitas, ut diu fontes aquâ caruerint. Alter obſervatus fuit à Joanne Regiomontano die* 20. *Januarii, qui hæſit in Libra, & quem triennalis ſiccitas ſecuta eſt.* Ricciolius ex Prætorio, Cardano & Antonio, Miraldo ac Zieglero.

Anno Chriſti MCCCCLXXII. *Cometa viſus, qui non modò ſuperavit quadrantem, ſed proximè etiam ad ſemicirculum acceſſit: ſiquidem à Libra per Septentrionem tranſiens ad Arietem uſque pervenit.* Gaſſend. Phyſ. ſect. 2. l. 5. c. 2. de Cometis.

Anno Chriſti 1472. *Duo Cometæ apparuerunt. Secuta ſunt bella & epidemiæ in diverſis partibus, & anno ſequenti æſtas ferventiſſima. Peſtis adeò ſæviit, ut cognati proximi deſererent ſuos. Carolus Burgundiæ Dux adverſus finitimos eo impetu movit arma, ut multorum etiam annorum bellum excitaverit: quod finitum eſt ejus morte. Uſſanus Caſſanus, Parthiæ atque Armeniæ Rex, dimicavit cum Mahumede, ita ut ingentem inferret & acciperet cladem. Stephanus Moldaviæ Palatinus magnâ pugnâ vicit Mahumedem ad Danubium. Poſteriorem Cometam Germani vocârunt caudam pavonis, & plerique judicarunt ſignum fuiſſe belli Burgundici.* Alleedius.

SAtis clarè à tot auctoribus duo diſtincti Cometæ pronunciantur. Miror itaque ab Eckſtormio, Buntingo & Sifardo Chron. Baſil. aliiſque unum annotari, magis verò à Calviſio eundem omitti. Keckermannus hunc Cometam inter eos qui maximam caudam poſt ſe traxerunt, ponit, & ex Sueſſano refert, Cometam in principio anni hujus apparuiſſe, & caudam longam quaſi ad 30. gradus accedentem habuiſſe. Ejuſdem & paulò poſt ex Annalibus Helvetiæ Stumpii meminit & miram ejus caudam, pavonum ſcilicet caudæ ſimilem, appellat. De eodem infra ait: *Anno* 1472. *toto menſe Cometa mirâ celeritate à Libra retrò totum penè Zodiacum ſuo curſu perfecit. Et*

Figura cursum duorum Cometarum præ cæteris maxime celebrium: CCLXXXVI. A.C. 1338. Circa Solstitium Æstivum ac CCCXXXIV. A.C. 1471 et 1472 post hibernum solstitium nec non tertii CCCLXXXI. A.C. 1556 in Æquinoctio verno secundum Homelii descriptionem ex Almag. Ricciol. lib. 8. cap. 3. exhibens. N.º 79.





rurſus infrà Naucleri verba profert: Cometam hunc in principio anni initio brevio-rem viſum, adeò creviſſe, ut 50. gr. uſque amplius in cælo occuparit: gener. 60. ex quibus concludit Cometas nonnullos partes ſuas exteriores longè lateque ſpargere. Ricciolius ut motum Cometarum apparentem motui Planetatum in tanta terræ à cælo diſtantia ſimilem, id eſt, arcuatum eſſe arbitratur, ita hujus Cometæ arcum ferè longiſſimum grad. ſcilicet 170. circiter ſtatuit, quod Gravius confirmat diſp. de Comet. theſ. IX. §. 5. Nec mirum. Singulare enim illud in eo obſervatum eſt, quòd uno die 40. gradus peregerit, ut affirmat* Garcæus Meteor. c. 8. p. 45. ſed & Joan. Regiomontanus, qui eum in medio quàm in fine celeriorem fuiſſe obſervavit. Proceſſit autem iſte Cometa, ut & nonnulli alii ante & poſt eum, in antecedentia ſive Contra Seriem Signorum, quod notat Ricciolius. Is refutat ſententiam Fromondi, qui hunc Cometen in annum 1475. collocavit (quem & Gaſſendus (*a*) ſequitur, licet alioqui Cometæ anno 1572. meminerit, & utriuſque anni Cometæ motum 40. graduum uno die confectum tribuat) & refert Petrum Apianum affirmaſſe hunc Cometam caudam uſque ad terram demiſiſſe. Addit autem ſiccitatem ingentem & Uſſum Caſſani motus eum ſecutos eſſe. Infra (*b*) de hoc Cometa hæc annotat: *Jo. Regiomontanus æſtimavit Cometæ diametrum milliarium Germanicorum* 16, *hoc eſt, Italicorum* 64. *At Gurcenſis longiorem æſtimavit, & caput ſimul cum cauda milliaribus Germanicis* 4000. *latitudinem verò capitis mill.* 26. *ſed caudæ* 81. *German. quorum quodlibet ſolet æquipârari quaternis milliaribus Italicis: unde capite* 11. *numero* 15. *colligemus ſoliditatem totius Cometæ cum cauda ad terram ut* 32. *ad* 296000. Suprà vero ſitum & motum ejus verbis Regiomontani ex Zieglero & Cardano deſcribit. Hæc quia ad convenientiam cum nupero Cometa noſtro à Libra pariter in Arietem delato & ſtellas Geminorum reſpiciente (quod Gaſſendus (*c*) Cometæ anni 1475. tribuit) ſingularem, quam etiam aliquandò in meis ad Clariſſimum Nicolaum Heinſium literis die 24. Martii Juliani 1665. datis attigi, & poſtea ab Ampliſſimo Hevelio deductam video, pertinent, meritò hùc referenda ſunt. Ideò Lector, cui hîc prolixitate non neceſſaria moleſtus eſſe nolo, hæc ſupra Tom. I. in Communicatione Heinſiana pag. 266. videat. Hîc nil aliud ex verbis Regiomontani addo, quàm Cometæ iſtius tàm caput quàm caudam verſus Occidentem nunquam verſus Orientem fuiſſe, non ſolùm motu diurno, ſed etiam proprio. Ricciolius porrò ibidem auctoritatem Kepleri id ex motu & ſtatione & retroceſſu Martis & Saturni, quæ in finem anni 1471. & initium anni 1472. cadunt, colligentis, tùm & Eberi ad probandum Cometam anni 1471 & 1472. adfert. Hunc à Palmerio Perticam & ex Apiano caudam pavonis appellatum fuiſſe memorat. Viſo ortu ſitu & motu ac exitu Cometæ, nunc etiam eventus apparitionem ejus ſecuti videndi ſunt. Uſum Caſſani motus, & bellum Burgundicum, ut alia bella, non à Cometis, ſed à moribus Principum originem ducunt. Indè *nullis* lucentibus Cometis ignes Martios lucere & his vaſtiſſima imperia conflagrare ſæpè videmus. De Uſum Caſſani motibus videat, cui libet Serrem in vita Ludov. XI. in fine, tùm etiam de bello Burgundico paulò ſuprà. Nec tamen ipſum quoque bellum, licet Ilias malorum merito vocetur, omnis prorſus boni expers ſit. Nam ut victoriam Victori ſemper lætam taceam, adferunt bella ſæpè bonas mutationes & pacem bonis, malis vel caſtigatis vel è medio ſublatis, Deo ſcilicet bonum ex malis noſtris eliciente. Id ita eſſe exemplum Caſimiri Principis Poloniæ hoc loco docet. Anno enim præterito Kal. Novembribus Hungariam, regno ſibi à quibuſdam Proceribus delato, armatus invaſerat. Sed intra quatuor menſes redeuntibus ad officium Hungaris, pace cum Matthia facta, regno ceſſit. In hoc uno exemplo multos Cometes Ethico Politicos ſive vitiorum & malorum portenta videmus. Incipiamus à Caſimiro patre, nam citrà arbitrium & auxilium ejus nihil iſte nec auſus nec potuit. Patrem non Cometæ, ſed innatæ ambitionis portentum ad appetendum regnum alienum incitavit. Invitavit tamen (*d*) hinc Primorum, quos aſperiores Matthiæ mores, ignobilitatem generis exacerbantes offenderant & ad res novandas impulerant, mox totius

* Vid. Gaſſ. Phyſ. ſect. 2. l. 5. c. 2. de Comet. (*a*) Phyſ. ſect. 2. l. 5. c. 2. de Comet. p. 706, 707. (*b*) Cap. 4. N. 8.
(*c*) Loc. cit. (*d*) Bonfin. dec. 4. l. 3. p. 589.

ferè Hungariæ defectio, & vocatio, illinc liberorum fœcunditas, & fortunæ filio Vladislao in solio Bohemico antea collocato, successus. Filium juvenili temeritate & ambitione ardentem, facili negotio mater rerum gerendarum occasio, & consensus patris ad magna hæc audenda accendere poterat. Ita si vel nullus Cometes arsisset, ambitione utrumque tunc Casimirum exarsurum fuisse, res ipsa docet, & tot ferè exempla quot bella in historiarum monumentis inveniuntur, confirmant. Hujus etiam rei paulò post insigne exemplum in bello inter Fridericum 3. Imperatorem & hunc ipsum Matthiam, imò jam jam inter Ludovicum XI. Regem Galliæ & Carolum Burgundum hoc ipso anno exorto habebimus. Verum tamen & ambitionis & belli incendio exstincto, pax alma hoc anno, inter lucentes initio hujus anni duos Cometes affulsit. At verò in Gallia bellum à viso Cometa exarsit. Fateor. Sed etsi hic non luxisset, illud certò certius exarsisset. An enim Cometes Ludovicum XI. & non potius nota * calliditas & astutia ac fluxa fides, ad pacem cum Carolo fratre & Carolo Burgundo factam violandam impulit? An pariter Burgundum Cometes & non potius audacia, à qua cognomen indeptus est, immensis opibus & magnis viribus confisa, & ferox † novandarum rerum studium bella bellis ‡ serens, ad bello atroci invadendam Galliam excitavit? In hæc potius vitiorum & omnium malorum portenta quàm in Cometas aliave cæli phœnomena culpam conjiciant, & ne tristia generent omni studio agant Viri cordati, quibus æquitas & salus publica curæ est, & qui dum in Aulis Principum agunt & consilia eorum norunt, plura de significatione Cometarum aliorumque φαινομένων, ut non temerè Keplerus dixit, quàm in Arabum Astrologicis scriptis scire possunt. Ita & in Italia, ut hanc quoque adeamus, non Cometa, sed conspiratio in Mediceos arrogans Juliano fatalis, periculosa Laurentio, à qua nec Romanum, nec Florentinum Pontificem candor Historiæ (a) eximit, Hetrusci belli diuturni incendium excitavit, quod Turcarum tandem in Italiam irruptione exstingui oportuit. Apud Helvetios pariter Anno proximo seditionem, & præfecti Burgundi (b) supplicium, belli futuri & interitûs Caroli Burgundi prodigium non Cometes, sed præfecti tyrannis attulit. Hic belli motus vel metus Sigismundum Austriacum ad fœdus cum Helvetiis percutiendum impulit. Uratislavienses quoque bellum à Vladislao Rege, non Poloniæ, ut Calvis. edit. Francof. sed Bohemiæ Regis Poloniæ filio illatum, non Cometes, sed in contumeliam Vladislai, ut Dubravius (c) ait, renovatum, Matthiæ Regi Hungariæ sacramentum fidei accersivit. Anno tamen sequenti res composita fuit. Eodem Ludovicus Gallus, Sigismundus Austriacus, & Renatus Lotharingus, non à Cometa, sed ab audacia & potentia Burgundi, quæ tunc (d) eum ad agrum Colonienſem vastandum exciverat, sibi metuentes fœdus cum Helvetiis iniverunt. Inter hæc Fridericus Imp. cum eo de matrimonio inter Maximilianum filium suum & Mariam hæredem ejus unicam contrahendo (quod etiam paulo post successit) ille cum Imp de regni Burgundiæ titulo consequendo egit. Plura de hoc Cometa & eventibus ejus videantur apud Lavater. in catal. Cometarum p. 29. & Crantzium in sua Saxonia l. 12. c. 10. Nobis sufficient adhuc dicta, dummodo his subjiciamus verba Cl. Viri M. Michaëlis Strauchs Math. in Academia Witteberg. Prof. quæ in sua de Cometis 1664. & 1665. declamatione solemni habet, ubi memoratâ sententiâ communi de tristi Cometarum significatione, addit: *Quamvis alii, tantam Cometarum diritatem non esse, quam vulgò putant, exemplis potissimùm probare intendant, imprimis cum de Cometa, qui anno septuagesimo secundo supra millesimum & quadringentesimum, in cælo apparuit, annotarint Astronomi pariter, atquè Annalium Scriptores, maximam argenti copiam è Schneebergensium fodinis effossam, eo ipso significatam fuisse, eundemque felicissimum terris hisce annum, verbis sequentibus notare soliti sint: ECCe CVI CoMeta LVXIt. Et eundem Cometam secutum esse felicissimam illam Alphonsi Portugalliæ Regis, contrà Africanos expeditionem, quâ Tingis & Argilla expugnatæ sunt, Pontanus author est.* Priusquam ulterius progrediar, Astrarii loco ex Cromero descriptionem & eventus Cometæ istius appono. In igitur

* Serres in vita Ludovici XI. Petav. R. T. p. 1. l. 9. c. 10. † Serres & Petavius l. d. ‡ Sabell. Enn. 10. l. 9. p. 510.
(a) Sabell. l. d. p. 511, 512. Calvis. ex Onuphrio. (b) Calvis. ad 1473. (c) Lib. 31. initio. (d) Trithem. ad ann. ille:

ille: *Annus* 1472. *à Cometæ ſive Pogoniæ apparitione ſumſit exordium: qui parvus quidem in ſe, verùm longam & illuſtrem poſt ſe caudam trahens, vago & incerto curſu, nunc ad Septentrionem, nunc ad Meridiem, nunc ad Occidentem Solem, caudam quoque nunc hùc, nunc illùc obvertens totos duos menſes perduravit, magnorum malorum, quæ cunctam ferè Europam proximis tribus annis pervaſerunt, & maximè peſtilentiæ per populos & gentes graſſaturæ prodigium.* Crom. de rebus Polon. l. 27. p. 615. mox p. 616. inducias annuas inter Matthiam Regem Ungariæ & Caſimirum Poloniæ: tùm inter Matthiam & Fridericum Imperatorem prorogatas memorat. Lib. 28. initio pacem Anno 1473. inter Polonos, Hungaros & Bohemos Nyſſæ concluſam fuiſſe teſtatur. Hunc itidem ut & ſequentem annum Polonis quietum fuiſſe ſcribit p. 622. Eodem anno inducias inter Hungaros & Polonos ac Bohemos triennes pactas fuiſſe annotat. p. 623. Dehinc tamen tàm bello quàm pace rem geſtam cum Matthia & alibi fuiſſe memorat. Equidem & Ludovici XI. hiſtoria non tantùm bella, ſed & pacem cum Carolo fratre, Carolo Burgundo, tùm Aragonio & Anglo initam his temporibus loquitur.

CCCXXXVI. *Anno Chriſti* 1473. *Cometa apparuit in Cancro, ut ſcribit D. Herlicius. Hoc anno die S. Nicolai, obiit Henricus Manſuetus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, frater Wilhelmi Senioris.* Eckſtormius.

FAcilè credo & plures Principes hoc anno diem ſuum obiiſſe. Equidem Arnoldum Ducem Geldriæ mortuum, & Beglerbegum Mahometis Turcarum Imper. Ducem hoc anno cæſum eſſe; ſed & Henricum Pium Ducem Saxoniæ, Mauritii & Auguſti Electorum patrem, tùm Fridericum I. Regem Daniæ bono publico natum, invenio. Ut aliorum Principum tùm & Copernici natales omittam. Poſtero anno Henricum Pium frater Fridericus, & Bernardus Marchio Badenſis excepit. Eodem anno Philippus ille Poſthumus Elector Palatinus Margaretham Ludovici Divitis Ducis Bavariæ filiam connubio ſibi copulavit. Ipſo illo Cometæ natali anno belli metus & motus omnes exterruerat, Caſimiro Poloniæ & Vladiſlao Bohemiæ Regibus, illo patre hoc filio, Matthiam Hungariæ Regem armis appetentibus. Is tamen in nervum non erupit, & tàm Regum generoſitate quàm Procerum prudentia mox ſopitus eſt. Moraviam & Sileſiam aliaque regno Bohemiæ ademta Vladiſlaus paternâ prudentia & potentiâ nixus repetebat. Horum ſucceſſione poſt fata Matthiæ ſibi facta & regno Bohemiæ ſibi relicto Vladiſlaus cum patre pacis leges non tàm libentèr quàm meritò * ſubivit. Mox dehinc læta convivia, munera & mutuæ benevolentiæ documenta ſubſecuta. Adeò hîc quoque videmus, & innatam Principibus regnorum ampliandorum cupiditatem, & antiquum illud de alienis certandi ſtudium, quod Regium, ut Tacitus alicubi ait, cenſetur, metum & motum illum belli excitaſſe. Eodem anno Uſum Caſſanes, proximo Stephanus Palatinus Moldaviæ, Victores de Mahomete tyranno evaſêre. Hic quoque annus lætam pacem Hildesheimenſem dedit, adnotante Buntingo & Fabricio.

* Dubrav. l. 31. initio Bonfin. dec. 4. l. 3. pag. 600.

CCCXXXVII. *Anno Chriſti* 1475. *Cometa in Libra conſpectus eſt. Hinc bellum inter Matthiam Regem Ungariæ, & Ladiſlaum Regem Bohemiæ ortum eſt, hanc ob cauſſam, quòd Ladiſlaus Sileſiam & Moraviam regno Bohemiæ adjicere voluit. Matthias autem alterum exercitu ſuo prævenit, atque Uratiſlaviam tunc temporis occupavit. Cùm autem magnum periculum accedente etiam Caſimiro rege Poloniæ cum exercitu, toti Miſniæ, Saxoniæ exſpectandum eſſet, propter devaſtationes ex bello orituras, tunc Erneſtus Saxoniæ Elector, & Marchio Joannes Brandenburgicus exercitum magnum conſcripſerunt, & inter jam tres dictos reges pacem compoſuerunt. Vide Peuc. in Chron. Carolus Dux Burgundiæ apud civitatem Murtem, in finibus Sophiæ* (lege Sabaudiæ, Germ. Saphoye, quanquam Moratum duobus milliaribus Berna diſtans,

ſtans, Helvetico nomine cenſeatur) *ab Helvetiis victus eſt. Carolus Dux Burgundiæ, Lotharingiam proficiſcitur, ex qua Ducem ejecit, poſtea ulterius progreſſus cum exercitu contra Helvetios Confœderatos arcem Granſe divicit & oppugnavit. Sed paulò poſt 2. Aprilis ab Helvetiis pugnando victus eſt, ex qua pugna vix evaſit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1475. *Cometa apparuit in Librâ, ut annotavit Herlicius. Secutum eſt magnum incendium Cracoviæ: Bellum Caſimiri Regis Poloniæ, Ladiſlai Bohemiæ, & Matthiæ Hungariæ: quo miſerè vaſtata eſt Sileſia, Moravia, Bohemia & aliæ regiones vicinæ: donec Erneſtus Elector Saxoniæ & Joannes Marchio Brandenburgicus pacem fecerunt. In Hungaria, Moravia, Polonia tanta fuit locuſtarum copia, ut volitando Solem obſcuraverint.* Eckſtormius ex Cromero.

Anno Chriſti 1475. *Viſus eſt Cometa, & Carolus Burgundus occupavit Lotharingiam.* Alſtedius.

COmetem hoc anno viſum caudam continentèr verſus Geminos directam habuiſſe, Gaſſendus (*a*) ſcribit, rationes, ut puto, Fromondi ſecutus. Sed diximus hunc errorem à Ricciolio correctum & anum 1472. ponendum eſſe. Hunc Cometen Ricciolius (*b*) inter eos ponit, qui ab Oriente verſùs Occidentem, ſed oblique, tranarunt. Ideò & Gravius cum notet nullum ferè Cometen ab uno ex 4. cæli cardinibus ad oppoſitum cardinem directè tranſiiſſe, addit quoſdam obliquiores vias aliis feciſſe. Inter quos ut illum 1471. ita & hunc noſtrum ponit. Notavit Regiomontanus eum motu recto per Lunam (alii dicent Lunam per eum ut vaporem) tranſiviſſe & terræ appropinquaſſe. Notavit idem, & ex eo Fromondus, iſtius Cometæ caudam. Quæ dehinc longè quam unquam antehac (*c*) accuratius obſervari cœpta, ſingulari præſertim Petri Apiani Mathematici Cæſarei diligentiâ. *Tunc enim & ipſe* Tycho, Coryphæus Mathematicorum, caudas in plagam à *Sole non* à Venere averſam projici (*d*) didicit. Quâ de re infra dicendi erit locus. Sed jam ad eventus Cometæ veniamus. De bello inter Hungarum & Bohemum ſupra egimus, quodque alieni cupiditas potius quàm Cometa illud portenderit, imò effecerit, vidimus. Ipſe verò Rockenbachius non tantùm bellum, vel potius metum ejus, ſed & pacem Cometæ ſucceſſiſſe fatetur. Ita & Renati Lotharingiæ Ducis ac ſociorum Helvetiorum prælium hoc anno, quo Cometes apparuit, cum Carolo Burgundo exigua clade ex utraque parte ad Noveſium (vulgò Nuſs, ſicut & Trithemius (*e*) vocat) commiſſum, & oppidi undecim menſibus obſeſſi liberatio & pax ſecuta eſt. Sed hanc violentum Caroli, bellorum ubique cauſſas ferentis (ut Petavius (*f*) de Philippo Maria Vice-Comite Mediolanenſi ait) ingenium ferre diu non poterat, & bella mox ſecutura Carolique ruinam citrà Cometas prudentioribus portendebat. Is enim Lotharingum bello aggreſſus (*g*), captâ primariâ urbe Nancejo Renatum totâ ditione exuit. Qui ideò ad Ludovicum XI. Regem Galliæ, ut conſanguineum & patronum confugiens, ab eo Helvetiis commendatur. Hinc ab eis ad Granſonium Anno 1476. paulò poſtquam fidem publicam Helvetiis, qui urbem illam præſidio tenebant, violavit, victus & magnâ theſauri parte exutus, mox majori clade ad Moratum afficitur, ut Lotharingus Nancejum & totam ditionem receperit. Hac tamen iterum pulſus, Nancejum obſeſſum (in quam (*h*) civitatem Burgundio Carolus denuo (*i*) ardebat) moleſtè tulit, alternante tunc inſigniter triſtium lætorumque viciſſitudine. Inter hæc Sixtus IV. (*k*) Jubilei ſolemnitatem ad annos tandem xxv. reduxit. Res inter Gallum & Anglum (*l*) qui Burgundo ſuppetias cum magno exercitu ferre volens in Galliam trajecerat, compoſita eſt. Res Mahometi in Taurica Cherſoneſo (quæ vulgò Tartaria, vel, ut multi malunt, Tattaria Perecopenſis à foſſâ in Iſthmo facta cognomen accepit) Moldaviæ contrà ad Sabbatiam in Hungariæ finibus, Stephano Valachiæ & Moldaviæ Principi contrà Mahometen ejuſque ſocios, imò jam tunc ſubjectos Tartaros feliciter

(*a*) Phyſ. ſect. 2. l. 5. c. 2. de Comet. (*b*) Lib. 8. ſect. 1. c. 4. N. 10. (*c*) Fromond. Meteor. 3. 4. 1. l. 1. progymn. cum 2. progymn. c. 7. (*e*) Ad 1475. Serres in Ludovico XI. Paralip. p. 327. (*f*) Petav. l. 9. cap. 8. (*g*) Serres ibid. Calviſ. ex Annal. Flandr. (*h*) Paralip. p. 329. (*i*) Pag. 330. (*k*) Platina in Sixto IV. (*l*) Serres l. d. Ritius de regno Franciæ l. 3.

ceſſerunt.

cesserunt. Eadem tempestate Alfonsus Portugalliæ rex regnum Castellæ appetens, & Ferdinando V. Aragonio, qui connubii cum Isabella † Castellana initi jure ulterioris Hispaniæ Rex effectus erat, eripere volens, varia fortunâ usus est. In pugna quidem Anno 1476. ad Taurum montem commissâ parvâ clade affectus, magnam tamen hosti prædam & majorem victoriam concessit. Sed & ipse victor paterno regno contentus evasit. Nam, ut rectè ille ait:

> Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
> Mœnia, nec virtus altius ire potest.

& Lyricorum principe judice, quod huic loco convenit,

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quàm si Lybiam remotis
> Gadibus jungas, & uterque Pœnus
> Serviat uni. Horat. l. 2. carm. Od. 2.

Prosperis & lætis quæ hâc tempestate evenerunt, meritò accenseas pacem inter Duces Pomeraniæ & Brandenburgenses, per Duces Mecklenburgenses conciliatam, ita scilicet ut Pomeranis sine mascula prole decedentibus Brandenburgenses succederent, quod tandem nostra ætate factum vidimus. Ita hunc Cometen non tantùm bello, sed & paci, & ut tristibus, ita & lætis præluxisse demonstravimus. Atque hic vel certè proximus Cometes à Regiomontano ultimus est observatus. Mortuus enim est iste *restaurator Astronomiæ in Europa, ut Cardanus ait, Anno 1476.* ut Palmer. Trithem. Funcc. Calvis. edit. Francof. Petavius: vel *1477.* ut Bucholzerus Calvis. edit. Lipsienf. & Alstedius putant. At enim serius eum obiisse Helvicus ex Nauclero dicit, postquam scilicet Franciscus Philelphus, Eques Italus, fortuna & ingenio splendidissimus, vitam finivit, quod Funccius anno 1480. Bucholzerus, Trithemius * & Calvisius proximo eveniisse notant. Vossius Anno M CCCC LXIX. vel LXX. Regiomontanum obiisse putat, & Crantzium mortem ejus in M CCCC LXXXIX. prorogare memorat. de scient. Mathem. c. XVI. & XXXV.

† Tarapha in Ferdinando 5. * De scriptor. Eccl.

CCCXXXIIX. *Anno Christi* 1476. *Cometa in Junio apparuit.* Schuler. disquis. Philosoph. de Cometis.

GRavius (a) quoque, sæpius nominatus & laudatus, de hoc Cometa ita scribit: *Tradit Kepplerus Cometam anni* 1618. *etiam in principio tardiorem deinde celeriorem extitisse, Et Regiomontanus de Cometa* 1476. *Velociorem tamen in initio quàm in fine.* Cometæ hujus natales certos esse, duorum testium fide dignorum auctoritate, probo. Alioqui non libenter vellem familiæ nostræ accensere prolem, cujus dubii forent natales, vel quæ nullo patre edita foret. Invenio quidem in annum proximè antecedentem duos Cometas à quopiam, & bis quidem, referri. Sed cum legitima caream auctoritate, Cometam illum alterum in censum non refero. Cometæ nostro nullos effectus tribui video. Si quis tamen talia habere desiderat, inveniet tristia & læta hoc anno gesta jam jam ad proximum Cometen dicta. Hic tamen tribus verbis ex Bonfinio (b) addere lubet, Victoriam Turcicam, lætitiam & nuptiarum Matthiæ Regis cum Beatrice Ferdinandi Regis Siciliæ filia solemnitatem. Hæc antequam celebraretur, Rex Sponsam diademate ornavit singulari cum pompa, ita *ut aliquid supra humanas vires celebratissimæ festivitatis spectatum fuisse credideris*, judice Bonfinio (c) *Addebat plurimùm lætitiæ Pannonicæ* (addit idem) *faustissimus & perquam hilaris Beatricis aspectus: cui speciosa frons, elata supercilia, saginata tempora, item erubescentes utrinque malæ cum oculorum hilaritate, nasi modestia, ac oris venustate, tantum raræ gratiæ compa-*

(a) Disput. de Comet. th. 9. §. 6. (b) Dec. 4. l. 4. initio. (c) Lib. cit. p. 608.

rabat,

rabat, ut formâ habituque Venerem, Dianam pudicitia, & ſapientiâ eloquentiaque Palladem ex omni parte referret. Hæc menſe Decembri geſta, ſed & Turcicâ in Daciam irruptione interpellata eſſe, idem Auctor memorat.

CCCXXXIX. *Anno Chriſti* 1477. *Cometa quod ad colorem attinet, Saturno ſimilis viſus eſt. Hoc anno Matthias Rex Ungariæ, Auſtriam & Stiriam vicinaſque regiones uſque in Bavariam devaſtavit, Imperatorique Friderico, coronam Bohemiæ ademit. Eclipſes* 4. *intra breve temporis ſpatium ſunt ſecutæ, quarum prima in quinto gradu poſitum,* (conjicio legendum eſſe, *Piſcium*) *altera in* 15°. *Leonis, tertia in* 1°. *Capricorni, quarta in* 6°. *Geminorum accidit. Has in Italia peſtilentia ſæva, caritas annona maxima, calor Solis intenſiſſimus, ſecuta ſunt. Turcæ in Carinthia & Italia graſſantes, Rhodiam occuparunt, tentantes inſuper Apuliam & Calabriam terrâ marique invadere. Mahomet in Aſiam proficiſci volens propè civitatem Nicomediæ dictam mortuus eſt, anno ætatis* 53. *anno ſui imperii* 31. *Eduardus Rex Angliæ, Ludovicus Rex Galliæ, Maria conjunx Regis Maximiliani in venatione de equo cadens, unà cùm aliis Principibus Germaniæ tunc temporis omnes mortui ſunt. Dux Moſcoviæ urbem potentiſſimam Neugard dictam pugnando vicit & poſſedit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1477. *prid. Epiph. Carolus Dux Burgundiæ ad Nanſejum à Renato Lotharingiæ Duce & Helvetiis victus & trucidatus eſt, cum duobus fratribus nothis & viris multis præſtantibus. Arſit eodem hoc tempore horribilis Cometa cæruleo pallore ſubniger. Bunting. Obierunt etiam hoc anno Maria Caroli Burgundi filia, Maximiliani I. Imperatoris uxor: Matthias Rex Hungariæ: Albertus Elector Brandenburgicus, Achilles Germanicus dictus.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1477. *Cometa ſubniger, poſt quam ſucceſſit cædes Caroli Burgundi.* Ricciolius ex Ebero.

Anno Chriſti 1477. *Arſit Cometa, quem excepit ferventiſſima æſtas, adeò quidem, ut non ſolùm fruges fuerint exſiccatæ, ſed etiam integræ ſylvæ accenſæ, magni fluvii exaruerint, ſævaque peſtis graſſata ſit. Carolus Burgundus cæſus fuit ab Helvetiis. Multi Principes hoc anno obierunt.* Alſtedius.

KEckermannus (*a*) quoque ex Lavatero hujus Cometæ meminit, dicitque initio fuiſſe velocem, poſtea tardiorem, quod etiam pluribus Cometis accidiſſe exiſtimat, & Senecam adducit dicentem, quòd Cometæ velocius initiò progrediuntur: idque etiam exemplo Cometæ ultimi ab ſe Anno 1607. viſi confirmat, quod verum eſſe exempla Cometarum 1577, 1585, 1590, & 1618. docent. De qua motûs Cometarum varietate vide (*b*) Ricciolium & (*c*) Gravium. Quod ad eventus Cometarum attinet, tot eclipſes adeò proximæ Cometæ hac tempeſtate à Scriptoribus non annotantur. Calviſius, qui talia adnotare ſolet, nullam adnotavit. Buntingus qui hic quoque diligentiam germanam probat, unam tantùm, ſolarem ſcilicet ad ann. 1478. ſed & Eckſtormius in hiſt. Eclipſ. ubi talia profeſſo ſtudio enumerantur ac deſcribuntur, Solarem tantum & Lunarem, quæ hùc referri poteſt, ad ann. ſcilicet 1478. notat. Illam enim Solarem ab eo in 16°. Geminorum, à Buntingo in 16°. Piſcium ad 1476. poſitam hùc non pertinere res ipſa docet. Subjecit tamen Cometæ eo proximè, ut apparet cladem Caroli Burgundi, quæ ineunte Anno 1477. accidit, cujus portenta Cometis & eclipſibus aliiſque cæli phœnomenis certiora ſuprà vidimus. His pauca addemus ex Comineo, qui ei familiaris fuit, & arcana Principum non minori candore quàm felicitate ingenii Polybiano exemplo, ut Lipſius judicat, enotat. Is poſtquam quædam de ejus potentia, felicitate & confidentia dixiſſet, addit: *Quamdiu cum eo vixi, ingenio erat ſatis placido: poſtea verò crudelior evaſit, quæ quidem res indubitatum erat* (NB.) *ſignum futuri occaſus. In cultu corporis & veſtium luxu aliiſque rebus omnibus prope nimius erat: cupidiſſimus erat gloriæ, eaque fuit præcipua cauſa cur bella ſuſciperet.* Ecce vatem Politicum! ecce Cometas terreſtres, bella & ruinam Rerump.

(*a*) Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. de Comet. (*b*) Lib. 8. ſect. 1. c. 4. N. 13. (*c*) Th. 9. § 6. diſput. de Cometis.

ac Prin-

ac Principum portendentes! Non ſine cauſa huic Burgundioni tale epitaphium (a) poſitum:

Te piguit pacis tæduitque quietis in vita,
Hic jaces Carole, jamque quieſce tibi.

Videmus eadem illa portenta vel certè ejuſdem generis hoc loco in celeberrimo illo, inter Fridericum III. Imp. & Matthiam Regem Hungariæ bello. Hæc Bonfinius diſertè & prudenter, ſed & accuratè undecim numero annotavit, & expoſuit. Nos boni publici ſtudio paucis ea ex mente illius (quem Friderico Principi (b) Egregio iniquum fuiſſe Sambucus notat) complectemur. Ambitio Friderici regnum Hungariæ Matthiæ invidentis. Ejuſdem ingratus animus ergà Matthiam, qui ſibi in bello Bohemico, & quidem contrà Georgium ſuum ſocerum auxilia tulerit. Tùm regni infeſtatio & obtrectatio regem legitimè electum petens. Iterata regni invaſio à Friderico diſſimulata. Negatum ſtipendium Matthiæ in bello Bohemico promiſſum. Repulſa data Matthiæ filiam Friderici procanti. *Veteres inimicitiæ cum* * (conjicio reſtituendum hunc locum ita eſſe, cum Friderico, vel cum Vladiſlao Poſthumo, vel etiam cum utroque: Vladiſlaus enim Friderici ex Alberto V. Imper. patrueli filius, &, ut notum eſt, in ejus tutela fuit, qui poſtea Vladiſlaum Matthiæ fratrem ob cædem Comitis Ciliæ gladio ſubjecit) *præinſtitutæ & auctore Comite Ciliæ diu retentæ.* Suſpicio de ſtudio Matthiæ in Pamkircherum, ſeditionis in Auſtria Cæſare Romam abeunte incentorem: exinde inſtructæ Matthiæ Viennam invitati inſidiæ & illinc fuga. Controverſiæ in finibus regni à Proceribus variantem fortunam ſequentibus & odia augentibus excitatæ. Diſſimilitudo morum. Ambitio tandem Matthiæ ſæpius in Turcis bellis victoris, tunc tamen bellum deprecantis: ideoque Cæſaris pertinax belli propoſitum. Quod ſi Matthiam ipſum audiamus, hæc nobis belli iſtius portenta os ejus dabit (c). *Cùm, Cæſar, præter æquum & phas, initam totiens nobiſcum pacem ſolveris, & icta ſæpè fœdera violaveris, nullaque promiſſa præſtiteris: quin & malo ſæpiſſimè dolo læſa concordia noſtrum agrum, pagos & oppida hoſtiliter invaſeris*; & quæ ſunt alia. Hîc quiſque prudentiæ oculis videre poteſt portenta vitiorum & bellorum aliorumque malorum & Cometas Politicos, ut ſic dicam. in Aulis Principum conſpicuos, qui utinam vel nunquam luceant, vel in tempore exſtinguantur, ne præſagiant bella aliaque mala, quibus continuò orbis exardeſcit. Fames, peſtis, ſiccitas aëris, alias cauſas præter Cometas habere poteſt, ideoque frequenter talia ſinè Cometis, imò ſæpè & his contraria poſt Cometarum apparitionem fieri ſolent. Turcicos motus pariter longè efficacius Cometis ambitionis & arrogantiæ, inexplebilibus imperiorum helluonibus (quales ab initio Turcæ fuêre, illa præſertim tempeſtate, quâ Mahometes ſecunda (d) apud eos rebus præfuit) convenientis portentum excivit. Subjicit his Rockenbachius mortem Mahometis Turcarum Imperatoris 1481 (e). Eduardi ſcil. 4. Angliæ (f), Ludovici ſcil. 11. (g) Galliæ Regum 1483. & Mariæ Maximiliani uxoris 1482. aliorumque Principum funera. Eckſtormius etiam addit mortem Matthiæ Regis Hungariæ & Alberti Electoris Brandenb. quorum illa in 1490 (h). hæc in 1486 (i). incidit. Potuiſſent iſti Auctores viciniora Cometis in Scriptoribus invenire. Uſum Caſſanus enim ille Anno 1478. Joannes Rex Aragoniæ 1479. Chriſtianus Daniæ & Alfonſus Portugalliæ Reges 1481. numero viventium exemti ſunt. Potuiſſent autem & natales vel alios lætos Principum ſucceſſus & res geſtas, Cometæ longè viciniores, in medium adferre, niſi ei lætorum portentorum omnem gloriam invidiſſent. Nos paucis hæc exponemus, illoſque ad proximum Cometam, duce ſincera veritate, aſſequemur. Nuptias Principum præponemus, quas natales læti ſuetâ naturæ viâ regiâ conſequi ſolent. Anno 1577. (k) Maximilianus Archidux Mariam, Caroli illius Burgundorum Ducum ultimi filiam & hæredem in uxorem, Burgundiam & reliquas ditiones

(a) Faſcic. temp. (b) Lintur. ad faſcic. temp. p. 93. (c) Bonfin. dec. 4. l. 5. initio. (d) Vid. Petav. R. T. 1. p. l. 9. c. 7. (e) Trith. Funcc. Bunting. Bucholz. Calviſius. Petav. (f) Polyd. l. 24. fine. (g) Rit. l. 3. de reg. Franc. Serres in Ludovic. XI. (h) Bonfin. dec. 4. l. 8. pag. 672. (i) Calviſ. & alii. (k) Paralip. p. 331. Volaterr. Trith. Calviſ. Bucholz. & alii.

in do-

in dotem accepit. Proximo anno Joannes Regius Daniæ & Sueciæ Princeps, Chriſtinam Erneſti Electoris Saxoniæ filiam, & hujus ſororem Margaretham Henricus Junior Dux Brunſuicenſis matrimonii vinculo ſibi copulavit. Mitto plura talia, cum hæc ſufficiant, juncta præſertim aliis, ad demonſtrandam lætorum eventuum Cometas ſecutorum veritatem. Natales Principum videamus. Hos Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis elector anno eodem quo Cometes luxit: proximo Philippus I. Rex Hiſpaniarum, deliciæ generis humani dictus, pater Caroli V. Ludovicus Palatinus Rheni, Philippi Poſthumi Electoris filius & ſucceſſor: anno autem ſequenti, qui fuit 1479. Henricus Pacificus Dux Mecklenburgenſis conſecuti. At Anno 1480. Fridericus 2. Dux Lignicenſis Friderici 3. & Georgii 2. parens, & Philippus Philippi illius Electoris Palatini filius cognominis: proximo frater ejus Rupertus, Chriſtianus Marchio Brandenburgicus, Anſpacenſis, & Margarita Maximiliani I. filia: tùm poſtero Chriſtiernus ſive Chriſtianus 2. Rex Daniæ, & Caſimirus Marchio Brandenburg. ſequenti Fridericus 2. Elector Palatinus primus Euangelicus ejuſdem illius Philippi filius, vitæ auſpicia fecêre. Hos mox ad lucis uſuram fruendam ſecuti Anno 1484. Joachimus I. Elector Brandenb. Glorioſiſſimus Academiæ Francof. ad Oderam conditor, & Georgius Pius ejus agnatus, Julius Cæſar Scaliger, alios multos * ut taceam, quos, ut & Viros præclaros illâ tempeſtate natos, ſingulari curâ Bucholzerus, ſed & Calviſius aliique auctores recenſent. Inter hæc Alfonſus Portugalliæ & Caſtellæ regna, quæ deſerere neceſſe habuerat, Anno illo 1477. recuperavit. Eberhardus Comes Wirtembergenſis Academiam Tubingenſem fundavit. Matthias pace cum Friderico ‡ & fœderis religione ſancitâ & cum Caſimiro Polono firmatâ, contrà Mahometem aggreſſorem rem feliciter geſſit. Pari fortunâ Anno 1478. Maximilianus ſubjectâ ſibi Geldriâ contrà Ludovicum Gallum †, & iterum Matthias contrà Mahometem anno proximo uſus eſt. Hic etiam annus, auſpiciis Joannis Regis Daniæ, vivente patre, tùm pace (a) Luſitanorum cum Caſtellanis, Venetorum cum Turcis (b), Matthiæ Hungari cum Vladiſlao Bohemo initâ (c) & firmatâ lætus extitit. Sed eodem novi belli Auſtriaci portentum Bonfinius, Friderici (d) cui erat iniquior, utpote Matthiæ addictus, ſed & in hunc aſperior, ideoque à Sambuco caſtigatus) obſtinatam avaritiam & violatas inducias indicat. Anno tamen 1480. inducias auctoritate Pontificiâ pactas (e) fuiſſe, ſed iterum ad bellum, tandem verò ad pacem, ſed ſerò, poſt mortem ſcilicet Matthiæ (f), cum ante eam fruſtra tentata fuiſſet, ventum eſt. Multa dehinc læta (g) in orbe evenerunt, quæ vel ad rem literariam pluribus hac tempeſtate Academiis fundatis, Conimbricenſi (h), Hafnienſi (i), Aberdonenſi (k), Moguntinâ (l), & aliis (m), vel ad publicam pertinent, artibus ingenii & pacis geſta, vel etiam aureâ virgulâ, ut dicitur, è cælo ſuppeditata (inter quæ tamen hîc & illîc triſtia eveniſſe, quis memor ſe in mundo vivere, neſciat?) quæ longè meliori jure ad Cometam, quàm mors Alberti Brandenburgenſis, vel Matthiæ Hungari referri poſſent. Sed cùm hiſtoria hujus Cometæ ſatis excreverit, ad alia propero: dummodo verbo dicam annum 1486. ultra quem hîc Eckſtormius in congerendis Cometæ triſtibus eventibus excurrit, lætum & felicem inprimis extitiſſe. Nam & nuptiæ ab Henrico Septimo Rege Angliæ cum Eliſabetha Edovardi Quarti filia celebratæ (n), quæ antiqua illa familiæ Lancaſtrenſis & Eboracenſis odia & de regno certamina exſtinxerunt; & Arthurus Princeps ex hoc felici conjugio natus eſt: quæ duæ res maxima gaudia Angliæ pepererant.

* Vid. tabb. 14. geneal. Polyd. l. 26. p. 569. Bunting. Chron. ‡ Bonfin. dec. 4. lib. 5. p. 622. † Bonfin ibid. lib.
(a) Funccius. (b) Sabell. Enn. 10. l. 7. pag. 511. Bonfin. l. d. p. 626. (c) Dubrav. l. 31. p. 256. Bonfin. ibid.
pag. 627. (d) Pag. 630, 631. (e) Dec. 4. l. 6. initio. (f) Dec. 4. l. 8. p. 663. (g) Vid. Trith. ad an.
1482, 1484, 1485 & ſeqq. Calviſ. ad 1484 & ſeqq. (h) Middendorp. Helv. Fabric. (i) Middend. Helv.
(k) Helvic. Alſted. (l) Funcc. Calviſ. Helv. Alſted. (m) Alſted. Chron. Schol. (n) Polyd. lib. 26. initio.
Antiquit. Britann. p. 296.

CCCXL. *Anno Chriſti* 1491. *Cometa tempore verno circa principium Arietis cum latitudine Meridionali apparuit, unà cum eclipſi Solis in* 27° *Arietis. Paulò poſt magna annonæ caritas, peſtiſque pecorum magna, ſiccitaſque in terra vehemens eſt ſecuta. Inundationes*

nocentius Pontifex VIII. Alphonſus Rex Portugalliæ de equo cadens ambo mortui ſunt. Imperator Fridericus ejus nominis III. qui per annos 53. *& menſes* 5. *regnavit* 19 *Auguſti in civitate Licus dicta moritur, in cujus locum Maximilianus filius ſuccedit,* 124000. *Judæorum unà cum omnibus familiis ex Italia expulſi ſunt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1491. *Cometa præceſſit mortem Caſimiri Regis Poloniæ. Anno ſequenti Henricus Senior Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis Brunſuigam obſidione preſſit.* Eckſtormius ex Chron. Saxon.

Anno Chriſti 1491. *accidit eclipſis Solis & Cometes circa principium Arietis cum latitudine Auſtrali. Ferdinandus initio anni ſequentis Granatâ captâ Maurorum* 800. *millia ejicit.* Ricciolius ex Funccio.

Anno Chriſti 1491. *Ardet Cometa. Homines & beſtiæ moriuntur. Turca bonam partem Dalmatiæ & Sclavoniæ occupat.* Alſtedius.

SIfardus quoquè hunc Cometam numerat viceſimum ſeptimum, ejuſque effecta triſtia ad annum amplius à Chriſto nato 15000. producit. Quæ hunc Cometen anno uno & altero vel etiam pluribus præceſſerunt triſtia, ut bella, cædes, Principum funera, terræ motus, aliaque, longius à proximo Cometa remota, ſinè Cometis talia in orbe accidere, docent. Hunc autem annum Cometæ natalem, natalis Henrici 8. Regis Angliæ (*a*): nuptiæ illæ Caroli VIII. Regis Galliæ cum Anna hærede Britanniæ parvæ (quæ & Aremorica, non Magnæ, ideò Sifardus Annam Angliæ Regis filiam vocat) Maximiliano deſponſata & prærepta, tùm Beatricis, quam viduam Matthiæ mors fecerat, cum Vladiſlao Bohemo, ita utriuſque regni conjunctio: Granatæ deditio, Maurorum ex Hiſpania ejectio, titulus Catholici Ferdinando Caſtellæ Regi tributus, lætum reddidit: Deniquè pax inter Bajazethem Turcarum Imperatorem & Soldanum Ægypti, tùm inter Vladiſlaum Hungariæ Regem & eundem Bajazethem, poſt receptam Albam Regalem & alia loca, ſancita & firmata, lætis hujus Cometæ eventibus meritò annumeratur. Caſimirum Regem Poloniæ non hoc ſed proximo anno (*b*) mortuum eſſe omnes affirmant.

(*a*) Bucholz. (*b*) Funcc. Bucholz. Calviſ. Alſted.

CCCXLI. *Anno Chriſti* 1492. *Cometa per ſpatium* 2. *menſium poſt occaſum Solis in Decembri apparuit. Hanſelicus* (lege (*) *Joannes Albertus*, ille ſcilicet, qui poſtea in Polonia regnavit, Vladiſlai iſtius frater) *& Maximilianus Cæſar ab Vladiſlao Rege Ungarorum* (adde, *& Bohemorum*) *victi ſunt. Caſimirus Rex Poloniæ mortuus eſt. Magna pars Urbis Cracovienſis incendio fortuito verſùs occaſum periit. Peſtis pecorum & pecudum dira Poloniam pervaſit.* Rockenbachius.

FUnccius hunc Cometen in annum proximum cum Eclipſi Solis (quam illo anno accidiſſe Calviſius affirmat) refert. Paſtorius floridiſſimi Flori Polonici auctor in hunc annum Cometem hunc bimeſtrem & Eclipſin Solis, ut & mortem Caſimiri referre videtur. Ait enim ante mortem Caſimiri tres in aëre Soles conſpectos (quod hoc anno eveniſſe Eckſtormius ex Arthuſio probat) & duobus penè menſibus Cometen arſiſſe; velut approbante ita magnitudinem Caſimiri cælo, quod vulgarium Principum mortes ſine motu prætereat, magnorum in fatis laboret. Quod ut in Oratore ferendum eſt, ita quodammodo verum eſſe largior: ita ſcilicet ut Cometas & natalibus Principum & aliis lætis & ſecundis rebus præfulgere dicamus. Nam, ut paucis lætos hujus & præcedentis Cometæ eventus hâc occaſione attingamus; Anno proximo natus eſt Fridericus Friderici Anſpacenſis Marchionis Brandenburgici filius, quem continuâ ſeriè (duobus tantum annis 1496 & 1502. exceptis) fratres & ſorores in lucem felici omine venientes uſque ad ann. 1503. ſequuntur. Eodem illo anno 1491. Georgius Dux Wirtembergenſis natus. Plures dubio procul tabulæ Principum

(*) Vid Dubrav. l. 31. p. 256, 257. Bonfin. 4. dec. l. 8. p. 668, & 10. p. 695. & dec. 5. l. 1. p. 707. & ſeqq. Bakſchai in Vlad. Confer, Linturii append. ad faſcic. temp. p. 93.

dabunt. In promtu sunt Wolfgangi Anhaltini, tum Palatini, Francisci I. Regis Galliæ, aliaque exempla. Porrò bellum illud inter Maximilianum, Albertum & Vladislaum nil nisi invida ambitio conflavit, hæcque (*a*) illud portendisse meritò dici potest. Hunc annum & novi orbis (*b*) à Christophoro Columbo (cujus tamen, ut inventionem novi orbis detectio insularum Flandricarum, quæ & Azores (*c*), annis 68. præcessit, ita & illam notam ovi, ut consisteret, fracti inventionem experientia, integrum ovum libratum cacumini sive cuspidi ipsi insistere posse docens, correxit) & venarum metallicarum ad Sudetes montes (*d*) inventio dives, & pax (*e*) Brunsuicensis lætum reddidit. His mox (*f*) inventio argentifodinarum Annæbergensium longè copiosiorum, & novi orbis, qua in Boream vergit detectio, & pax Gallica, Hispanica & Helvetica successit: ne quid de Philippi I. lætis in Belgio auspiciis, & cum Joanna Hispanicorum regnorum hæredi (*g*) nuptiis dicam, quæ proximos Cometas propius attingunt.

(*a*) Bonfin. dec. 5. l. 1. histor. lib. 1. initio. ad 1496. Strada lib. 1. (*b*) Tarapha in Ferdinando 5. Sabell. Enn. 10. l. 8. p. 526. Trithem. ad 1493. (*c*) Thuan. (*d*) Calvis. ad 1493. (*e*) Bunting. Chron. 1. part. p. 122. (*f*) Calvis. (*g*) Trithem.

CCCXLII. & CCCXLIII. *Anno Christi* 1493. *Post conspectum Cometam ex hac vitâ excesserunt Carolus VIII. Rex Galliæ: Eberhardus Dux Wirtembergicus, Fridericus III. Romanus Imperator.* Eckstormius.

Quo tempore Carolus Rex invasit Italiam, visus fuit Cometes in occasu Solis, qui paucis post diebus Solem antegressus est. Hoc cum præceptor nōster Niphus scriptum reliquerit, placuit his ascribere. Quanquam alius is à priore dici fortasse potest. Scaliger. exercitat. 79.

SOlus, quod sciam, Eckstormius ad annum 1493. notat Cometen. Quem si quis ad annum proximum referre voluerit, justis rationibus cedam. At enim Fridericus Imperator (cujus Eckstormius hîc meminit, & cui decrepita senecta propè octogenaria mortem quotidiè, vel sine ulla Cometarum apparitione, portendisset) isthôc anno diem obiit. Quæ etiam causa est cur Cometa à Nipho & Scaligero adnotatus, non sit cum Eckstormiano idem. Carolus enim Italiam anno 1494. [*a*] invasit, ut omnes consentiunt, solo, quod sciam Trithemio, hæc ad 1495. annum notante. Non immeritò verò duos Cometas ex conjectura Scaligeri hoc anno 1494. adnotarem. *Sed verbum addidit dubitationis ἴσως*, ut ipse alibi [*b*] ait. Alii verò, quos vidi, de his nil habent, quod miror. Sed ad eventus Cometarum. Eberhardus ille barbatus, Princeps rerum gestarum gloriâ Inclytus, Anno 1496. at Carolus 8. (Ritio 9.) Anno 1498. vitam finivit. Hujus etiam mortem Eckstormius, ut Cometæ suo invidiam tristis ominis conflet, ad eum refert. Hanc ego potius ad luxuriosam vitam & ambitiosorum bellorum labores refero. Nisi quòd & ob Margaretham, Maximiliani I. filiam, à Carolo repudiatam, & Annam Britannam eidem præreptam, licet sacramenti religione devinctam, & singulari [*c*] ritu destinatam, ita ut Carolus ex genero rivalis soceri fieret, tàm prolis ut Riccius, ternæ, ut Serres putat, quàm propriam eamque præcocem mortem Carolo à Deo [*d*] in pœnam impositam fuisse dicere liceat. Ita hic Valesiorum in linea recta septimus, intrà centum septuaginta annos ab auspiciis Philippi Valesiorum primi regnavit, & diadema sex ex collaterali Valesiorum linea successoribus ad Henrici 3. mortem intrà 90. annos regnaturis tradidit. Annus prioris Cometæ apparitione insignis pace [*e*] inter Anglum & Gallum initâ: proximus nuptiis secundis Maximiliani I. ad quas mortuâ Mariâ Burgundâ cum Blanca Maria Mediolanensi transivit, & novi orbis inter Castellæ & Lusitaniæ Reges divisione insignis exstitit. Cumprimis tamen *lætissimam pacem, qualem ab Augusto* (verba sunt Jovii [*f*]) *multa majorum ætas ante meminerat, universis gentibus dedit. Verum ea mox, qua primo aspectu*

[*a*] Cominæus. Guicciard. Mariana. Funcc. Bucholz. Bunting. Serres, Calvis. Petav. &c. Trithem. ad 1495. [*b*] Exercit. 93. [*c*] Polyd. l. 26. p. 581. [*d*] Vid. Serres in Carolo 8. Orat. ad Carol. pro Maximil. apud Limnæum. append. ad fascic. temp. p. 94. & seqq. ubi plura in hanc rem ultro citroque inter Jacob. Wimpfeling. & Rob. Gaguinum scripta. [*e*] Polyd. l. 26. p. 586. & seqq. Serres in Carolo 8. [*f*] Lib. 1. histor.

ſecura ac florens, bona ſpe tranquillitatis atque opulentiæ mortales impleverat, portento ſimilis, quòd vaſtitatem terris denunciaret, in omnes provincias maximè atrox & diuturnum bellum diffudit. Hæc ille. Ita illa tempeſtate Cometæ proximâ multa non tantùm triſtia, ſed & læta fuere. Similibus per orbem eventibus proximi anni [g] inclaruerunt: quibus immorari nolo; niſi verbo natales [h] Ottonis Ducis Luneburgenſis, qui annum 1495. exornarunt, tùm Eberhardi Comitis Wirtenbergenſis Ducis dignitate eodem anno [i] decorati læticiam exprimam. Hic annus quantam domi foriſque pacem Hungaris attulerit, Bonfinius [k] ſub finem hiſtoriæ ſuæ, lectu certè, ut Liviana, digniſſimæ videatur.

[g] Paralip. Bunting. Bucholz. Calviſ. ad 1497, 1498, 1499. Lintur. append. ad faſcic. temp. pag. 106. & ſeqq. [h] Bunting. ad 1495. Auctor 14. tabb. [i] Bunting. ibid. Funcc. Calviſ. &c. ad eundem annum. Linturii append. ad faſcic. temp. p. 107. [k] Dec. 5. l. 5. p. 746. Vid. Fabric. memor. Saxon. ad 1499.

CCCXLIV. *Anno Chriſti* 1500. *menſe Aprili conſpectus eſt Cometes, quem deſcripſit Vir doctiſſimus Vernerus Noribergenſis, poſtea eo anno capta à Bajazeto urbs Methone, viſus eſt: ita deindè ingens claſſis Chriſtianorum miſſa adverſùs Turcas: exarſit bellum civile inter Bajazetum patrem & ejus filium Selimum. In Italia verò anno quo fulſit captus eſt à Gallis Ludovicus Sphortia Dux Mediolanenſis: atque hi eventus proximi fuerunt Cometæ, quare eos præcipuè ſignificatos arbitror. In Germania aliquanto poſt ortum eſt bellum Bavaricum.* Milichius in Plin. l. 2. c. 25.

Anno Chriſti 1500. *Cometa menſe Aprili horrendæ magnitudinis per* 18. *dies ſub ſigno Capricorni durans apparuit. Poſt quem ſequentia ſunt ſecuta inter mortales mala & incommoda. Albertus Dux Saxoniæ bellum in Friſia gerens in obſidione ante urbem Groningæ dictam, mortuus eſt. Dira lues per totam Germaniam unà cum magna caritate annonæ pervaſit. Imperator Turcicus Inſulam Medem* (Funccius Modon, aliis Modana ſive Methone) *& civitatem ejus in feſto Laurentii ad Venetos pertinentem, unà cum aliis locis in Peloponneſo ſitis occupavit. Ludovicus Sforția Dux Mediolanenſis à Gallis capitur. Strages magna inter Marchionem Caſimirum & civitatem Noribergenſem in die Gervaſii die* 19. *Julii Anno* 1502. *habita eſt. Anno ſequenti* 1503. *peſte per triennium graſſante in Germania Papa Pius III. Archiepiſcopus Tridentinus* (corrige, *Trevirenſis*, ut teſtatur Trithemius [a], Leovitius [b] & Bucholzerus [c]) *Epiſcopus Wormatienſis Joannes Dalburgius*, [d] *Vir doctrinâ excellenti præditus, Georgius Dux Bavariæ, Steno Rex Sueciæ, Conradus Maſovienſis, cujus feudum Regi Poloniæ poſt obitum apertum eſt, mortui ſunt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1500. *die* 20. *Maji, Cometa apparuit in Septentrione ſub dodecatemorio Capricorni. Curſum ſuum direxit ad Podoliam, Lithuaniam & Ruſſiam. Cum menſe Junio diſparuiſſet, Tartari in Podoliam, Moſchi in Lithuaniam irruerunt, easque miſerè vaſtarunt: illis ſeſe oppoſuerunt Poloni. Chron. Saxon. Milichius in lib. 2. Plinii cap. 25. Buntingus in Chronologia. Hoc anno die* 12. *Septemb. in Friſia ad Embdam obiit Albertus Dux Saxoniæ, dextera Imperii manus, & Rolandus Germanicus cognominatus.* Eckſtormius ex Henningeſii tabb. Genealog.

Anno Chriſti 1500. *Cometa in Septentrione comparuit in longitudine Capricorni menſe Aprili, paulò antequam Tartari Poloniam, Moſci Lithuaniam vaſtarent. Captus præterea eſt Ludovicus Sforția, Veſuvius conflagrat, & Chriſtiani heu! victi à Turcis fuêre.* Ricciolius ex Prætorio, Funccio & aliis.

Anno Chriſti 1500. *Apparuit Cometa, Tartari devaſtant Poloniam, Moſcovitæ Lithuaniam. Parvæ cruces ex aëre decidunt. Bellum Bavaricum aliquantò poſt oritur. Peſtis & fames graſſantur.* Alſtedius.

MEminit hujus Cometæ Cromerus *. Ita enim ille: *Anno* 1500. *inſigni calamitate & vaſtitate tunc illæ Barbarorum* (Tartarorum) *excurſiones Ruſſiam & Poloniam affecere. Portendebat autem hæc mala Cometa decem & octo diebus antè primam Tartorum incurſionem conſpectus.* Ibidem inter alia triſtia memorat Moſcorum Ducem Joannem Alexandro

[a] Chron. Sponheim. ad 1503. [b] De conjunct. Plan. eclipſ. & Comet. [c] Ad ann. 1503. [d] Paralip. p. 335.
* Lib. 30, p. 672.

xandro M. D. Lithuaniæ genero ſuo bellum ex ambitione & augendi Imperii cupidine intuliſſe. Eodem anno pacem cum Moſco factam, anno 1501. quinquennes cum Turcis inducias pactas, & fœdus cum Tartaris percuſſum refert. Annotat hunc Cometen & Funccius & Leovitius. Hujus librum ante paucos dies Humaniſſ. Juvenis Joan. Erneſtus Riſtius Nobiliſſ. illius & Cl. Joan. Riſtii filius mihi commodavit. Quo inſpecto poſtquam ad Cometas proximos notata in Bataviam prælo ſubjicienda miſi, inveni meam illam ad Cometam anni 1477. de eclipſi in 5. gr. piſcium conjecturam rectè ſe habere. Multum is Cometis, conjunctionibus Planetarum & eclipſibus tribuit ſiniſtræ & malignæ efficaciæ, meliorum quæ his ſuccedere ſolent, prorſus oblitus. Sed de his commodior dicendi erit ad Cometas anni 1531 & 1532. & aliàs occaſio. Ricciolius Cometen iſtum à Septentrione ortum ſcribit, ut & illum Anno ante C.N. 44. & à C.N. 1506. & 1533. Quàm multa triſtia eaque horrenda Cometas antecedant, hoc quoque loco meritò, paucis tamen, dicemus. Anno 1497. Joannes Albertus Rex Poloniæ à Valachis ex inſidiis clade maximâ affectus eſt, ita ut totam [a] Nobilitatem Polonam tunc periiſſe, & aliàs afflictiſſimam Poloniam hoc Rege fuiſſe vulgò diceretur. Hanc gloriæ [b] cupido & proferendi imperii, tùm & res contrà Valachum non ſatis bonâ fide (utpote belli Turcici obtentu) & violato in legatis gentium jure acta, portendit. Equidem & Tartarorum irruptio ſæva & alia mala, quæ Poloniam hoc Rege afflixerant, exemplis Regum infelicium, quibus Joannis nomen fuit, adjici poſſunt. Illa inter Maximilianum I. & Carolum 8. diſſidia & bella [c] prærepta à filio Carolo Sponſa, à Ludovico patre Burgundia & Arteſia, portendit, ut non obſcurè Sabellicus indicat. Tale & illud belli Italici inter Gallos & *Aragonios* de jure regni Neapolitani, quod Galli ab Andegavenſibus ſibi relictum *cauſſabantur*, fuit, de quo prudenter Sabellicus [d]: *Obiit interea Joannes Renati* (illiùs ſcilicet Andegavenſis, quem Joanna regina Neapolitana abdicato Alfonſo Aragonio adoptarat) *filius, cui pater jam ſenior haud multum ſuperfuit, Carolo fratris ſui filio hærede conſtituto. Is ſinè liberis moriens Ludovicum Galliæ Regem, qui fuit Caroli octavi pater, teſtamento reliquit hæredem, quo jure innixus Carolus nono ferè ſui regni anno*, (undecimum ponit Serres, Funccius, Petavius, & alii) *Neapolim & quæ Renati fuerant in Italia, armis ſibi vendicare ſtatuit, & hæc prima belli cauſa fuit. Cæterùm non tàm regni poſſeſſio, quàm laudis & gloriæ immodica cupido, acerrimus magnorum regum ſtimulus, intempeſtivaque paucorum adhortatio, juvenilem animum ad id bellum accendit, qui id bellum ſuadebant, regem à domeſticarum rerum conſpectu (ut fertur) avertere conati ſunt, quo minus aulicis eſſent obtrectationibus obnoxii, polliciti ejuſmodi Viri adoleſcenti victoriam Italorum Principium diſcordiâ freti.* Adeò & hâc tempeſtate Cometæ illi Politici ambitionis & avaritiæ elucent, bella funeſta ſinè Cometis in cælo lucentibus, portendentes. Sed jam ad Cometæ noſtri eventus veniamus. Fateor parùm felices hîc quoque Joannis Regis Daniæ [e] in bello Ditmarſico, tùm in Suecia ſucceſſus occurrere. Poſteriores tamen bello & pace feliciores fuêre. Anno illo quo Cometes luxit, ſolemnitatem Jubilæi Alexander VI. Pontifex Romanus celebravit. Eodem Petrus Alvarus, auſpiciis Ferdinandi regis Caſtellæ, Æquatore tranſito, in Braſiliam delatus eſt. Idem non ſine proſpero ſucceſſu Luſitani verſùs [f] Orientem & Auſtrum ad quærendum novum orbem (quaſi noſter exercendæ ambitioni & injuſtitiæ non ſufficeret) profecti, appulſis Calecutum (Indiæ primaria urbs eſt) navibus, & detectâ [g] Inſulâ novâ & Maxima, quæ S. Crux dicta eſt, eodem anno fecêre. Veneti tunc bellum contrà Bajazetem Turcarum Imp. variâ fortunâ ad Methonem gerentes [h], pacem tandem anno proximo obtinuerunt. Hic Gallis proſper & lætus, Ludovico Sfortiâ capto & Mediolano [i], mox & potiori parte Neapolitani regni, cum Ferdinando Caſtellano, pulſo Friderico, diviſi, fœdera acta. Res tamen anno vertente providè, ut ſolent, fortitudinem explicantibus Hiſpanis, & conſpirantibus in nomen Gallicum Italis [k], alium vultum induit, nec pro-

[a] Chron. Polon. Calviſ. ex Chytræo ad 1497. [b] Flor. Polon. in Jo. Alb. [c] Sabell. Enn. 10. lib. 8. pag. Ritius de regno Franciæ l. 3. Comin. & Serres in Carolo 8. [d] Iſabell. ibid. p. 530. [e] Bunting. Chron. 1. part. p. 123. [f] Calviſ. ad 1500. [g] Aloyſ. Cadamatti navig. cap. 63. & 73. Volaterr. Sabell. Enn. 10. l. 9. fine. Calviſ. ad 1501. [i] Mutius Chron. Germ. lib. 30. ad ann. 1500. [k] Sabell. dec. 10. l. 9. p. 533. & ſeqq. p. 537. & ſeqq. Bonfin. dec. 3. l. 5. pag. 746.

ſperum

ſperum exitum invenit. Ita hoc etiam exemplo comprobatur, bella injuſta & temeraria auctoribus infamiam & damna vel etiam ruinam portendere. Annus 1502. quinquaginta [l] annorum pace inter Moſcorum Magnum Ducem Joannem Baſilidem, & Waltherum Ordinis Cruciferorum in Livonia Magiſtrum concluſa, & Academiâ Wittebergenſi [m] à Frid. Electore Saxoniæ fundatâ, memorabilis & lætus fuit. Nec minus proximus Hiſpanis, tàm Neapolitano regno vindicato, quàm Ferdinando I. [n] qui poſtea imperio Romano præfuit, nato. Atque hic jam nuptias & natales lætis Cometæ noſtri eventibus annumerandos recenſebo. Arthurus Regius Angliæ Princeps Catherinam Ferdin. Hiſp. Regis filiam, Joannes Elector Sax. Sophiam Magni 2. Ducis Mecklenburgenſis, Fridericus verò I. Rex Daniæ Sereniſſimi Friderici III. feliciter hodie rerum potientis abavus, Annam Joannis Electoris Brandenb. qui Cicero Germanicus à ſingulari eloquentia dictus eſt, filiam Anno 1500. uxorem duxit. Paritèr intrà biennium iſtius Joannis filius Joachimus Eliſabetham Joannis Regis Daniæ, qui frater Friderici fuit, filiam, Henricus Walliæ Princeps (qui poſtea Henricus 8. & fidei defenſor dictus eſt) Catherinam illam à fratre virginem relictam: at Anno 1502. Jacobus 4. Scotiæ Rex Margaretham Henrici 7. Regis Angliæ filiam matrimonii vinculo ſibi junxit. Felix & lætum hujus ſeculi primum quadriennium Maximorum Principum ortu memoriam ſui toti poſteritati commendavit. Idem qui Cometen annus tulit, Carolum V. Maximum Hiſpaniarum & Indiarum totque regnorum Principem & Laudatiſſimum Imp. Sereniſſimi Caroli 2. Regis Hiſpaniarum Abavum, & Solymannum Imp. tulit, ut Clar. Schulerus ex Neuhuſio profert. Qui etiam ait *funeſtis iſtorum Cæſarum natalibus Cometam hunc præluxiſſe, ſub quorum imperiis univerſus terrarum orbis miſerorum hominum ſanguine redundavit.* Plurimùm quidem *ſanguinis iſtis Imp. effuſum eſſe in orbe*, ſatis patet. Interim Neuhuſius con*vitia in Cometas à Poëtis ingeſta aſſenſu ſuo approbare neceſſe non habuit.* Talia enim aſſiduò ſinè *Cometis*, & contraria, læta ſcilicet & proſpera poſt eorum apparitionem eveniunt. *At verò vitia potius hominum portendunt talia.* Cæteroquin quod ad laudes Caroli V. attinet, hæ in aperto ſunt. Sed & Solymannus (qui tamen decennio circiter Carolo fuit major, cum anno 1566. ætatis 76. ut Bucholzerus, ferè octogenarius ut Calviſ. & Petavius docet, obierit) Princeps fuit, quod ad Turcas attinet, Incomparabilis, ſed & aliàs vir prudens, & ut barbarorum captus eſt, ſatis commodus, judice Petavio. Sed ad rem. Proximus annus Fridericum Albertum Frider. illius Anſpacenſis prole numeroſa Clariſſ. filium: hunc ſèquens, Ottonem Henricum Electorem Palatinum, Ludovicum Principem Palatinum Bipontinum, Sereniſſimorum Caroli quidem XI. Regis Sueciæ atavum, Philippi Guilhelmi Neoburgici verò, & Chriſtiani Auguſti ac Philippi Sultzbacenſium abavum protulit. Denique annus tertius ſupra milleſimum quingenteſimum, fratrem Caroli V. Ferdinandum I. Imp. (ut paulò ante innuimus) rerum geſtarum gloriâ pariter Inclytum, Sereniſſimi Leopoldi Cæſaris Auguſti abavum, ut & Annam [o] Vladiſlai Hungariæ & Bohemiæ Regis filiam ejus uxorem, tùm Chriſtianum 3. Regem Daniæ Chriſtianiſſimum Inclytum & Laudatiſſimum [p] Heroëm, Optimi Parentis Friderici I. optimum filium, & *optimum omnium ſuæ memoriæ Regum habitum* [q], Sereniſſimi Friderici 3. proavum; Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ Magnanimum, Academiæ Jenenſis fundatorem, & Philippum Bellicoſum Comitem Palatinum illius Ottonis Henrici fratrem produxit. Prætereo alios plures, ne in re clara exemplis minus neceſſariis congerendis immorer. Ex his quæ attulimus, ſatis patet, læta quoque Cometis ſuccedere. Porrò bellum illud Bavaricum Anno 1504. ortum, propius & certius Cometâ cupido rei augendæ [r], quæ à Scriptoribus non obſcurè notatur, portendit. Hoc tandem auctoritate & potentiâ Cæſareâ paulò poſt compoſitum eſt. Hanc pacem Bavaricam [s] Bambergenſis Anno 1501. Norinbergenſis 1502. Hungarica Anno 1503. præceſſit, adnotante Liturio [t], Trithemio [v], Mutio [x], & qui ex his ſua deſumſêre.

[l] Calviſ. ex Chytræo. [m] Fabric. memor. Saxon. Bucholz. Bunting. Calviſ. Helv. ad 1502. Alſted. Chron. Sch. [n] Bucholz. Bunting. Calviſ. &c. [o] Bohem. Piæ l. 7. c. 2. [p] Bell. Dithmarſ. l. 1. [q] Buchan. l. 20. [r] Trith. Chron. Sponh. ad 1504. Mut. Chron. Germ. l. 30. ad 1508. (corrige 1504.) Paralipom. ad 1504. Bunting. & Calviſ. ad eund. Leovit. de conj. Plan. Eclipſ. & Comet. [s] Trithem. ibid. Idem & Mutius ad 1505. [t] Append. ad faſcic. temp. [v] Ad 1505. [x] Ad eundem annum.

CCCXLV. *Anno Christi* 1504. *Cometa unà cum conjunctionibus Planetarum superiorum apparuit. Hunc magna caritas annonæ ac dira lues, tùm hominum tùm pecorum secuta est. Bellum Bavaricum hoc anno fuit. Stephanus Dominus Walachiæ, Joannes Basilius Dux Moscoviæ, Rupertus Palatinus Rheni, Episcopus Spirensis, Archiepiscopus Moguntinus ex familia Hennenbergensi hoc anno omnes mortui sunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1504. *Ingens Cometa figurâ facis ardentis visus est, quem secuta magna sycitas.* Eckstormius ex Schossero, is ex Cornelio Gemma.

HOc anno bellum illud Bavaricum gestum est, ita tamen ut Maximilianus Imp. & alii Principes pacis studiosi de ea redintegranda multum laborârint. Quæ etiam studia mox optato effectu, ut paulò ante vidimus, & amplius anno proximo videbimus, non caruerunt. Belli istius portentum avaritiam fuisse, apud Trithemium (*a*), Mutium (*b*), Linturium (*c*) & alios Scriptores candidiores non obscurè videre est. Hic verò annus pace inter Bogislaum Ducem Pomeraniæ & Stralsundenses, his ad præstandam Ducibus Pomeraniæ fidelitatem juramento sancitam adductis; tùm nativitate Philippi Hassiæ Landgravii (qui Magnanimus dictus, primus religionem Euangelicam amplexus est, & Academiam Marpurgensem condidit) Joannis Principis Anhaltini, qui Sereniſſimorum Principum Anhaltinorum, qui hodie vivunt, abavus fuit, clarus extitit, tùm verò etiam lætus, servato Optimo Cæsarum Maximiliano, & præsenti discrimini erepto Heroicâ planè virtute Erici Senioris Ducis Brunsuicensis (qui Henrici Senioris frater erat) in acri prælio contrà Bohemos ad Ratisbonam commisso. In cujus rei memoriam perpetuam ille Patris Patriæ & scuti imperii servator ac fidus Achates antiquissimorum armorum, a Wittikindo illo Saxone originem ex alto ducentium ornamentum, stellam auream (*d*) caudæ pavonis supra galeam & equum album expansæ insertam sive Phosphorum Solis prænuncium, virtutis incomparabilis symbolum, ad posteros magna cum laude transmisit.

(*a.b.c*) ad 1504. (*d*) Bunting. Chron. 1. & 2. part. & Chronol. ad 1504.

CCCXLVI. *Anno Christi* 1505. *Apparuit Cometa, quem secuta sunt multa Illustrissimorum hominum funera.* Schosserus. *Hoc anno Sophi Persarum Rex cum Turcis in Asia congressus, multa eorum millia occidit.* Eckstormius ex Chron. Batav.

Anno post Natum Christi 1505. *apparuit Cometes insolitæ magnitud. & formæ.* Mutius Germ. Chron. l. 30.

SIngulare quidpiam ad hunc annum Linturius notat. Ita enim ille. *Circa festum S. Michaelis & circa Novilunium Nov. apparuit magna stella nova hora 4. vel circa, ante ortum diei, secundum medium horologium; lucens per terras & oppida pulchrè & lucidè, quasi Luna, non tamen omninò tàm luminose sicut luna. Ostendit deniquè iter manè ambulantibus satis lucidè, transiens à meridie quasi occasum versus, aliam minorem præcedentem se stellam habens, quæ adhuc duas minores præcedentes se habuit.* Et ad ann. 1506. *celebravit Martinus* (Brandenb.) *Fridericus solenne convivium Carnisprivii* &c. *Tunc post disparuit superior stella.* Cometen hunc Ricciolius in Catalogo Cometarum non ponit, infrà verò eum antè mortem Philippi I. Regis Hisp. fulsisse ait. Hæc tamen anno proximo contigit, ad quem alium Cometam Ricciolius ibidem, & in Catalogo ponit. Atque hîc Cometa anni 1506. præfulsisse morti Philippi dicit. Inter istius Cometæ apparitionem gemina pax Bavarica & Hungaricâ * effulsit. Ullum Principem hoc anno mortuum esse, Buscholzerus non memorat, qui talia singulari diligentiâ annotare solet, ut nec Funccius, nec Calvisius, nec alius quispiam Auctor, quos ad manum habeo. Trithemius duo funera extulit, Bertholdi Archiepiscopi Moguntini & Reymundi Cardinalis. At verò Joachimus 2. Elector Brandenb. Sereniſſimi Friderici Guilhelmi Brandenb. atavus

* Mutius l. d.

hoc

hoc anno natus eſt. Plures natales Principum dubio procul hunc annum illuſtrârunt, quâ de re conſulendi auctores & tabulæ Principum, ſi tamen in re ſatis clara id facto opus eſt. Verè enim Magnus Dudithius*, *nullum eſſe annum* ait, quo *non alicubi princeps aliquis aut naſcatur, aut etiam moriatur, idque etiam nullo Cometa apparente.* Fuit autem annus iſte lætus, Philippo Palatino operâ Saxonis Imperatori conciliato, & pace ſancita: tùm & controverſiâ inter Philippum Belgii & Carolum Geldriæ. Ducem compoſitâ. Sed & illa Aſiatica victoria tàm Perſis læta, quàm triſtis Turcis fuit.

* Epiſt. ad Craton. de ſignificatione Cometarum.

CCCXVLII. & CCCXLVIII. *Anno Chriſti* 1506. *Stella crinita inter Arctον apparuit, mortem Alexandri deſignans.* Funccius.

Anno Chriſti 1506. *Cometæ duo apparuerunt, quorum primus* 11. *Aprilis per* 5. *dies viſus eſt, curſumque ſuum more Planetarum ab occaſu verſùs Orientem direxit. Alter in Auguſto inter Septentrionalem & Orientalem plagam propè Urſam minorem in Leone & Virgine conſpiciendum ſe præbuit. Hos (quamvis aliqui ultimum inter duos jam dictos tantùm ponant, apparuiſſe) mors Philippi Regis Hiſpaniarum ſecuta eſt, aliaque mala plurima tunc temporis in Italia. Imperator Maximilianus, Julius Pontifex, Ludovicus Rex Galliæ, Ferdinandus Rex Hiſpaniarum Confœderati bellum Venetis inferunt, bellumque hoc per decennium ab utraque parte duravit. Bellum à Sigiſmundo Rege Poloniæ, Baſilio magno Rege Moſcovitarum eſt illatum. Elector Palatinus Rheni, nomine Philippus, & Albertus Dux Bavariæ mortui ſunt. Peſtilentia dira in multis terrarum partibus eſt ſecuta, unà cum terræ motu maximo Conſtantinopoli. Bellum civile inter Bajazetum patrem & Selimum ejus filium, ſeditio inter cives Erfordienſes, & Senatum civitatis exorta eſt.* Rockenb.

Anno Chriſti 1506. *Cometæ bini annotantur hoc anno, primus apparuit* 12. *Aprilis, alter menſe Auguſto.* Calviſius ex Spang.

Anno Chriſti 1506. *Præceſſit Cometen, qui apparuit anno* 1506. *eclipſes Lunæ in Aquario, cum in oppoſito loco in Leone conveniſſent Sol, Saturnus, Jupiter & Mercurius. Et Lunam Mars ex trigono aſpexit. Deindè menſe Novembri ſecuta eſt conjunctio Saturni & Martis in Leone, à quibus diſcedens Luna mox acceſſit ad oppoſitionem Solis, aliquantò poſt fulſit Cometa, cum illæ præcedentes cauſæ materiam contraxiſſent & inflammaſſent. Secuta eſt mors Philippi Regis Hiſpaniæ, exarſit & bellum Venetum, in quo quàm variæ vices extiterint, quantis affecti ſint cladibus Itali & Galli, quæ regum fuerint defectiones, hiſtoriæ oſtendunt, & plerique adhuc meminerunt.* Milichius in Plin. l. 2. c. 25.

Anno Chriſti 1506. *circà Idus Septembris Cometa viſus eſt propè plauſtrum, verſùs Hiſpaniam comam ſpargens. Eodem anno die* 25. *Septembris obiit in urbe Burgarum Philippus Rex Hiſpaniarum, Maximiliani I. Imper. filius, anno ætatis* 28. *climacterico quarto, relinquens duos filios Carolum annorum ſex & Ferdinandum trium, qui uterque deindè ad Imperii faſtigium evecti ſunt.* Eckſtormius ex Buntingo.

Anno Chriſti 1506. *Cometa portendit mortem Philippi Regis Hiſpaniæ, filii Maximiliani Imperatoris, itemque bellum Maximiliani cum Venetis & Gallis: deniquè inundationes, ventos & annonæ caritatem.* Alſtedius.

CRomerus ſub ipſam victoriam Lituanorum de Tartaris ad Cleſcum Alexandrum Regem die 19. Auguſti mortuum eſſe ſcribit*. *Cujus obitum*, inquit, *Cometes paucis ante diebus ad Septentriones conſpectus portendit.* Linturius hoc anno inter alia phœnomena viſam ait *ſtellam ignitam, quæ ceciderit quaſi ſuper prætoriam, & verſa ceciderit ad montem Plaſſenberg & circa montem caſtri in Culmbach.* Editio Calviſii Lipſienſis hos Cometas in hunc annum rectè collocat, Francofurt. in præcedentem perperam. Hos, credo, Cometas ſimul viſos, alterum matutinum, alterum veſpertinum, multis diebus, diverſa latitudine, Scaliger exerc. 79. meminit, memorat. Leovitius poſterioris tantùm, qui menſe Auguſti apparuit, malignorum ejus effectuum ſecus quam meliorum, non oblitus. Ricciolius quoque hunc Cometen ex Prætorio, tanquam mortis Regis Poloniæ & Philippi prænuncium, annotavit. Ita eſt Alexandrum Regem Poloniæ hoc anno 19. Auguſti, lætum tamen, quia victorem de Tartaris Lithuaniæ in-

* Lib. 30. ſub fin.

vaſoribus ad Cleſcum cæſis, diem ſuum obiiſſe. Frater ejus Sigiſmundus menſis Octobris die 20. in Ducatu Lithuaniæ, & paulò poſt in regno quoque Poloniæ ei ſucceſſit. Adeòque novum hoc Principis, Sapientiæ & virtutum laudibus præclariſſimi imperium, artibus pacis conſpicuum, inter lætos Cometarum eventus referri poſſit. Nam, ut alia taceam, & vulnera ærario, (*a*) prodigalitate Alexandri inflicta curavit, & regni fines milite ſtipendiario munivit, & cum Duce Tartarorum Crimenſium fœdus percuſſit, promiſſo ei annuo 15000. flor. ſtipendio, hac lege ut ſibi in quavis expeditione bellica cum expedita militum manu adeſſet. Mortem Philippi Cuſpinianus (*b*), Bauſelinus (*c*) bellum Venetum diuturnum, Buntingus (*d*) Cometæ adſcribit. Idem alii recentiores faciunt. Ego verò præmaturum Principis illius exceſſum multiplicibus illis tot regnorum curis, ob quas, ut Strada (*e*) ait, nec otium ei erat, tùm & novitati (*f*) aëris nocivæ, & ſupra hæc, vi veneni, ſi Linturio ad ann. 1505. fides, adſcribendum arbitror. Niſi & Ferdinandi Soceri artes (*g*), prærepti ab obitu Iſabelæ conjugis Imperii cupidine, in proximos quoque & neceſſarios audacter graſſantes, hîc ſe exſeruerint. De quo nil certi habeo dicere. Linturium tamen de veneno dicentem audivimus: nec caret res exemplis. At verò hoc anno Vladiſlai Regis Hungariæ filius Ludovicus 2. natus eſt. Ideò quod Joannes Sambucus in append. Bonfin. de eo refert, natum Anno 1503. corrigendum eſt, ut annus 1506. reponatur. In hunc enim natales ejus referunt Scriptores (*h*). Non diſſimulo quidem & Dubravium (*i*) eundem cum Sabuco annum putare. Cum tamen ipſe Sambucus Stephani Broderith Procancellarii auctoritatem afferat, Ludovicum Anno 1526. ætatis viceſimo primo in illa triſti ad Mohacum clade cecidiſſe, clarè patet annum 1506. Ludovico fuiſſe natalem. Ita & hîc verum eſt, perpetuam eſſe in Principum quoque aulis legem illam, Oriri & Occidere. Bellum inter Sigiſmundum & Baſilidem non Cometæ, ſed ambitioſa Glinſcii, principatum Lithuaniæ affectantis ſeditio, Moſcicis armis adjuta portendit. Illud quoque inter Bajazetem & Selimum impia filii ambitio portendit. Illud verò inter Maximilianum & Venetos exortum Cometa quidem præceſſit, ſed non effecit, at potius nova nec ſimplex offenſa, negati armato Cæſari Romam petenti (*k*) tranſitûs, & ereptarum Cæſari, ut & Papæ & Gallo, quarundam urbium antiquis ſimultatibus, & inviſæ nimiæ Venetorum potentiæ, metui bellorum genitori addita. Hæc quidem ſunt illorum malorum Italicorum Politica portenta. Ethica verò ſunt ſolemnia Italis vitia, meritò portentis & monſtris comparanda. De his Auctorem paralipomenôn audi: *Ravennæ paulò antè* (bellum Venetum) *natum fuerat monſtrum, cornu in capite, alas habebat, brachia multa, pedem unum, ut avis rapax, oculum in genu, ſexum utrunque, in medio pectore Ypſilon & crucis effigiem. Aliqui interpretati ſunt cornu ſuperbiam: alas levitatem & mentis inconſtantiam: carentiam brachiorum, defectum bonorum operum: pedem rapacem, rapinam, uſuram & omnimodam avaritiam: oculum in genu, ſolùm ad res terrenas mentis deflectionem: utrunque ſexum, Sodomiam & propter hæc vitia Italiam ſic nunc bellicis contritionibus quati: Ypſilon verò & crucem ſigna eſſe ſalutis: nam ypſilon figura eſt virtutis. Ideò ſi ad virtutem recurrant, & ad Chriſti crucem, ab his tribulationibus liberabuntur.* Hæc ille. Quæ non immeritò hic repeto. Teſtor tamen me publici boni ſtudio cum omnibus Viris cordatis & probis improbos & ſceleratos arguere, hos ad repetendam, probos ad conſtanter terendam virtutis viam cæleſtium φαινομένων occaſione admonere. Deniquè ſi Cometes illud bellum portendiſſe dici poteſt, non minus & pacem paulò poſt ſecutam. Et hæc quidem poſteà novo bello rupta, ſed & hoc novâ pace compoſitum fuit. Ideò ille qui Cometam, Academiæ quoque Francofurtanæ læta attulit auſpicia. Lætis Georgii principis Anhaltini Erneſti filii, Annæ Joachimi I. Electoris Brandenburgici, & Sophiæ Henrici Pacifici Ducis Mecklenburgici filiarum natalibus proximus inclaruit. Sophiam frater Magnus intra biennium (*l*) ſecutus, qui poſt Friderici I. Regis Daniæ gener fuit, quo etiam anno Joachimus Georgius illius frater vitalem auram haurire cœpit. Tàm bello quàm pace

(*a*) Chron. Polon. & Florus Polon. in Sigiſmundo. (*b*) In Maximil. (*c*) Append. ad Naucl. (*d*) Chron. 1. part. (*e*) Lib 1. in Philippo 2. (*f*) Mut. Germ. Chron. l. 30. (*g*) Mariana. Chytræus. Thuanus l. 1. hiſtor. initio. (*h*) Funcc. Chytr. Bucholz. Calviſ. & alii. (*i*) Lib. 31. pag. 261. (*k*) Mutius l. 30. ad 1507. Vid. Paralipom. p. 337. Ritius, Serres, Petavius in Ludovico XII. (*l*) Auctor 14. tabb. Bucholz. ad 1509.

multa

multa tunc temporis gesta fuisse Auctor paralipom. Calvisius ex Chytræo narrat. Pacem triennalem hac tempestate Angliæ obtigisse Polydorus (*m*) auctor est. Is pariter, (*n*) ut & Serres (*o*) in hæc tempora confert nuptias Francisci I. Regis Galliæ cum Claudia Ludovici XII. filia, quæ Carolo V. desponsata, & à Ludovico Maximiliani expeditionem Italicam & Philippi filii ejus potentiam, Hispanica successione in immensum auctam, suspectam habente negata fuit. Quæ res (*p*) sponsalia Caroli cum Maria Henrici 7. Regis Angliæ filia conciliavit: quæ tamen postea, ut videbimus, Ludovico, (adeò lubrica sæpè Principum fides est, etiam in iis quæ sacramenti matrimonialis religione confirmantur) nupsit. Quod autem Alstedius ait hunc Cometen portendisse annonæ caritatem, hanc equidem ab auctoribus isti Cometæ, vel aliquot sequentibus usque ad ann. 1516. tribui non invenio. At verò Keckermannus (*q*), præceptor Alstedii, de isto Cometa scribit: *Cometam, qui apparuit Anno* 1506. *magna fœcunditas excepit, testibus historicis.* Ita & Thomas Erastus (*r*): *Annus*, inquit, 1506. *post duram hyemem optimus, & summâ omnium rerum vilitate celebris fuit: quam similiter felicitatem à Cometa, qui in Augusto conspiciendum se exhibuit, præostensam fuisse putarunt, qui tùm vixerunt.*

(*m*) Lib. 26. p. 614. (*n*) Ibid. p. 615. (*o*) In Ludovico XII. (*p*) Polyd. l. d. Funccius ad 1507. (*q*) Syst. Phys. l. 6. c. 5. (*r*) De significatione Cometarum initio.

CCCXLIX. *Anno Christi* 1510. *Cometa apparuit, ex quo lapilli quidam Sulphurei & fœtidi deciderunt, sicut Cardanus narrat.* Keckermannus System. Phys. lib. 6. cap. 5.

SImilem huic Comitam suprà ad annum 1200. ex eodem Keckermanno attulimus. Is tales Cometarum partes excretiones & recrementa Cometarum vocat. Hoc anno rex Castellæ in Africâ variam, Portugalliæ Rex in India, occupatâ Goâ, urbe commerciis celeberrima, prosperam expertus est fortunam. Multa dehinc inter Pontificem Romanum, qui tunc Julius 2. celebris ille bellator erat, (cujus, ut & Ludovici XII. ingenium certiùs quàm ulla Cometæ apparitio vel Planetarum superiorum conjunctio, bella in orbe Christiano portendit) Maximilianum Imperatorem, Ludovicum XII.* Regem Galliæ & Venetos bello paceque, prout cujusque rationes ferebant, gesta sunt. Eodem illo anno, quo visus est Cometa, natus est Franciscus, Henrici Junioris Ducis Brunsuicensis filius, & Elisabeta Joachimi 1. Electoris Brand. filia, quæ Erico Seniori Duci Brunsuicensi nupsit; tùm Catharina Alexandri Comitis Palatini filia, Ludovici illius Bipontini soror. Eodem anno Elisabeta, Friderici illius Anspacensis, numerosâ prole clarissimi, Marchionis Brandenb. filia Ernesto Marchioni Badensi, Maria verò Wilhelmi Juliacensis & Bergensis Ducis filia Joanni 3. Pacifico, D. Clivensi, vinculo connubii juncta fuit.

* Paralip. p. 337. Mutius ad 1507. & seqq. Ritius, Serres, Petav. in Ludov. XII. confer. Bemb. Hist. Venet.

CCCL. *Anno Christi* 1511. *Cometa in Ægypto, Arabia & Æthiopia aspectu terribilis apparuit à* 30. *Maji usque ad* 3. *Julii in Signo Leonis flagrans. Hunc tempestates maximæ sunt secutæ, Julius Pontifex moritur, ac in locum ejus Leo X electus est. Episcopus Spirensis, Joannes Rex Sveciæ, Archiepiscopus Magdeburgensis, Jacobus Rex Scotiæ moriuntur; clades maxima inter Sigismundum Regem Poloniæ & Ducem Moscoviæ facta est, in qua* 40000. *Moscovitarum propè amnem Boristhenem perierunt: Strages magna in Italia facta est tùm inter Selimum Imperatorem Turcicum & regem Persiæ, Sophi dictum, in qua multa millia Persarum, Armeniorum, Assyriorum interfecta sunt. Constantinopoli dira lues multa millia hominum perdidit. Coloniæ seditio inter Senatum civitatis & subditos orta est. Capitaneus à Fronsberg, Georgius dictus, multa millia Venetorum non procul à Vincentia interfecit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1511. *Conspectus est Cometa in Leone, ut annotavit D. Herlicius. Sequenti*

anno

anno die Paſchatis facta eſt cruenta iſta pugna ad Ravennam, quâ Julius II. Pontif. Rom. conflixit cum Ludovico XII. Rege Galliæ. A parte Pontif. cecidiſſe referuntur ad 16. hominum millia. Eodem die & anno Selymus factus eſt Turcarum Imp. Bajazethe patre podagrâ decumbente, & annos 74. habente, veneno per medicum ſublato. Eckſtormius ex Jovio.

Anno Chriſti 1511. Sueſſanus Scaligeri præceptor commemorat, anno 1511. in Lombardia Cometam inſtar ignei pavonis per aëra volitaſſe, è quo, cum evanuiſſet, tres lapides ſulphurei deciderint, horum primus 160. libras, alter 60. libras, tertius 20. libras pondere æquavit. Keckermannus Syſt. Phyſ. l. 6. c. 5. p. 890.

DUrationis Cometæ hujus à fine Maji ad die 111. Julii Fabricius meminit. Similem Cometam excrementa quædam fœtida dejicientem proximè vidimus. Eventus Cometæ triſtes tribuunt Auctores, lætorum tùm & genuinarum cauſſarum bellorum obliti. Scio & plures Principes illâ tempeſtate obiiſſe, ac bella geſta eſſe. Quis enim annus ſinè talibus in orbe dari poteſt? At videamus annon aliquorum Principum nuptiæ vel natales, fœderum & pacis ſanctiones hanc jacturam reparârint? Natalis iſte annus fuit Henrico Henrici 8. Regis Angliæ ex Catherina Hiſpana nato, & Margarethæ filiæ Joachimi 1. Electoris Brandenburg. lætus autem Alberto Marchioni Brand. præfecturam Ordinis Theutonici in Pruſſia, Ludovico El. Palatino Sibyllam Alb. Ducis Bavariæ filiam & Udalrico Duci Wirtemberg. Sabinam alteram ejuſdem Alberti filiam uxorem, tùm Joanni illi Pacifico Duci Clivenſi, à ſocero Ducatum Julium & Montanum cum Comitatu Ravenſburgico amplam dotem accipienti, idem annus fuit.

CCCLI. & CCCLII. *Anno Chriſti 1512. Cometa viſus menſe Martio & Aprili coloris ſanguinei, ſucceſſitque illi nex Bajazetis, & anno ſequenti mors Julii 2. Pontificis & bellorum vis magna, ut narrat Petrus Surdus.* Ricciolius.

Anno Chriſti 1513. viſus Cometa à fine Dec. uſque ad 19. Febr. anni ſequentis, variis coloribus & cauda oblonga, quæ à fine Cancri uſque ad finem Virginis excurrit, & videbatur totâ nocte. Ergo Franciſcus Rex Galliæ venit in Italiam & ſecuta bella varia. Ricciolius.

DE his, ut puto, ſcribit Neuhuſius l. 11. c. 6. *Europa poſt anni 1512 & 1514. flagrantes Cometas, magnis bellorum tumultibus, hominum ſtrage, regionum vaſtitate, miſerrimè vaſtata fuit.* Viſis his Cometis varia itidem viciſſitudinis rerum argumenta videmus. Joannes ille, qui felici connubio Juliam & Cliviam junxerat, mox anno vertente Sibyllam filiam genuit, cujus natales meritò his Cometis ſubjicio: tùm & illos Joannis Erneſti, Friderico 3. Electore Saxoniæ nati eodem Anno 1512. proximo autem Joannis Prudentis Joachimo 1. Electore Brandenb. ſati, Annæ Uldarici Ducis Wirtembergenſis filiæ, & Philippi Ducis Mecklenbergenſis. Prætereundæ mihi hic non ſunt aliquot victoriæ, non poſtrema viciſſitudinis rerum documenta. Anno namque 1513. Helvetii, duce Motinio, de Gallis, Maximilianus Imperator, duce Rudolpho Principe Anhaltino, de Venetis, Angli de Scotis invaſoribus, & de Gallis ſimul, Poloni, ducibus Nicolao Camienjecio (qui paulò antè Valachos aggreſſores ultus ad pacem petendam coëgerat) & Conſtantino Oſtrogio, Summis militiæ Regni & Lithuaniæ Præfectis, memorabilem de Tartaris reportarunt victoriam, ita ſcilicet ut ſex millia militum pro patriis focis & aris pugnantium 24. barbarorum prædatorum millia profligârint. Idem ille Oſtrogius Dux proximo anno eductis 17. millibus Poloni millibus, 80. millia Moſcorum, injuſta arma in Polonum nomen ferentium, ad Orſam vicit, ita ut hanc Orſenſem victoriam Cromerus celeberrimam & cum omnibus ferè omnium gentium atque ſeculorum victoriis comparandam judicet. Idem annus victoriâ Turcarum de Perſis inclaruit. Lætis horum Cometarum eventibus ac-

cen-

cenſendæ ſunt & nuptiæ Franciſci Ducis Valeſiorum, Ingoliſmenſcium Comitis (a) cum Claudia Ludovici 12. filia & hærede, per quod matrimonium & jus ſanguinis, proximus enim Ludovico agnatus erat, eidem paulò poſt mortuo, in regno ſucceſſit, & pax inter Henricum 8. & Ludovicum XII. inita, & hujus matrimonio cum illius ſorore Maria ſancita. De illo ad Ravennam commiſſo prælio, quod ad proximum Cometam Eckſtormius retulit, hîc potius memorandum, cum inter hos Cometas evenerit, audiendus paulùm Serres eſt, Scriptor ingenuus & prudens. Is quidem uberiori ſtilo hæc proſequitur. Nos paucis rem expediemus. Cum poſt annum 1500. (b) iniquiorem fortunam in Italia experti eſſent Galli, eandem inito ad Cameracum Anno 1509. cum Cæſare & Pontifice Romano contra nomen Venetum fœdere faventiorem experiri cœperant. Indè cum ultrà alios ſucceſſus Bononiam & Brixiam occupaſſent, & Alfonſum Ferrariæ ducem, Pontificis clientem premerent, inter hæc Veneti à Pontifice pacem peterent, is haud ægrè in fœdus & bellum adverſùs Francos conſenſit. Adeò tunc proſperi, quibuſdam verò etiam graves Gallorum in Italia ſucceſſus Pontificis & aliorum Italiæ, ſed & quorundam exterorum Principum invidiam & infeſta nomini Gallico fœdera, tandem ſecuta belli mala portenderunt. Ita verò tunc ipſa quoque Aula Romana ſtudiis partium laborabat, ut quidam Cardinales Piſis convocato Concilio, mox Mediolanum tranſlato, dignitatem Pontificiam (c) Julio abrogârint, & in illo ad Ravennam prælio, inter Duces Regis (d) Cardinalis S. Severini, inter Pontificios Mediceus, ille ſagô, hic togâ indutus, fuerit. Atque hæc odia ad extremum creverant. Ludovicus enim eouſque progreſſus eſt (e), *ut ſpretis multis multorum, quibus alioqui plurimùm tribuebat, ſuaſionibus, moribundi ſenis inaneis diras contrariâ obnuntiatione generoſè revicerit, cuſo etiam Neapoli aureo nummo, qui effigiem ſuam ex una parte, & inſignia Neapolis ac Siciliæ ex altera referebat, cum hoc elogio: Perdam Babylonis Nomen; quales adhuc hodiè multi reperiuntur.* His turbis pax cum Pontifice, ſed ſimulata, ſucceſſerat. Nam & Helvetios Ludovico ob cæſum Legatum & negatum Helvetiis caſtra ejus ſequentibus majus ſtipendium infenſos, in ditionem Mediolanenſem Julius accerſiverat, & per eos Ducatum illum Sfortiis reddiderat. Sed & Anglus ejus gratiâ Gallum Italico bello diſtractum adortus erat, & Chriſtianiſſimi titulum auctoritate Concilii Lateranenſis acceperat, ita ut hæc odia niſi cum Julio tolli non potuerint. Hujus bellorum inventoris & incentoris mortem; quæ Anno 1513. evenerat, remotis bellorum jam ante inchoatorum obſtaculis, pax in orbe Chriſtiano excepit. Gallus cum Aragonio inducias, cum Anglo, ut paulò ante diximus, pacem pepigit. Hanc & ſucceſſor ejus Franciſcus confirmavit, & Helvetios memorabili prælio fractos ad pacem petendam perduxit. Ita tandem & inter Imperatorem, Venetos & Gallos pax optata Anno 1516. coaluit, quæ tamen ad proximum potius Cometam referenda eſt. Inter hæc & Anno 1513. Brunſuigi & Coloniæ ſeditiones & 1514. in Friſia belli motus compoſiti fuerunt. Adeò multùm in Pontifice pacis & juſtitiæ artibus dedito ſitum eſt.

(a) Thuan l. 1. (b) Guicciard. 6. (c) Sleidan. l. 2. Calviſ. ex Mariana ad 1511. (d) Serres in Ludovico XII. (e) Thuan. lib. 1.

CCCLIII. *Anno Chriſti* 1515. *in Italia Cometa Lunæ naturam referens, intraque breve temporis ſpatium* 12. *ſigna percurrens, viſus eſt. Hunc maximæ ſunt mutationes ubique ſecutæ. Ludovicus rex Galliæ, Vladiſlaus Rex Hungariæ & Archiepiſcopus Colonienſis mortui ſunt. Turci Ungariam invadunt. Inundationes maximæ ſunt ſecutæ, quæ domos, agros, prata mirum in modum devaſtarunt. Peſtilentia in Saxonia, Thuringia, Miſnia ſæva per biennium graſſata eſt, ita ut tertia pars hominum vix ſuperſtes manſerit.* Rockenbachius.

ISte ipſe annus, quo Cometa noſter viſus eſt, Gallorum de Helvetiis* (adeò belli fortuna momento alternat) victoriâ celeberrimus fuit. Idem lætitiam inſignem no-

*Chron. Bavar. Bunting. Serres & Petav. in Franciſco I.

mini

mini Christiano peperit. Convenerunt Viennæ Maximilianus Imp. † Sigismundus Poloniæ & Vladislaus Hungariæ ac Bohemiæ Reges, ubique lætis mutuæ benevolentiæ officiis inter se certarunt. Tunc verò ‡ Ludovico Vladislai filio Maria Philippi I. filia, Caroli V. soror, vicissim Anna Ludovici soror Ferdinando Philippi filio, Caroli & Mariæ fratri desponsata fuit. *Carolus* verò *Lovanii* (*a*), *quemadmodum pater, avus & proavus fecerant, celebratis conditionibus & statutis, ac observandorum privilegiorum facta confirmatione, Brabantiæ principatum suscepit, non unius tantùm urbis, sed & provinciarum gaudio incredibili.* Hoc quoquè anno Joannes Laski Archiepiscopus Gnesnensis Româ revertit, & sibi ac successoribus suis Legati nati & primi Regni Principis titulum attulit. Inter hæc læta Regis Sigismundi animum, Glinscii in Lithuaniam irruptio & Smolenscii ereptio, non leviter afficiebant, & ad masculam virtutem ac industriam exserendam assiduò incitabant. Idem de Tartarorum iterata irruptione dicendum est, quæ invasoribus damnosa, Sigismundo glorioſa fuit: Hic facilè quivis portenta bellorum præter Cometarum crines videt. Sed effectus Cometæ, quos ei Rockenbachius tribuit, ex vicina videamus. Tacitè namque hæc præterire, salvo veritatis indagandæ studio, nobis non licet. Quæcunque tristia huic Cometæ Rockenbachius tribuit, ea non necessario ad eum referenda esse, toties demonstravimus, nisi simul & læta eodem jure & modo ad eundem referre velimus. Hic enim annus, ut illis Principibus à Rockenbachio nominatis, aliisque quos nominare possem, & tabulæ genealogicæ monstrant, fatalis, ita & natalis non paucis fuit. Atque hùc pertinent exempla, Christophori Pacifici Ducis Wirtembergensis, literis & armis clarissimi; tùm verò Friderici 3. Electoris Palatini, (qui Serenissimi Caroli Ludovici, Septemviralem illam dignitatem magna cum laude tuentis, abavus fuit) & Philippi Ducis Pomeraniæ & Mariæ, quæ itidem Friderico illo Saxone genita fuit, tùm Annæ Wilhelmi Ducis Juliacensis filiæ, quæ postea Henrico 8. Regi Anglorum nupserat, & Margaritæ Henrici Pacifici Ducis Mecklenburg. filiæ. Hoc quoquè anno Henrici Ducis Brunsuicensis, Henrico Seniore creti, nuptiæ cum Maria Henrici Ducis Wirtembergensis filia, celeberrimi verò illius Uldarici sorore celebratæ sunt, ut aliorum Virorum præclarorum nuptias & natales & res prosperè gestas taceamus.

† Dubr. l. 32. p. 264. Bohem. Piæ l. 7. c. 2. p. 754. 757. ‡ Mut. l. 31, initio. Paralip. p. 341. Append. Sambuci ad Bonfin. (*a*) Paralip. ibid.

CCCLIV. *Anno Christi* 1516. *Cometa per aliquot dies paulò antè mortem Ferdinandi Regis Hispaniarum apparuit. Post hunc Franciscus Dux Valensis* (lege, Valesius, Rex Galliæ) *bellum in Italia movit, postquam autem per Alpes in Italiam venit, Helvetios ope Venetorum vicit, magnaque strages facta est. Hollandia miserè à Gelrensibus, sicut & Italia à Gallis devastata est. Lutherus indulgentias Papæ anno sequenti refutat, penuriaque magna panis, vini aliarumque rerum ad sustentationem vitæ pertinentium fuit. Terræ motus circà Norinbergam, & turbines ventorum maximi orti sunt, magnaque hominum multitudo febri ardenti periit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1516. *Apparuit Cometa. Secuta est magna annonæ caritas. Obiit Ferdinandus Rex Hispaniarum, Caroli V. & Ferdinandi Imperatorum avus maternus. Obiit etiam eodem anno Ladislaus Rex Hungariæ. Hoc anno, mense Augusto Selimus Imperator Turcarum Ægypti, Sultanum Campsorem acerrimo prælio vicit.* Eckstormius ex Ebero & Paulo Jovio.

Anno Christi 1516. *Cometam secuta est reformatio per Lutherum, qui scripsit contrà indulgentias anno* 1517. Alstedius.

SIfardus quoque hunc Cometam cum aliquot tristibus eventibus annotat, quibus Lutherianismi sui initia, quæ dubio procul inter læta & felicia ponit, accenset. Francisci prælium Marianum cum Helvetiis commissum, & bellum Italicum, ac pacem quæ utrumque secuta è vestigio est, jam vidimus: ut & illam exoptatam inter Carolum, Gallum, Pontificem, & Venetos sancitam. Mores populorum bella, hæc pacem tandem

dem (multo tamen ſanguinis humani impendio emtam, quæ utinam ſemper juſtitiæ & prudentiæ artibus parari poſſet!) attulerunt. Ferdinandi Aragoniorum ultimi funeri & illud Vladiſlai Hungariæ & Bohemiæ Regis adjungamus licet. Sed non deſunt nobis & natales Principum, qui hunc annum inſignem & lætum reddiderunt. Wilhelmus enim Juliæ & Cliviæ Dux, tùm & Maria Henrici 8. Regis Angliæ filia hoc anno vitali aura frui cœpit. Hic quoque annus lætus auſpiciis Caroli V. in regnis Hiſpaniarum & Ludovici in regno Hungariæ (quam quidem quietam uſque ad cladem Mohazianam, quæ anno 1526. contigit, fuiſſe Bakſchajus (*a*) tradit) tùm inventione argentifodinarum in valle Joachimica extitit. *Ferdinandi morte*, inquit Magnus Thuanus (*b*), *cum res omnis ad Carolum nepotem rediiſſet, rurſùs pax inter duos potentiſſimos Reges Novioduni, quantumvis diſſuadentibus Maximiliano avo & Leone, confirmata eſt: facta & ſpes matrimonii contrahendi inter Carolum & Renatam, alteram Ludovici filiam, cùm primùm per ætatem liceret. Actum & de regni Navarreni reſtitutione. Nec multò poſt Cæſar cum Franciſco & Senatu Veneto pacem fecit.* Alia ut taceam, à Proteſtantibus Scriptoribus reformatio religione per Lutherum facta, quæ huic Cometæ ſucceſſit, inter lætos ejus eventus dubio procul reputabitur. Verumtamen is rem tantam non portendit, at potius illa Aulæ Romanæ avara licentia, de qua Illuſtriſſimus Thuanus, (*c*) incomparabilis candoris Scriptor, hæc literis mandare non dubitavit. *Cùm alioqui ad omnem licentiam ſponte* (Leo X. Pontifex Romanus) *ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulſu, ut pecuniam ad immenſos ſumptus undique corrogaret, miſſis per omnia Chriſtiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus eſt, conſtituto pretio, quod quiſque pro peccati gravitate penderet: in eamque rem per provincias quæſtores & æraria ordinavit, quibus additi præcones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificioſè compoſitis, propoſitiſque palàm libellis rei efficaciam immoderatè extollerent. Quod licentioſè nimis à Pontificiis miniſtris paſſim atque in Germania præcipuè fiebat, ubi, qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per luſtra & popinas cottidie ſinè pudore in aleæ luſum uſuſque turpiſſimos, poteſtatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Auguſtinianus, Vitembergæ in Saxonia Theologiam profeſſus, qui refutatis primùm, mox damnatis præconem concionibus eò poſtremò devenit, ut ipſam Pontificis poteſtatem, quam ſibi per illa deplomata arrogabat, in dubium revocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam ſucceſſu temporis labefactatam dicebat, creſcentibus per contentionem animis, deſcenderet.*

(*a*) In Ludovico. (*b*) Lib. 1. p. 7, 8. (*c*) Lib. 1. hiſtor.

CCCLV. *Anno Chriſti* 1517. *apparuit Cometa in Leone, quem ſecuta eſt magna annonæ difficultas Conſtantinopoli, in Italia & Germania. D. Herlicius. Selimus Imperator Turcicus Hieroſolymam occupavit: Alcairum Ægypti urbem expugnavit, & Tomumbejum Circaſſum ultimum Sultanum Ægyptiorum à ſuis proditum, mulæ impoſuit, & laqueo de collo pendente per totam urbem circumductum, tandem gulâ laqueo fractâ, ad portam Baſuelam unco ferreo ſuſpendi juſſit.* Eckſtormius ex Paulo Jovio.

HUc læta illa pertinent, quæ Laudatiſſimus ille Hiſtoricorum noſtri ſeculi Thuanus de pace cum Venetis & Helvetiis confirmata ſubjicit, addens & Italiam tunc in pace conſtitutam fuiſſe, niſi Pontifex Ducem Urbini fuiſſet aggreſſus. Quæ tamen controverſia etiam paulò poſt ſopita eſt. Victoriæ & gentium ſubjugationes viciſſitudinis rerum ſunt documenta, huic quidem triſtia, illi verò læta. Turcarum adverſùs Chriſtianam gentem progreſſus, illis læti, nobis eheu! triſtes, ejuſdem generis ſunt; nec Cometarum ſed vitiorum noſtrorum portenta hæc prænunciârunt, & adhuc prænunciant. Non ſum neſcius Paulum Jovium quoque, quem Eckſtormius allegat, Virum ſtilo bonum gravemque, & planè ad hiſtoriam, judicio ac fide, judice Lipſio *, ambiguum, vulgari de ſignificatione Cometarum ſententiæ plus quàm

* Notæ ad Polit, l. 1. c. 9.

par

par erat indulsisse. Is tamen † hoc anno Mariam, Henrici 8. Regis Angliæ sororem, Carolo Brandonio Suffolciæ Duci, Funccius verò Bonam Sfortiam Sigism. 1. Regi Poloniæ lætis nuptiis copulatam fuisse testatur. Hunc annum Gaspari Colinio Castellonio, Franciæ Architalasso, Viro Inclyto, natalem fuisse, comperio: nec non Æmiliæ Wilhelmi illius Juliacensis (cujus natales proximè, sororum verò paulò ante vidimus) sorori. Hanc quidem Auctor 14. tabb. geneal. omisit. Sed Lucius Veronensis in Successione Genealogica Juliacens. posuit. Ne quid de læto natali Francisci Delphini, Francisco 1. Rege Galliæ geniti dicam, quem paulò post acerba Regii hujus infantis mors excepit. Sed & novus anno vertente Henrici 2. natalis. Eodem anno Georgius, Friderici 3. Electoris Palatini frater, præcedente paulò antè sorore Elisabethâ, tùm Margaretha, Frid. 3. Electoris Saxoniæ & Catharina Henrici Pacifici Ducis Mecklenburg. filia, vitæ exordium fecit. Ut taceam aliorum Principum natales, quos hæc tempestas tulit (Mariæ Margarethæ nempe, Casimiri Marchionis Brand. filiæ, quæ postea Frid. 3. Electoris Palatini uxor, sereniss. Elect. Palatini abavia fuit, Joannis Friderico 3. Electore Saxoniæ geniti aliorumque) annus vicesimus suprà decies & quinquies centesimum nos ad se vocat. Is enim Principem egregium Sigismundum 2. Regem Poloniæ Kal. Augustis, undè ei Augusti cognomen datum, rebus dehinc bello paceque feliciter gestis confirmatum, protulit. Idem Friderico 3. Duci Lignicensi & Brigensi natalis, at Selymo Turcarum Imperatori fatalis fuit. Huic tamen in illo loco, in quo ante annos 9. cum patre de imperio acie decertaverat, impietas potius quàm Cometa exitium portendit. Inter hæc reformatio per Lutherum, ut Eckstormius memorat, *institui cœpta*. Ego tamen hæc ad Cometam non retulero. Imò verò indulgentiarum *abusum à Polydoro* (*a*) & Laurentio Surio, rerum Pontificiarum scriptore celeberrimo, *tùm & à* Thuano (*b*) laudato & semper laudando, notatum, hos motus *portendisse & attulisse* veri certus affirmo. Quid si alias Ecclesiæ corruptelas, quarum *correctionem* Uldarici, Guntheri, Tethgandi, Luitperti, Arnulphi, Tyrii, *Eberhardi*, Damiani, Alliacenses, Alvari, Episcopi, Archiepiscopi, Electores & Cardinales, minorum gentium Pontifices ut taceam, desiderarunt, in medium proferre & excutere *vellem*, nonne certum sententiæ meæ appareret? Sed hæc alius sunt fori. Nos ad Cometæ nostri eventus redeamus. Secuta è vestigio apparitionem ejus pax à Gallo cum Helvetiis (*c*), Anglo & Hispano confirmata, Helvetiis sociis annuo stipendio decreto, Anglo pro restitutione Tornaci pretio soluto, Hispano filiâ secundo genitâ in matrimonium promissa. Hâc ratione & induciæ Venetorum cum Cæsare in quinquennium prorogatæ. Tot & tàm felicia pacis studia, belli (*d*) inter Christiernum Regem Daniæ & Suecos hoc anno, quo visus est Cometes, gesti, motum abundè pensarunt. Cui tamen sopiendo media idonea & progressus læti non defuerunt, si res benè cœpta, imò & pacis sanctione Anno 1520. perfecta, stabilis permansisset. Mortem Maximiliani ferè sexagenarii, (*e*) non, ut Auctor Paralipomenôn Ursperg. putat, ann. 63. agentis, auspicia Caroli (*f*) nepotis pensarunt, licet & his, ut sunt cuncta humana, nec impedimenta, nec incommoda sua defuerint. Conflata verò & anno 1519. erant bella haud ignobilia, Wirtembergense & Hildesiense. Sed hæc solemnia illa vitiorum portenta citrà Cometas, & exitum tandem quietum habuerunt, ne quid dicam illas pacis sanctiones Cometæ fuisse multò viciniores. Fatigabat hâc tempestate & Prussiam bellum (*g*) inter Sigismundum I. & Albertum Ordin. Theutonici Magistrum gestum. Sed hoc anno illo læto, quo Rex filium suscepit, quadriennalibus induciis diremtum, & tandem, ut videbimus, compositum est.

† Chron. Reg. Angl. (*a*) De inventor. rerum lib. 8. cap 4. p. m. 622. (*b*) Hist. l. p. m. 8. Vid. Sleid. lib. 1. & 13. (*c*) Thuan. l. 1. (*d*) Munster. l. 4. c. 26. (*e*) Sleid. l. 1. Calvis. Samb. append. Onuphr. Vid. Calendar. ad. Eberi. Bunting. ad 1459. & 1519. Bucholz. ad 1519. Cuspin. in Maximil. (*f*) Sleid. l. 2. (*g*) Sleid. l. 3.

CCCLVI. *Anno Christi* 1521. *Spectabilis fuit Cometes mense Aprili in fine Cancri, breves crines habens, clarus & Lunæ dichotomæ similis, succedentibus bellis contra Pontificem Romanum & morte Leonis X quæ incidit in* 1521. Ricciolius.

Kecker-

KEckermannus quoque hunc Cometen ex Lavatero annotat. Is cum medio quoque cælo, atque adeò sub ipso æquatore, Cometas generari, aut hæsisse saltem putet, id hujus quoque Cometæ exemplo probat. Gravius (*a*) de magnitudine Cometarum disputans, hunc Cometam pariter auctoritate Riccioli memorat. Sifardus nullis annotatis Cometæ circumstantiis, eum in ann. 1520. ponit. Quod ego huic nostro tribuo. Bella adversus Pontificem infrà videbimus. Illud verò hac tempestate ab eo Gallis illatum, antè & citrà Cometam *innata vanitas* (*b*) *& perfida ambitio, & Mediolani Gallo ac Ferrariæ Alfonso Atestino eripiendi, tum Placentiæ & Parmæ, quæ à Gallis tenebantur recuperandarum, cupido*, sublatô morte Laurentiô Leonis Nepote, Francisci I. ductâ Magdalenâ Turria Bononiensi adfine, benevolentiæ pignore ac velut ruptô concordiæ vinculô, portendit. Portendêre profectò, hæc & alia plura ejusdem generis, mortem Leoni, veneno, ut plerique (*c*) consentiunt, vel immenso & insolenti (*d*) receptis Mediolano, Placentiâ & Parmâ, urbibus illustribus, de quibus certamen erat, gaudio (quod nimio cordis motu calorem, vitæ fontem subtrahere & exanimare non paucos experientia testatur) accersitam. Portendit & Albæ Græcæ expugnationem, quam huic Cometæ Sifardus tribuit, quadrimestri ab eo remotam, non tantùm barbari & ferocis & potentis & simul prudentis & vafri vicini (qualis Solymannus erat) potentia, & innata imperii proferendi cupido, sed & legati ejus, quem ad Ludovicum de inito ab se imperio certiorem eum reddere volens miserat, violatio ab Hungaris facta. Portenderunt & illud inter Carolum V. & Franciscum bellum annis 38. inter dubias inducias gestum, non hujus vel aliorum Cometarum crines caudæque, sed illa potius sueta ambitionis & invidiæ ex morte Maximiliani Cæsaris natæ portenta. Hæc digito monstrat Thuanus (*e*) & Serres (*f*) nobilissimi & fide dignissimi (utpote qui res omnium magna ex parte gentium gratiâ & odio procul literis mandârint) Gallorum historici: quorum, ut & Stradæ, aliorumque nonnullorum recentiorum scriptorum auctoritate, absolutâ Trithemii, Polydori, Taraphæ, Sabellici, Bonfinii & Dubravii lectione, in posterum nobis utendum erit. Mihi hæc in præsens innuisse saltem sufficiat. Hic verò etiam annus, quo visus est Cometes, ultimus fuit aurei seculi, quod tunc in Portugallia, auro ex detectis & occupatis pluribus novi orbis Insulis, auri aliarumque rerum pretiosarum divitibus abundante, fuisse (*g*) scribitur. Cæterùm hoc quoque anno Joannem Friderici I. Regis Daniæ, Mauritium Electoris Saxoniæ Henrici Pii filium, Richardum Friderici 3. Electoris Palatini fratrem, Joannem Ernestum Friderici 3. Electoris Saxoniæ filium, & alios Principes in lucem editos invenio. Ludovicus Rex Hungariæ, Mariam (*h*) Ferdinandi Archiducis Austriæ, & iste illius sororem matrimonio sibi eodem anno junxit: Henricus verò 8. Rex Angliæ (*i*) ob librum pro fide Catholico-Romana Luthero oppositum, *fidei defensoris* titulo à Pontifice Leone decoratus est.

(*a*) Disp. de Comet. th 8. §. 1. (*b*) Thuanus l. 1. pag. m. 8. Serres in Francisco I. (*c*) Paralip. Ursperg. pag. 349. Thuanus, Bucholzerus, Calvis. & alii. (*d*) Serres in Francisco I. (*e*) Hist. l. p. 8. (*f*) In Francisco I. (*g*) Calvis. ad 1521. (*h*) Dubrav. l. 33. p. 268. Bakschai in Ludovico. (*i*) Sleid. l. 3.

CCCLVII. *Anno Christi 1522. Cometa versus occasum Solis apparuit, naturam Jovis referens. Hunc pestilentia dira, tempestates, caritasque annonæ maxima sunt secutæ. Insula Rhodus à Turca Solymanno mense Januarii capitur, Comitiaque Noribergæ celebrantur, in quis Legati Regis Ungariæ auxilium ab imperio contra Turcam appetunt.* Rockenbachius.

FAmem & pestem à bello sæpè, hoc semper à vitiis hominum portendi & præsignificari, toties diximus, demonstravimus. Rhodiensium securitas & superbia, cladem eis magis quàm Cometa portendit, ut taceam alia divinæ justitiæ Christianorum scelera per barbarorum irruptiones vindicantis arcana. Bellum Holmiense hoc anno dubiâ fortunâ agitur, ut & Hildesiense, quod induciis in sequentem annum distinctum. Huic anno Albertus Junior Marchio Brandenburgensis Alcibiades

Germanicus dictus, tum Severinus Mauritii & Augusti Electorum Saxoniæ frater natu medius, natales suos debent. Hunc quoque annum lætus Caroli V. & Henrici VIII. potentissimorum Principum affinitate junctorum conventus, Londini habitus insignivit: nec non lætissima (*) & magnificentissima Ludovici Regis & Mariæ ejus uxoris Pragæ coronatio.

(*) Dubrav. l. 33. pag. 269. Bohem. Pia l. 7. c. 3.

CCCLVIII. *Anno Christi* 1523. *Cometa apparuit, hunc tempestates, terræ motus, tonitrua, inundationes maximæ sunt secutæ, cælumque fulminibus in terram lapsis ardere visum est. Ruptura quoque nubis jam facta, tanta inundatio secuta est, ut lapides ex montibus pondere* 600. *centenariorum omninò cum domibus & castellis* 15000. *& 53. cumque innumerabili multitudine hominum, pecorum armentorumque per milliaria* 32. *Italica avexerit. Seditio rusticorum anno sequenti orta est, in qua spatio* 4. *mensium ultrà* 100000. *rusticorum perierunt. Franciscus à Sikingen movens bellum Episcopo Trevirensi, mox pulvere bombardario interficitur. Rex Galliæ Ducatum Mediolanensem devastat, sed ante Paviam civitatem Anno* 1525. *capitur, & magnam stragem patitur. Eclipses quoque Lunæ duæ in Virgine & Piscibus conspectæ sunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1523. *Apparuit Cometa, quem secuta est æstas plena cataractis nubium, terræ motibus, variisque tempestatibus. Anno* 1525. *exortum est bellum Rusticorum, & Gallus captus à Carolo V.* Alstedius.

SIfardus quoque ad hunc annum notat Cometam, eique pariter non pauca adversa, & inter hæc infelix captivitate Francisci I. ad Paviam & Mohatzense cæde Ludovici prælium tribuit. Belli Hispano-Gallici portenta vidimus. Hungarici non alia erant, ambitio scilicet & arrogantia Solymanni, & post acceptas à Parthis clades, tyronum bello durandorum & veteranorum præmiis Hungaricis cumulandorum cupido. Adhæc desidia Hungarorum in alto otio, & discordia non tantùm Hungariæ, sed & potioris tunc orbis Christiani partis res magis magisque labefactans. Hæc gravi stilo Joannes Sambucus (*a*) prosequitur: tùm apud eum Stephanus Broderith (*b*) regni Hungariæ Procancellarius, Vir illustris & in Republica versatus, ac Regis in illa expeditione Comes. Hoc anno Fridericus Dux Holsatiæ contra Christianum 2. Regem Daniæ patruum suum, cujus crudelitatem nec Sueci electo contra eum Gustavo I. nec ipsi Dani ferre poterant, vocatus, regni gubernacula accepit, eaque decem annis in alta & alma pace, reformatione ecclesiarum institutâ, & libertate nobilium, auctâ, magnâ cum laude tenuit. Ita hic annus utrique illi genti nobilissimæ lætis novorum Principum auspiciis insignitus est. Tum verò & natalibus Annæ filiæ Sigismundi I. Regis Poloniæ (quæ posthac Stephano Batthoreo Principi Transylvaniæ in Regem Poloniæ electo nupsit) & Cunigundæ, Casimiri Marchionis Brandenburg. filiæ. Francisco illi à Sickingen (*c*) (cujus amici sui toties meminit Lutherus) temeraria bellandi cupido exitium portendit. Undè rectè Leovitius (*d*): *Franciscus Sickingus sibi fata acceleravit bello illato Treviris.* Franciscum I. captum paulò post videbimus, ut & bellum illud rusticorum, cum viciniorem utrique Cometam, à Rockenbachio & Alstedio, illa tristia allegantibus, prætermissum, daturi simus. Monemus interim Rockenbachium quidem centum millia cæsorum seditiosorum cum Carione (*e*) & Leovitio (*f*), sed Calvisium (*g*) cum Sleidano (*h*) dimidium putare.

(*a*) Append. Bonfin de Ludovico. (*b*) Descript. cladis Mohatzensis. (*c*) Sleid. l. 3. Paralip. Urspers. Mut. l. 31. (*d*) De conjunct. Plan. eclips. & Comet. Confer Paralip. pag. 352. & Bucholz. & Calvis. ad ann. 1523. (*e*) In Chron. parva. (*f*) De conjunct. Planet. &c. (*g*) Ad 1525. (*h*) Lib. 5.

CCCLIX. *Anno Christi* 1524. *Apparuit Cometa. Hoc anno, nocte inter* 9 *&* 10. *dies Decembris, Henricus Sudphanienſis, auditor Lutheri, vir excellens ingenio, eruditione, & sanctitate vitæ, ab hostibus Euangelii capitur, & post multos cruciatus sequenti die crude-*

crudelissimè interfectus comburitur. Eckstormius ex Lutheri Tom. iv. Jenensi fol. 27. b.

SOlus, quod sciam, Eckstormius, hunc Cometen annotat. Hoc autem anno (*a*) Henricus ille ob religionem ad rogum damnatus est, tristi sanè & noxio exemplo, rum & vox divina & tota antiquitas, sed & ipsa ratio ac humanitas religionem hâc ratione defendi vel propagari nolit, imò vetet. At verò hoc secundùm æquitatem non tantum in Henricô, sed & in quovis alio Christi nomen & doctrinam profesSo, verum, idque facinus ubique detestandum est. Annus sequens & bello rusticorum & captivitate Francisci I. in prælio ad Papiam, (quæ & Ticinum) commisso inter alia inclaruit: Illud si vel nullus præcessisset Cometes, gravissima tributa agricolis (*b*) in Suevia à dominis, justitiæ & æquitatis oblitis, imposita: hanc vitia castrensia portenderunt. Obsidio nempe Papiæ, urbis munitæ, forti & præsidio custoditæ, & auxilio Cæsareani exercitus liberandæ: tùm neglectum de ea solvenda prudens & salubre consilium, ac tempus frangendo mora hosti opportunum, nec non defectus militum, quorum numerum peregrini Ordinum Ductores majorem, ut fit, quam revera erat, esse dicebant: adhæc confidentia, imprudentia & inertia quorundam ducum, & Grisonum stipendiariorum, ad sua defendenda regressus. Hæc sunt, quæ, ut docet (*c*) Serres, infortunium illud præsagierunt. His, ut paulò post idem docet, accessit quod Mediceæ Legiones, duce Joanne, ante prælium vulnerato, vel dilapsæ vel illo absente in socordiam prolapsæ fuerint, Rex autem levioribus successibus elatus, tutiori loco ad hostem quærendum deserto confidentius quàm par erat egerit, tandem victoriâ in suas partes inclinante à Helvetiis desertus fuerit. Multi sanè in hoc uno prælio concurrerunt errores, cum bis in bello errare non detur. Thuanus (*d*) confidentiæ Regis (quæ vel sola in bello ejusmodi clades & casus tristes portendere solet) addit separationem exercitûs, parte Joanni Albaniæ regulo, regis Scotiæ patrueli ad regni Neapolitani expeditionem ex consilio Clementis 7. Pontificis Romani attributa. Ab his ergo potius errorum & vitiorum portentis quàm Cometarum crinibus vel caudis metuant sibi Principes, qui rem pace belloque prosperè agere volunt. Sed utinam pertæsi & obliti bellorum artibus justitiæ pacem parent, tueantur, & in sua ac subjectorum commoda felicitèr propagent. Hic annus geminâ eclipsei Lunæ (ut Rockenbachius indicat, & Eckstormius (*e*) docet, reticente non tantùm Calvisio, sed & Buntingo & Leovitio) tùm morte Friderici 3. Electoris Saxoniæ, & Elisabetæ, ut Bucholzerus eam vocat, (vel potius Isabellæ, ut eam Tarapha & alii (*f*) vocant) Reginæ Daniæ, Caroli V. sororis: sed & nativitate ac nuptiis aliquot Principum, tùm & pace hîc & illîc composita, inclaruit. Nati hoc anno, quo Cometes, fuêre Georgius Dux Lignicensis & Bregensis, proximo autem Joannes Georgius Elector Brandenb. & Universæ Marchiæ Dominus, Serenissimi Electoris hâc tempestate magis magisque Heroicis facinoribus, inclarescentis Abavus, Joannes Albertus Alberti Ducis Mecklenb. filius, Princeps pius & literatus, Serenissimi Principis Christiani Ludovici proavus. Duxit verò uxorem Albertus I. Dux Borussiæ Dorotheam Friderici I. Regis Daniæ (ad annum 1526. has nuptias alios (*g*) referre non dissimulo) Joachimus 2. Elector Brandenb. Magdalenam, Georgii Barbati Ducis Saxoniæ, Ludovicus verò Palatinus Bipontinus Serenissimorum Regis quidem Sueciæ atavus, Ducis verò Neoburgici & Sultzbacensium Fratrum abavus Elisabetam Guilhelmi Landgravii Hassiæ filiam: alia ejusdem generis ut præteream. Neque vero sola bella atrocia temporum illorum faciem tristem, verùm & almæ pacis hîc & illîc conclusæ fœdera lætam reddiderant. Nam inter Gallum & Anglum, inter Sigismundum I. Regem Poloniæ & Albertum I. Ducem Prussiæ, Prussiâ in Ducatum reductâ, tùm inter Fridericum Daniæ & Gustavum Sueciæ reges aliasque civitates, anno à Cometes apparitione proximo pax sancita & confirmata fuit. Liberum porrò arbitrium, in rebus quoque fidei, Lutherus tunc temporis cum

(*a*) Sleid. lib. 4. Bunting. Chytr. Bucholz. Calvis. (*b*) Sleid. lib. 5. Bucholz. & Calvis. ad 1524. Vide cumprimis Paralip. Ursperg. de agricol. sedit. p. 352. & 353. (*c*) in Francisco I. (*d*) Hist. 1. p. m. 9. (*e*) in hist. eclipsi. (*f*) Paralip. p. 350. Auctor 14. tabb. geneal. (*g*) Resp. Pol. p. 335.

asseclis in reformationem strenuè incumbens feliciter factis asseruit. Certè hoc anno quo Cometes apparuit, Clerici quidam Argentinenses (a) uxores duxerunt, utquè contra Episcopum sat essent tuti, in S.P.Q. tutelam se dederunt, qui eorum causam coram Campegio Cardinale egit. Paritèr in Polonia non diu post, Bialobrzescii Abbates Mogilensis & Andreoviensis, tùm Orichovius Canonicus Premyslensis, sed & Magnus ille Dudithius Episcopus Quinquecclesiensis, antiquam libertatem non tantùm à Deo sancitam sed & tot Ecclesiæ Doctorum (b), Pontificum (c) & Conciliorum (d) auctoritate approbatam, castarum nuptiarum sacro ordini vindicare volentes, uxores duxerunt.

(a) Chron. Alsat. l.4. (b) Clemens Strom. l.3. Hieron. 1. adv. Jovin. August. 26. q. 2. c. fors. (c) Leo I. apud Sabell. & Volaterr. Nicolaus V. apud Blond l.9. dec.2. Innocentius C. placet. Pius 2. Fulgos. l.9. c.2. (d) Anticyr. Can. 10. Gangr. Nicen. I. Toletan. I. & IV. Constantinop. VI. Vid. Isidor. tom. Concil.

CCCLX. *Anno Christi* 1526. *à* 23. *Augusti ad* 7. *Septembr. ensi igneo similis Cometa apparuit.* Ricciolius ex Petro Surdo.

NOn multa tristia, quæ hoc anno acciderint, apud Auctores invenio: multa contrà læta, quæ hunc annum insigniverunt. Sed ad complendas Christianæ gentis miserias clades Ludovici Hungari ad Mohatzium sufficiebat. Hæc enim Hungariæ sequentibus temporibus multas turbas multaque damna attulit. Nempè Ferdinandus defuncti, qui nullos liberos reliquerat, affinis, regnum suo jure, ut Sambuci (a) appendix & Bakschajus habet, non modo connubiali, sed majorum cum Matthia, postea cum Ladislao quoque conventionibus & pactis, accepit. Huic se opposuit Joannes Zapoliensis Transylvaniæ Palatinus, Vir magnæ tùm existimationis & auctoritatis (b) à quibusdam Proceribus Hungariæ electus. Atque hæc res non levibus malis Hungariam, imò & Rempublicam Christianam involvit. At verò læta non pauca hoc anno evenerunt. Horum nonnulla tamen, mala secum, quod non infrequens in rebus humanis est, traxerunt. Talis cum primis est Francisci ex captivitate Hispanica liberatio. Etsi enim hæc pacis conventæ & contractæ affinitatis (c) (Francisco sororem Caroli Leonoram Emanuëlis Regis Lusitaniæ viduam in thori & vitæ sociam assumente) religione firmata videretur, tamen fida & stabilis non fuit: imò è vestigio fœdus Francisci cum Pontifice & Venetis adversus Carolum obtentu recuperandæ libertatis Italicæ attulit. Atque hoc fœdus, cui Pontifex (d) Sanctæ Ligæ speciosum indiderat nomen, fuit multorum malorum & belli illius adversus Pontificem gesti portentum. Nam *Cæsar*, ut Thuanus (e) ait, *ut injuriam sibi à Clemente illatam ulcisceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hispaniam abolet, exemplo ab Hispanis ipsi posteritati relicto, posse ecclesiasticam disciplinam citrà nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conservari.* In bellum mox hæc odia erupêre, quâ de re ad hunc potius quàm proximum Cometam dicemus. Nam licet anno demum sequenti Roma à Carolo Borbonio (cujus defectio ad Cæsarem, quam injuria Principi generoso & forti illata, à matre Francisci imperiosâ fœminâ & indulgentissimi filii auctoritate ad privatas libidines, judice Thuano, abutente portendit, inter malorum Galliæ portenta meritò numerari potest) Caroli Imperatoris duce, capta & direpta sit, Cometæ tamen proximi apparitionem antecessit. Jam ut ad læta anni, qui Cometæ nostro natalis fuit, veniamus, incipiam à natalibus Principum. Hîc Adolphum Friderici I. Regis Daniæ filium Ducem Holsatiæ, Serenissimi Christiani Alberti, inter adolescentes Principes florentissimi pro-avum, Augustum Pium Electorem Saxoniæ, abavum ejus maternum, Serenissimi verò Electoris Saxoniæ, Joannis Georgii 2. itidem proavum, puto. Pariter Wolfgangum ex illo Ludovici Palatini & Elisabetæ conjugio natum Serenissimorum Regis Sueciæ abavum, Ducis Neoburgici & Principum Sultzbacensium proavum, Elisabetam Ferdin. I. Imperatoris filiam, Sigismundi Au-

(a) De Ferdinando Rege p.774. Vide Bunting. ad 1526. & Chron. Hungar. (b) Sambuci append. pag.357. & seqq. (c) Serres in Francisco I. Thuan. Paralip. &c. (d) Paralip. p.355. (e) Lib.1. p.10.

gusti

gusti Regis Poloniæ uxorem numero. Annam verò Philippi illius Magnanimi Landgravii Hassiæ filiam, jam jam dicti Wolfgangi Palatini uxorem, adnumero. Nisi & Henricum Rantzovium Heroem illum suâ ætate Incomparabilem, tribus Regibus percarum, Holsaticæ Nobilitatis & Reipublicæ literariæ eximium decus addam. Succedunt nuptiæ (*f*) (secundùm multorum rationes, aliis (*g*) ad proximum annum id lætitiæ referentibus, adeò & nuperorum gestorum incertæ sunt rationes) Caroli V. Imperatoris cum Isabella Emanuëlis Regis Lusitaniæ filia (per quod matrimonium postea Lusitania Hispaniæ juncta fuit) tùm victoria Georgii Fronsbergii Ducis Caroli de Italis, qui adversùm se conjurârunt. Hic & Masoviam Regno Poloniæ unitam, & Academiam Marpurgensem à Philippo illo Hassorum Principe Clarissimo fundatam, meritò pono: tum & Ferdinandi in regno Bohemico auspicia. Quamvis enim anno demùm sequenti, 24. Febr. (*h*) diadema acceperit, factum id tamen ante proximi Cometæ apparitionem invenio.

(*f*) Mut. l. 31. ad 1526. Sleid. l. 6. Bunting. Bucholz. Calvis. &c. ad 1526.
(*g*) Paralip. p. 352. Tarapha in Card; 5.
(*h*) Dubrav. l. hist. Bohem. 33. & ult. fine. Bohem. Piæ l. 7. c. 11.

CCCLXI. *Anno Christi* 1527. *die* 11. *Octob.* (*alii* 11. *Augusti asserunt*) *manè circà horam* 4. *non tantum Uvestriæ parte, cui Comites Rheni præsunt, sed etiam per totam ferè Europam Cometa terrificus visus est, duravitque per horam* $1\frac{1}{4}$ *quotidie flagrans. A subsolano ortus est, versusque meridiem & occidentem ascendit, sub Septentrione autem maximè conspicuus fuit. Longitudo ejus fuit immensa, colore sanguineo in croceum desinente. Summitas ejus formam brachii incurvati vel speciem habuit, in cujus manu gladius ingentis magnitudinis, veluti jam jam percussuri videbatur. In mucrone gladii, ab utraque acie stellæ* 3. *non mediocres apparuerunt, sed ea, quæ à mucrone fulsit, reliquis duabus major fuit. Ab his radii subobscuri sub forma pilosæ caudæ conspiciebantur. In lateribus radii à summo ad imum in speciem hastarum ferè deformati & gladii minores, sanguinis colore diluti, inter quos facies humanæ, comis barbisque hispidæ, colore nigricantis nubis cernebantur. Hæc tanto terrore horroreque rutilantia mota sunt, ut nonnulli spectatores, metu ferè sint exanimati. Hunc tyrannis Turcica secuta est, & incursiones hostium in Ungariam acerrimæ, cum effusione sanguinis tanta, ut Buda etiam capta & diruta sit. Marchio Casimirus proficiscens in Ungariam mortuus est. Roma urbs ab exercitu Caroli, duce Borbonio capta & diruta est. Clemens Pontifex VII. necessitate obsidionis coactus, captus in arce Angelica, Cæsarianis se dedidit. Clementiâ autem Cæsaris postea dimissus, ac pristinæ dignitati restitutus est, quo Christianæ saluti consuleretur. Quidam etiam scribunt* 40^m. *aureorum eum ab hostibus redemptum esse. Cicadarum magnam copiam ventus ex Turcia in Poloniam transvexit, paulò post Tartari in Poloniam irruerunt, multaque loca devastarunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1527. *Visus est Cometa in Leone, ut scribit Herlicius & Gemma. Hoc anno exercitus Caroli V. occupavit Romam. Sequenti anno Veneti & Galli obsederunt Neapolin, sed à Germanis & Hispanis repulsi sunt.* Eckstormius.

Anno Christi 1527. *Alius Cometa notatur à Joanne Vogelino observatus, quem Petrus Creuster Astronomus ait durasse horas* $1\frac{1}{2}$. *Sed Cornelius Gemma ait visum in Palatinatu instar gladii.* Ricciolius.

Anno Christi 1527. *Visus est Cometa terrificus caudâ oblongâ sanguinei coloris. Turca Ungariam vastavit. Agmina locustarum hinc inde multum damni dederunt.* Alstedius.

LEovitius quoque istius Cometæ ad ann. 1527. meminit. Undè habeat Rockenbachius Cometam quotidiè unâ horâ & quadrante luxisse, ignoro. Alii, ut videmus, non apparuisse eum nisi brevissimo illo spatio testantur. Non immeritò quis suspicari posset non fuisse hunc genuinum, vel certè singularem, & brevissimæ durationis fuisse Cometam. Dicendum autem est eodem mense, quo iste Cometes apparuisse scribitur visa esse varia chasmata in nubibus, veluti faces ardentes, viros

armatos

anno proximo annotatum, sed ante Cometæ apparitionem invenio. Ante hanc & Carolus V. magnâ cum pompa & ferream illam coronam, ut Rex Italiæ, & auream, ut Imperator, à Clemente VII. Bononiæ anno proximo menſe Februario ſumſit.

CCCLXVII. *Anno Chriſti* 1530. *Cometa in Germania, Italia & Gallia circiter 6. die Auguſti manè per aliquot dies ante ortum Solis apparuit. Deindè Solem ſequens ſub veſperam poſt occaſum Solis circiter 3 ſeptimanas per ſigna Cancri, Leonis, Virginis currens uſque ad 3. Septembris conſpectus eſt. Poſt hunc Rex Ferdinandus & Wojewoda in Tranſylvania de regno Ungariæ certarunt. Florentia poſt obſidionem diuturnam ab Imperatore & Papa in ſervitutem redigitur. Inundationes maximæ in Belgica ortæ ſunt in Novembre. Bellum apud Helvetios in Octobre ortum eſt. In Lombardia luporum tanta fuit copia, ut peregrinari hominibus tùm temporis periculoſiſſimum fuerit, qui etiam nullis tendiculis capi potuerunt. Indè ultionis divinæ pœnam eſſe multi judicarunt. Liſibonæ per terræ motum omnia templa, ædeſque circiter* 1500. *concuſſæ corruerunt. Qui poſtquam per octiduum duravit, peſtilentia ſæva ſecuta eſt. Romæ præter tonitrua & ignes crebros, tanta vis aquarum de cælo decidit, ut homines diluvio ſe perituros eſſe exiſtimârint. Impetu Tyberis ſe effundentis domus publicæ & privatæ corruerunt. Turca in Auſtriam irruens à Germanis in fugam verſus eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1530. *Inter Comitia Auguſtana menſe Junio apparuit Cometa.* Eckſtormius ex Chron. Saxon.

Anno Chriſti 1530. *Cometa conſpici cœpit à 6. Auguſti duravitque uſque ad 3. vel 13. Septembris, videbaturque manè ante Solis ortum, deindè poſt aliquos dies videbatur veſperè poſt Solis occaſum. Eo verò tempore Cancrum perambulavit & Leonem, Virginem ac Libram, in quo ſigno evanuit. Tunc ſubmerſæ ſunt multæ urbes in Hollandia, Zelandia & Brabantia, Helvetici motus & ruſticorum Germanorum agreſte bellum. Anno autem ſequente, terræ motus Febr. Luſitaniam concuſſit, adeò ut Ulyſſipone corruerint domus* 1050. *&* 600. *nutârint ac proximæ fuerint ruinæ. Quidam has calamitates ſequenti Cometæ adſcribunt.* Ricciolius.

Anno Chriſti 1530. *Cometa viſitur, multi pagi & oppida in Hollandia & Zelandia æquis obruuntur. Tiberis inundat Romam.* Alſtedius.

Anno Chriſti 1530. *Narrat Lycoſtenes in Chronico de prodigiis, Cometam viſum eſſe in Germania, Italia & Gallia, circiter ſextum diem Auguſti* 1530. *& primùm aliquot diebus manè antè ortum Solis apparuiſſe, inde verò ipſum Solem ſequutum eſſe, & ſub veſperum poſt occaſum Solis circiter tres ſeptimanas viſum, uſque ad tertium diem Septembris. Hoc autem, cum nonnulli neſcierint, aut non ſatis conſiderarint, uſque adeò ſunt decepti, ut unum eundemque Cometam pro diverſis habuerint, & duos eſſe ſcripſerint, qui unus fuit.* Schulerus Diſquiſit. Phil. de Comet. p. 11.

NOn temerè, ut puto, quiſpiam dixerit duos iſthôc anno Cometas viſos fuiſſe, non tantum quòd alterum manè, alterum veſperi apparuiſſe ſcribatur (quod de uno verum eſſe ſolet) ſed quod Eckſtormius menſe Junio, Rockenbachius, Ricciolius & Schulerus, menſe Auguſto & Septembre eum apparuiſſe dicant. Non exigua triſtium eventuum invidia Cometes iſte laborat. Nec diffitemur hæc, quæ & Auctor Paralipomenôn Urſpergenſi annexorum annotat, & alia plura, quædam tamen paulò ab eo remotiora, ei ſucceſſiſſe. Nam & bella ſacra à fœdere Smalcaldico (*) initium habuiſſe novimus. Sed horum malorum negata conſcientiis libertas portentum fuit. Quod verò ad alia triſtia attinet, totiès demonſtravimus talia citrà Cometas ſæpè evenire. Hîc verò demonſtrandum eſt læta quoque Cometam noſtrum excepiſſe. Inter hæc Eckſtormius Confeſſionis Auguſtanæ, à tot Principibus & Civitatibus magno animo receptæ & ſubſcriptæ, natales numerat. Ego illos Principum addo. Friderici, qui Joachimi 2. Electoris Brandenburgici, & Franciſci Ottonis, qui Erneſti Cellenſis Ducis Lunæburgenſis filius, & is quidem primogenitus fuit. Hoc

(*) Sleid. lib. 7.

anno



Figura exhibens Com. CCCLII (α) A.C.1513, CCCLXVIII A.C.1531 ex observ. Apiani (β) ex Fracastor (γ) CCCLXIX (δ) A.C.1532. N°.74.
CCCLXXVI (ε) A.C.1539. CCCLXXXIII (ζ) A.C.1558. CDIII. (η) A.C.1596.



anno Sigismundus Augustus & regio diademate redimitus, & Sponsus Elisabetæ illius Austriacæ designatus est. Sponsæ patrem Ferdinandum affini suo Joanni Scepusiensi conciliare, quâ erat Princeps ille auctoritate & pietate, nequicquam studebat. Hoc quoque anno nova Galicia in America, auspiciis Caroli V. inventa est. Regem verò Ferdinandum in Bohemia quietè & clementer res gessisse, Bohemiæ Piæ auctor (a) sub finem operis sui annotavit. Obsidionis porrò & occupationis Mediolani, quam Rockenbachius Cometæ tribuit, Thuanus (b) aliis portentis, quæ in Principum monstrare solemus, tribuit. *Arridente*, inquit, *fortunâ nullam amplificandæ potentiæ occasionem prætermittens Cæsar, ut Imperium Germanicum in familia firmaret, Ferdinandum fratrem Romanorum Regem Coloniæ renunciandum curavit. Eodem anno post diuturnam obsidionem, in qua Arausiensis occisus, & eo occiso Ferdinandus Gonzaga subrogatus est, Florentia Cæsari deditur, & uti inter Cæsarem & Pontificem convenerat, Alexander Medices nothus Laurentii F. Florentinorum dux creatur, abutente Christianorum pastore Christianorum Principum viribus, ut privatæ ambitioni & suorum libidini inserviret: quod Arausiensis ipse detestatus, ægreque se ad eam expeditionem ire, uti Guicciardinus scripsit, initio apud Cæsarem testatus fuerat.* Ad hunc quoque Cometam referenda sunt læta anni sequentis & Ferdinandi Regis Romanorum auspicia, quæ proximum Cometam præcessêre.

(a) Lib. 7. c. 32. & seqq. (b) Hist. 1. p. 12.

CCCLXIIX. *Annus hic* 1531. *fuit alioquin in tota ferè Europa tranquillus: sed apparuit Cometa πωγωνίας mense Augusti, in occasu Solem, in cardine a Leone usque ad Libram progrediens.* Chytræus Chron. Saxon. l. 13.

Anno Christi 1531. *mense Augusto visus est Cometes in Germania, Italia & Gallia, ad Occidentem tribus hebdomadibus, de qua variæ doctorum hominum opiniones fuerunt.* Paralipom. Ursperg.

Anno Christi 1531. *Cometa* 6. *Aug. Cancrum, Leonem, Virginem & Libram percurrens usque ad* 3. *Sept. mane ante ortum Solis inter occasum & Septentrionem visus est. Hunc bellum civile apud Helvetios propter religionem, in quo Zwinglius obiit, secutum est. Turci Siciliam debellarunt, Scoti Angliam. Magna quoque annonæ caritas, Sueviam, Helvetiam, Alsatiam afflixit, ita ut rustici ante tempus fruges demetere, inque clibano coquere coacti sint. Rex Christiernus magnâ classe in Daniam profectus est ad repetendum regna sua, inde in manus patrui sui Friderici Regis Danorum incidit. Filius Christierni Regis, qui in Cæsaris aula alebatur, obiit. Mater Ludovici,* (lege Ludovica Francisci I.) *Regis Galliæ, consanguinea Ducis Caroli, in Sabaudia mortua est.* Rockenbachius.

Anno Christi 1531. *Mense Augusto Cometa ex eorum genere, qui Pogoniæ vocantur, apparuit in plaga Solis occidentis. Proximo anno vel idem, vel alter similis ei conspectus est mane in Orientis Solis parte. Camerarius in vita Melancht. Vagatus est per Leonem, Virginem & Libram. Milichius in Plinii lib.* 2. *c.* 25. *Secutum est bellum Helvetiorum quo occubuit Huldrichus Zwinglius. Obiit Ludovica mater Francisci Regis Galliæ. Obiit etiam anno sequenti Joannes Elector Saxoniæ. In Helvetia, Suevia & Alsatia magna fuit annonæ caritas.* Eckstormius.

Anno Christi 1531. *Apparuit Cometes Pogonias sive barbatus, teste Milichio in Plin. l.* 2. *c.* 25. *hunc descripsit Appianus & observavit à* 6. *ad* 23. *Aug. Ingolstadii, affirmans caudam in partem à Sole aversam procurrisse, ideoque Sole jam occaso sursum versus assurrexisse, ab initio autem conspectum esse mane, die verò* 15. *Augusti occidisse heliacè & postea emersisse, ac visum esse vespere, inde autem factum, ut imperitum vulgus putârit fuisse duos Cometas. Porrò die Aug.* 14. *locus Capitis Cometæ fuit: Leo gr.* 23. 39′. *& latitud. Bor. gr.* 23. 2′. *Caudæ autem extremæ Leonis gr.* 19. 18′. *& latitud. gr.* 39. 45′. *sed die* 23. *locus capitis fuit Libra grad.* 2. 51′. *& Latitud. grad.* 14. 31′. *Nodus Borealis orbitæ Cometariæ cum Ecliptica fuit in Scorpii grad.* 14. *Motus Cometæ in propria ipsius semita ex differentia longitudinum & complementis Latitudinum collectus fuit, à die*

à die 13. quo resumptæ sunt, & accuratius tractatæ observationes, nempè concitatior in medio. Secutæ sunt hunc Cometam turbæ in Helvetia, Saxonia & in mari Balthico, Maris exundatio in Belgium, & Zelandiæ oppida mersa, Turcarum eruptio in Austriam & Christierni Regis Daniæ carcer.

* *Incertum est, an hic idem sit Cometa cum eo, quem Fracastorius lib. 3. Homocentricorum cap. 23. visum sibi ait hoc anno 1531. die 8. & 9. Septembris matutinum, & tropico æstivo valdè borealiorem, sed circa diem 13. vespertinum factum emersisse circà æstivum Tropicum, sequentibus autem diebus longitudine parùm mutata, in latitudinem actum ultrà æquinoctialem spectatum fuisse non longè à Jove, qui tùm in gradu 13. Scorpii versabatur, & circà diem 18. sensim absumtum fuisse ait. Quare motus ejus fuit ab Occidente in Orientem obliquè, id est à Magistro S. Cauro in Notapeliotem. At cum suum Appianus dicat cœpisse disparere die 23. Augusti, & semper illum ponat circa Ecliptícam & Æquatorem, quis non videt fuisse Cometas diversos? & famam duorum Cometarum non fuisse in eo fundatam quod prius manè, deinde vespere visi sunt. Sed quia sive quandò matutini, sive quandò vespertini visi sunt, diversi dies & menses fuerunt. Sed brevior hujus vita dierum 10, & tardus de illo rumor, aut nubilum temporis Ingolstadii, observationem Apiano fortè inviderunt.* Ricciolius.

Anno Christi 1531. Illuxit Cometa non sine clade Orientis & Septentrionis. Etenim Turca in Hungariam & Austriam irrupit. Rex Christianus magnâ classe in Daniam proficiscitur ad repetendum regna sua. Helvetiorum bellum in negotio religionis geritur, quo bis à Tigurinis infeliciter pugnatum est. In priore prælio cæsus est Zwinglius. Alstedius.

EAdem de isto Cometa Leovitius & Buntingus (*a*) literis prodidit. Mutius (*b*) quoquè Cometen hoc anno sub Libra in Occidente visum, & bellum inter Helvetios infeliciter exortum felici pace compositum memoriæ mandavit. Milichius hic nobis est adeundus & audiendus de hoc Cometa. Ita verò ille in lib. 2. Plin. cap. 25. *Vidimus & ipsi Cometam anno 1531. magnâ celeritate vagantem per Leonem, Virginem & Libram, & aliàs conficientem uno die quatuor gradus, aliàs quinque, aliàs sex gradus. Extat enim Observatio Viri doctissimi D. Appiani de ejus Cometæ motu. Tam velox cursus satis ostendit, Cometas nequaquam esse fixas stellas.* Idem mox: *Cometas non esse Planetas primùm ipse numerus testatur, quia sæpe accidit ut omnes Planetæ conspiciantur suis locis, cum alibi fulget Cometa, id quod ipsi observavimus anno 1531. cum quidem Jupiter esset in Libra, hunc Cometa celeriter præteriit & reliquit. Eodem tempore observaturus manè Cometen Bornerus Lipsiæ vidit Mercurium in Leone, cum jam Cometa evasisset ad Virginem.* Et infrà conjunctioni Planetarum vel alicui Eclipsei præcedenti Cometarum ortum adscribens, causam Cometæ qui hoc anno fuerit à quibusdam ad Eclipsin præcedentis anni, & Saturni, Mercurii & Martis conjunctionem in Tauro, referri tradit. Cometæ hujus situs & motus idem est qui præcedentis: ita ut hîc vel illîc errorem commissum esse appareat. Hunc Cometem fuisse matutinum & barbatum S. pogoniam ab Aquilone versus Meridiem (quod & de illo Anno Christi 1313. affirmat) progressum esse, & vespertinum ac caudatum evasisse, ac in medio quàm in fine velociorem indice Appiano fuisse Ricciolius (*c*) scribit. Ejusdem hæc de eo refert ex Cæsarei Astronomici part. 2. c. 1. verba: *quando propius aberat ab horizonte occiduo quàm gr. 4. videbatur flamma ejus extingui*, id est, ob lumen minus compactum & minus vividum, quàm in aliis stellis, desiit apparere, antequam occiderit. Schorerus ex Chronico Basileensibus tradit. 6. Augusti arsisse Cometam rubicundum, naturæ Mercurii & Martis. Durasse in Septembrem. Videri cœpisse ad Arcton, in dodecatemorio Leonis, ascendisse circiter hora 3. post mediam noctem supra horizontem: & cum se semper versus Solis viam per Virginem contulerit, mutasse ortum, usque quo sub Sole se condiderit & disparuerit. Hoc anno caritatem & famem homines afflixisse ex Chronicis Memingensibus adnotat. Quod ad eventus Cometæ nostri attinet, multos annotarunt à nobis allegati auctores, quibus & Clar. Schulerus accedit. Atque hoc quidem ita se habere, meritò largior. Ferè enim

* Alius Cometa anni 1531. & error Apiani. (*a*) 1. part. Chron. & ad ann. 1531. in Chronol. (*b*) Germ. Chron. lib. 31. (*c*) Almag. l. 8. sect. 1. de Cometis c. 4. Num. X. XIII. XV.

semper,

semper, imò semper, si universum orbem adspicias, eodem modo res se habet. Verùm & læta Cometis succedere, & ita significationem eorum indifferentem esse, ubique demonstro. Quod ad illa tristia & acerba, quæ Cometæ nostri apparitionem exceperunt, attinet, illa vel naturales, vel morales causas, quas sæpius indicavimus, etsi nullus Cometes in cælo fulgeat, habent. Ita hinc nil necessariò contrà Cometas concluditur. Læta hoc anno non pauca evenisse, extrà dubium est. Continuò enim tristibus miscentur læta, adversis secunda. Nos pauca dabimus. Natalis annus iste fuit Mariæ Ferdin. I. filiæ, quæ postea Wilhelmo Duci Juliacensi & Clivensi nupsit, ex qua quinque filias & duos filios, ut infra videbimus, feliciter suscepit. Aliorum Principum natales adnotatos non invenio. Innuo tamen non temerè id colligendum esse ex tabulis genealogicis Caroli V. Christiani 2. Regis Daniæ, & Henrici Pii Ducis Saxoniæ, ut alios Principes taceam, quorum liberos illâ tempestate natos, sed non annum adnotatum, invenio. Hoc anno Leonora seu Eleonora Caroli V. soror Francisco I. desponsata fuit. Cæterùm hîc annus insignem lætitiam Poloniæ attulit, postquam Joannes Comes Tarnovius Russiæ Palatinus, auspiciis Sigismundi Primi & Secundi, de Petro Palatino Valachiæ perfido, victoriam memorabilem ad Obertinum, cæsis 22. hostium millibus (cum ipse vix quater mille milites haberet) captis mille *, & 50. machinis bellicis majoribus, direptis castris reportavit, & Pokuciam amplam & latam Poloniæ provinciam (quæ inter Prutum & Tyram fluvium jacens Podoliam ab Ortu, Valachiam à Meridie, Transylvaniam ab occasu, Russiam à Septentrione respicit) patriæ recuperavit. Hæc res non tantùm ei gloriam sed & mercedem magnam singulari indictione publicâ ei à Rege concessâ, tùm & inducias cum Valacho attulit. Plura ejusdem generis ex annis sequentibus hùc non refero, quamvis id ad conciliandam Cometæ invidiam fecerint alii, cum proximi anni Cometas ferant, sicut illa tempestas talium phœnomenôn ferax fuit, nisi quòd sacra pax anno sequenti medio Germaniæ data, quæ proximum Cometen antecessit, hùc sit referenda. Cum autem & caritatem annonæ Eckstormius huic Cometæ tribuat, meritò hîc adscribam Clarissimi & Doctissimi Viri Simonis Grynæi verba †. Ille nempè de fine & significatione Comet. cap. 14. docens præter calorem & siccitatem (quæ duo Cometis per se inesse tanquam consectaria & effectus suæ formæ statuit) & quæ ista proximè consequuntur, in aëre commotiones & procellas ventorum, nihil à Cometis metuendum vel sperandum esse, subjicit: *Quòd si memoriâ recolamus* κρίσιν *superiorum annorum, quibus Cometæ visi sunt, animadvertemus perpetuò hæc* (æstum scilicet & siccitatem cum ventorum æstuatione & procellis inusitatis) *consecuta fuisse Cometas, quæ modò diximus. Nam apparitiones Cometarum anno* 31, 32, 54 *&* 58. *hæc consequuta esse, memoria nostra & patrum, & historiæ evidenter docent. Quin imò fertiles admodum fuisse annos istos comperimus, & propè totos serenos: ut mirari satis nequeam quorundam inscitiam & temeritatem, qui sterilitatem ex Cometarum apparitione prædicere non verentur. Verùm hæc, ut & alia quæ tetra, calamitosa, non hominibus solùm & bestiis, sed universæ naturæ præsagire ex Cometis audent (cujusmodi sunt pestis, fames, seditiones, tumultus, subversiones Rerumpublicarum, regnorum vastationes, Civitatum eversiones, populorum & nationum excidia, Principum & Regum aut Magnatum mortes, prælia, inundationes & diluvia, & sexcenta alia) jam deinceps consideremus, & quantum ponderis habeant, inquiramus.* Qua occasione ut aliquid non tantùm hujus Cometæ, sed & sequentium quos adfert, causâ, de præstantissimi illius Viri promovendis liberalibus studiis Magno Erasmo judice ‡, nati, sententia loco opportuno dicam, par imò opus est. Itaque ille primum ἀκριβῶς docet inter monstra, miracula, prodigia, portenta & πέρατα statuendum esse discrimen: prodigia & portenta alia esse divina, alia naturalia, Cometas, ut & Parelios, & alia esse portenta naturalia, cum eorum ortus in natura sit, & ratio eorum ex naturalibus causis reddi possit: non esse verò miracula, neque monstra neque etiam portenta divina, quæ scilicet solius Dei nutu & voluntate fiunt absque causis secundis, ut Solaris curs inhibitio, umbræ meridianæ retractio, Jordanis & maris divisio & alia. Dehinc

* Chron. Pol. † Lib. de nat. & significationib. Comet. ‡ Buchan. ad 1541.

Cometas non esse signa necessaria malorum, quæ eis adscribuntur: ubi etiam verè & prudenter prælia, perjuria, eversiones populorum, vastationes agrorum &c. ab hominum pravis cupiditatibus plerumque proficisci pronunciat. Subjicit autem: *Et quod de peste caritateque annonæ objici posset, cum Cometis illas causas naturales communes habere, ac proinde horum saltem infortuniorum signa non malè statui, concedi fortasse possit, si de remota causa non autem de proxima dicatur cap.* XVI. Ubi Cometas futurorum eventuum, cum quibus neque materia, neque formâ neque efficiente conveniunt, signa non esse, puta necessaria, concludit. Demùm cap. XVII. Cometas futurorum eventuum causas nec per se, nec per accidens reverà dici posse monstrat. Tùm verò à malignitate aspectuum cap. XVIII. (ut vocant) cælestium & infausto Planetarum positu ac conjunctione, vel eclipsi, Cometam sævum generari, vanum commentum esse disputat. Et cum diversas cæli & corporum æthereorum qualitates ex Philosophia, tùm stellas infaustas & malas dari ex Scriptura quoquè Sacra probet, & post eclipses, cum semel Mars, Mercurius & Luna conjuncti fuerint, Cometas exortos esse asserat, solidis profectò argumentis veritatem format. Historiam lætorum c. XIX. Cometæ eventuum à nemine conscriptam fuisse, mirari satis nequit. Hâc in re nos egregii illius Viri votis abundè satisfaciemus. At verò & Cometam à natura quæ boni gratiâ agit, & finem suum semper, ni impediatur assequitur productum, bonum potiùs quàm malum naturaliter significare statuit*. Et quamvis Cometæ præcedant tristia, non tamen ideò illorum causas vel signa dici posse ostendit cap. XX. Siccitatem quoque, æstum, ventos & procellas à Cometis quidem, sed non necessariò produci: eosdem signa esse eorum quæ à libertate hominis pendent, probari non posse, & licet quodammodo æstus & procellarum & (quanquam rarius) caritatis annonæ & pestis causæ & signa, non tamen naturalia signa aliorum effectuum esse affirmat. Signa tamen divinæ vindictæ jam jam imminentis fatetur, & exemplo annui Cometæ Hierosolymitani probat. Denique mala Cometas secuta †, ab eis ut effectus à causis non pendere, multos Principes finè Cometis mori, multaque mala finè illis fieri, & sic imperitia, ut olim ab Eclipsibus, vel superstitione deceptos, vel etiam præjudicio eorum, qui istis rebus ex magicis somniis plus nimio tribuunt, occupatos, metuere sibi & aliis à Cometis, & tàm in se quàm in alios sæpè injurios extitisse, asserit.

Dum autem & hîc de conjunctione Planetarum ac Cometarum ortu agimus & mox agemus, dicendum verbo est Doctissimum Ricciolium ‡ fortibus 6. rationum machinis, hunc ab illa removere: tùm quòd illa intrà Zodiacum tantùm fiat, Cometæ sæpè extra eum & procul ab eo, tùm quòd sæpius conjunctiones quàm Cometæ fiant, sæpè etiam hæ & isti seorsum appareant: tùm quòd Cometæ longè diutius durent; tùm quòd sint longè majores, utpote Soli vel Lunæ suppares: tùm quòd motum longè diversum habeant: tùm quòd diverso modo à Planetis occidant vel extinguantur. Vid. Sen. Nat. Quæst. l. 7. c. 12. & Grav. disp. th. 4. §. 5.

* Ibid. † Judic. de Cometa 1577. ‡ Lib. 8. sect. 1. de Com. c. 7. Num. 2.

CCCLXIX. & CCCLXX. *Anno Christi* 1532. *Cometa mense Septembri duabus ante Solis exortum horis conspectus est, radiis inter Meridiem & Occasum longo spatio porrectis.* Chytræus Chron. Saxon. l. 13.

Anno Christi 1532. *Cometa 23. Septembris usque ad 20. Nov. ante Solis ortum per duas horas & aliquot septimanas visus est, caudam longissimam versus meridiem & vesperam porrigens, (in conjunctione Martis & Solis in Libra accensus) visus est. Quamvis aliqui sint, qui affirmarunt, illum usque ad tertiam Decembris diem fulsisse, à que 5. Virginis usq; ad 8. Virginis progressum esse. Post hunc Joannes Elector Dux Saxoniæ mortuus est. Turca in Ungariam proficiscitur, & arcem Guns oppugnat; cumque tunc temporis minus feliciter res ipsi succederent, cohortes militum in duas turmas divisit, quarum una per Stiriam, altera per Austriam ferro & igni omnia devastantes profectæ sunt. In Frisia, Hollandia, Zelandia, mense Novembri inundationes maximæ fuerunt, magna incommoda mortalibus adferentes. In multis regionibus dracones in aëre volantes gregatim in magna multitudine*

visi

visi sunt, tecti coronis, habentesque rostra scilla. In Babyloniæ regno circà Radubios, quos Polycastos appellant, m Martio die 7. infans ex obscuri nominis fœmina Rachiena natus est speciosa forma, lucentibus contrà naturam oculis ac dentibus: hac autem horâ quâ natus est non elementa tantùm, sed omnes cælorum virtutes commotæ sunt, horrendaque signa ediderunt. In noctis autem medio Sol insolito splendore apparuit, quasi in ipsa diei meridie, qui deinde in tenebras adeò versus est, ut in Babylonia per integrum diem minori miraculo non sit visus. Rockenbachius.

Anno Christi 1532. Per Septembrem & Octobrem Cometa fuit visus antè Solis ortum. Sleid. lib. 8. *Hic Cometa prædictus fuit ab Appiano.* Milichius in l. 2. cap. 25. Plinii. *Solimannus Turcarum Imp. secundò in Austriam irrumpens, multis suorum amissis pedem retulit.* Eckstormius.

Anno Christi 1532. Unum tantum exemplum, ut duo Cometæ visi uno anno fuerunt, observavi in Catal. Comet. ubi Lavaterus inquit: *Cæterùm quis non judicabit formidabile esse ferè intrà unius anni spatium duos Cometas apparuisse?* Keckermannus Syst. Phys. l. 6. c. 5. de Comet.

Anno Christi 1532. Cometa Xiphias Milichio in lib. 2. Plin. c. 25. *dictus, qui prius Australis fuit, deinde flexit in Boream, cæpitque videri ab Apiano die 25. Septemb. visusque est usque ad 20. Novemb. & prius occidebat quàm Sol, nec nisi manè videbatur. Die 2. Octobris visus in Virgine; at Octob 31. horâ 5. post mediam noctem locus ejus visus in Libra, cæperatque vespere præcedenti apparere vespere paulò post Solis Occasum, cauda in dies magis vergente in Meridiem, donec perpendicularis fieret respectu Zenith. Jam die 8. Nov. horâ 5. post mediam noctem Locus Cometæ erat in Scorpio, cauda versus Boream flexa, quæ vespere quoque conspiciebatur.* Ricciolius. Almag. Novi T. 1. part. post. l. 8. sect. 1. c. 3.

Anno Christi 1532. Conspectus est Cometa terribilis. Turca irruptionem faciens in Hungariam, pellitur à Christianis. Alsted.

Ricciolius dicto loco de Cardano & de Fracastorio testatur, quòd isti dicant exortum 22. Septemb. & occubuisse die 3. Dec. Huic Cometæ tribuitur motus Barbatum rossæ contra Joan. Auriam. Annotat hunc Cometen & Sifardus, qui & proximos ei memorat, eisque suo more multa adversa tribuit. Keckermannus præmisso axiomate: *Observandum est quis Planeta sit dispositor & Gubernator istius Cometæ, cujus effecta prædicere cupis. Nam in effectis istis producendis, videlicet in tempestatibus, in morbis, & aliis hujusmodi etiam regnat planeta iste qui Cometam effecit ac gubernavit:* id ex Astrologorum placitis deducit, diversas qualitates Planetis tribuens. Inter alia ait: *Et Cardanus in Comment. sæpè cit. p. 153 & 144. monet, attendendum semper esse, quisnam Planeta dominetur cuique Cometæ; habet enim semper hoc principium Cometes, à deliquio distinctum, ut Martis ac Mercurii furentium damna significet, itaque & Jovius bona quædam immista habebit, veluti salutares ventos frugibus & fœcundos. Verum & cum hoc, dissidia Sacerdotum in religione Christiana, & prælia ac bella, licet non diuturna: abscessus item & febres acutas. Talem fuisse eum, qui visus est Anno Domini 1532. in Ariete sub Septentrionali parte Coloniæ, credendum est. Nam Juppiter legem Christianam, Aries Britannicam: Mars & Mercurius significarunt dissidium & perturbationem, quæ facta est post triennium in tota illa provincia, jubente Henrico VIII. Rege. Fuerat autem ipse Cometa diuturnus à fine Julii usque ad initium Septembris. Martius autem Cometa immodicas siccitates parit, bella sævissima & pestem acerbissimam. Venereus autem attonitos morbos, paralyses, febres violentas, seditiosos Principes, hæreticos itemque tales, qui plurimùm linguâ valent apud populum. Mercurialis Cometa significat fulgura, tonitrua, terræ motus, ventos graves, sævas tempestates, novas artes & inventiones, omnes tamen humano generi perniciosas.* Keckerm. Syst. Phys. l. 6. c. 5. Studio & illa ex Grynæo proximè, & hæc ex Keckermanno hìc posui, ut quivis ex contrariarum sententiarum oppositione tanto facilius & felicius veritatem eliciat. Hùc pertinet, quod Milichius in hanc sententiam habet. Nam ex conjunctione Planetarum præcedenti Cometas prædici posse docens (quod & de Thalete, vel aliquo veterum memoriæ proditum est, idemque patrum nostro-

rum memoriâ Joannes Carion feciſſe ſcribitur, idemque de ſe prædicat Leonhardus Turneiſſerus lib. de Cometis & Leovitius, tùm Barthol. Schimpferus & poſt omnes nuper Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. Otto de Guericken Conſul Magdeburg.) hunc Cometem ab Apiano prædictum eſſe affirmat. Et paulò infra de hoc Cometa ait*: *Conſtabat eum in ipſa conjunctione Solis & Martis in Libra accenſum eſſe, & cum proprio motu conſtanter aſſectaretur Martem, ſatis apparebat eum lumine Martis trahi, quare cauſa excitatæ materiæ referebatur ad Martis conjunctiones. Fuerat autem Auguſto præcedente Eclipſis Solis in Virgine. In ea eclipſi, fuit Solis, Lunæ, Martis & Mercurii conjunctio. Et initio anni ſtatim poſt introitum Solis in Arietem, fuit conjunctio Saturni, Martis & Lunæ in Geminis. His conjunctionibus infecta Luna, unà cum cæteris judicabatur excitaſſe magnam copiam lenti & venenati halitûs. Erat igitur admodum terribilis flamma: nam & magnitudine & duratione vincebat alterum Cometam, quem ſuperiore anno videramus. Arſit enim tres totos menſes.* Infra in fine Septembris conſpici cœptum, tres menſes duraſſe ait. Buntingus *(a)* teſtatur hunc Cometam in tota Germania auctumno & menſe Novembr. apparuiſſe & ſigna Virginis, Libræ & Scorpionis peragraſſe. Hæc ille in Chronicis Brunſuicenſibus. At in opere ſuo Chronologico paulò poſt compoſito, hæc de Cometa noſtro non refert: ſed illa tantùm Sleidani, quæ apud Eckſtormium paulò ante vidimus. Schorerus ex Chronicis Baſil. refert Cometam hunc auctumno apparuiſſe cum longa cauda, in Virginis ſigno propè lucidam caudæ Leonis, unà cum Phoſphoro Soli præiviſſe ad 80. dies viſum fuiſſe: Ex Memingenſibus verò terræ motum iſthôc anno in illa regione fuiſſe. Ricciolius *(b)* infra ejus magnitudinem, ſitum & motum pluribus deſcribens, refert Fracaſtorium (ut ipſe narrat *(c)*) vidiſſe hunc Cometam triplo majorem Jove cum cauda bicubitali: Joannem verò Vogelinum poſita diſtantiâ à terris ſemidiametrorum terreſtrium 8. cenſuiſſe capitis diametrum milliarium Germanicum $1\frac{1}{4}$ ſeu Italicorum 5. caudam autem longam mill. Germ. 182. Indeque Carolum Piſonem dixiſſe non eſſe impoſſibile Cometas æquari monti, unius aut duûm milliarium German. Notanda meritò hujus & proximi & ſequentium Cometarum occaſione ſunt, quæ infra *(d)* ſcribit: *Primus, ut advertit Tycho, & Gemma Friſius, fuit Petrus Apianus, qui obſervaverit Cometas caudam ſemper projicere in partem à Sole averſam, ideoque Cometas manè præcurrentes ſoli orituro barbatos videri, & prius oriri ipſorum barbam in Occidentem converſam quàm caput: veſpertinos autem ac Sole jam occaſo ſuccedentes prius capite quàm cauda occumbere, id inquam obſervavit in 5. ſui temporis Cometis, videlicet annorum* 1531, 1532, 1533, 1538, *&* 1539. *obſervando momenta temporis & locum capitis ac extremæ caudæ quoad longitudinem & latitudinem, & præcognito jam ex Alphonſinis tabulis loco Solis ad illud momentum. Id ipſum autem obſervavit eodem tempore Fracaſtorius, in tribus Cometis annorum* 1531, 1532, 1533. *& Gemma Friſius in* 8. *Cometis ab Anno* 1532. *quos commemorat in tractatu de Radio Aſtronomico cap.* 19. *& in Aſtrolabio cap.* 82. *cui ſubſcripſit filius ipſius Cornelius Gemma lib.* 1. *de divinis naturæ characteriſmis cap.* 6. Ab Oriente verſùs Occidentem *(e)* ſed obliquè tranaſſe eum, &, ut & illum anni 1539. prorepſiſſe ab ortu cum latitudine Auſtrali, & nactum deinde latitudinem Borealem, aliquo ductu verſùs Occaſum æſtivum circiter iviſſe, & ita in conſequentia (lege, in antecedentia) ſignorum, *(f)* memorat. Sed jam ad effectus Cometæ veniamus. Quæ huic Cometæ Rockenbachius & alii Auctores tribuunt, vel inſolita ſunt prodigia & monſtra, vel ſolita naturæ & humani ingenii opera, quorum neutra ullo neceſſitatis nexu Cometis junguntur. Adverſa hoc & quovis alio anno, eveniſſe in orbe, quis neget? Hunc tamen annum pax Germaniæ, Daniæ, Bremæ, poſitis armorum & animorum motibus, reddita, & Italiæ conſervata, tùm victoria de Solymanno Hungariæ invaſore Friderici Palatini virtute parta lætum reddidit. Hùc pertinet & fertilitas pacis pediſſequa, quam paulò ante apud Grynæum vidimus. Nati porrò hoc anno ſunt aliquot Principes, Magdalena Ferdinandi I. filia, Fridericus Erneſti Cellenſis Ducis Brunſuicenſis filius, & Wilhelmus ille ſapiens, Landgravius Haſſiæ, Aſtrologus inſignis, Alfonſus alter.

* Milich. in l. Plin. 2. c. 25. p. 187. (a) Chron. 1. part. (b) Loc. cit. c. 4. Num. 8. (c) In Homocentr. l. 3. c. 23. (d) Loc. cit. Num. 9. (e) Vid. Grav. diſp. de Comet. th. 9. §. 4. (f) Ibid. numero 10 & 11.

Fig. Com. CCCLXXI. A. C. 1533. CCCLXXIV. A. C. 1538. exhibens, N.º 72.



CCCLXXI. *Anno Domini* 1533. *in fine Julii & in Augusto apparuit ingens Cometa extra Zodiacum, non procul à Perseo, distringens caudam longam in occasum brumalem.* Leovitius.

Anno Christi 1533. *Cometa ingentis magnitudinis in fine Junii per menses duos Julium & Augustum versùs Septentrionem extra Zodiacum non procul à Perseo in Geminis, Tauro & Ariete retrocurrens, visus est, caudam versùs Occasum brumalem porrigens. Post hunc pestis dira Noribergæ grassari cœpit, & magna annonæ caritas orta est. Terræ motus* 16. *Novembris terribilis propè lacum Podanicum, unà cum maximo turbine circa Feldkirch urbem S. Galli vicinasque regiones Rheni ortus est. In Dania bella & seditiones maximæ sicut & in Anglia ortæ sunt. Carolus Dux Sophiæ* (id est Sabaudiæ) *à Rege Galliæ ex suo territorio expellitur. Fridericus Rex Daniæ & Clemens Pontifex nomine VII. moriuntur. Philippus Landgravius Hassiæ, Ulricum Ducem Wirtenbergensem in suam ditionem restituit. Anabaptistæ in urbe Monasteriensi acervatim prodeuntes exstincti sunt, ita ut urbs ipsa obsidione prius caperetur: Mediolani* 11. *Decembris immensa grando, crebraque fulgura tonitrua audita sunt, ut homines quasi amentes tùm metu tùm superstitione discurrerent. In Germania Inferiori circa Antwerpiam ex nimia pluvia diræ inundationes longè latèque omnia vastarunt. Antwerpiæ horrendum incendium templum D. Mariæ Virginis absumpsit. Mense Decembri Basileæ terræ motibus concussa est hoc anno. Henricus VIII. Angliæ Rex Caroli V. Imperatoris Romani novercam repudiavit ac Consiliarios dissuadentes capitis pœnâ mulctavit.* Rockenbachius.

Anno Christi 1533. *circà finem mensis Julii totâ nocte fulsit Cometa ad stellas propinquas Septentrionalibus.* Camerarius in vita Philippi Melanchthonis. *Sequenti anno Joannes Leidensis Sartor Monasterii in Westphalia noctu cœpit docere Anabaptismum, & sequentibus annis cum collegis regnum constituit. Impietatis & vanitatis pœnas tandem dederunt Anno Christi* 1535. Sleid. lib. 10. *De tribus his Cometis, duorum annorum spacio conspectis, & eorum effectibus est etiam apud Meibomium in Chron. Brunsuicens. parte* 1. Eckstormius.

Anno Christi 1533. *emicuit Cometes Acontias seu hastiformis, teste Milichio l. c. quem Fiornovellus ait fuisse nigricantis coloris, & caudam obvertisse versùs Africam, visumque per* 30. *dies in partibus Borealibus, præfulsisseque morti Clementis* 7. *& Alphonsi* 3. *Ferrariæ Ducis, qui anno sequente excessêre. Cardanus in lib.* 2 *Quadripartiti text.* 54. *dicit motum fuisse contra ordinem Signorum à Geminis per Taurum in Arietem. Petrus Surdus asserit fuisse coloris flavi & visum à fine Junii ad* 4. *Augustum. Secutum verò Schisma Anglicanum Anno* 1534. *quo Henricus* 8. *Anglus se caput Ecclesiæ dixit. Anabaptistarum furores, incursiones Ænobarbi, mortem Clementis* 7. *& Ducis Mediolani. Fracastorius* (*) *hunc & illos* 1531. *&* 1532. *Cometas caudam à Sole aversam habuisse testatur. Apianus* (†) *eum observavit* 18. *Junii in Geminis cum cauda* 15. *gr. nec unquam occidisse ob viciniam cum Polo Boreo, conspicuumque fuisse post* 24. *Junii circa medium noctis usque ad Solis ortum, semper intra Boream & Subsolanum, cum orituro jam Sole ferè Meridianum conscendisset. Eundem supra Lunam fuisse docet. Secutæ sunt vastitas Westphaliæ ab hæreticis, Anglicani schismatis manifesta eruptio, Turcarum motus contrà Persam, & Barbarossæ contrà Muleassem.* Ricciolius, apud quem plura de hoc Cometa vide.

Anno Christi 1533. *Arsit Cometa Xiphias seu ensiformis. Sequuti sunt terræ motus in Germania, mutationes in Anglia, & contentio inter Carolum V. cum Gallo super Ducatu Mediolanensi.* Alstedius.

DEscribit hunc Cometen Buntingus (*a*), eique non pauca mala adscribit. Meminit ejusdem Fabricius (*b*). A Septentrione ortum fuisse Ricciolius infrà (*c*) testatur. Ubi etiam eum inter eos qui ab Oriente versùs Occidentem, sed obliquè

(*) In homocentr. l. 3. cap. 23. (†) In Astronom. Cæsar. part. 2. (*a*) Chron. 1. part. (*b*) Memor. Saxon. (*c*) Loc. cit. cap. 4. Numero 16.

tranârunt

tranârunt, & ſpeciatim ab Hirco per Caſſiopeam in Boream, & in præcedentia contra ſignorum ſeriem ex Cardano (*d*) & Gemma Friſio (*e*) iviſſe, tum verò eum (ut & illum 1513. & 1556, & 1618. à die 20. Decembris) nunquam occidiſſe, utpote incluſum intra circulum ſemper apparentium, refert. Dum verò hunc Cometam (*f*) in conſequentia proceſſiſſe ait, in antecedentia dicere voluit, & ſupra, ut vidimus, dixit. Huic Cometæ ut & duobus, qui eum proximè præceſſerunt, Milichius (*g*) multa mala adſcribit. Ita verò ille: *Etſi autem res multæ memorabiles ſecutæ ſunt, tamen præcipui eventus adhuc impendent, aut certè cataſtrophe. Poſt hos Cometas Turci magnâ expeditione ſuſceptâ, bellum Germaniæ intulerunt, ſed parte copiarum Turcicarum in extremis finibus Germaniæ cæſa, Turci fugientes reduxerunt reliquos exercitus. In Dania aſperrimum bellum geſtum eſt, & ingens mutatio in regno facta. Facta eſt & mutatio in Anglia, & orti horribiles tumultus, qui multis præſtantiſſimis Viris necem attulerunt. In Germania ortus eſt tumultus Anabaptiſticus, & magno negocio urbs Monaſterienſis in Weſtvalis expugnata, & deleti ſunt Anabaptiſtæ. In Italia Franciſco Duce Mediolanenſi ſinè liberis extincto, rex Gallorum cæpit repetere Mediolanum à Cæſare Carolo. Deinde Gallus movit bellum adverſus Ducem Sabaudiæ, eumque Ducatu expulit. Cæſar ut defenderet Sabaudienſem, bellum movit adverſus Gallum. Turci eodem tempore bellum parantes, duxerunt exercitum ad Dyrrachium, ut trajicerent in Italiam. Sed cum intelligerent totam Italiam cum Cæſare Carolo conſentientem, in armis eſſe, metu retenti, reduxerunt exercitus in Thraciam. Hæc videntur initia eſſe ingentium bellorum, & diſcordiæ Germanicæ vix videntur habituræ placidam Cataſtrophen. Itaque nondum judico eventus denunciatos à Cometis præteriiſſe: monuit nos Deus, ut pietate & moderatione conſiliorum mitigemus impendentes pœnas. Hoc animo prodigia conſiderare nos oportuit, ut & Dei iram emendatione morum & precibus flecteremus, & moderatis conſiliis conaremur publica mala ſanare. Non enim probandæ ſunt illæ Stoicæ opiniones, quæ mutari aut mitigari fata, hoc eſt, impendentia bona aut mala negant.*

Cæterùm quæcunque huic Cometæ auctores tribuunt, ſueto naturæ curſu, aliàs citrà ullam Cometarum apparitionem evenire, ipſi fatentur. Sæpè obitus Principum, ſemper bella & ſeditiones habent ſua vitiorum portenta, quæ niſi adeſſent, Cometæ talia non patrarent. Terræ motus, turbines, grandines, fulgura, tonitrua, habent ſuas cauſas naturales. Ideoque ſine Cometis frequenter eveniunt. Et certè ſi longè vis Cometæ ſupra Lunam, & vel ſupra Planetas evecti à viſceribus terræ adverſis ventibus concuſſæ & trementis, multò longius à libertate humanæ naturæ abeſt. Henrici VIII. repudium quod Catherinæ legitimæ 20. amplius annis uxori, Caroli V. non novercæ (ut Rockenbachius ait) ſed materteræ, indignè & iniquè miſit (*h*), ut & ei inductæ Annæ Bolemiæ paulò poſt, Anno ſcilicet 1336. ſpecie adulterii decollatio, & 1540. Annæ Clivenſis iteratum repudium, nec non 1542. Catherinæ Hevardæ quintæ uxoris iterata pari obtentu adulterii decollatio, non Cometa, ſed inſita Principi illi temeritas, ſuperbia (*i*) & inſanus amor, vaga libido, uxores thalamo & tumulo intra paucos non tantùm menſes, ſed & (*k*) dies inaudito exemplo miſcens, vel alioqui pluſquam temerariè faſtidiens, meritiſſimo equidem pudenda effecit. Tanto magis quòd nec Catherina ſine ſuſpicione veneni, notante Jovio, perierit. Nec tamen læta Cometæ iſti deſunt omina, è veſtigio vel paulò poſt ejus apparitionem ſecuta. Eundem quem Cometa natalem habuit annum Eliſabeta Ferd. I. Imp. filia, Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ conjunx, tùm altera Eliſabeta Regina Angliæ, (*l*) vivum illud ſuæ ætatis miraculum, & ſingulare ſexus fœminei decus, tùm Henricus Erneſti Cellenſis Ducis Brunſuic. filius, tùm Wilhelmus Junior Princeps Auriacus, nec non Stephanus Bathoreus Princeps Tranſylvaniæ, tàndem Rex Poloniæ Inclytus. Proximo (*m*) Fridericus 2. Rex Daniæ virtutibus & rebus geſtis Clariſſimus Sereniſſimi Friderici 3. avus, Joannes Erneſtus Dux Saxoniæ, Carolus Princeps Anhaltinus, Leonora Ferd. I. Sophia Georgii Pii Marchionis Brandenburg. & Margaretha Erneſti, jam jam nominati Ducis Brunſuicenſis filia: ſequenti verò Wil-

(*d*) Cap 3. p 9. (*e*) Ibid. p. 10. & c 4. Num. 10. p. 27. (*f*) Ibid. Num. 11. (*g*) In Plin. l. 2. c. 25. (*h*) Sleid. lib. 10, 11, 13 & 14. Jov. in Chron. Thuan. lib. 1. hiſt. (*i*) Thuan. lib. 1. Jov. Chronic. Reg. Angl. ad 1538. (*k*) Jov. ibid. ad 1536. & 1540. (*l*) Jov. Chron. Antiqu. Brit. p. 329. (*m*) Auctor 14. tabb. geneal. Bucholz.

helmus

helmus ejus filius, Princeps egregius, Sereniſſimorum Ducum Georgii Wilhelmi, Joannis Friderici, & Erneſti Auguſti avus: Chriſtiani 3. Regis Daniæ gener: tùm Joannes Princeps Auriacus, Wilhelmi, quem modò nominavimus, frater: Anna Chriſtiani 3. Regis Daniæ filia, Auguſti Electoris Saxoniæ uxor. Ut aliorum Principum natales omittam, nuptias quoque hîc numerabo. Anno illo quo Cometes luxit, Henricus 2. (*n*) Catharinam Mediceam, 1535. verò Joachimus 2. Elector Brandenburg. Hedwigin Sigiſmundi I. Regis Poloniæ filiam, uxorem duxit. Inter hæc Anno 1534. pax Wirtembergica, ſequenti Monaſterienſis, captâ & exciſâ urbe ac ſeditioſis ſupplicio affectis, ingentem lætitiam attulit. Anno proximo Chriſtianus 3. ſuperatis difficultatibus multis pacem & regnum Daniæ; Philippus Dux Pomeraniæ matrimonium cum Maria Joannis Friderici Electoris Saxoniæ filia: Joachimus Erneſtus verò Princeps Anhaltinus, Sereniſſimi Joannis Georgii Principis laudibus magis magiſque noſtrâ ætate efflorescentis proavus: Philibertus, Badenſis, Ludovicus Mecklenburgenſis, Margareta Ferd. I. Urſula Erneſti illius Brunſuicenſis, & Barbara Philippi Landgravii Haſſiæ filia, vitam iniit. Hùc etiam referre licet Jacobi V. Scotiæ Regis cum Magdalena Franciſci Regis Galliæ filia connubium. Quamvis enim anno ſequenti, quo Cometes pariter luxit, fuerit contractum, apparitionem tamen ejus præceſſit, ipſis (*o*) ſcilicet Kal. Januariis initum. Sed & alibi triſtia lætaque bello & pace geſta videas. De illa Caroli expeditione Africana, ita Thuanus (*p*): *Annus proximus* (ſcilicet 1535.) *fuit illuſtris expeditione Tunetanâ, quæ & Cæſari gloriam, & Reipub. Chriſtianæ magnam utilitatem attulit, exſtructâ ad fauces lacûs arce, quæ, repreſſâ Turcarum audaciâ, navigationem antea piraticis excurſionibus infeſtam, hoc præſidio ſecuriorem Chriſtianis reddebat.* Idem Galliam hâc tempeſtate ab armis quieviſſe refert. Et mox graviter & prudenter armorum à Gallo contrà Franc. Sfortiam Mediolanenſem Ducem ſumtorum, occupatæ ab eodem Sabaudiæ, & belli inter Cæſarem & Gallum orti portenta, illa ſcilicet vitiorum oſtendit.

(*n*) Thuan. l. 1. (*o*) Sleid. l. 10. (*p*) Lib. 1. hiſt. pag. 11.

CCCLXXII. & CCCLXXIII. *Anno Chriſti* 1537. *menſe Januario Cometa veſperi verſùs occaſum, qui caudam verſùs Orientem porrexit, viſus eſt. Hunc deindè mox alius ſecutus eſt in ſigno Tauri, non procul à capite Draconis, quique comam verſùs meridiem direxit, & per ſeptimanas tres integras fulſit. Poſt hos Baſilea Rauracorum magno terræ motu concuſſa eſt. Anno ſequenti æſtas maxima ſecuta eſt, quæ à Martio uſque ad feſtum nativitatis Chriſti duravit. Fontes & flumina maxima exaruerunt, domorum ædificia ac ſilvæ Solis ardore incenſa ſunt. Regio Puteolanorum, per totum ferè biennium magnis terræ motibus ita agitata eſt, ut nulla domus integra, nullum ædificium extiterit, quod non ruinam minaretur.* Rockenbachius.

DUos Cometas liceat mihi cum Rockenbachio hîc numerare. Annon verò unus idemque Cometa, ut ſæpè fieri ſolet, mutatâ declinatione & aſcenſione rectâ fuerit, Mathematicis dijudicandum relinquo. Quæ triſtia & adverſa Cometæ proximi apparitionem aliquanto ſeriùs exceperunt, ut bella, cædes, & obitus Principum anno 1535 & 1536. hunc Cometen præceſſerunt. Secuta verò eum hoc anno non pauca læta: cumprimis Chriſtiani illius 3. Principis Glorioſiſſimi ſacro diademate decorati, ſed & Coſmi Medicei, ſapientiæ artibus clariſſimi auſpicia. Hujus anteceſſori mortem vaga libido & adulteriorum impudens conſuetudo exitium portendit & attulit. Annus iſte ut Cometæ, ita & Joanni 3. Regis Sueciæ, Sigiſmundi III. Regis Poloniæ parenti, Edoardo VI. Regi Angliæ, Ludovico Landgravio Haſſiæ, Chriſtophoro Marchioni Badenſi, Chriſtophoro Duci Mecklenburgenſi, Ludovico Comiti Naſſovio, & Catharinæ Erneſti Ducis Brunſuicenſis filiæ, natalis fuit. Fridericus 3. Elector Palatinus hoc quoque anno Mariam Margaretam Caſimiri Marchionis Brandenburg. filiam læto & felici matrimonio ſibi junxit. Ex hoc enim Sereniſſima Electoralis Palatina familia propagata orbem Chriſtianum laudibus complet.

CCCLXXIV. *Anno Christi* 1538. *Cometa mense Januarii post occasum Solis in signo Piscium, caudam longam ab occasu brumali versùs ortum æstivalem extendens, apparuit. Hunc mors Caroli Ducis Geldrensis, Joannis Ducis Clevensis, Georgii Ducis Saxoniæ, itidemque Isabellæ Caroli Imperatoris conjugis secuta est. Ignis propè silvam Herciniam & regiones finitimas de cælo cecidit. Vesuvius mons Italiæ ter hoc anno flammas igneas evomuit. Seditiones apud Gandavos contrà Mariam sororem Caroli Imperatoris motæ sunt, quas Carolus Imperator compescuit, sumpto supplicio de auctoribus. Deinde arcem in Civitate condidit, loco præsidii, ademptis quibusdam Urbi privilegiis. Viri armati, gladii, feretra aliæque visu terribiles figuræ & inusitatæ in cælo conspectæ sunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1538. *Visus est Cometa, qui portendit mortem Carolo Duci Geldriæ, Georgio Duci Saxoniæ & Isabellæ uxori Caroli V. Imperatoris* D. Herlicius. *Philippus Landgravius Hassiæ viso hoc Cometâ dixit, portendi adventum Hispanici exercitûs in Germaniam.* Eckstormius ex Phil. Melanch. epist. ad Camerarium.

Anno Christi 1538. *fulsit Cometes à die* 17. *Januarii ad* 21. *observatus Apiano in Piscibus cum cauda* 30. *gr. Petrus Surdus ait fuisse oppositum Saturno; cui successisse tumultus Florentinos contra Cosmum Magnum Hetruriæ Ducem: adventum Francisci Gallorum Regis cum magno exercitu in Italiam: colloquium Pontificis cum eo & Carolo V. infelix fœdus Christianorum contra Turcas, victo à Barbarossa Jo. Auria, qui erat præfectus Classis Venetæ, Hispanæ ac Pontificiæ.* Ricciolius.

Anno Christi 1538. *Apparuit Cometa igneo colore. Sequuta est epidemia multis in locis.* Alstedius.

NIhilò benignior Leovitius est in recensendis malignis Cometæ hujus operationibus, meliorum oblitus. Adnotat hunc Cometam & Fabricius in memorab. Saxon. Sifardo Cometa iste est ordine tricesimus quartus, cui ille suo & communi more multa tristia usque ad conventum sacrum Hagenoæ 1540. habitum, tribuit. Præter ea quæ paulò ante ad Cometam 1532. ex Ricciolio (*a*) attulimus, de hoc Cometa nil habeo dicere. Itaque ad eventus venio. De excessu Principum Cometæ tributo, non attinet amplius dicere. Mortuis tamen hoc anno natos opponimus: Joannem Archiducem Ferdinandi I. filium, Joan. Fridericum 3. Ducem Saxoniæ, Catharinam Dorotheam, (*b*) Georgii Pii Marchionis Brandenburg. & Mariam Joannis Principis Anhaltini filiam. Bucholzerus hoc anno Georgium Fridericum illius Catherinæ Dorotheæ fratrem natum putat. Ita hanc anno proximo natam fuisse oporteret (*c*). Huic certè anno ac verè paterno Jacobi Sturmii, Viri Consulari dignitate, & Joannis Sturmii eruditionis laude clarissimi studio; schola Argentoratensis felicissima natales suos debet. Hôc quoque anno Solymannus Sigismundum I. Regem Poloniæ in præficiendo Valachiæ novo Palatino prævenit. Pax hoc anno (*d*) inter Cæsarem & Gallum (quorum ad Aquas mortuas, Galliæ Narbonensis oppidum (*e*), conventus lætissimus extitit) coaluit, infida tamen. Sed hoc aliis quàm Cometarum portentis tribuendum est, quæ apud Serrem in vita Francisci Primi, tùm apud Thuanum l. 1. & alios Auctores videantur. Fabricius Anno 1538. Academiam Hafnienſem à Christiano III. Rege Glorioſissimo fundatam putat. Sed id potius ad tempora Christiani I. & annum 1478. ut Middendorpius, Adr. Roman. & ex eo Helvicus, tùm Amplissimus Huitfeldius Cancellarius in Chron. & Vir Eximius Erasmius Pauli Windingius Professor Geogr. & Histor. nec non Collegii Cancellariæ & Justitiæ Assessor (qui historiam Universitatis illius ex Regiis fundationibus & Rescriptis concinnavit) asserit, referendum est. Alstedius Anno 1539. à Christiano III. instauratam, à Friderico verò conditam perhibet. Sed potior est nobis Scriptorum Danicorum auctoritas

(*a*) Vid. Grav. disp. th. 8. § 2. (*b*) Auctor 14. tabb. (*c*) Sleidan. lib. 12. (*d*) Funcc. & Bunting. ad 1538. (*e*) Sleid. l. 12. Confer Serrem in Franc I. ad ann. 1538.

nitas, qui hanc suam celeberrimam Academiam à Christiano I. Anno 1478. fundatam, à Joanne filio Anno 1482. fundationem ejus confirmatam, à Christiano III. nepote Anno 1538. restauratam affirmant. Ideò & Alstedius (*b*) Anno 1539. à Christiano III. instauratam à Friderico vero conditam perhibet.

(*b*) Chronol. Scholar.

CCCLXXV. & CCCLXXVI. *Anno Christi* 1539. *mense Januarii Cometa antecessit mortem Georgii Ducis Saxoniæ.* Fabricius memor. Saxon.

Anno Christi 1539. 6. *Maji Cometa in Ariete versùs Solis occasum, caudam suam obscuram atque subalbam versùs meridiem dirigens, per* 3. *integras septimanas apparuit. Hunc in Italia, Brabantia magna annonæ caritas diraque pestilentia famesque secutæ sunt, propter quam multa* 1000. *hominum perierunt. Hunc quoque Eclipsis Solis anno sequenti in signo Arietis secuta est* 7. *Aprilis. Hanc æstas calidissima secuta est, & tanta ut præ æstu amnes aliique torrentes exsiccarentur. Incendia in Saxonia, Bohemia & vicinis locis magna fuerunt. Silvæ plurimæ propter ardorem Solis incensæ sunt. Turcæ Budam cum civitate conjuncta occupat, profligato magno exercitu Regis Ferdinandi, inque fuga multa* 1000. *sunt interfecta.* Rockenbachius.

Anno Christi 1539. *die* 24. *Maji arsit Cometa.* Buntingus. *Anno sequenti in Conventu Principum & Theologorum Haganoæ diem suum obiit Ericus Senior Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis septuagenarius.* Eckstormius.

Anno Christi 1539. *Cometa in Occidentali plaga apparuit sub initium noctis, qui caudam albam & subobscuram versùs meridiem vergebat: sequenti anno æstas fuit ferventissima, teste Stumpio.* Keckermannus.

Anno Christi 1539. *mense Majo iterum Cometa visus est, qui vesperi versùs Occasum & Septentrionem stetit, sub signo Virginis. Aliàs annus iste satis bonus, quod ad constitutionem aëris & annonæ attinet, fuit.* Bunting. in Chronol.

Anno Christi 1539. *Apianus observavit Cometam à die* 6. *Maji ad* 17. *tunc fuisse in Leone, cauda brevi atque obscura: motum ipsius fuisse contrà Ordinem Signorum, ac velociorem in Occidentem quàm sit motus primi mobilis. Ad hunc referunt clades ac turbas Misniæ, Turingiæ, Brandenburgicas & Brunsuicenses.* Ricciolius.

Anno Christi 1539. *Iterum fulsit Cometa. Sequenti anno æstas fuit ferventissima, quæ ipsas etiam silvas incendit, & flumina fonteſque exsiccavit.* Alstedius.

SOlus, quod sciam, Fabricius Cometam mense Januarii hoc anno apparuisse testatur. Distinctè tamen eum ante mortem Georgii Saxonis ponit, quæ in diem 17. Aprilis; ut Bucholz. Calvisius ex Fabricio & Auctor 14. tabb. geneal. vel in die 24. ut Buntingus ex Ebero affirmat, incidit. Leovitius suo more siniſtrum judicium fert de hoc Cometa, quem in Tauro ostendit. De posteriori Cometa nonnihil ex Ricciolio supra diximus, quæ non repeto. Cometam si sit infrà Lunam positus, vel aërem inferiorem trajiciat, aliquid ad ciendas tempestates vel inducendam terris siccitatem, & consequenter annonæ caritatem, famem, pestem, conferre posse, suprà diximus. Sed quid hæc ad liberrimas naturæ humanæ actiones? Solymannum tunc ambitionis, non ille Cometam secutus Solis æstus ad invadendam Hungariam accendit. Pacem tamen hoc anno Venetis petentibus dedit. Erico Brunsuicensi Duci Seni grandævo septuagenaria ætas mortem (quam Buntingus ei 70. & unum ætatis annum in 3. parte Chronic. at in Chronologia septuaginta tantùm annos assignans, & Auctor 14. tabb. in annum 1540. & alii ponunt) portendit. Scio & plures alios Principes hoc anno mortuos. Singulare exemplum hîc annotatur Georgii illius patris, & Friderici filii Ducum Saxoniæ. Ille religioni avitæ à Lutheri institutione metuens filio uxorem & Consiliorum moderatores dat: & mox filium simul in thalamo & tumulo videns, ipse eum ante utriusque Cometæ apparitionem * sequitur. Isabella Caroli 5. uxor hoc anno à Sleidano †, Buntingo & Bucholzero mortua ponitur, cujus tamen

* Fabric. memor. Saxon. Bunting. 1. part. Chron. † Lib. 12.

deceſſus paulo Cometam anteceſſit. Sed videamus contra natos Principes. Ludovicus Elector Palatinus, Sereniſſimi Electoris, laudibus noſtra ætate plus pluſque inclareſcentis, proavus, & Eliſabeta, Haſſiæ Landgravii Philippi filia, ejus uxor, tùm (ſecundùm rationes Auctoris 14. tabb. geneal.) Georgius Fridericus Marchio Brandenb. Barbara Ferdinandi I. & Eliſabeta Erneſti Ducis Brunſuicenſis filia hoc anno vitalem auram haurire cœpit. Proximus annus natalibus Caroli Archiducis Auſtriæ (qui, ut & pater Ferdinandus, quindecim liberorum parens, Auguſtas orbis Chriſtiani familias propagavit, & quò proavo Auguſtiſſimus Cæſar meritò gloriatur) Magni, Chriſtiano 3. Rege Daniæ, geniti, Joannis Regis Hungariæ, Principis Tranſylvaniæ, Bernardi Principis Anhaltini, Adolphi Comitis Naſſoviæ, Hedvigis Joachimi 2. Elect. Brandenburg. & Magdalenæ ejuſdem illius Erneſti Brunſuicenſis filiæ natalibus lætus & clarus evaſit. Mitto pluria ejuſdem generis. Attamen meritò tot Principum hâc tempeſtate natalibus, & Joſephi Scaligeri Principum Veronenſium ſanguine creti, & Reipublicæ literariæ Principis, & accuratiſſimi temporum emendatoris, addam. Præcedens quoque annus pace inter Ferdinandum Imp. & Joannem Regem Hungariæ compoſitâ, & huic Iſabellâ Sigiſmundi I. Regis Poloniæ filiâ in matrimonium collocatâ: hicce verò nuptiis (licet parùm, ut eventus docuit, auſpicatis) Henrici VIII. Regis Angliæ cum Anna Duce Clivenſi, tùm fertilitate frugum & ‡ vini, ejuſque ſingulari bonitate lætus fuit.

‡ Bunting. Chron. 1. & 2. parte. Bucholz. ad 1540.

CCCLXXVII. *Anno Chriſti* 1541. *Cometa viſu terribilis, formamque Draconis referens* 21. *Auguſt. caudamque igneam habens conſpectus eſt. Hoc anno Henricus Dux Saxoniæ* 15. *Cal. Sept. mortuus, ac in templo D. Virginis Mariæ Friburgi ſepultus eſt. Turca in Moravia, Sileſia & Auſtria crudeliſſimè graſſatur. Peſtis dira propè Rhenum in Germania & Auſtria dominatur, multaque* 1000. *hominum mortua ſunt. Eodem anno Wilhelmus Rogendorfius, Cacianerum ſecutus, Germanos milites Turcis prodidit. Pragæ incendium ortum eſt, quod Regi Ferdinando magnum damnum attulit.* Rockenbach.

Anno Chriſti 1541. *die* 21. *Auguſti apparuit Cometa in forma draconis, cum cauda longâ ignea.* Eckſtormius ex Schoſſero. *Anno ſequenti Ferdinandus Rex Ungariæ Budam obſidebat: Vidua igitur Joannis Waywodæ Turcam invocavit, qui obſidione depulſâ arte Budam viduæ extorſit, & 2. Septemb. urbem ingreſſus eſt.* Idem in hiſtoria Eclipſ. Solar. ex Sleid. l. 14.

Anno Chriſti 1541. *Cometam ſecuta eſt peſtis & expugnatio Budæ. Carolus V. infeliciter trajecit in Africam, multis navibus & militibus procelloſâ tempeſtate pereuntibus.* Alſtedius.

COmetam hunc Sifardus ordine 35. ponit, eique multa triſtia, bella civilia & ſacra (quæ tamen *ſua habent portenta* longè à Cometis diverſa) peſtem & exceſſus Principum, aliaque tribuit uſque ad Joannis Friderici Electoris Saxoniæ mortem, quæ 1554. evenit. De eventibus Cometæ apparitioni ejuſdem tributis non amplius attinet dicere, poſtquam tot exemplis ad oculum demonſtravimus, talia ab aliis cauſis, quàm Cometis proficiſci, præcipuè quæ à poteſtate mentis humanæ libera pendent. Deſinant itaque homines & hîc Cometis imputare mala, Budam videlicet dehinc & potiorem Hungariæ partem occupatam. Non hæc Cometa, ſed ambitioſa Chriſtianorum diſcordia portendit. At verò & Georgii Epiſcopi Varadienſis & Cardinalis, cui Joannes Scepuſienſis Rex Hungariæ, uxorem cum filio cognomine commendarat * perfidia. Is enim *ſe & Solymanni Turcæ, & Ferdinandi Auſtriaci infeſtiſſimorum inter ſe hoſtium amicum ſimulans, & prout res ſe daret, modò huic modò illi addictus, tandem Ferdinando Budæ Iſabellam cum filio annum obſidente ad Solymannum ſe recepit, & ab eo auxilia obſeſſis petit, & ſic & Budam & totam Hungariam Tyranno, qui ſe tutorem pupilli initio ferebat, tradit. Dehinc rebus Iſabellæ & pupilli conſulere volens, redit in gratiam*

* Orichov. Annal. 4. vid. Thuan. l. 9.

cum

tum Ferdinando, & certas conditiones in rem Isabellæ obtinet, eamque ad deferendam Transylvaniam & Hungariam, ad tradendum Ferdinando diadema inducit. Denique cum videret non stare promissis Ferdinandum, ab hoc ad Solymannum transfugit, quem contrà Ferdinandum proditis ejus consiliis concitat. Interim in tot & tantis fraudibus deprehensus jussu Ferdinandi (de quo tamen Sambucus (*a*) dubitat) *dolo dolosus homo interficitur.* Nunc itaque videndum est, annon his quæ Auctores enumerârunt, contraria Cometæ apparitionem secuta fuerint. Hoc ita esse, paucis dabo. Natos primùm Principes ex adverso mortuorum sistam. Pro Henrico Saxone (cujus tamen mors paulò Cometam antecessisse (*b*) scribitur) Henricum Nassovium, Hermannum Ludovicum Palatinum, Philippum Hessum, Ursulam Austriacam & Sophiam Brunsuicensem damus. Plura habere qui velit, tabulas Principum consulat. Non frustra eum fore, spondeo. Do auctarii loco & nuptias Mauritii Electoris Saxoniæ (*c*) cum Agnete filia Philippi Hessi, Wilhelmi Clivensis (*d*) cum Joanna Navarræa & Francisci Lotharingi (*e*) cum Christina Sfortiæ vidua, & splendidissimum ac Civitati Norinberg. lætissimum Caroli 5. Imperatoris ingressum.

(*a*) Orat. in obit. Ferdin. Luc. Veron. succeff. geneal. (*b*) Vid. Auct. 14. tabb. geneal. (*c*) Sleid. l. 13. (*d*) Id. ibid. Bunting ad 1541. (*e*) Sleid. l. 14.

CCCLXXVIII. *Anno Christi 1542. Cometa aspectu terribilis supra Constantinopolin flagrans per 40. dies visus est. Paulò post Rex Galliæ bellum Imperatori infert. Dux Henricus Brunsuicensis ex territorio proprio per Ducem Saxoniæ & Landgravium Hassiæ expellitur; Georgius Marchio Brandenburgensis, Marchionis Friderici filius 27. Decemb. anno sequenti mortuus est. Inter Anglos & Scotos magna strages facta est. Turca fulminibus crebris, terræ motibus magnum damnum passus est. Anno sequenti Turca in Hungaria, Albam Græcam, Granum civitatem, Quinque ecclesias grassando occupat: inde Comitia Noribergæ conscribuntur, in quibus Rex Ferdinandus auxilium Imperii contrà Turcam imploravit. 14. Junii Budæ fastigium turris S. Stephani vehementissimâ tempestate ad terram dejectum est. Sanguis in Diœcesi Monasterienst non procul à Warendorf ad castrum nomine Sosenburg pluit. Bellum inter Mauritium ac Joannem Fridericum Ducem Saxoniæ sedatum est. Locustarum magna copia multis in locis visa est, quæ in principio alis caruerunt, deinde 14. adeptæ agros multos pascendo devastarunt, agrumque Mediolanensem invaserunt.* Rockenbachius.

Anno Christi 1542. Horribilis Cometa suprà Constantinopolin visus est 40. diebus. Secuta est expeditio magna adversus Turcam, cui interfuit Mauritius Dux Saxoniæ annos natus 21. post Elector. Eodem anno vehemens ventus immensâ copiâ Locustas ex Lithuania adduxit in Poloniam & Silesiam, magno cum detrimento agrorum & pratorum, ubi consederunt. Die 29. Augusti suprà Vratislaviam volitantes densitate suâ Solis conspectum ademerunt alicubi hominibus. Eckstormius ex Schossero.

Anno Christi 1542. Cometam secuta sunt agmina noxiarum locustarum. Expeditio Christianorum in Turcam malè cessit, militibus morbo epidemico magnam partem extinctis. Vinum adeò acidum fuit, ut non fuerit potui. Appellatum est vinum Turcarum, ab infelici expeditione, cujus modò facta est mentio. Alstedius.

IDem de eventibus Cometæ hîc dico, quod toties dixi & demonstravi: tristia nempe à Cometis non effici, nec naturaliter significari, nisi & læta simul efficiantur & pariter significentur: cum utraque ei succedant. Id verum esse, hoc quoque loco videmus. Natales hic annus attulit Joanni Frider. Duci Pomeraniæ, Joannæ Ferdin. I. Imperat. & Mariæ Jacobi V. Regis Scotorum filiæ. Proximus Georgio Joanni & Joanni Casimiro Palatinis, Carolo Mansfeldico, Helenæ Austriacæ, Margarithæ Anhaltinæ & Christinæ Hessæ: sequens Francisco 2. Gallo, Bugislao Pomerano & Dorotheæ Susannæ Palatinæ. Mitto alia & pergo. Præcedens & hic annus nuptiis aliquot Principum læti fuêre. Illo Philippus 2. Mariam Lusitanam, Sigismund. 2. Elisabetam Austriacam: Magnus Mecklenburgicus Elisabetam Danam: isto Wolfgangus

Dux Bavariæ Neoburg. quem Sereniſſimorum Caroli XI. Regis Succiæ abavum, Neoburgici & Sultzbacenſium Principum proavum diximus, Annam Heſſam, Chriſtophorus verò Wirtembergicus, Pacificus dictus, Annam Mariam Brandenburgenſem vinculo connubii ſibi junxit. Hæc meritò iſti Cometæ ſubjicio, ut & anno 1543. initia Philippi 2. in regnis Hiſpaniarum, pacem Wilhelmo Clivenſi à Cæſare datam, anno verò 1544. pacem ſacram in Conventu Imperii (*a*) Spiræ inter Cæſarem & Proteſtantes, tùm inter illum & Gallum apud Crepiacum in Sueſſionibus (*b*) conventam, & Celeberrimam Academiam Regiomontanam ab Alberto Duce fundatam. Nam quamvis Rockenbachius, ex hoc Senertus, tùm Fromondus & Ricciolius Cometen ad ann. 1543. annotent, is tamen in hanc familiam recipiendus non eſt. Sed audiamus Rockenbachium. *Anno* (inquit) 1543. 4. *Non. Maji, non procul à Pfortenheim oppido Marchionis Badenſis, in pago Zelhuſen, Cometa magnus poſt Meridiem inter 4. & 5. diei horam viſus eſt, molarem lapidem ſuâ magnitudine ſuperans, caudamque ſuam verſùs Aquilonem dirigens. Hunc ignis de cælo in terram ſub forma draconis cadens ſecutus eſt, proximumque rivum omninò exhauſit. Deindè in agrum quendam volitans frugum partem magnam abſumpſit, inque altum ſe recepit, veſtigia hominibus horrenda poſt ſe reliquit. Wilhelmus Dux Clevenſis, Gallo adhærens, Imperatori Carolo in Brabantia multum negotii fecit, Antverpiamque obſidione cinxit. Mars per totam ferè Europam ſæviit, Smalandii Regi Guſtavo ſe opponunt, ſed Chriſtiani Regis auxilio ad obtemperandum coguntur. Carolus Imperator Duci Juliacenſi bellum infert, Gallumque in Germania Inferiori aggreditur. Gallus in Picardia oppidum Landerſe* (Landreſium) *contra Imperatorem commeatu auxilio Helvetiorum juvat, ſimulque regionem Lucelburgenſem ſuæ ditioni ſubjicit.* Audiamus & Ricciolium: *Anno* 1543. *ut ex Senerto narrat Fromondus, cauda Cometæ delapſa uſque ad quendam rivum, illum exhauſit: qua ratione Scaliger quoque exercit.* 79. *ait, Cometam ſui temporis viſum delabi: & hinc à ſimili Cometa ortam Phaëtontis fabulam putat Vicomercatus, ſed Tertullianus ex incendio ſuprà Sodomam.* Idem tamen Ricciolius prudenter infra (*c*) monet, caudas illorum Cometarum, quæ viſæ ſunt delabi in terram uſque, ad lambendos ac reſorbendos rivos, fuiſſe meteorologicas accenſiones Cometis ſimiles, ſed non propriè Cometas. Certè & Clariſſimus Vir M. Joannes Büthnerus, Math. Prof. Gedan. monuit me phœnomenon hoc non Cometam verum, ſed vel Draconem volantem, vel globum ardentem fuiſſe, & hiſtoriam ejus in poſterioribus Senerti editionibus omitti.

(*a*) Thuan. l. 2. hiſt. (*b*) Id. l. 1. p. 13 & l. 2. p. 23. Serres in Franciſco I. (*c*) Cap. 4. Numero 9.

CCCLXXIX. *Anno Chriſti* 1545. *Cometa in occaſu, ſanguineo colore, quique per aliquot dies flagrare viſus eſt, igne ſimul de cælo cadente apparuit. Paulò poſt Ludovicus Palatinus Elector mortuus, Henricus Dux Brunſuicenſis à Landgravio captus eſt. Lutherus verò anno ſequenti mortuus eſt. Bellum Schmalcaldenſe in Germania exoritur, in quo omnia miſerrimè acciderunt. Carolus Imperator cum exercitu & Maximiliano filio Ferdinandi Regis, Mauritio Duce Saxoniæ, Alberto Marchione Brandenburgenſi in Galliam proficiſcitur, ac Lucelburgum occupat, inde Lutetiâs proficiſcens omnia in itinere ferro ignique devaſtavit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1545. *Viſus eſt Cometa, quem ſequenti anno excepit bellum Smalcaldicum & perſecutio Gallica.* Alſtedius.

BElli Smalcaldici origo non eſt ad Cometam, ſed ad toties indicata vitiorum portenta, referenda. Chriſtianum non eſt inferre vel propulſare injuriam, idque armis & ob religionem, quæ nullâ re magis quàm caritate, modeſtiâ & patientiâ ornatur, fovetur, propagatur. Nec profectò vana ſunt illa Cæſaris apud Thuanum* verba: *Conſtat priſcis illis temporibus eos, qui ſanguine ſuo fidem pro veritate obſignârunt, non armis, ſed patientiâ, precibus ac lacrimis graſſatos, ut ſuam obedientiam approbarent, etiam profanis principibus paruiſſe.* Hoc dixiſſe ſufficiat, & iis quidem qui puræ veritatis capa-

* Lib. 2. ad 1546.

tis capaces sunt. Nam mundus antiquum semper obtinebit. Alioqui æquâ & lætâ pace ac omnium rerum ubertate omnes ubique gentium frueremur. Inter illum belli sacri strepitum, Fridericum Palatinum (a), Ulmenses, Francofurtanos, Bohemos, Mansfeldios, aliosque rem cum laude artibus pacis gessisse, tùm & Gallum anno 1546. (b) cum Anglo pacem iniisse novimus. Funus Ludovici Electoris Palatini post appa-ritionem Cometæ extulit Rockenbachius. Atqui ille anno integro (c) antè ortum Cometæ decessit è vita. Sed intelligit Ludovicum Bavarum Guilhelmi fratrem, quem Sleidanus l. 16. & Auctor 14. tabb. memorat. Mortuus autem eodem anno Francis-cus Lotharingus, relicto Carolo filio bienni, ut ibid. Sleidanus & ex eo Buntingus, annotat. Tùm Albertus Cardinalis Archiepiscopus Mogunt. proximo Ernestus Lu-næburgensis: anno verò 1547. Franciscus I. Galliæ, Henricus 8. Angliæ Reges; tùm Anna Ferd. I. uxor, & Frid. 2. Dux Lignicensis & Bregensis: postero Sigismundus I. Rex Poloniæ, Philippus Palatinus: sequenti Otto & Franciscus Lunæburgenses, & Margaretha Valesia, & pauci alii ad annum 1554. quo novus Cometes natus est. At intra hos aliquot annos quot non Principes nati sunt! Dabimus insigniora exempla, & in tabella quidem, quæ genealogiam magnæ Christianorum Principum partis ex-hibet:

Nati sunt Anno Christi

1545. Carolus Infans Hisp. Joan. Junior filius Christiani 3. Serenissimi Regis Daniæ hodierni patruus magnus: Carolus Dux Silesiæ Olsnensis & Munsterberg. Ernestus Ludov. Dux Pomer. Eberhardus Wirtemberg. Elisabeta Anhaltina.

1546. Joach. Frider. El. Brand. Serenissimi El. superstitis proavus: Albertus Palatinus Hedvigis Wirtembergica.

1547. Joan. Austriacus: Philippus Ludov. Serenissimorum Neoburgici & Sultzbacensium Principum avus, & Carolus Palatini, Georgius Pius Hessus.

1548. Wilhelmus Palatinus, Serenissimi Elect. Bavariæ avus.

1549. Barninus Pomeranus. Anna Austriaca Regina Hisp. Serenissimi Regis hodierni proavia, & Sabina Wirtemb.

1550. Carolus 9. Galliæ, Carolus Sueciæ Reges, Joannes Palatinus Serenissimi Regis Sueciæ hodierni proavus: Ferdinandus Bavarus: Joach. Frid. Lignicen. & Bregensis, Æmilia Wirtemberg. & Maria Eleonora Clivensis.

1551. Ferdin. Austriacus: Christoph. Palatinus: Anna Clivensis: hujus tamen natalem quidam in annum sequentem ponunt.

1552. Rudolphus 2. Imper. Henricus 3. Poloniæ & Galliæ Rex: Frid. 4. Lignicensis, Elisabeta Augusti Elect. Saxoniæ filia: Maria Maximiliana Bavara. Magdalena Lippiensis, & Eleonora Wirtemberg. utraque Georgii Pii Hassi Darmstad. conjunx.

1553. Henricus IV. Rex Galliæ, Serenissimi Regis Galliæ avus: Ernestus Austriacus: Albertus Frid. Brand. Dux Prussiæ: Maria Bavara, Augustissimi Cæsaris proavia: Magdalena Clivensis.

Nec lætæ Principum nuptiæ hîc tacendæ sunt. Anno 1545. Joannes Georg. Elector Brandenb. Sophiam Frid. 2. Ducis Lignicensis filiam: Lignicensis verò Dux Georgius Barbaram ejus sororem, & Wolfgangus ille Bavarus (ut Bucholzeri rationes ferunt) Annam Hessam, tùm Ericus Junior, Brunsuicensis Sidoniam Saxonicam: proximo Albertus Bavarus, Serenissimi Electoris Bavariæ proavus, Annam Austriacam Ferdinand. 1. filiam: tùm Wilhelmus Clivensis Mariam Annæ sororem: anno mox 1547. Joannes ille Georgius Sabinam itidem Brandenburgicam, priori mortua: sequenti Maximilianus 2. Imperator Mariam Caroli V. Sigismundus Augustus Barbaram Radziviliam, Georgii Castellani Vilnensis filiam, spectatæ formæ & morum

(a) Alsted. Chron. relig. Thuan. l. 2. (b) Jovii Chron. fine. (c) Bucholz. Auctor 14. tabb. Leovit. Chytr. Calvis.

elegantiæ

elegantiæ fœminam: Augustus Saxoniæ Elector Annam Christiani 3. Daniæ: Antonius Borbonius Henrici 4. pater Joannam Henrici Albretani Navarræ Regis filiam: at 1550. Wilhelmus Auriacus Annam Egmondanam: denique anno 1553. Sigismundus Augustus Rex Poloniæ Catherinam alteram Ferdin. 1. Imper. filiam, in uxorem accepit. Sed & de nuptiis Principum satis. Inter hæc Anno 1547. Hamburgenses, Lubecenses, Brunsuicenses & Pomerani Cæsari conciliantur: Mauritio in locum Joannis Friderici captivi Septemviralis dignitas paulò post collata, à captivo tamen Academia Jenensis sive Salana instituta. Barbara illa Radzivillia (*a*) contrà multorum Procerum, Domui Radzivillianæ, licet alioquin illustrissimæ, & paulò antè novâ dignitate Principum Imperii (*b*) (quæ Nicolao Radzivilio Magno Magni Ducatûs Lithuaniæ Marschalco & Regis Sigismundi 1. Oratori, Heroi non minus antiquitate & splendore generis quàm virtutibus & meritis splendidissimo, in Comitiis Augustanis à Carolo V. Imperatore data erat) auctæ, tantum in æquali Republica honorem à Rege habitum invidentium, vota & studia, Rege diadema potius (*c*) quàm uxorem relinquere volente, & Reginæ nomen & diadema regium Anno 1550. accepit. Sed hâc paulò post mortuâ, Sigismundus Anno 1553 Catharinam Elisabetæ primæ uxoris, quam Anno 1549. (*d*) Franciscus Mantuanus duxerat & viduam reliquerat, sororem in uxorem accepit, & mox eodem anno diademate insignivit, quo dum eum Leonoram Elisabetæ & Catharinæ sororem Caroli Mantuani viduam duxisse Auctor 14. tabb. dicit, frustra est. Inter hæc Anno scilicet 1550. Albertus Brandenburg. Dux Prussiæ felici omine & Annam Mariam filiam Erici Senioris Brunsuicensis duxit, & suam filiam Annam Sophiam Joanni Alberto Mecklenburgico despondit. Utraque enim numerosam posteritatem in Sereniss imis & florentissimis familiis, illa quidem Electorali Domo Saxonica, & Brandenburgica: hæc in Mecklenburgica vigentem, edidit. Mitto plura alia ejusdem generis: & nil amplius hîc dico, quam Anno 1550. (*e*) pacem inter Gallos & Anglos Bononiâ Gallis restitutâ esse conventam. Anno 1552. Saxoni & Hesso libertatem, ac Germaniæ adhuc bellis sacris ardenti (*f*) pacem esse redditam. Atque hæc est secunda pax sacra, quæ Passaviensis dicta, exemplo suo docet, frustra ob diversam de rebus fidei sententiam sanguinem humanum fundi, cum ad extremum libertatem tanto sanguinis impendio emtam concedi oporteat, quod toties Germania, Gallia, & Anglia, luculentis exemplis docuit. Pacem quoquè Anno proximo inter Augustum Saxonem & Albertum Brandenburgicum, Friderici Dani Principis non minùs Justitiæ & Pacis quàm belli artibus Clarissimi, qui Augusti Socer erat, operâ conciliatam, & Margaretam Valesiam, Henrici 2. Regis Galliæ filiam natam, Thuanus memorat l. 11. fine & l. 12.

(*a*) Orichov. Annal. 1. (*b*) Chron. Pol. (*c*) Orichov. Annal. 2. (*d*) Sleid. l. 21. (*e*) Buchan. l. 15. fine. Thuan. l. 6. (*f*) Id. lib. 10.

CCCLXXX. *Anno Christi* 1554. *Cometa igneo colore unà cum aliis miraculis in cælo apparentibus, quique caudam suam versùs occasum Solis direxit, per aliquot dies visus est. Paulò post Joannes Fridericus Elector & Dux Saxoniæ unà cum conjuge Sibilla dicta mortuus est. In patria mea Dunckelspuhel dicta, sanguis* 26. *Maji de cælo decidit. Albertus Marchio Brandenburgensis manus cum Schweinfordensibus conseruit, & in obsidione victus est. Pestilentia dira in Transylvania ac tanta fuit, ut non reperirentur tot homines, qui mortuos sepelirent. Tumultus in Anglia, Gallia, & Belgia maximi orti sunt.* Rockenbachius.

VIdimus suprà hunc Cometen apud Simonem Grynæum lætæ serenitati & fertilitati præluxisse. Bella hâc tempestate gesta & patratæ cædes habuerunt sua illa regnantium vitiorum portenta, & contraria sibique mutuò repugnantia studia: hinc inveterata & vel hæreditaria (*a*) odia. Thuanus (*b*) equidem auctoritate sua nobis præsto est. Is de Norinbergensi, Schwinfurtensi & aliis Alberti illius bellis agens,

(*a*) Strada l. 1. (*b*) Lib. 10, 11 & 13.

cum

eum nullam non movendi belli occaſionem captaſſe ait, & diſertè illa bella *ad ingenium ejus inquietum, violentum, & animum à pace ſemper alienum*, & tranſactioni Paſſavienſi iniquum, ac turbidam ferocitatem, refert, adeò ut etiam publicâ lege fortunis & patriâ iterum iterumque privaretur. Plura lib. 14, 15 & 16. in hanc rem videantur. Reliqua quæ Rockenbachius memorat, ſueto naturæ curſui tribuenda. Inter quæ & exceſſus Principum. Horum pauci hâc tempeſtate de vita diſceſſerunt. Bucholzerus, qui talia ſingulari ſtudio annotare ſolet, ad annum proximum Julii 3. P. Romani, Henrici Labretani Navarræi, & Eliſabetæ Brandenburgenſis exempla annotat. At natales Erneſti Bavari Electoris Colonien. & Caroli Ducis Mayniæ ad ann. 1554. ad proximum verò Franciſci Andegavenſis Ducis Alenſonii, (qui ſcilicet primùm Alenſonii, poſt Andium, ut infra videbimus, Dux fuit) Ottonis Henrici Brunſuicenſis, & Henrici Turrii Bullionæi ponit. Neque verò pluria exempla deſunt. Annum natalem cum Cometa communem Ludovicus Pius Wirtemberg. Eliſabeta Auſtriaca, regina Galliæ, & Anna Palatina; proximum Georgius Albertus Brandenburgicus, Carolus Fridericus Clivenſis, & Maria Auſtriaca (ut alios Principes in Palatina & Saxonica familia præteream) habuerunt. Illô Philippus 2. Mariam Angliæ Reginam, ultrà ſexum ad amorem & modeſtiam factum, conſcientiæ cauſâ (*c*) in ſubjectos ſævientem: hôc Joannes Fridericus 2. Saxo Agnetem Mauritii Electoris Saxonis viduam in uxorem accepit. Ille pariter annus pace inter Moſcum & Magiſtrum Livoniæ conventâ, & bello illo Alberti Brandenburg. quod Rockenbach. memorat, tùm diſſidio inter Auguſtum (*d*) & Joannem Fridericum Saxones finito; proximus fœdere inter Saxones, Brandenburgicos & Heſſos, tùm pace Paſſavienſi publicè confirmatâ (*e*), tùm verò abdicatione imperii per Carolum 5. factâ, & ita auſpiciis Philippi Secundi ejus filii in Hiſpania clarus fuit.

(*c*) Thuan. l. 7. (*d*) Thuan. l. 13. (*e*) Id. l. 16.

CCCLXXXI. *Anno Chriſti* 1556. *exiſtimatur Livoniæ motus inteſtinos, quibus Poloni & Ruſſi in Livoniam poſtea attracti ſunt, prænunciaſſe Cometa luridus* πωγωνίας, *radios inſtar ſcoparum ſpargens, qui menſis Martii initio propè* ἀνατολὰς *in ſigno Soli oppoſito primùm apparere, & tota nocte conſpici cœpit. Deinceps autem celerrimo motu ad Arcturum, indè ad Cepheum & Andromedam progrediens, & polo Arctico paulatim appropinquans, indè* εἰς τὰ ἑσπέρια *ad Arietem, in quo Saturnus, Mars, Sol & Venus erant, menſe Aprili acceſſit, ubi adhuc aliquot diebus ante Solis exortum conſpectus eſt. Carolus V. Cometâ primùm viſo;* His, *inquit*, indiciis me mea fata vocant. *Nam & ante Caroli Burgundi mortem ſimilis Cometa, quem Regiomontanus deſcribit, conſpectus eſt.* Chytræus Chron. Saxon. l. 18.

Anno Chriſti 1556. *Cometa* 8. *Martii* (*alii principium Martii, alii* 5. *ponunt diem Martii*) *veſperi in Occaſum uſque ad finem Aprilis colore pallido viſus eſt, qui poſtquam curſu celerrimo à Spica Virginis ad Bootem vel Urſam Majorem & Minorem properavit, inde rurſus ad Cepheum & Saturnum curſum dirigens, qui in Arietis ſigno fuit, Solem ante Paſchatis diem prævenit ita, ut aliquoties ante Solis ortum conſpiceretur. Hunc magna annonæ caritas ſecuta eſt, & tanta, ut multi homines fame morerentur, lueſque dira multa pecora interimeret, Italiam, Ungariam, Livoniam bella cruenta afflixerant. Calor æſtatis tantus fuit & tàm intenſus, ut amnes & torrentes præ æſtu exaruerint. Woyewoda auxilio Turcæ Tranſylvaniam ſuæ ditioni adjicit, Regique Ferdinando aufert. Inter Paulum IV. Pontificem & Philippum Regem Hiſpaniarum auxilio Regis Galliæ, qui Papam adjuvit, bellum funeſtum ortum eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1556. *die* 28. *Februarii, Cometa cœpit fulgere, & conſpectus eſt per duos menſes, magnam trahens caudam, pallidi coloris, magnâ celeritate tendens verſùs Septentrionem.* Eckſt. ex Buntingo Chronol. *Secuta ſunt hunc Cometam mors duorum Electorum Adolphi Colonienſis & Joannis Trevirenſis: clades pecoris: caritas annonæ in Belgio: peſtis: bellum inter Philippum Regem Hiſp & Paulum IV. Pontif. Rom. Bellum etiam fuit in Hungariâ, Livoniâ, Italiâ, Galliâ. Sub finem Junii hoc anno in Anglia XIII. propter ſincerioris religionis confeſſionem ad palum ſimul alligati cremantur. Philippus Rex Hiſpaniæ*

& Maria Regina Angliæ uxor, ſequenti anno bellum movent Henrico II. Regi Galliæ, Hiſpani & Angli ad S. Quintinum feliciter depugnarunt die 10. Auguſti. Cæſi ſunt quinquies mille, capti decies mille homines. De hoc Cometa eſt etiam apud Sleidanum lib. 26. Eckſtormius.

Anno Chriſti 1556. teſte Cardano viſus eſt ſub initium Martii Cometes, æqualis ferè Lunæ dimidio, crinibus non longis, nec conſtantibus, ſed velut in incendiis rutilantibus, ut in tædis dum ventus flat, fuſca erat, ac rubens & turbida. Addit Cardanus diebus 4. feciſſe gr. 75. ab ortu in occaſum & 30. ab Auſtro in Boream. Joannes Homelius quoque ipſius obſervator narrat die 5. Martii conſtitiſſe ſupra Spicam juxtà alam ſiniſtram Virginis, die 8. infra genu Bootis: die 9 juxta Arcturum, ut quaſi in maximi Circuli peripheria tenderet rectà verſùs polum Borealem Eclipticæ: & tunc uno die plus quam gr. 15. circuli illius confeciſſe: deindè aſcendiſſe verſùs polum Æquatoris magnâ velocitate, & inde quaſi ex culmine deſcendentem, ad Saturnum, qui tunc in Ariete verſabatur, contendiſſe. Sicut autem antea ex Libra contrà ordinem Signorum ſecundùm longitudinem proceſſerat: ita poſteà Saturni motum imitatum fuiſſe, ſecundùm ordinem Signorum progreſſum eſſe per Andromedam ad Signum Piſcium, ubi extinctus fuit. Addit, radios qui veſpere in Meridiem, mediâ nocte in occaſum fuiſſe converſos (†), neque comam huic à Sole averſam fuiſſe, donec à Sole remotus fuit minus quadrante Circuli. Cum autem à Sole & Ecliptica procul abeſſet, potius ſpectari tàm manè quàm veſperi, & aliquando non deſcendere infrà horizontem. Keplerus in Cometarum phyſiologia p. 113. ait Carolum V. fruſtra ſibi ab eo timuiſſe, cum diutius ſupervixerit, potius ergo turbas inter Reges Hiſpanum & Gallum, & in Livonia per Teutonicos, & pag. 129. eidem adſcribit diſſidia occulta inter Carolum ac Ferdinandum fratres. Ricciolius.

Anno Chriſti 1556. Apparuit Cometa. Deceſſerunt hoc anno multi Viri pii & docti. In multis Germaniæ partibus de reformatione Eccleſiarum anxiè laboratum eſt. Alſtedius.

Anno Chriſti 1556. pridie Non. Martii ingens & lucidum ſidus ſinuoſo flexu flammiferum crinem trahens, in octavo Libræ gradu per XII. dies continuos arſit: quo viſo Cæſar mortem ſibi portendi ratus omnia ad profectionem neceſſaria comparari juſſerat. Thuanus l. 17.

Anno Chriſti 1556. Henricus Junior Dux Brunſuicenſis nuptias celebravit Wolfenbyteri cum Sophia Principe Poloniæ menſe Februarii. Hujus menſis die 28. Cometa apparuit uſque ad ultimum Aprilis. Fuit ſinè dubio prænuncius prælii anno ſequenti ad Quintinum commiſſi. Buntingus 1 & 3. part. Chronic.

MEminit hujus Cometæ non tantùm Leovitius *(a)* pluria ſiniſtra ei adſcribens, ſed & Sleidanus *(b)* (qui 12. diebus incipiendo à 4. Martii apparuiſſe, at Fabricius *(c)* 12. noctibus conſpectum in fine Aprilis diſparuiſſe eum teſtatur) tùm & Bucholzerus & Calviſius edit. Lipſien. Lycoſthenes eum initio propè Eclipticam conſpectum eſſe in Libra, & curſu velociſſimo verſùs polum Arcticum progreſſum eſſe ſcribit. Keckermanus *(d)* ita de eo ſcribit: *Alius item menſe Auguſto & Septembre anno 1556. ab Æquatore ad Urſam recto curſu ferebatur ardentiſſimâ luce conſpicuus: qui tantus erat, ut non modò exſpirationes leviſſimæ & aridæ, ſed ne omnes quidem ſilvæ & nemora quotquot erant in orbe terrarum pabulo bimeſtri, quo luxit, ſufficere potuiſſent. Cardanus in præclaris ſuis alioquin Commentar. ſupra Quadripart. Ptolom. lib. 2. tract. 54. inquit: Volo narrare oſtentum, quod vidi, cum juvenis eſſem atque ſtuderem. Apparuit Cometes, cujus pars ſolida erat rotundæ figuræ, triplo major Venere, cujus claritate totus orbis illuſtrabatur, eratque lux ejus, quantum ſi quarta pars Lunæ luceret.* Hæc illi. Ricciolius cum reliquis eum initio Martii viſum eſſe aſſerit. Idem eum inter eos qui ab Oriente verſùs Occidentem (ideòque in præcedentia ſive c.S.S.) ſed obliquè tranârunt & totâ nocte luxerunt, vel nunquam occiderunt, collocat. Inde, ſi rectè annotantur Auctorum verba & rationes, ſuſpicio de duobus diverſis Cometis, altero verno, altero auctumnali, vel ſaltem uno qui reverterit, &, ut Buntingus refert, ex veſpertino matutinus evaſerit, oriri cuipiam poſſit. Sed Keckermannus dubium tollit, dum ſic ait*: *Anno 1556. menſe Martio apparuit Cometa, qui poſt aliquot dies diſparuit, &*

(†) Cauda an ſemper à Sole averſa. (*a*) De conjunct. Planet. Eclipſ. & Comet. (*b*) Lib. 26. (*c*) Memor. Saxon. (*d*) Syſt. Phyſ. l. 6, c. 5. p. mihi 893. * Loc. cit. p. 886.

poſtea

postea iterum fulgere cœpit teste Lavatero sub finem Catalogi Cometarum. Ubi etiam notandum, hunc Cometem Lavatero esse ultimum, & Catalogum ejus à Keckermanno 9. Cometis auctum esse Anni scilicet 1558, 1572, 1577, 1580, 1582, 1596, 1600, 1604 & 1607. Neque magnoperè Cometas ab initio mundi ad illa tempora trecentorum numerum superare putat. Sifardus, tùm Neuhusius, & ex hoc Schulerus, multa mala, quæ Europæ acciderint, ei tribuit. Secuta eum esse, meritò fateor. Sed eodem jure & bona ac læta eum excepisse affirmo. Annum illum calidum, siccum & maximè salubrem ac fœcundum fuisse, Thomas Erastus aliquoties in suo de Cometis commentariolo, & ex eo Magnus Dudithius (*a*) memorat. Ita hi pestem & annonæ caritatem, illi salubritatem & fertilitatem uni Cometæ tribuunt, certè subjiciunt. Credo utrumque cum hìc & illìc excepisse. Thuanus turbas illas (*b*) & cædes Anglicas à morte Edoardi Anno 1553. ortas memorans, Episcopos quoque & Concionatores se illi, Janæ Sufolciæ & Mariæ de regno certantium controversiæ immiscuisse, & ita hujus in regno prælatæ odium in se exciviſse, indicat. Bellis, quæ hôc & proximo anno gesta fuêre, opponere licet quinque annorum inducias (*c*) inter Cæsarem, Hispanum, & Gallum pactas. Quæ quòd mox violatæ in bellum verterint, non Cometæ sed vitio hominum tribuendum est. Audiamus Dudithium cum parrhesia ibidem loquentem: *O delirationem incredibilem! ô ridiculam & futilem rationem! longè alia est bellorum causa. Inspice consilia & actiones Principum ac Nationum, furores populorum considera, excute mores hominum, vitæque rationem omnem expende, refer oculos ad origines & causas bellorum civilium & externorum, quæ nullo adhuc Cometâ lucente excitata fuerunt ac vix sunt tandem multis cladibus restincta.* Pluria qui volet, legat. Digna equidem sunt lectu, ut omnia à Viro illo raræ tàm eruditionis quàm probitatis profecta. Alia belli illius inter Gallum & Hispanum exorti portenta, indicat gravissimus & candidissimus Historicorum Thuanus (*d*). Pontificem enim (erat is Paulus 4.) cum agnatis Caraffis, belli Hispanici cupidum, molestè inducias illas, se clàm conclusas, sibique, ut putabat, incommodas ægrè tulisse, & ad eas rumpendas, filio fratris, Paliani Duce creato, illoque loco singulari arte & industria munito, ac in partes spe Neapolitani regni injectâ pertracto, eodemque religione juramenti soluto Gallo, & ita Hispano in se excito, causam dedisse prolixè describit. Idem tamen hoc anno inducias (*e*) inter Pontificem & Albanum Hispanici exercitûs Ducem, proximo pacem coaluisse scribit, ita verò, ut bello Ferrariæ Ducem tantò acrius Hispanus urgeret, quemadmodum mos est Principibus bella ex bellis serere. Cujus rei exemplum & in sua Gallia ostendit. Hispanus enim pace cum Pontifice compositâ, bellum Anglicum, facilè in id inductâ Reginâ conjuge, Gallo conflavit. Atque hæc bellum Picardicum, prævalentes verò Hispanorum & sociorum copiæ Gallicam Sanquintinam cladem portenderunt. Juvat hìc & Stradam (*f*) tersi non solùm styli, sed & judicii Scriptorem audire: *Licet*, inquit, *Henricus & Philippus Reges, Cameraci, sub anni hujus initium, operâ Mariæ Angliæ Reginæ, pacti fuissent inducias in annos quinque, occasione tamen belli, quod inter Romanum Pontificem & Philippum Regem exarsit, circumacto nondum anno violatæ sunt; culpâ ab Hispano in Gallum, ab hôc in Hispanum invidiosè rejectâ. Henricus sive à Carafensibus ad bellum extractus, speciosam Pontificiæ tutelæ causam libenter amplexus est: sive non tàm causam, quàm exitum belli cogitans, haud temerè sibi persuasit, superandum à se novum inexpertumque armis Principem, cujus patrem militiæ veterem, gentiumque domitorem vinci demum posse, non uno documento palàm fecerat.* Hæc non alia istius belli inter Gallum & Anglum exorti portenta indicat & Serres; Pontificis scilicet animum Gallo addictum, & in partium Hispanicarum Purpuratos sævientem, mox eidem potentiâ Hispanicâ presso impositam Gallici auxilii implorandi necessitatem; tùm antiqua Regum & populorum odia, & Ministrorum ambitiosa ac avara studia. Natalis porrò annus iste Ottoni Henrico Palatino Sultzbacensi, Maximil. Wirtemberg. & Alberto Mecklenburg. fuit: alios ut mittam. Nisi quòd hùc etiam referri mereantur Matthiæ Imperatoris, Joannis Friderici Brunsuic. Friderici Palatini, & alterius

(*a*) Epist. ad Joannem Cratonem de significatione Comet. (*b*) Lib. 13. (*c*) Id. l. 17. Strada l. 1. (*d*) Lib. 17. (*e*) Lib. 18. (*f*) Lib. 1.

Friderici Wirtembergici natales, qui licet in annum proximum inciderint, Cometæ tamen apparitionem præcesserunt. Ideò & verbo moneo, ante hujus noſtri Cometæ apparitionem Electorem Trevirenſem, quem Eckſtormius memorat, ut & Palatinum mortuum eſſe. Illis, quæ ex Eckſtormio attulimus, ſubjicit is carmina de triſti Cometarum ſignificatione, facta à Philippo Melanchtone, Poëta ſanè egregio, qui & Magno Scaligero placuit. Sunt autem hæc:

Oſtendit terris & in aëre multa ſereno,
Irrita nequaquam ſigna futura DEUS.
Signaque naturæ quæ non imitantia leges,
Portendunt ſubitum non procul eſſe malum.
Vidimus hoc anno rapidum flagrare Cometen,
Sulcantem dubias multa per aſtra vias.
Quodque fuit mirum, vicino Sole Cometa,
Cum ſoleant primas arripuiſſe faces.
Non prius accenſos hic cœpit ſpargere crines,
Aſtrorum quàm dux è regione ſtetit.
Æquabat motu Phœbus noctemque diemque,
Udaque purpurei tempora veris erant.
Halitus è molli ſublatus ad æthera terrâ,
Cum rutilæ ſpeciem cœpit habere comæ.
Primùm, quâ cœli [illegible] *parte refulget,*
Semina flammarum conſpicienda dedit.
Altiùs Arcturi mox ad faſtigia pergit,
Sub rapido nullas dum facit axe moras.
Deniquè ſicca ſuper Cynoſuræ ſidera vectus,
Occupat Arctoæ ſigna ſuprema plagæ.
Inde gradum retrò facit, & quæ noſter Horizon
Aſtra capit, curſu proximiore legit.
Ac ſimul Auroram petit Eoumque cubile,
Phœbus anhelantes undè reducit equos.
Hic ſubit Jaſiden, & quæ te trans vada Ponti
Aërium, Perſeu, carpere fecit iter.
Candida cornigeri Phœbus jam lumina Tauri,
Nec modò Phryxeæ vellus habebat ovis:
Protinus illius veſtigia trita Cometes
Arripit, & Soli ſidera juncta tenet.
Hoc iter errantis multi vidêre Cometæ,
Qui fera Teutonicis damna minatur agris:
Sunt anni decies octo, quo tempore vixit
Dux, qui Burgundas Carolus auxit opes:
Tunc in ſupremâ ſimilis regione Cometes
Aëris horrifico miſcuit igne comam.
Is motu ſimili ſeſe per inane volutans,
Permenſus cœli climata multa fuit.
Aſtrææ primùm tenuit confinia Libræ,
Arctoi petiit culmina deindè poli.
Sed remeans illinc, medium quà circulus orbem
Dividit, aſtrigeram lumine texit ovem.
Nulla ætas vidit flagrantem impunè Cometen,
Non leve venturum nunciat ille malum.
Tunc quoque crebra tulit ſummis incommoda regnis,
Civiles motus, publica damna tulit.
Quippe ſecuturas ſtrages, triſteſque ruinas,

Atque

Atque tuæ retulit, Carole, signa necis.
Proxima vix ea post incendia venerat æstas,
Carolus Helvetico cæsus ab hoste cadit.
Tu quoque Tisiphone mundi, tu dirus Alastor,
Pestis & immensi fax, Mahomete, mali.
Paulò post fugiens cecidisti Hydruate relictâ.
Tandem blasphemos opprimit ira DEI.
Nunc quoque blasphemos tangent Turcosque Papamque
Adproperans Nemesis, judiciumque DEI.
Dogmata turbabit, passim sterilescere campos
Coget, & adducet tempora dura famis.
Sed quæramus opem divinitùs, atque precemur
Æterno gnatum de genitore Λόγον.
Filius æterni Λόγου effigiesque Parentis,
Assiduus custos agminis ipse sui,
Defendet sanctos inter mala plurima mundi,
Qui mitem toto corde precantur opem.
Cura sit interea vitam coluisse modestam
Omnibus, & verbi discere jura sacri.

Ut itaque & hîc aliis Cometarum apparitioni multùm tribuentibus unà satisfaciam, retribuo Eckstormio carmina Michaëlis Kirstenii, Viri & Poëtices & alioqui multæ eruditionis laude conspicui, amici mei, quæ in hanc rem Cometæ suo Heveliano inseruit:

Addidit Uranie. Forsan tu fata futura
Sollicitanda putas, & si qua adjuncta Cometis,
Quæ præscire velint homines: quæcunque per orbem
Eventura polus subitis denunciet astris,
Inprimis damna, & clades, & funera acerba.
Nimirum summi arcanos aperire recessus
Numinis, & divina homines prævertere tentant
Consilia. Et sæpè ex alto deducta petuntur
Quæ sunt ante pedes, debetque docere Cometa,
Quæ Deus ante satis dixit: mirandaque sola
Sidera sunt, cum sit majestas addita cunctis.
Non magis errores alibi, & vesania regnat.
Quod verum est tamen, exortis natura movetur
Talibus, & Mundus patitur per mutua vincla
Conspirans: molisque auctæ, motuque citatæ
Impulsu tellus radiosque & pondera sentit
Et magis huic illive potest incumbere parti.
Sed definitus qua clade prematur ab astris
Angulus, & quænam gentes quatiantur, & urbes
Antè alias, & nunc, vanum est promittere: nulla
Caussa subest. Cæli distinguere sidera fictis
Sortibus estque nefas, & pectora credula fallit.
Et quis diversos, & eodem tempore casus
Ignorat? Fausta infaustis per dissita passim
Conjungi loca? Quos potius fax edita pulsat?
Immò conspecto multi sunt prospera passi
Sidere crinito. Si vult Deus, omina mittit
Occulta, atque aliis naturam viribus auget.
Nos, quæ naturæ sunt, dicimus, & tamen illa est.

Tota Dei, cujus nutu ſupera ima reguntur.
Improba Chaldæos ludant, Arabeſque profanos,
Atque Dei immemores. Naturæ illuſtria quævis
Sunt documenta hominum generi, ſemperque loquuntur
Ardua: & inprimis oracula ſancta loquuntur.

CCCLXXXII. *Anno Chriſti* 1557. *Cometa in ſigno Sagittarii menſe Octobri formam gladii habens, verſùs occaſum apparuit. Hunc inundationes maximæ in Italia & Sicilia ſecutæ ſunt. Galli obſident urbem Cales ad ditionem Anglorum pertinentem, eamque ſuæ ditioni addunt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1557. *apparuit Cometa, qui portendit ſeditiones, quæ in Livonia ſequutæ ſunt.* Eckſtormius ex Herlicio.

Anno Chriſti 1557. *ſimile* (proximo Cometæ) *oſtentum in Occidentis plaga viſum menſe Octobre in ſigno Sagittarii.* Ricciolius.

HOc anno controverſiam 50. annis de ditione Cattorum Melibocorum, inter Ottonem Henricum & Auguſtum Septemviros, Vilelmum Clivenſem & alios agitatam, Francofurtenſis Conventûs auctoritate eſſe compoſitam*: Mariam Reginam Scotiæ Franciſco Delphino fuiſſe deſponſatam; Caletum & alia loca à Gallis eſſe recuperata, Thuanus & Serres memoriæ produnt. Quin & pacem inter Sigiſmundum Auguſtum & Wilhelmum Fürſtenbergium Archiepiſcopum Rigenſem ac Ordinis Gladiatorum Magiſtrum, in Livonia eſſe conſtitutam, Chronica Polonica perhibent. Hôc quoquè anno non tantùm Viros doctos, ſed & Principes multos mortuos & natos eſſe nemini dubium eſſe poteſt. Sophia Mecklenburgica Sereniſſimi Friderici 3. Regis Daniæ avia, & Sibylla Clivenſis hoc anno natæ ſunt. Hùc quoquè auſpicia Ferdinandi I. Imperatoris referenda, quæ etſi anno proximo facta fuerint, Cometæ tamen apparitionem anteceſſerunt. Leovitius tamen ea ad Cometam proximum profert. Cujus de Carolo V. & Ferdinando 1. fratrum Incomparabili pari, juvat audire judicium: *Menſe Septemb. qui fuit proximus poſt Cometam conſpectum, Carolus V. obiit in Monaſterio quodam Hiſpaniæ, Imperator potentiſſimus, & maximè fortunatus, in quo excellens ſapientia, ſummâ cum animi magnitudine & moderatione conjuncta fuit: cum ipſi paulò ante communi ſuffragio Principum ſubſtitutus eſſet Ferdinandus frater, Romanorum Rex, princeps vigilans, ſobrius, pacis & juſtitiæ amantiſſimus.* Quid ni hoc abavo, & illo patruo maximo Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus glorietur? Nempe

Fortes creantur fortibus, & bonis. Hor. 4. Carm. Od. 4.

* Thuan. l. 19. initio.

CCCLXXXIII. & CCCLXXXIV. *Anno Chriſti* 1558. *Cometa veſperi Solem ſequens Idib. Auguſt. ſub coma Berenices conſpectus, & caudâ ad Hiſpaniam, directa paulatim verſùs ortum uſque progreſſus ad Nonas Septembres evaneſcens, qui ſine dubio Caroli V. Imp. mortem portendit.* Fabricius.

Anno Chriſti 1558. *Cometa apparuit* 6. *Auguſti, qui caudam extendit inter occaſum & Septentrionem, erat pallidi & obſcuri coloris, & duravit uſque ad feſtum S. Bartholomæi.* Buntingus 3. part. Chron. & in Chronol.

Anno Chriſti 1558. *Cometa veſperi in ſigno Virginis pallidum colorem referens* 6. *Auguſti uſque ad feſtum Bartholomæi apparuit, caudam verſùs occaſum & Septentrionem extendens, formamque veru repræſentans, in Leone, ut quidam volunt, accenſus, ubi Mars & Mercurius in oppoſito Jovis curſum ſuum habuerunt. Hunc mors Caroli V. Imperatoris* 27. *Septembr. in Cœnobio morientis, Mariæ Reginæ Ungariæ, & Leonoræ, Sororum Caroli & Ferdinandi; Itemque Mariæ conjugis Philippi Regis Hiſpaniæ ſecuta eſt: anno autem ſequenti, Paulus IV. unà cum aliis Epiſcopis Prælatiſque ſicut & Dux Ferrarien-*

Ferrariensis Hercules dictus, ac Laurentius Dux Venetorum mortui sunt. Christianus Rex Daniæ & Christiernus, Dux Wilhelmus, Princeps Hennenbergensis, Otto Henricus Elector Palatinus Rheni, Henricus ejus nominis II. Rex Galliæ, Parisiis in equestri certamine, diem suum obierunt omnes. Dithmarsi à Duce Holsatiæ victi sunt, ipsosque suæ ditioni subjecit. Moscovitarum Rex in Livoniam irrupit igni ferroque omnia vastans. Rockenbachius.

Anno Christi 1558. Moscï irruptionem fecerunt in Torpatensem Livoniæ Provinciam, eamque misere vastarunt. Proceres ergò Dominicâ Oculi convenerunt, ut deliberarent, quid consilii in rebus deploratis caperent. Eodem autem tempore Torpati visus est ingens & horribilis Cometa, longâ & formidabili caudâ, qui universis inspicientibus terrorem incussit. Placuit igitur Proceribus, factis induciis pacem petere. Inter pacis tractationem foriè inducias violant Livones: Moscus ergò Livoniam hostiliter invadit, expugnans Narviam, Nienhusium, Torpatum. Eckstormius ex Arthusii Tom. 1. l. 1. Mercurii Germanobelgici.

Anno eodem à die 6. Augusti usque ad diem S. Bartholomæi visus est Cometa obscurus & pallidus, qui in comâ Berenices exarsit. Die 21. Septemb. obiit Carolus V. Imperator. Mense Novembri obiit ipsius nurus Maria Regina Angliæ. Rex Hispaniæ & Galliæ extrema tentare volentes, copias ingentes produxerunt, & præsentes apud exercitum fuerunt: Sed interventu pacificatorum post levia aliquot prælia pax est facta. Sequenti anno Calendis Januarii placidè obdormivit Christianus III. Rex Daniæ. Eckstormius.

Anno Christi 1558. ante Caroli V. mortem Cometa Idib. Sextilibus sub vesperam sub coma Berenices apparuit caudâ ad Hispaniam directâ, qui paulatim ad ortum vergens Non. Septembrib. evanuit. Chytræus Chronic. Saxon. l. 19. & Thuan. l. 21.

Anno Christi 1558. Fulget Cometa. Carolus V. abdicat se Imperio, cui succedit Ferdinandus frater. Initium belli Belgici incidit in annum 1566. ob inquisitionem Hispanicam. Alstedius.

Anno Christi 1558. Cometam veru imaginem habentem, conspectum Augusto per multas hebdomadas in Scorpio, cauda in Romam versa, narrat Joannes Prætorius & Fiornovellus. Hunc autem Fromondus putat prænunciasse Caroli V. obitum, qui fuit hoc anno die 21. Septemb. Alii dicunt caudam habuisse in Hispaniam conversam, & fuisse sub coma Berenices. Itaque hic potius est ille, à quo sibi timuit Carolus V. undè de illo manavit illud pentametrum ab ipso factum:

His ergò indiciis me mea fata vocant?

Mortua quoque est Maria Angliæ Regina Novemb. 17. eodemque die Reginaldus Polus, mortuæ item Reginæ, Poloniæ (corrige Galliæ) *& Hungariæ.* Ricciolius.

Anno Christi 1559. alius Cometa apparuit sub finem Maji usque ad diem 22. Junii in Oriente, mortuusque est Henricus 2. Rex Galliæ, & paulò post Paulus IV. & 15. Cardinales, Hercules Dux Ferrariæ, Rex Angliæ, Rex Lusitaniæ, Rex Daniæ, Dux Venetorum, multique Principes, & perfidia Hugonotarum erupit manifestius. Ricciolius.

COmetas hos ob eventuum cohærentiam simul hic ponere voluimus. Possem & tertium & quartum Cometam hîc putare, cum hôc anno 1558. alterum Cometam mense Martio Eckstormius Dorpati visum indicet, & anno 1559. alterum Cometam mense Novemb. fulsisse Clarissimus Olearius in Tertio Interveniente adnotet. Verbum addo de Leovitio, qui Cometam 1558. in August. visum memorat & maleficas, ut conjunctionum Planetarum & eclipseôn, ita & Cometarum vires certis non tantùm annis sed & mensibus circumscribit: Nempe hæc cuncta ut dulci æquæ libertatis voce, ita & tot meliorum eventuum respectu ad æquitatem & moderationem (ut hanc & ipsi in judicando servem) reduci posse. Hoc innuisse ultimi hujus Cometæ Leovitiani sufficiat occasione. Nisi quòd tamen hoc nobis istorum Cometarum eventibus demonstrandum speciatim sit. Itaque pergo. Multorum tristium infamiâ & invidiâ uterque Cometes gravatus est. Hanc allevare allatis proximis ei eventibus

bus lætis ſtudebimus. Ac primùm Eleonora Regina Galliæ, quam Rockenbachius & Leovitius memorat, longè antè Cometæ apparitionem fatis conceſſit. Multi præterea illorum Principum ætate graves fatis conceſſerunt, octogenarii ſcilicet vel etiam eis majores. Adhæc mortuorum Principum jacturam læta ſucceſſorum auſpicia compenſare ſolent. Proteſtantibus verò tam Mariæ Reginæ Angliæ mors & Mariani fluctus oppreſſi, (a) quàm Eliſabetæ auſpicia lætitiam attulerunt. Caroli V. mortem etſi ille ipſe, ut erat religioſus, ex communi ſenſu eam ſibi nunciari (quod etiam quodammodo ferendum eſſe largimur) per Cometam dixerit, magis diuturnus articularis morbus (b), qui ab anno quinquageſimo non jam per intervalla, ſed perpetuus aderat, *cujus vi exanimabatur interdum*, & ex quo non diuturnam Cæſaris vitam fore Andreas Veſalius princeps Medicus auguratus fuerat, magis magiſque ingraveſcens & *ſuprema interminans*, quàm Cometes attulit vel portendit. Ideò Strada (c): *Mortem ejus clara cælo terraque ſigna comitata ſunt. Paulò enim poſtquam ægrotare cæpit, viſus in Hiſpania Cometes, initio non admodum illuſtris, ſed qui ſubcreſcente morbo per eadem incrementa lucem intenderet: donec verſo in Hieronymianam ſedem ferali crine: quâ horâ Carolus vivere, ille videri deſiit.* Ita hicce Cometes diutius in cælo durârit, quod alii non prodiderunt. Henrici 2. Regis Galliæ exceſſûs aliud portentum animadverto. Nam ut multos ob religionis Lutheranæ confeſſionem Rex durius tractaverat, ita & Annam Burgum in Suprema Regni Curia Senatorem, ob parrheſiam juſtam in carcerem detruſerat, & ſe propediem eum rogo impoſitum viſurum minatus eſt. Inter hæc (d) in ipſo nuptiarum ſororis Margaretæ Emanueli Philiberto Sabaudo deſponſatæ, apparatu & haſtiludio, dextrum oculum, mox & vitam, ne tetrum illud facinus videret, amiſit. Minas illas fide nobilium Scriptorum refero: non immemor dicti Thuanæi (e), *turbatis odio aut amore animis, ut fit religionis diſſenſionibus, pro ſe quemque omnia ſuperſtitioſe interpretari.* Nuptiæ tamen ſororis ejus paulò antè obitum ejus celebratæ. Anno verò proximo, Franciſci filii ejus nuptiæ cum Maria Scota, magna ſolemnitate, ut & Joannis Frider. Saxonis cum Eliſabeta Palatina, & Georgii Friderici Brandenburgici cum Eliſabeta itidem Brandenburgica celebratæ. Annum natalem cum Cometa communem, Maximilianus & Andreas Auſtriacus, ille in Regem Polonum electus, hic Cardinalis poſtea creatus, & Joannes Sereniſſimorum Ducum Mecklenburg. avus, habuêre. Hos mox Albertus Auſtriacus clariſſimus ille Cardinalis & Gubernator Belgii, Auguſtus Saxo, Philippus Badenſis, Barbara Palatina, Dorothea Urſula Badenſis, Dorothea Maria Wirtemberg. aliique quos mitto, exceperunt. Is quoque annus 1559. nuptiis (f) Philippi 2. cum Eliſabeta, & Caroli Lotharingi cum Claudia Henrici 2. filiabus lætus fuit. Priorem annum ſalubrem & fœcundum apud Eraſtum, Dudithium & Grynæum vidimus. Porrò artibus pacis hâc tempeſtate, ut alibi, ita & in Livonia, geſta ſunt multa. Pax enim inter Hiſpanum (g) & Ferrarienſem, tùm inter Genuenſes & Turcas, denique inter Brandenburgicos agnatos, Saxones, Heſſos alioſque anno 1558. compoſita. De illâ quoque inter Hiſpanum, Anglum, & Gallum, pace ad Cameracum tunc agi cœptum, quæ mox anno proximo (h) concluſa, &, ut illa religionis in Germania, ſancita eſt. Atque hîc de hac inſigni eaque publica Chriſtiani orbis lætitia & utilitate, quam iſta pax attulit, audiendus eſt Strada (i): *Nuncium pacis, quæ in Cameracenſi oppido, poſt longas diſceptationes, aperiente ſe vere prodiit, tanta Chriſtiani orbis, tædio bellorum feſſi, ſecuta eſt lætitia, rarò ut majora memorentur indicia geſtientium populorum.* Lætum hunc annum & induciæ (k) Scoticæ à præſentiſſimo belli diſcrimine conſervatæ, (l) mox fœdus inter Anglos & Scotos, tandem integræ pacis Scoticæ, non tantùm Angliæ & Scotiæ, ſed & Galliæ ſalutaris commoda (m) reddiderunt. Hoc quoque anno Livonia Moſcicæ potentiæ impar tutelæ Regis Poloniæ ſe credidit, & Reipublicæ acceſſit, eique ſe adjunxit, atque ſic tyrannide Moſcoviticâ liberata eſt. Ut taceam interim victorias lætas, quæ variis Principibus intrà hoc biennium obtigerunt, præſertim Fri-

(a) Antiquit. Brit. in fine. Camden. part. 1. hiſtor. Eliſab. initio. Alſted. Chronol. relig. ad 1558.
(b) Strada lib. 1.
(c) Lib. 1. p. 17.
(d) Serres in Henrico 2. Chytr.
(e) Lib. 1.
(f) Thuan. l. 23.
(g) Thuan. lib. 20.
(h) Id. l. 22.
(i) Lib. 1. p. 28.
(k) Bucholz, l. 16.
(l) Thuan. l. 24.
(m) Buchan. l. 17. initio. Thuan. l. 24.

derico

derico 2. Dano, Tertii hodie feliciter regnantis avo, cui auguſtum diadema 1558. impoſitum eſt, & qui diuturnis bellis Dithmarſicis (*n*) feroci illa gente, Principi tàm armorum quàm virtutum gloriâ Præclariſſimo ſeſe dedente, lætum finem luculento cum regnorum ſuorum commodo impoſuit. Cæterum belli Livoniæ à Moſco illati portentum, ipſe Eckſtormius indicat, violationem ſcilicet induciarum à Livonibus factam, cui levem in ſervandis fœderibus Moſcorum fidem addere licet. Hùc etiam res lætæ anno 1560. geſtæ, quæ Cometæ proximi apparitionem præceſſerunt, refe-rendæ ſunt. Nempe Chriſtianus Elector Saxoniæ, Princeps omnibus animi & cor-poris ac fortunæ dotibus ornatiſſimus, Sereniſſimi Joannis Georgii 3. qui Septemvi-ralem dignitatem hac tempeſtate feliciter tenet, proavus: Carolus Palatinus, Erne-ſtus Fridericus Badenſis, & Wilhelmus Ludovicus Naſſovienſis, prius quàm Cometes proximus nati ſunt. Hîc etiam dicendum eſt, Ludovicum Electorem Palatinum, Se-reniſſimi Caroli Ludovici eandem dignitatem feliciter obtinentis proavum, Eliſabetam Philippi Heſſi, Joannem Wilhelmum Saxonem, Dorotheam Suſannam Friderici 3. Electoris Palatini, Julium Brunſuicenſem Hedvigim Joachimi 2. Electoris Brandenb. & Philippum Juniorem Brunſuicenſem, Claram Henrici Junioris Btunſuicenſis, agnati, ſed multis gradibus ab ſe remoti, filiam in uxorem accepiſſe. Atque hæc quidem feliciori quàm anno ſuperiore ſoror Eliſabeta Magdalena, Franciſco Ottoni itidem Brunſuicenſi, qui paulò poſt nuptias defunctus eſt, nupſit. Verbum addo de fune-ribus Principum, quæ Cometis tributa hîc ſunt, Regem Luſitaniæ Joannem (*o*) & Reginam Poloniæ Bonam illam Sfortiam, Anno 1557. non 1558. Regem Angliæ nul-lum 1559. (Maria cum Philippo ab Anno 1553. ad 1558. regnante) mortuum eſſe.

(*n*) Vid. Chriſtiani Cilicii hiſtoria belli Dithmarſici libris duobus comprehenſa. (*o*) Bucholz. Calviſ. & alii ad ann. 1557.

CCCLXXXV. *Anno Chriſti* 1560. *menſe Decemb. Cometa per ſpatium* 28. *dierum in Gallia viſus eſt. Hunc in Gallia, apud Papiſtas contra Catholicos perſecutiones maximæ ſunt ſecutæ. Rutheni Moſcovitæ in Lithuania & regionibus finitimis ferro omnia devaſtarunt per annos aliquot. In Bohemia, Moravia, Auſtria, Stiria viciniſque locis plurimis peſtis dira (aliis ſignis terribilibus in cælo unà apparentibus) inter homines graſſata eſt, ſicut & Noribergæ multa millia hominum ex eadem lue perierunt. Bellum inter Regem Daniæ & Sueciæ diuturnum ortum eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1560. *In Galliis, diebus* 28. *viſus eſt Cometa. Menſe Aprili Witebergæ obiit M. Philippus Melanchton. Menſe Decembri è vitâ deceſſit Guſtavus Rex Sueciæ.* Eckſtormius.

Nll de hujus Cometæ ſitu vel motu vel magnitudine annotant Auctores, qui mihi ad manum ſunt. Itaque ſtatim ad eventus eum ſecutos deveniendum eſt. Perſecutiones religionis cauſâ, non Cometes ſed iniqua & crudelis arrogantia, quæ in animis hominum in hoc ſeculo præpotentum plerumque obtinet, portendit. Ca-veant modò qui viribus inferiores ſunt, ne ſe ullo rebellionis vel etiam immodeſtiæ & temeritatis ſcelere contaminent, & partis in patria prævalentis invidiam proprio jumento, ut eſt in proverbio, ſibi accerſant. Nam & hîc ſæpè peccari, fateor. Bel-lorum portenta toties vidimus & videmus, ut nil attineat plura de iſtis hoc loco di-cere. Guſtavus, quem hîc Eckſtormius nominat, ante Cometam menſe Septemb. decurrente, ut Thuanus, Buntingus, Bucholzerus, & Calviſius notant, in vivis eſſe deſiit. Pro Philippo Melanchtone potius Eckſtormius Philippum Ducem Pomeraniæ hoc anno (longè tamen ante Cometæ apparitionem) mortuum dixiſſet. Plures enim tunc Viri docti mortui, ſed & nati erant, ſcilicet Caſp. Bauhinus, Janus Gruterus, & Conradus Ritterſhuſius. Verum & natos hoc anno Principes ſupra diximus. Qui-bus Carolum Auſtriacum, Joannem Fridericum Saxonem, Erneſtum Fridericum Ba-denſem & Sigiſmundum Auguſtum Mecklenburgicum addimus. Hîc etiam nuptias Joachimi Erneſti Anhaltini cum Agnete Wolfgangi Comitis Barbienſis filia meritò pono. Eodem anno, quo Cometes, natus eſt, Franciſcus 2. Rex Galliæ, ejuſdem

menſis die quinta (*a*) (licet Serres 14. diem ponat, mox libertate Condæi die 10. Dec. extremo ſupplicio afficiendi refutandus) Comete jam orto & lucente, ſupremum diem obiit. Ideò & Thuanus (*b*) certiſſimum ejus mortis nuncium Cometen hunc vocat. Sed erant alia Cometis certiora quæ ei mortem portendebant. Morbus nempe inveteratus & *adverſa ab infantia valetudo & pravus corporis habitus*, ut ait Thuanus, (*c*) ideoque & ante ortum Cometem VI. Kal. Dec. indice ipſo Thuano (*d*) deſperata à Medicis Regis ſalus, tùm verò & feralis ſententia in Ludovicum Condæum Regii ſanguinis Principem, Proteſtantium, qui illâ tempeſtate Hugonoti appellari cæperant, Ducem, perduellionis accuſatum, ab hoc tamen crimine paulò poſt abſolutum, annitentibus Guiſiis, Regem adoleſcentem cum Catharina Medicea matre regentibus, lata. Ita mors Regis, vita Condæi, ſicut olim in Sicilia mors Conradini vita Caroli fuit. Annus ille Cometæ noſtri natalis, induciis inter Ferdinandum & Solymannum initis: pace religionis in Galliis ſancita; ſequens coronatione Erici Sueci, & Caroli IX. Galli: victoriâ Valdenſium de Sabaudo perſecutore miraculoſè obtenta (*e*), pace ipſis ad Cavortium datâ; publicâ Condæi abſolutione: edicto de pace religionis, quod à tempore Julianum dictum eſt: colloquio Poſſiacenſi, (quod à Thuano (*f*) deſcriptum lectu dignum eſt) Livoniâ Poloniæ ſociatâ: & natalibus vel nuptiis Principum, ut & duo anni ſequentes, Cometæ proximi apparitionem antecedentes, clarus & lætus fuit. Natales Wenceſlai Auſtriaci Maximiliano 2. & Maria Caroli V. filia geniti (quem anno vertente Fridericus frater ſecutus eſt) Friderici Wilhelmi Saxonis, Caroli Emanuelis Sabaudi, Mariæ Eliſabetæ Palatinæ, Ertmundi Brandenb. & Annæ Wirtembergicæ, annum à Cometæ apparitione proximum lætum reddiderunt. Pariter nuptiæ Wilhelmi Auriaci cum Anna Mauricii Electoris Saxoniæ filia unicâ, magnâ ſolemnitate Lipſiæ celebratæ, & præſentiâ ut aliorum Principum, ita inprimis Friderici illius Daniæ Regis Glorioſiſſimi decoratæ, tùm illæ alterius Wilhelmi Urſini de Roſis, Gubernatoris Domûs Roſenbergicæ, cum Sophia Joachimi 2. Electoris Brandenburgici, denique Arnoldi Comitis Bentheimenſis cum Magdalena Erneſti Brunſuicenſis filia. Tum verò inprimis illæ, quas Wilhelmus Junior Dux Lunæburgenſis, cum Dorothea Chriſtiani 3. Regis Daniæ filia, cum maximâ ſolemnitate Cellis celebravit. His enim Fridericus 2. Rex Daniæ Sponſæ frater, Auguſtus Elector Saxoniæ, multique alii, Brunſuicenſes, Lunæburg. Mecklenburgenſes & alii Principes interfuerunt. Hanc lætitiam quam Domui Brunſuicenſi quartum cum Regia Domo Danica fœdus matrimonii attulit inſignem, mox alia auxit, Julio illi Duci Magnanimo, Wilhelmi agnato, Sophia Hedviga, nec multo poſt, Anno ſcilicet 1563. ipſi Wilhelmo Sophia primogenita filia nata. Ex hac occaſione meritò addam rem ejuſdem temporis & argumenti minimè mihi prætereundam. Auguſtus ille Septemvir ex Friderici 2. & Dorotheæ illius ſorore, Anno 1563. filiam Dorotheam ſuſcepit, quæ poſtea 1583. ut & 1590. Eliſabeta Friderici illius filia, Henrico Julio Julii illius filio, Wilhelmi agnato (quem Auctor 14. tabb. anno 1562. putat, Buntingus & ex eo Bucholzerus 1564. affirmat natum eſſe, uterque lætas & felices illas Wilhelmi Lunæburgici & Danæ nuptias fuiſſe in numeroſa poſteritate demonſtrat) nupſit. Non facilè profectò dantur tàm frequentia matrimoniorum, quàm inter Auguſtam Danicam & Sereniſſimam Brunſuicenſem ac Lunæburgicam familiam fœdera. Annum inter hæc 1562. Friderici Wilhelmi Saxonis, Caroli Condæi, Jacobi Badenſis, Joannis Wilhelmi Clivenſis, & Annæ Mariæ Badenſis: proximum Friderici Saxonis, qui, ut Joannes Fridericus paulò antè nominatus, Joanne Friderico 2. & Eliſabeta Palatina genitus eſt, Henrici Lotharingi, Joannis Alberti Solonenſis, aliorumque multorum Principum natales inſigniverunt. Niſi & nuptias, ibi quidem Joannis Finlandi cum Catharina Jagellonia, Sigiſmundi Auguſti, & Popponis Hennebergenſis cum Sophia Henrici Brunſuicenſis & Lunæburgenſis ſorore; hîc verò Georgii Joannis Palatini cum Anna Maria Guſtavi Regis Sueciæ filia, & Ludovici Heſſi cum Hedvige Wirtembergica addam. Maximilianus 2. ſicut anno ſuperiori Rex Romanorum & Bohe-

(*a*) Thuanus. Petavius. Bucholz. Bunting. Calviſ. (*b*) Thuanus l. 27. (*c*) Lib. 26. p. 531. (*d*) Lib. 26. p. 530. (*e*) Thuan. l. 27. (*f*) Lib. 28.

morum;

morum; ita hôc anno Rex Hungarorum renunciatus est. Inter hæc bellum sacrum in Galliis Anno 1562. licet ejusdem anni edicto illo Januario (g) pax sancita fuerat, exarsit. Sed si Hispanicæ artes, quæ Antonium Navarræum credulum à Protestantibus abstraxerunt (h), eisque & Ludovico Condæo fratri commiserunt, (quæ temeritas ei mortem portendit & è vestigio attulit) tùm sæva Catherinæ Regiæ matris (i) & Guisiorum imperia, tùm & audacia quorundam ex Protestantibus instituta abfuissent, Cometa profectò illud non accendisset. Inter illa tamen exitialis belli Sacri, Galliæ viscera depascentis, tristia, non deerat lætæ spes (k) iterata pacis, quæ etiam (l) Anno 1563. sancita fuit. Non est hîc silentio prætereunda gemina Polonorum victoria. Nam Anno 1563. & Stanislaus Lesniowolski Castellanus Czerscensis ad Nevlam, & Nicolaus Radzivilius Palatinus Vilnensis & Lithuanici exercitûs Imperator, Princeps non tantùm bellicis laudibus sed & virtutibus ac pietate Inclytus (ita ut Thuanus (m) meritò virtutes in eo cum natalium splendore certasse dixerit) ad Ulam memorabiles victorias de Moscis Livoniæ, imò & Lituaniæ incubantibus, & pacem ab Augusto oblatam superbè respuentibus, obtinuerunt. Lætis & tristibus Cometæ nostri eventibus meritò subjiciam memorabile vicissitudinis rerum humanarum exemplum. Hoc nobis Jacobi Heraclidis Basilici Despotæ læta fortuna & tristis exitus præbet. De cujus genere & in Moldaviæ principatum per Albertum à Lasco, Stanislaum Lassocium Succamerarium Lencicensem & Hieronymum Philipovium, ut & Thuanus (n) memorat, introductione varia sunt judicia. Non enim dubitarunt jam tunc nostræ Ecclesiæ, quæ non aliter quàm Christiana vocari gaudet, hominibus per Calvinianos à societate sacra in Conventu Petricoviensi Anno 1565. depulsis, partes illas secuti, ad conciliandam nostræ parti invidiam hanc Lassocii & Philipovii operam Amico præstitam, quasi Reipublicæ noxiam exprobrare & in publicum siniströ (o) interpretari. Non tàm Philipovii proavi materni, qui Lassocium fratris loco habuit, quàm veritatis amore pauca hîc ex Annalibus M. S S. Stanislai Budzinii, qui Philipovio à ministeriis erat, & Despotam ac cuncta penitius noverat, adferam, plura de his in Historia Religionis, si Deus volet, dicturus. Affirmabat itaque iste Jacobus productis privilegiis tàm patri suo (qui in expeditione Coronensi apud Castrum Rentiacum occisus erat) à Carolo V. cui militârat, quàm sibi à Ferdinando Primo datis, verum se Despotam esse. Atque id ipsa quoque facies liberalis & dignitatem ore præferens (ut & Thuanus addit) testabatur. Is à Proceribus Walachiæ Alexandri sævitiam perosis, iterum iterumque vocatus, precibus & votis eorum gratificatus & Polonorum illorum Equitum, quîbuscum ei strictior necessitudo, imò & sacrorum communio intercesserat, & qui hâc ratione Regi & patriæ prodesse potius quàm obesse cupiebant, operâ usus est, tandemque & imperium, consentiente Solymanno, accepit. Sed à Walachis notæ perfidiæ hominibus & gente barbara, quâ nulla in Dominos suos inconstantior (p) Anno 1563. decurrente trucidatus est. Funestum exitum ei hinc mobile & sævum subjectorum ingenium, illinc ingratus in Lascum, notante Bakschajo (q), qui huic à secretis erat, animus, & fides quam de introducenda in patriam purâ religione Lassocio & Philipovio dederat, non servata, notante Budzinio, potius quàm Cometa, isque longius dissitus, portendit.

(g) Thuan. l. 28. Serres in Carolo 9. (h) Thuan. l. 28. & 32. (i) Idem l. 29. (k) Id. l. 29. & 31. (l) Id. l. 33. finc. (m) Lib. 35. (n) Lib. 28. Vid. Leonh. Gorecium de bello Ivoniæ pag. 16. (o) Præf. Coll. Petric. 1565. (p) Thuan. l. 34. (q) Chron. Reg. Hung.

CCCLXXXVI. *Anno Christi* 1564. *arsit Cometa. Die* 25. *Julii, qui D. Jacobo sacer est, diem suum obiit Ferdinandus Romanus Imperator. Anno sequenti Lazarus Schwendius Eques Auratus à Maximiliano II. in Transylvaniam contrà Turcos missus, eos secundis aliquot præliis superavit. Turci Insulam Maltam frustrà oppugnârunt.* Eckstormius ex Claudii Grangei Comment. de bello Melitensi.

NUllæ Cometæ istius ortûs, sitûs, motûs & occasûs aliæve circumstantiæ notantur. Ita an mors Ferdinandi ejus apparitionem præcesserit vel exceperit,

merito dubitamus. Vidimus enim sæpius Auctores ad conflandam Cometis invidiam, ea quæ eorum ortum præcesserunt, ad eos referre. Sed etsi Cæsar (cui & ætas sexagenariâ major, & quem solum hoc anno ex Principibus mortuum à Thuano, Buntingo, Bucholzero & aliis annotatum invenio) ab ortu Cometæ humanis rebus exemtus fuerit, nemo hoc mirabitur, qui tot Cæsares, Reges & Principes post Cometarum apparitionem tum mori, tum etiam nasci meminerit. Hoc anno Gallia exsultabat domesticâ pace recuperata, ut Camdenus *(a)* ait, nec tamen à variis edicti pacis interpretationibus & injuriis Protestantium, ut Thuanus (*b*) fatetur, temperatum. Eodem Gallus & cum Elisabeta Angla (*c*) iniit, & cum Helvetiis renovavit fœdus, Hispanus pariter Anglæ amicitiam commercii Belgio perutilis caussâ conservare studuit. Ideo interruptum Gusmanni Legati operâ restituit. Idem ille annus 1564. ut Buchananus, ex eo Thuanus (*d*) & Bucholzerus putat vel proximus, ut Camdenus *(e)* affirmat, adeo & in nuperis rationibus Auctores dissident, quod, credo, incertum sententiarum Calvisium, ut hoc præteriret, induxit) nuptiis *(f)* Mariæ Reginæ Scotiæ Francisci 2. Galli viduæ, Henrico Darlio Regio Stuartorum sanguine creto, Sereniſſimi Caroli 2. apud Britannos & Scotos hodie regnantis proavo, ejusque auspiciis lætis quidem, sed brevibus celebris fuit. Proximus verò natali Jacobi Regis ex hoc matrimonio *ad perennem Britanniæ felicitatem* (*g*) nati inclaruit. Vid. Thuan. lib. 35. ad ann. 1564. Sexagesimus quintus supra millesimum quingentesimum annus felicibus Stanislai Cikovii, Exercituum Regni Ducis, in Moscovia progressibus fuit celebris. Idem ille annus Cometæ natalis lætissima Adolphi Holsati, qui Friderici 2. Regis illius Glorioſissimi patruus, Sereniſſimi Christiani Alberti Holsatiæ Ducis proavus fuit, cum Christiana Hessa, & Christophori Badensis cum Cæcilia Erici Sueci sorore: hic autem Joannis Florentini & Alfonsi Ferrariensis cum Joanna & Barbara Austriacis, & Alexandri Farnesii Parmensis cum Maria Lusitana nuptiarum solemnia vidit. Alia ut mittam, video multos natos vel mortuis succedentes hâc tempestate Principes, qui postea orbem Christianum rexerunt, & gloria facinorum annales & futuræ posteritatis memoriam replerunt. Ferdinando succesſit Maximilianus 2. virtutibus nulli Cæsarum secundus, qui judice Thuano *(h)* & veritate, *vestigiis paternis insistens rara prudentiæ & æquitatis laude imperium post ejus obitum administravit*, vel, si Sambucum (*i*) audimus, *mentem & animum cogitatione gestorum parentis confirmavit*. Pro uno Ferdinando mortuo natos hoc anno numeramus Georgium Gustavum Palatinum, Joannem Casimirum Saxonem, Henricum Julium, Ernestum & Wilhelmum ac Cathærinam Brunsuicenses & Lunæburgenses. Proximus annus Jacobum Scotum Carolum Austriacum, Maximil. 2. filium Eduardum Fortunatum, Christophoro Badensi *(k)* & Cecilia Suecica inter medios Aulæ Anglicæ applausus natum, Mauritium Arausionensem *(l)* Elisabetam Brunsuicensem in lucem produxit.

(*a*) Ad ann. 1564. (*b*) Ad eund. ann. (*c*) Camd. & Thuan. ibid. (*d*) Lib 35. (*e*) Ad ann. 1565. (*f*) Buchan. l. 17. (*g*) Camden. ad 1566, annum. (*h*) Lib. 35. (*i*) Orat. in obit. Ferd. (*k*) Camd. ad ann. 1565. (*l*) Strada dec. 1, l. 4. & dec. 2. l. 5.

CCCLXXXVII. & CCCLXXXVIII. *Anno Christi* 1566. (*sicut D. David Christianus in annalibus Cometarum testatur*) *apparuerunt duo Cometæ. Hinc orti sunt in Belgio motus, & Famianus Strada scribit annum* 1565. *felici Belgicæ nationi ultimum quietis & pacis fuisse.* Schorerus.

Libenter viderem Annales hos Cometarum (de quibus nuper admodum, cum illum Doctissimi Schoreri de nupero Cometa hyemali Commentarium perlegerem, cognovi) ut & alios qui de Cometis scripserunt, præsertim Georgium Cæsium & Joannem Raschium. Hos ego in Dania, Hollandia & Prussia per amicos inquisivi. Sed eorum copia mihi fieri non potuit. Contentum me itaque esse oportuit iis quos mihi comparare vel ab amicis commodato sumere potui. Belgicos motus antecesserunt Cometæ. Ut tamen caussæ vel signa eorum naturalia dici possint argumenta &

& exempla adhuc allata non permittunt. Prævidebat hæc bella eorumque mala prudentiſſimus & Optimus Imperator Maximilianus 2. miſſoque ad Hiſpanum Carolo fratre (a) pacis ſtudia ei, ſed fruſtrà, commendabat. Prudenter & cordatè Eraſtus de Cometa anni 1577. quod hùc meritò referò, ſcribit: *Exempli cauſa dicam de ultimo* (Cometa). *Magno hiatu pronunciant aliqui*, eum deſignaviſſe tumultum illum in Belgio. *At ex aliis certiſſimis, notiſſimis ac propriis indiciis omnia tum videbantur præſentia, & prægnoſcebantur futura. Nullus certè non plura ex his, quàm ex Cometæ denunciatione, vidit facta, & futura adhuc proſpicit. Parum certè ſapit, qui belli hujus cauſam in aëre & ſideribus potius quærit, quàm in ipſis rebus: Hoc eſt, in hominum conſiliis & factis.* Ipſe ille Strada, licet parti Proteſtantium iniquus, reipſa docet Inquiſitionem Hiſpanicam (b) antiquis Belgarum privilegiis adverſam, tumultus illos excitaſſe. Hâc etiam ſolâ Fœderati Belgæ armorum ſuorum, quibus ſe nil præter Dei honorem, Regis amplitudinem & Patriæ tranquillitatem moliri aſſerunt, juſtitiam conceptis verbis tuentur. Edictum ſcilicet Regium (c) omnem conſcientiarum libertatem tollens, & in fortunas ac vitam ſubjectorum omnem ſævitiam armans, die 9. Novembris 1565. compoſitum, & per provincias publicatum, triſtem illam tempeſtatem antè Cometæ apparitionem portendit. Ecce enim Strada (d): *Edictum*, inquit, *à Gubernatrice conceptum tranſmiſſumque, Regis nomine promulgavêre Provinciis Præfecti: ſed queſti priùs eorum nonnulli apud Gubernatricem, profeſſique, continendis illâ edicti ſeveritate populis impares ſeſe eſſe. Quin addidêre aliqui, nolle ſe in id operam conferre, ut quinquaginta aut ſexaginta hominum millia, ſe provincias adminiſtrantibus, igni concrementur. Id, quod Regem Gubernatrix admonit, teſtata quam provideret tempeſtatem.* Sed audiamus Thuanum æquiorem in hac cauſſa judicem. Ita verò ille, poſtquam genium Belgarum, belli & libertatis (e) cupidum, ideoque in ſeditiones pronum deſcripſiſſet. *His*, inquit, (f) *animis præditi, majorumque exemplis inſtructi Belgæ, haud mirum, ſi ad luxum & nimias opes, accedente potentiſſimo ad mentes commovendas religionis telo, arma non facilè poſtea deponenda ſumſerunt. Origo ab Inquiſitionis Hiſpanicæ metu fuit, qui jam xx. ab hinc circiter annis regnum Neapolitanum turbaverat, & nuper variis ſuſpicionibus noſtrorum mentes implevit.* Atque hæc nobis innuiſſe hîc ſufficiat. Reliqua de re maximi momenti lectu digniſſima è fonte, tum ex Magni & Incomparabilis Hugonis Grotii Annalium Belgicorum libro 1. (g) petat qui talia ſitit. Hic tamen addo inſolens ac ſævum imperium (h), Egmondi & Hornani cæde auſpicatum, & inexplebilem Albani Ducis Belgio præfecti avaritiam, Belgas ad ſumenda arma concitaſſe; diſpari (i) ab Hiſpanis ingenio præditos. Equidem *quorundam opinio fert, non religionem Belgis*, referente (k) Reidano, *ſed decimam defectionis fuiſſe cauſſam.* Cæterum annus hic inter triſtia, quibus, ut ſunt humana ſemper, non caruit (inter quæ Zigeti expugnatio, & Nicolai Serinii Herois fortiſſimi cædes, paulò poſt mortem Solymanni à Turcis perpetrata, elucet) multa quoque ſecunda & læta protulit. Nam ut proſperos contrà Turcam in Hungaria Maximiliani 2. progreſſus mittam, aurea libertas religionis, cujus violationem immenſo ſanguinis humani impendio Germaniæ, Galliæ, Belgio (l) quoque vicino in conſenſum tracto, adhuc conſtitiſſe Polonia videbat, excrevit. Omnes enim æqua gaudebant ibi in ſacris & civilibus libertate, & nullum religionis invidia à muniorum Reipublicæ ipſarumque dignitatum Senatoriarum beneficiis arcebat, quem ad hæc virtus & benè de Republica merendi ſtudium admittebat, ſecus quàm nunc fit, cùm & benè mereri volentes, & benè meriti non tantùm his beneficiis, ſed & libertate ipſaque adeò patria communi per ſummam in liberrima Republica iniquitatem privantur. Sed de his hæc ſufficiant, quæ lætam illius anni, quo luxit Cometes, faciem fuiſſe oſtendunt. Quibus tamen addendæ ſunt nuptiæ Friderici Borbonii cum Renata Andegavenſi, tùm Wilhelmi Heſſi cum Sabina Wirtembergenſi. His verò aliquot Principum natales, Sigiſmundi ſcilicet 3. Regis Poloniæ & Sueciæ, Iſabellæ Claræ Eugeniæ Philippi 2. filiæ, Chriſtiani

(a) Reidan. ad ann. 1568. Grot. ann. 2. p. 43. (b) Lib. 5. Vid. Annal. Reidani l. 1. (c) Strada l. 4. fine. (d) Lib. 5. initio. (e) Grot. Annal. 1. p. 34. (f) Lib. 38. p. 788. (g) Pag. 14. & ſeqq. 25. & ſeqq. 28. & ſeqq. annal. 2. pag. 60. (h) Grot. Annal. 1. fine. Annal. 2. initio, tum p. 46. Petav. Rat. Temp. 1. p. l. 9. cap. 12. (i) Grot. ann. 1. p. 5. & ſeqq. (k) Ad ann. 1570. Vid. Grot. l. d. p. 18. 27. Annal. 2. p. 47. 57. (l) Grot. Ann. 1. p. 17. 19. 26. Annal. 2. initio tum p. 57.

ſtiani Brunſuicenſis & Guſtavi Chriſtophori Badenſis ſubjiciemus. Addemus his pauca quæ proximum biennium lætitiâ inſigni hîc & illîc bearunt. Nati enim ſunt anno à Cometarum apparitione proximo Joannes Georgius Anhaltinus Mauricius Arauſionenſis, Carolus Lotharingus, Catherina Iſabellæ illius ſoror, Sabaudiæ poſtea Dux, Margarita Auſtriaca, Maximiliani 2. Imper. Anna Saxonica Auguſti Septemviri & Maria Julii Brunſuicenſis filia. Sequens Philippum Sigiſmundum & Auguſtum Brunſuicenſes, Fridericum Holſatum, Chriſtianum Anhaltinum, Eleonoram Margaritæ ſororem, Sophiam Brandenburgenſem, Sereniſſimi Electoris Saxoniæ proaviam, in lucem eduxit. Eodem anno, Erico ob aſperos mores à Suecis rejecto, Joannes paulò antè è carcere, in quem eum frater Ericus compegerat, liberatus, regnum iniit. Eodem anno pax, ſed parum fida * in Galliis, tùm illa in octo annos concluſa inter Maximilianum, Selymum † & Joannem Tranſylvanum, illius Joannis infelicis Regis Hungariæ infelicem filium, niſi quòd hunc Deus Regum Rex variis adverſis ad meliora, cæleſte ſcilicet regnum, exercuerit. Huîc Unitarii in Tranſylvania libertatem ſuam debent. Duxit eodem anno & Wilhelmus Bavarus, Sereniſſimi Electoris Ferdin. Mariæ avus, Renatam Lotharingam. Hùc etiam referendæ ſunt nuptiæ Friderici III. Septemviri Palatini cum Amelia ex Comitum Meurſiorum familia, ‡ ingentis animi fœmina, quæ quidem anno 1569. celebratæ ſunt, ſed apparitionem proximi Cometæ anteceſſerunt.

* Thuan. l. 4. † Thuan. l. 42. initio. ‡ Thuan. l. 38. fine.

CCCLXXXIX. *Anno Chriſti* 1569. *Cometa 9. Novemb. poſt occaſum Solis propè Jovem in* 12. *gradu Capricorni apparuit, cujus motus propter turbidum cælum tempeſtateſque non exactè tunc temporis potuit obſervari. Hunc tempeſtates maximæ & terræ motus terribiles ſunt ſecuti. Caritas annonæ inaudita in Bavaria, Suevia, Lithuania, Ruſſia, Bohemia, Auſtriæ orta eſt, propter quam multa millia hominum fame perierunt. Anno* 1571. *Elector Joachimus II. Brandenburgenſis mortuus eſt, quem paucos poſt dies Joannes frater Joachimi ſecutus eſt. Turca inſulam Cyprum invaſit, poſtque obſidionem diuturnam Famaguſtam occupavit. Nix per* 40. *dies à Decembri uſque ad Januarium hyberno tempore in magna copia cecidit. Cladem maximam inter Turcam & Venetos, quos quidam Principes & Duces præliando juverunt,* 29. *Sept. navem unà conſcendentes Chriſtiani* 6. *Octob. Turca paſſus eſt, ubi per* 5. *horarum ſpacium inter ſe digladiantes de victoriâ dubii, tandem auxiliante Deo victoriam in illo prælio Chriſtiani obtinuerunt, ac* 50. *millia Turcarum, captivis exceptis, quorum* 10. *fuerunt, interfecerunt;* 15. *millia Chriſtianorum captivorum liberârunt. Baſſa Turcicus Generalis captus capite plexus eſt, caputque ipſius affixum palo, loco victoriæ apud navem omnibus eſt monſtratum.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1569. *memoratur Cometa menſe Novemb. fulgens in Serpentario, & reſpondens longitudine ſua Sagittario & Capricorno. Selymus intentus ad uſurpandam Cyprum, quam anno ſequenti obtinuit: proceſſit Cometa ex Cancro & verſus finem dimiſſo itinere directo, deflexit verſus gradum* 4. *Virginis, ubi ſtationarius evaſit. Ita Keplerus in Phyſiolog. Cometarum p.* 114. *&* 119. *Anno ſequenti terræ motus Ferrariam concutit & mare in Belgium exundat.* Ricciolius.

Anno Chriſti 1569. *Paſſavii ac Saliſburgi in Norico VI. Eid. Novembr. Cometes colore livido & flammis ardentibus radians, in prima facie quinti gradûs Capricorni apparuit propè lucidam ſtellam Sagittarii, cauda ad Orientem verſa, ſed in occaſum vergens, à Benedicto Valerio Mathematico obſervatus: quæ omnia motus noſtros portendiſſe creduntur.* Thuanus lib. hiſt. 44.

QUàm multa triſtia & acerba antè Cometarum apparitionem eveniant, proxima huic noſtro docent multa. Nos unum & alterum proferemus. Taceo paulò remotiora, anno ſcilicet proximo antè Cometæ apparitionem geſta. In promtu alio-

quin

quin est, Mariæ Scotæ, *ob legitimi conjugis cædem* (judice Buchanano (*a*) & Thuano (*b*), sed refellente Camdeno (*c*)) *& illegitimum cum Bothvellio parricida publico matrimonium* è vestigio contractum, captivitas & in Angliam fuga; Caroli unici Principis Hispaniarum (*d*) metu affectandi à juvene feroci imperii, & rerum in Belgio turbido magis commovendarum, veneno ex sententia Inquisitionis Assessorum exstincti: nec non Elisabetæ ejus novercæ mors, quæ etiam veneni, quia & adulterii (*e*) (utpote uxor Carolo prius quàm patri designata) suspicione (*f*) non caruit. Taceo & jugiter sæviens bellum Belgicum; tertium bellum sacrum in Galliis hoc anno exarsit, quod Ludovicum Borbonium Condæum (*g*) mense Martii ad Bassacum, & supra quinque millia hominum (inter quos & viri Principes erant) mense Octobris ad Monconturum (*h*) victo Gaspare Colinio Galliæ Architalasso, hausit. Wolfgangus quoquè Palatinus (*i*) qui Condæo & Protestantibus auxiliares copias adduxerat, die 11. Junii febri quercerâ exstinctus est. Mense Septembri, Venetiis & Constantinopoli incendia armamentariorum maxima attulerant damna. At verò læta non pauca hujus Cometæ apparitionem sunt secuta. Anno eodem quo stella crinita, natus est Carolus Badensi Marchione Christophoro ex Cæcilia Gustavi Regis Sueciæ filia genitus, Sophia & Dorothea Holsatæ. Paucos sanè Principes hoc anno ut natos ita & mortuos in fastis & tabulis Principum invenio. Hoc tamen anno Henricus Brunsuic. Dannebergicus, Serenissimi Augusti adhuc viventis Principis & Senis Incomparabilis pater, Ursulam Saxonicam in uxorem accepit. Hoc *etiam anno regni Elisabethæ* 12°. *feliciter exacto*, (verba sunt Camdeni (*k*)) *in quo aureum, ut vocarunt, diem, creduli Pontificii sibi ex ariolorum prædictione expectabant, boni omnes per Angliam lætanter triumphabant, &* XVII. *Novemb. anniversarium regni inchoati diem, gratiarum actionibus, concionibus per Ecclesias, votis multiplicatis, lætisona campanarum pulsatione, hastiludiis, & festivâ quadam lætitiâ celebrare cœperunt, & in obsequiosi amoris testimonium, dum illa viveret, non desiterunt.* At annus proximus plura ejusdem generis protulit. Maximilianus enim 2. Imperator laudatissimus uno eodemque (*l*) mense, Octobri scilicet, duas filias, Annam (hanc invitis, quod sciam, reliquis Buntingus (*m*) Mariam appellat) & Elisabetam duobus potentissimis Christiani orbis Regibus, Philippo 2. & Carolo 9. elocavit, quod inter rara felicitatis exempla commemorari potest, ut judicat Thuanus (*n*). Sed uterque generorum, in persequendis hæreticis multum absimilis fuit Socero, qui mentibus hominum imperare noluit & vetuit, & contrà facientem, cæli arcem invadere judicavit. Eodem illo anno Joannes Casimirus Palatinus cum Elisabeta Augusti Saxoniæ Electoris. Joachimus Fridericus Brandenburg. tunc Archiepiscopatûs Magdeburgensis Administrator, postea Elector, Serenissimi Friderici Wilhelmi proavus, cum Catharina Joannis Brandenburg. patrui sui magni, filia, Wolfgangus autem Brunsuicensis, cum Dorothea Francisci Saxoniæ Inferioris Ducis filia, nuptias celebravit. Nati verò hoc (*o*) anno fuêre: Joannes Saxo Vinariensis, Bernardi illius Ducis celeberrimi pater: Christophorus Brunsuicensis, Philippus & Christianus Holsati, ac Dorothea Brunsuicensis. Adhæc pax (*p*) inter Daniæ & Sueciæ Reges Stetini concluса, tristi septem amplius annorum bello lætum imposuit finem. Pax quoqne Provincialis in Comitiis Spirensibus sancita. Annus proximus (*q*) multiplicem lætitiam attulit. Ac primùm quidem mentio hîc facienda spectabilis illius victoriæ, per Christianos, restitutâ hîc & illîc pace, juncta virtute adversùs Selymum arrogantem & sævum Turcarum Imperatorem, Duce Joanne Austriaco, ad Echinadas in sinu Corinthiaco pugnantes, patratæ. Tùm verò & nuptiarum Caroli Austriaci, Augustissimi Cæsaris Leopoldi proavi, cum Maria Bavara quindecim liberorum matre, & Joannis Ernesti Anhaltini cum Eleonora Wirtembergica. Denique natalium aliquot Principum enumeranda gaudia. Illo enim anno Julius Ernestus Brunsuicensis, Bernhardus Anhaltinus, Anna Margarita Palatina, in lucem vitalem prodierunt. Hùc etiam re-

(*a*) Lib. 18. (*b*) Lib. 38. (*c*) 1. part. hist. ad ann. 1567. (*d*) Strada l. 7. ad ann. 1568. Reidan. Ann. 1. ad ann. 1568. Grotius Ann. 2. sub init. (*e*) Strada & Reidan. ad 1568. (*f*) Thuan. l. 41. Reidan. ann. 1. Grotius annal. 2. (*g*) Thuan. l. 43. (*h*) Thuan. l. 43. (*i*) Thuan. ibid. (*k*) Part. 2. hist. p. 191. (*l*) Thuanus lib. 45. (*m*) Ad ann. 1570. (*n*) Lib. 45. Vid. Strada lib. 7. (*o*) Bucholz. ad 1570. Auctor 14 tabb. (*p*) Bucholz. & Calvis. ad 1570. (*q*) Bunting. Bucholz. Calvis. &c. ad 1571.

ferre

ferre licet læta ſequentis anni, quæ ſingularis Cometæ apparitionem præceſſerunt. Fridericus enim 2. Danus menſe Auguſt. Sophiam Mecklenburgicam uxorem, Rudolphus 2. diadema Hungaricum felici omine accepit. Adhæc Otto & Franciſcus Brunſuicenſis, ille ut & Anna Urſula eorum agnata, Wilhelmi filia (r), menſe Martii, hic menſe Junii, nati ſunt. Exundationis illius marinæ aliud extra Cometam portentum Magnus Hugo (ſ) indicat. Ita verò ille: *Nondum infenſum Belgarum vitiis Deum tot mala ſatiabant: ſed quaſi jactandæ terræ Viris opibuſque florentiſſimæ, hominum crudelitas & avaritia non ſufficerent, Oceanus, quanta vix unquam eluvie littora perrumpens, ſtragem præſentem attulit, futuram indicavit.*

(r) Bunting. ad 1572. & 2. part. Chron. ſub fin. (ſ) Annal. 2. p. 46.

CCCXC. *Anno Chriſti* 1572. *Stella nova ſub Caſſiopeæ aſteriſmo primùm à nobis conſpecta eſt. Quæ cum pectore & coxa Caſſiopeæ & lucida ſedis quadratum deſignans, immota diutius anno conſtitit. Sed cùm initio Jovem magnitudine & fulgore æquaret, paulatim attenuata, & initio anni* 1574. *prorſus extincta eſt.* Chytræus Chron. Saxon. l. 23.

Anno Chriſti 1572. *nova ſtella* VI. *Eid.* IXbr. *ſub Caſſiopeæ aſteriſmo conſpecta eſt, quæ cum coxa & pectore ipſius Caſſiopeæ rhombi figuram ſignans, immota diutius anno conſtitit, & cùm initio Jovem magnitudine & fulgore æquaret, paullatim attenuata, & initio anni* LXXIV. *omninò extincta eſt. Eam cum ſtella, quæ Magis ab Oriente ad adorandum generis humani propitiatorem recens Bethleemi natum venientibus præluxit, ingenioſa & accommodata ad tempus ſimilitudine, quidam in Proteſtantium gratiam luculento carmine edito eandem fecit, additis triſtis augurii minis, quas brevi poſt eventus comprobavit. quæ & Cornelii Gemmæ Friſii Medici & Aſtronomiæ noſtrâ ætate peritiſſimi ſententia fuit, ob id Neomagum ab Albano tunc temporis evocati, qui de ea multa ſcripſit in ſua Coſmocritica, eique poſt natum Chriſtum vix aliud phænomenon comparandum illuxiſſe dicit, ſive ſublimitas ſigni, ſive raritas & diuturnitas ſpectetur, de eo & æquè miranda tradiderunt Thadæus Hagecius, & Fabritius Polus, qui illud Viennæ in Auſtria obſervarunt, & Hieronymus Munius, Valentiæ in Hiſpania, Hebraicæ linguæ & Mathematicarum artium Profeſſor.* Thuanus lib. hiſt. 54.

Anno Chriſti 1572. *viſa eſt in cælo in Caſſiopea mira ſtella, quæ nullam habuit caudam, ideòque non potuit pro Cometa haberi. Erat autem longè mirabilior quàm Cometa, propter ſuam maximam altitudinem, quoniam non in aëre vel elementari regione, ut alii Cometæ, ſed ſupra ſphæram Mercurii in ſphæra Veneris viſa eſt. Initio erat major Jove, poſtea tamen paulatim decrevit, uſquequo tandem evanuit. Viſa eſt primum anno* 1572. *in Novemb. & apparuit diutius anno, uſque quò circà initium anni* 1574. *exſtincta eſt.* Buntingus 2. part. Chron. fine.

Anno Chriſti 1572. *Stellam lucidam circa pr. Novemb. aut, ut quidam volunt, in medio Octobr. in 7. gradu Tauri apparuiſſe, hiſtorici annotarunt. Quidam etiam fuerunt in ea opinione, quod circà Feſtum Bartholomæi primùm viſa ſit, lucemque per menſes* 14. *de ſe immobilis ſparſerit. Hanc bella diuturna & devaſtationes in Gallia & Belgico, magnæ diſſenſiones in cauſa religionis & mutationes in Germania plurimæ, quod ad gubernationem Politicam attinet, ſunt ſecutæ. Pariſiis Admiral pulvere tormentario, unà cum magna hominum multitudine, qui Hugonotti dicuntur, miſerè interfectus eſt. Joannes Wilhelmus Dux Saxoniæ hoc anno moritur. Inundationes aquarum maximæ ſunt ortæ, caritaſque annonæ inaudita fuit.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1572. *poſt funeſtas iſtas nuptias, ſeu lanienam Pariſienſem, ipſis D. Bartholomæi feriis factam, die* 16. *Novembris conſpecta eſt nova, ſtella rhomboidis figuram conſtituens, cum tribus ſtellis tertiæ magnitudinis in Caſſiopeâ, quarum una erat ſecunda in ordine hujus ſideris, altera quarta, tertia duodecima. Comam non habuit, fulgore autem ſcintillante & magnitudine ipſum Jovem ſuperavit. Et quamvis motu primi mobilis* 24. *horarum ſpatio aſſiduò circumageretur, ut ſtellæ fixæ, motum tamen proprium & peculiarem non habuit, ſed ſub eodem ſemper puncto octavæ ſphæræ conſiſtens, non in elementari, ſed ætherea regione hæſit, in Sphæra videlicet Veneris. Fulſit per integrum annum*

annum 1573. *circà cujus finem paulatim deficiens prorsus extinguitur.* Eckstormius ex Buntingo.

Subjicio ex Epigrammatis Theodori Bezæ, in novam illam, & seculis omnibus superioribus inauditam stellam, cum illa carnificinâ Gallicâ nefandissimâ exortam, Augusto mense Anno Domini 1572.

PROGNOSTICON.

Iste novus nullo metuendus crine Cometes,
Et radians puro cui nitet igne jubar:
Ecquid portendat terris, DEUS ille Deorum
Novit, & ostendent tempore fata suo.
Quod si humanæ aliquid possunt præsciscere mentes,
Talia rimari nec mihi signa nefas.
Fallor ego, aut ille est Jessæam qualis in urbem
Duxit ab Eoo qui priùs orbe Magos.
Et qui nascenti præluxit, nunciat idem
Ecce redux reducem rursus adesse Deum.
Huic igitur felix, ô turba applaude piorum,
Herodes, caveas tu tibi quisquis eris.

Id. Eckstormius.

Anno Christi 1572. *Conspecta est nova stella in sidere Cassiopeæ, quam vulgo pro Cometa habuerunt. Nuptiæ Parisinæ hoc anno celebrantur, in quibus plus sanguinis quàm vini fuit fusum.* Alstedius.

MEmorat & describit hunc Cometam Bucholzerus & Calvisius. Non levis autem quæstio est inter Mathematicorum & Physicorum arcanorum interpretes, an hoc phœnomenon pro Cometa sit habendum nec ne? Audivimus Buntingum. Verùm ejus objectiones, qui cum Epigene, Nolthio & Guerichio Cometam crinitum tantum & rosæ instar fulgere sinè cauda, imò & sine crinibus (quod de Cometis, qui ex conjunctione Jovis & Saturni generantur, Phil. Apianus (*a*) docet) posse, tùm & Cometas vel omnes vel certè pleroscque, minimùm quosdam supra Lunam, imò & supra Solem & Saturnum, sicut proximè videbimus, & in fixarum sphæra lucere, arbitratus fuerit, non satisfaciunt. Audiamus Bodinum, & unà Keckermannum: Bodinus ita scribit: *Quod Astrologi quidam scripserunt, Cometam maximum qui apparuerit mense Novembri anno* 1572. *in dextra Cassiopeæ nullam habuisse parallaxin, & propterea fixam stellam fuisse: falsum compertum est, quoniam quinquagesimo die disparuit: nam doctrina paralaxium falsa est, nec earum ulla percipitur differentia suprà Venerem. Sed quoniam immobilis erat ille Cometes, ac ferè supra verticem, quibusdam stella fixa visa est. Ex eo tamen percipitur, non procul ab orbe lunari apparuisse.* Subdit Keckermannus (*b*): *Labitur hic Bodinus in eo, quod dicit Cometam disparuisse* 50. *die, cum durârit* 16. *mensibus.* Quod de parallaxi Cometarum ait Bodinus, firmissimè negant alii, & ut parallaxin, ita & locum in æthere Cometis contrà Aristotelem vindicant. Hic est Achilles, hic Atlas Astronomorum, exclamat Ricciolius contra Aristotelem disputans Almag. t. 1. 2. p. l. 8. sect. 1. de Cometis c. 11. Num. 26. vid. infra à c. 16. ad 21. hoc argumentum singulari curâ pertractatum. Ita neque hæc ratio evincit hoc phœnomenon non fuisse Cometam. Succedit durationis tempus, quod fateor est singulare, utpote quod & illius phœnomeni ante excidium urbis Jerusalem anno integro visi, durationem excedat. Nam si à principio Octobris anni 1572. ut Elias Camerarius affirmat in suo de hac stella libro, (*c*) ut & Annibal Raymundus Veronensis, videri cœpit, & usque ad Martium 1574. teste Tychone (*d*) (qui tamen eam die 11. Novembris primùm vidit)

(*a*) In liter. ad Wilh. Landgr. Hassiæ ap. Tych. T. 1. pag. 643. (*b*) Syst. Phys. lib. 6. c. 5. de Comet. (*c*) Vid. Pauli Fabricii de ea Comment. (*d*) Progymn. Tom. 1. c. 3.

vidit) visa est, propè sesquiannum eam durasse colligitur. Nam & mense Martio anni 1574. sed admodum exilis visa fuit, magnitudinem ejus sensim decrescentem Ricciolio (a) accuratè describente. Circà festum S. Bartholomæi hanc stellam esse visam Rockenbachius, ut ad eam nuptias illas Parisinas sanguinolentas referat, à quibusdam dici refert: sed neminem nominat. Adhæc sibi ipsi contradicit, dum eam 14. mensibus durasse ait. Cum enim constet 1574. eam disparuisse, nisi sub exitum anni 1572. videri primùm potuit. Alioqui propè viginti mensibus durasset, quod nullus auctorum dicere ausus est, sicut in Riccioli historia istius stellæ invenio. Idem Ricciolius (b) more suo diligenter historiam istius phœnomeni texens, nominat Wilhelmum Landgravium Hassiæ, Cornel. Gemmam, Erasmum Reinholdum, Michaëlem Mœstlinum & alios quosdam, qui hanc stellam pro nova, non comata, habuerint. Sed idem Paulum Hainzelium, Hieron. Munosium, Wolfangum Sculerum, Joannem Prætorium, Phil. Apianum, Eliam Camerarium, Cyprianum Leovitium, Davidem Chytræum, Andream Nolthium, Georgium Buschium, Theodorum Grammæum, Adamum Ursinum, Thaddæum Hagecium & Joannem Dee Anglum (c), celebres & præstantes Mathematicos producit, qui allatis rationibus docuerint, hanc stellam Cometam sed cælestem (quæ Pontani, Munosii, Hagecii, Apiani & Camerarii mens erat) fuisse. Juvat hîc pauca ponere illius Munosii Hebraicarum literarum Valentiæ in Hispania Profess. & Mathematici insignis; nempe quòd is ex accuratis considerationibus affirmet stellam hanc fuisse suprà Solem, & vix sensibilem parallaxin habuisse, imò Cometem quidem fuisse, sed cælo fixorum siderum inhærentem, & fuisse ex illis ignotis Cometis, de quibus Lucanus,

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes.

At verò nec illa Schuleri silenda sunt, quibus docet non fuisse hanc stellam unum ex Planetis, quia scintillavit, quia fuit procul à Zodiaco, & quia caruit motu proprio: sed neque fuisse unam ex Fixis, quia paulatim colorem ac magnitudinem mutavit: proinde certissimè fuisse Cometam, non quidem ordinarium, nec ex viscosis halitibus formatum & accensum, sed inusitatum & præter ordinem naturæ à Deo in cælo, tanquam prodigium quoddam inter τέρατα collocatum. Mediam sententiam hic sequitur Christophorus Clavius, Paulus Fabricius & Andreas Rosa. Infra Lunam phœnomenon hoc fuisse Andreas Nolthius, Adamus Ursinus, Georgius Buschius, Theodorus Graminæus, Scipio Claramontius & Joannes Cottunius asseruerunt, sed non demonstrarunt, Ricciolio (d) judice. Is (e) contra Tychonem pluribus argumentis, nec Galilæum stellam hanc supra Lunam demonstrasse (f) asserit. Verumtamen probabiliorem sententiam esse de ea, supra quàm infra Lunam collocandam, ad ultimum (g) docet. Juvat, cui otium est, egregiam phœnomeni istius descriptionem apud Camdenum p. m. 241. legere. Atque ex his, quæ attuli, patet, hoc phœnomenon non immeritò Cometis, sed extraordinariis annumerari. Wolfangi illius Schuleri vestigia sequitur Joannes Schulerus, Vir pariter, ut ille, doctus, in edito de nuperis Cometis Commentario. Prudenter autem illud phœnomenon Cometam stellarem vocat, & ex exhalationibus fixarum conflatum fuisse putat. *Unde & ratio*, inquit, *percipitur, quare stella illa non tantùm adeò fuerit clara & lucida, verum etiam prorsus immota, neque ulli alii quàm revolutionis diurnæ motui obnoxia.* Paulò verò ante docet, si contingat partes exteriores & rariores, quæ caudam efficiunt (Solis enim radios has partes minùs compactas penetrando vel pertranseundo, à posteriori parte caudam seu barbam efficere supra demonstravit) abesse vel extenuari aut dissipari atque evanescere, & ab occurrentium particularum aut exhalationum cælestium motu aliò rapi, manente interim ipso corpore Cometali, tunc ipsum Cometam absque cauda apparere. Sifardo hic Cometes est numero tricesimus & octavus, cui ille aliquot annorum (usque ad Maximiliani 2. excessum, qui 1576. anno contigit) tristia, & inter alia, lanienam illam Parisiensem tribuit.

(a) Lib. d. sect 2. c. 2. Num. 1. (b) Almag. Tom. 1. 2. p. l. 8. sect. 2. c. 2. (c) Vid. Ricciol. l. d. c. 17. Num. 13.
(d) Lib. d. c. 9. (e) Cap. 4, 5, 6, 7. (f) Cap. 8. (g) Cap. 11. Num. 8.

Hic

Hîc mihi primùm ponenda ſunt Marcelli Squarcialupi, Viri ab eruditione ut aliàs clari, ita à Laudatiſſimo Dudithio multum laudati verba, quibus proximè antecedentia Cometæ hujus apparitionem tempora triſtia & luctuoſa deſcribit, ut ſine Cometis adverſa multa fieri demonſtret. *In prælio*, inquit, *ad Ambracium ſinum anno, ut dixi, ab hinc* 7. (id eſt, ſeptuageſimo primo ſupra ſeſqui milleſimum (*a*), ſcripſit enim hæc Anno 1578.) *quinquaginta millia partim trucidata, partim in mari demerſa. Peſte eodem anno ſupra triginta millia interempta ſunt: præfecti in Cypro inſula, & utraque claſſe* 8 *vel* 10. *Principibus multis nobiliores, ditiores, cæſi, excarnificati ſunt: nullus tamen Cometa prænuncius.* Pluria adverſa quæ hoc anno contigêre, legat qui volet apud Buchananum (*b*), Thuanum (*c*), Camdenum (*d*), Grotium (*e*) & alios. Quod verò ad horrendam illam & nefandam lanienam Pariſienſem attinet, hæc profectò injuriâ ad hunc Cometam, quò ei infamia tàm horrendi facinoris confletur, refertur. Porrò nefanda illa cædes alia quàm Cometam vel ſtellam illam, quam potius lætum quid portendiſſe Beza augurabatur, eandem eſſe cum ſtella Magorum putans, habuit portenta. Graviſſimus hiſtoricorum Thuanus mihi hîc unus inſtar omnium erit. Is poſtquam Navarræum & Colinium ſpe pacis & illecebra nuptiarum Margaritæ ſororis Regiæ Navarræo oblatæ in Aulam inductos, inter hæc Cardinalem Odetum Colinium Caſtellionæum, Gaſparis Archithalaſſi fratrem, raræ illo ævo fidei virum, ac proteſtantibus æquum, veneno ſublatum memoravit, contra fratrem ejus antequam Aulam acceſſiſſet (*f*) conjurationem factam fuiſſe, fide aliorum teſtatur. Ita Colinius latâ contra ſe (*g*) mortis ſententiâ crebris nunciis ſpe belli in Belgium ſe Duce tranſferendi, conſilii de eo ſuſcipiendo ſecum coram capiendi neceſſitate in Aulam allectus, neceſſariorum fide & Regio edicto de pace publica promulgato, & quò incautiùs deciperetur, palàm laudatus, amatus, ditatus & unà cum genero Telinio honoratus, paulò poſt aſtu eorum, quibus nil erat ſacrum, occubuit. Non diffitetur Thuanus (*h*) domeſticorum ipſorumque Italorum auctorum fide conjurationem contrà Colinium & Proteſtantes initam, nonnullis intimioris admiſſionis amicis ab Henrico Andino fratre Regis & hoc ipſo patefactam fuiſſe. Adhæc Colinium inito à Rege cum Angla (*i*) & inchoato cum Germaniæ Proteſtantibus fœdere, his tot Regiæ benevolentiæ veluti teſtimoniis confirmatiorem, ſuos quoque per ſe ſuſpicaces, ſimulatione multa agi prudenter veritos, in bonas ſpes erexiſſe, ac tandem contrà tot prudentia amicorum monita Regiæ fidei & benevolentiæ confiſum, & aulicis ineſcamentis victum, per ſummam perfidiam cecidiſſe, & ita ad mactandos inſolenti exemplo Proteſtantes deſcenſum eſſe (*k*) fatetur. Quis hîc non videat alia præter Cometam omneque cæli phœnomenon, & Cometâ quidem illo longè priora, nefandæ illius lanienæ portenta? Hæc demùm laniena à metropoli & ſede regni in provincias peſſimo exemplo diffuſa, plures ejuſmodi cædes, demùm civilia bella portendit, imò accerſivit. Paulò ante nuptias filii Henrici Joanna Albretana Vidua Navarræa, virilis animi fœmina, Regis Chriſtianiſſimi viventis proavia de vita exivit. Ita hîc tàm celebribus exemplis citrà Cometarum apparitionem multa & maxima mala triſtiaque fieri docemur, qualia pluria in Commentariis illorum paulò ſuperius nominatorum Auctorum ad hunc annum videri poſſunt. Adde quòd Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ nullo relicto hærede, die 7. Julii, Pius verò V. Pontifex Romanus ante eum Kal. Maji rebus humanis defunctus fuerit. Sed triſtium pluſquam ſatis, triſtes & ipſi (quis enim eſt quem tales non commoveant pluſquam ferinæ cædes?) vidimus, indicavimus, innuimus. Ad læta, quæ Cometam noſtrum exceperunt, nos convertamus, tempus eſt. Natus eſt hoc anno menſe Novemb. Joannes Sigiſmundus Sereniſſimi Electoris Brandenburg. avus. Sigiſmundus Bathoreus Tranſylvanus, Erneſtus Holſatus & Joannes Carolus Badenſis. Hoc quoque anno nuptiæ Alberti Friderici Brandenburg. cum Maria Eleonora Clivenſi celebratæ ſunt. Coſmus Florentiæ Dux menſe Novemb. à Pontifice Romano Magnus Dux renunciatus eſt. Fuit quoque iſte annus pace Brunſuicenſi lætus.

(*a*) Bunting. Bucholz. Calviſ. &c. ad 1571. (*b*) Lib. 19. (*c*) Lib. 47, 48, 49. (*d*) Ad ann. 1571. (*e*) Annal. 2. (*f*) Lib. 48. p. m. 1018. (*g*) Camd. ad 1570. initio part. 2. hiſtor. (*h*) Lib. 49. p. m. 1032 & 1033. (*i*) Vide de his Camd. ad ann. 1572. p. m. 234 & ſeqq. (*k*) Vide Grot. Annal. 2. p. 52.

Neque verò hujus ſolius anni, ſed & aliquot ſequentium, qui Cometam levibus ſpaciis ſecuti ſunt, geſta meritò hîc commemorabo. Incipiam à patriis rebus, quarum mentionem & Eckſtormius facit. Priuſquam Henricus Valeſius Dux Andegavenſis in Regem eligeretur, Reſpublica noſtra morte Sigiſmundi Auguſti Jagellonidarum ultimi, libertatem ſucceſſionis juri nullo amplius modo obnoxiam adepta, & prorſus ſui juris facta Anno 1573. 28. Januarii, in Comitio Varſavienſi clariſſimam illam Fœderationis Generalis legem uno animo ſub vinculo juramenti, fide, honore & conſcientiis in perpetuum ſervandam tulit. Hac ut electionis, ita & religionis libertas ita ſancita eſt, ut Ordines Regni non minus mutuam pacem ſibi & poſteris ſub tot publicæ fidei vinculis ſtabiliverint, quàm mutuò ab ſe de religione diſſiderent. Præſtiterunt id nimirum antiquatis etiam omnibus huic ſacræ libertati adverſis proceſſibus, juris & decretis. Tale cumprimis erat illud à Jagellone contra hæreticos Anno 1424. latum ſed nunquam executioni mandatum, imò tàm à Jagellone quàm ejus ſucceſſoribus non obſcurè abrogatum & antiquatum. Hoc tamen nuper ex occaſione belli Suecici revocatum, & contra generalis amniſthiæ, pace ad Olivam conventa ſancitæ, legem, & avitam Reipublicæ formam in tot Nobiles familias, quarum parentes æquâ cum cæteris libertate, imò & omnibus non tantùm Equeſtribus, ſed & Senatoriis Reipublicæ beneficiis jam tunc Rege Auguſto gaudebant, renovatum eſt. Illi fœderis publici legi nequicquam tunc extrà Comitium interceſſiſſe Maſovios, poſtea verò in Comitio eorum & Pontificum aliorumque eis addictiorum exceptionibus oppoſitas eſſe potioris partis vindicias fœderis, & ſic has & alias exceptiones, quibus diverſa ſtudia ſibi cavebant, ex mente Reipublicæ & libertatis communis mutuò toleratas eſſe, palàm eſt. Nec minus conſtat omnes dehinc Reges hanc legem, quam Reſpublica immobilem & irrevocabilem ſequentibus temporibus pronunciavit, ſæpius juratâ fide circà Electionis & Coronationis actus, tùm verò & Rempublicam Comitiali auctoritate pacem Diſſidentium de religione ſtabiliente confirmaſſe. Adeoque niſi his omnibus neglectis decretum illud Jagellonium revocari nuper non potuit. Sed de his uberius, volente Deo, in Hiſtoria Religionis agemus. Nunc ſaltim orbis videat, quantum forma Reipublicæ præſens, quæ è veſtigio à violata inſigniter Anno 1647. religionis libertate, bellis civilibus & externis concuti cœpta, uſque adhuc triſtis & luctuoſa, cumprimis nuperrimo illo bello civili fœdè, ut nunquam antehac, lacerata apparet, ab illa avita tàm lætâ & proſperâ abſit. Memini narraſſe mihi Chriſtophorum Lubienietzium, patrem meum ſæpius quid eſſet ſibi à patruo ſuo Andrea, qui inter comites illius legationis fuit, dictum, ita ut non abs re fore putem utriuſque illorum æquum & ſobrium de illa Henrici Valeſii electione judicium audire. Nempe Deum voluiſſe Henricum violatæ libertatis, religionis & bellorum ſacrorum mala toties domi expertum (nam hoc ipſo anno non tantùm Sancerra in Bituricenſi, ſed & Rupella in Santonico agro munitiſſima oppida, acri & diuturna obſidione fruſtra premebantur, & in hac quidem Henricus ipſe præſens vitæ periculum adierat *(a)*, & accepto in caſtris de ſua electione nuncio, exitum rei honeſtum niſi pace & libertate datâ invenire non poterat) in Regem eligi, quod die 19. Maji factum eſſe invenio, ut libertatem illam in Republica noſtra liberrima juramento confirmaret: quô facto, cum jam is Pontificibus credulus & addictus Proteſtantium libertati Cracoviæ inſidiaretur, juſſiſſe eum in Galliam redire, ubi dehinc ſacris & domeſticis bellis exercitus manu Monachi tandem conciderit, poſtquam egregiâ voce, quam experientiâ propriâ didicerat, libertatem conſcientiarum commendaſſet. Lutetiæ primùm legem illam juramento Regis Henrici, licet non ſine quadam difficultate, quæ Joanni Zborovio uni ex Oratoribus magnanimam illam vocem, *ſi non jurabis, non regnabis*, expreſſerit, confirmatam eſſe, Illuſtriſſimus Fredro Caſtellanus Leopolienſis in hiſt. Polon. rege Henrico *(b)* teſtatur. Is etiam, ut eſt aviti moris & patriæ libertatis retinentiſſimus, Fœderationem illam legem appellat. Idem Henricum xx. Febr. Regio diademate ornatum, XVIII. Junii Cracoviâ erupiſſe annotat. Acceperat nempe acerbum nuncium de exceſſu fratris Caroli, qui lanienæ Pariſienſi non diu ſuperfuit. De

(*a*) Thuan. l. 56. (*b*) Pag. 117.

morte

morte Caroli audiendus eſt ſolus Thuanus (*a*): nam quæ cæteri memoriæ prodidêre, partium ſtudio dicta videri poſſent. *Is primum* (*b*) *venationibus*, inquit, *ad inſaniam indulgebat, & ferarum cruori manus intingere aſſuetus, inde ferocior redditus ad crudelitatem paullatim ferebatur, incaleſcente per violenta exercitia ſanguine.* Dein ſubjicit: *Somnum etiam nocturni horrores poſt caſum Sanbartholomæum plerumque interrumpebant, & rurſus adhibiti ſymphoniaci pueri expergefacto conciliabant.* Ex hac occaſione citrà temeritatem dicere me poſſe arbitror, Regi Carolo cruentam illam cædem contrà toties Colinio (quem Carolus patris loco & pro viro forti ac fideli & ſuæ dignitatis ſtudioſiſſimo ſe habere (*c*) toties, & vulnus ipſi, licet ad necem jam dudum deſtinato & jam jam necando, inflictum, dolorem ſibi inflixiſſe, illudque pro merito vindicandum aſſeverabat, alioquin Deum ſibi iratum optabat) & aliis Proceribus Proteſtantium datam fidem, commiſſam, triſtem exitum portendiſſe. Id tantò magis verum eſt, ſi, quod Serres memoriæ prodit, tantæ cædis auctor, qui ſe 70^m. hæreticorum paucis diebus ſuſtuliſſe (*d*) literis ad Pontificem Romanum datis gloriatus eſt, in proprio ſanguine per meatus corporis erumpente volutatus & veluti ſubmerſus periit, cum certum ſit plus ſanguinis humani nullo ætatis vel ſexûs diſcrimine quàm vini (*e*) effuſum tunc fuiſſe. Equidem & Claudius Lotharingus Aumalius, illius lanienæ præcipuus incentor, (ut & Coſſenius primarius ejus executor) poſt ſex menſes in obſidione Rupellana (*f*) majoris machinæ bellicæ ictu occubuit. Equidem & gentiles ejus Guiſii Ludovicus & Henricus, qui fœdum fœdus, ſpecioſo titulo Sanctæ Ligæ inſignitum, ſed & ipſi Pontifici Romano improbatum, contrà Regem Valeſiorum ultimum & Borbonios ei, ut proximos agnatos, in regno ſucceſſuros iniverant, prætextu religionis tectum, exeunte Anno 1588. juſſu Regio in Conventu Bleſenſi trucidati fuêre, & Henricus quidem Dux in eo ipſo (*g*) conclavi, in quo ante 16. annos prima in laniena Pariſienſi conjuratio facta erat. Hos Regis mater Catherina ex mœrore tàm occiſis Guiſiis, quibus impenſius favebat, quàm in lucem protractis à Cardinali Borbonio fœderis ſocio ejus contrà filium artibus, è veſtigio ſecuta eſt poſtquam ineunte anno proximo contabuit, vel veneno, cujus præbiti ſuſpicio erat, exſtincta eſt. Sed & ipſe Henricus eodem anno Kal. Auguſtis, parricidiali Jacobi Clementis Monachi ex Dominici familia manu, ad Clodoaldi pontem (*h*) in Hieronymi Gondii ædibus voluptuariis, in quibus cum matre, fratre & Guiſiis in lanienam Pariſienſem conſpiraverat, trucidatus eſt. Sed ut ad læta redeamus, Anno 1573. Eliſabeta Angla victoriis & commerciorum utilitate Hiſpanum ad pacem ſecum colendam pertraxit. Eodem pax Scotiæ parta, quæ à bello domeſtico tunc reſpiravit, ut Camdenus ait. Is anni proximi læta triſtiaque non pauca commemorat. Anni ſequentis initio fœdus cum Gallo Blæſiis 1572. initum cum Henrico renovatum eſſe, nec pauca alia pace belloque geſta adnotat. Ad Cometam illum ſuum Eckſtormius refert mortem Joachimi Camerarii aliorumque quorundam Virorum doctrinâ præclarorum caſum. At verò nullum dubium eſt talia Reipublicæ literariæ lumina & lucida ſidera aſſiduò oriri & occidere, etſi in cælo nulla crinita ſidera oriantur. Paulò ante exceſſum Joachimi natus erat filius ejus Ludovicus, Vir & doctrinâ & amplâ dignitate poſtea clarus: alios ut taceam quos ætas illa tulit. Ad Principes venio, quorum natales potiori jure ad ejuſmodi cæleſtia phœnomena referri ſolent. Anno ſeptuageſimo tertio ſuprà ſeſqui milleſimum natus eſt Fridericus IV. Palatinus, Sereniſſimi Electoris avus, Maximilianus Bavarus, Sereniſſimi Electoris pater, Mauricius Heſſus, Joachimus Carolus & Joannes Brunſuicenſes, Alexander Holſatus, Georgius Fridericus Badenſis, Adamus Wenceſlaus Dux Sileſiæ Tſcheſchinenſis, Anna Auſtriaca, feliciſſimorum illorum conjugum Caroli & Mariæ filia, Regina Poloniæ Glorioſiſſimi Regis Vladiſlai IV. tùm Chriſtina Holſata Regina, Sueciæ, Inclyti Regis Guſtavi Adolphi verè Auguſti mater, tùm illa Eliſabeta Dana, Henrico Julio Brunſuicenſi poſtmodum nupta, cujus mentionem ſuprà fecimus: ne pluria exempla congeram. Proximum annum Maria Chriſtina Auſtriaca, Sigiſmundi illius Tranſylvani uxor,

(*a*) Lib. 48 & 52. (*b*) Lib. 57. p. 1162 & 1163. (*c*) Thuan. l. 52. (*d*) Calviſ. ex Onufr. (*e*) Thuan. l. 52. Vid. & Serres in Carolo 9. (*f*) Thuan. l. 56. (*g*) Thuan. l. 49. (*h*) Thuan. l. 49. Serres in Henr. 3.

Anna Dana Regina Scotiæ, Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Caroli 2. avia, Auguſtus Holſatus Alexandri frater, Eliſabeta Holſata Chriſtinæ ſoror, Fridericus Eliſabeta & Sabina Catherina Brunſuicenſes ſplendidiſſimis natalibus colluſtrarunt. Sequentem Joannes Auguſtus Palatinus, Joannes Adolphus Holſatus, Sereniſſimi Ducis Chriſtiani Alberti avus, & gemella ſoror ejus Anna, Auguſtus Anhaltinus, Anna Maria Palatina, Maria Holſata, Maria Brunſuicenſis &, quod meritò me addere puto, Alma Academia Lugduno Batava & Altorfina natalem habuerunt lætumque omnibus fecerunt. Porrò Anno 1573. ut Bucholzeri rationes ferunt, nuptias Albertus Fridericus Brandenburgicus cum Maria Eleonora Clivenſi, proximo verò Philippus Ludovicus Palatinus, Sereniſſimorum Philippi Wilhelmi Neoburgici & Chriſtiani Auguſti ac Philippi Sultzbacenſium avus, cum Anna Mariæ Eleonoræ ſorore, mox ſequenti Henricus 3. Gallus cum Claudia Ludovica Lotharinga, Wilhelmus Auriacus cum Carola Borbonia celebrârunt. Plura talia ut omittam, verbo, Rudolphum Bohemorum, paulò poſt Romanorum Regem, feliciter Anno 1575. renunciatum fuiſſe dico.

CCCXCI. *Anno Chriſti* 1576. *Cometa* πωγωνίας, *quo nullum majorem & longiorem latioremque caudam trahentem unquam vidi, menſe Novembris Solem occidentem ſecutus eſt.* Chytræus Chron. Saxon. l. 23. fine.

Anno Chriſti 1576. *Apparuit Cometa. Eodem anno Maximilianus II. Imperator Romanorum à maxima parte Senatorum Poloniæ & Lithuaniæ Rex Poloniæ eligitur & renunciatur. Alii verò Poloniæ Proceres eligunt Stephanum Bathorium, Tranſylvaniæ Principem, qui, Imperatore moram trahente, regno & ſorore Regis anteceſſoris potitur: Imperator verò* 12. *Octobris, Ratiſbonæ in Comitiis, mœrore & curis confectus obiit diem ſuum.* Eckſtormius ex Chytræi Chron. Saxon. lib. 23.

QUæ Cometen hunc brevibus ſpatiis anteceſſerunt turbæ Anglicæ, Scoticæ, Gallicæ, Belgicæ, tum funera Principum, egregia monumenta Camdeni, Serris, Stradæ aliorumque produnt. Quæ mihi in promtu ſunt. Sed & ad portum, quem cominus proſpicio, & jam votis, divinæ gratiæ aurâ favente, præcipio, properanti, pauca horum in medium adferre lubet. Orto in finibus, ut fit, inter Anglos & Scotos diſſidio, res ad arma & tumultuariam pugnam devenit. Nec Hibernia, licet toto mari, imò & orbe à nobis diviſa, armorum furori, qui tunc in orbe noſtro ſæviebat, exemta illa tempeſtate fuit. Acceſſerat peſtis, quæ Inſulam latè populabatur. Hæc Camdenus (*a*) in geſtis anni 1575. *In Belgio jam omnia confuſiſſima*, inquit idem de initiis geſtorum anni proximi, *dum Hiſpani ſinè imperio aliquot Conſiliarios Ordinum in carcerem contrudunt, & in incolas ita direptionibus & omni injuriarum genere graſſantur, ut Ordines arma neceſſariò ſumerent, & protinus nuntiis circumquaque miſſis, per Obignium has injurias & cauſas arma ſumendi, Eliſabethæ ſignificarent. Illa per Dominum Wilſonum, & Ordines & Hiſpanos ut ab armis diſcedant, obnixè hortatur, cauſaſque cur Conſiliarii Ordinum in cuſtodiam raperentur ſtudioſè inveſtigat. Interea Antwerpia urbium ocellus, quæ inter florentiſſima Europæ emporia vix ſecundis acquievit, miſerum in modum ab Hiſpanis diripitur, Anglorum mercatorum domus expilatur, & illi, etſi nullius culpæ conſcii, coacti ſunt redemptionis nomine magnam vim auri militibus dependere.* Hæc nempe & alia ejuſdem generis armorum motus portendunt & provocant, etſi nullus in cælo conſpiciatur Cometes. Hàc nos Camdenus ad Stradam, & ex Anglia ſua in Belgium ducit. Ibi quid niſi bella? Horum vero portenta ſupra vidimus. Longum foret cuncta proſequi. Et animus talia meminiſſe horret. Strictim proximiora percurremus. Ecce verò primum ſe oculis objicit Lugdunum, urbs tàm ſitu & aëre quàm incolis lætiſſima. Sed tunc anno ſcilicet 1574. artiſſimô Hiſpanorum preſſa obſidio. Junctis tamen Arauſionenſis & ſociorum cum obſeſſis animis, tùm Rheno (*b*), Moſa, Iſala ipſoque Oceano, ac penitioribus terrarum & ita viribus, atque hac inſolenti viâ obſeſſis ob-

(*a*) Part. 2. hiſtor. pag. 273. (*b*) Strada ad 1574. Grot. ann. 2. p. 63.

ſidentibus,

ſidentibus, iiſque cum clade repulſis, urbs egregia ad miraculum virtute liberatur. Cui & ruina (*a*) muri, quæ urbibus obſeſſis ruinam & excidium adfert, territis imagine eruptionis validiſſimæ obſidentibus, ſalutem & libertatem attulit. Orta hinc ſecunda in caſtris Hiſpanicis ſeditio, quæ uſque ad vincula Franciſci Baldeſii Ducis progreſſa eſt. Succedit Zelandica expeditio, quæ ut ambiguo Marte tracta (*b*), ita non exiguo ſanguinis conſtitit impendio. His ut & Campinii Vitellii, celeberrimi Ducis, & Ludovici Requeſenii Gubernatoris Belgii funeribus Stradæ relictis, cum Serre tàm adverſa quàm læta, quæ in latiſſimis Galliæ campis occurrerint, videamus. Ab horrenda illa laniena nil quietum tàm in Rege, quàm in Regno, imò cuncta cineribus, cruore, lacrumis, ſuſpicionibus, metu odiiſque pluſquam hoſtilibus completa fuêre. Et quemadmodum inſolentem illam cædem ſævities inveterata, ita hæc viciſſim magis magiſque ſe dilatans bellorum civilium incendium portendit. Sic ab illa tot millium cæde ad uſque noſtrum Cometen & ulterius nulla fida pax & lætitia ſperari poterat. In Pictavienſi agro Anno 1574. primum inducias, mox, ut & in Delfinatu & alibi bella videmus. Eadem planè rerum facies anno proximo fuit, ſpe pacis injectâ, mox acrius reſumta bella, non ſecus quam cum ingens incendium affuſâ paululâ aquâ ſerpit latius & exſurgit altius, vireſque agendo in contrarium reſumit. Acceſſerat ſimultas inter Henricum novum Regem & Franciſcum Alenzonium fratrem oborta, quæ hunc ad ſequendas Proteſtantium partes impulerat. His etiam ſors afflictiſſima auxilia externa conciliaverat & accerſiverat, cumprimis Joannis Caſimiri Palatini, Ducis bellicoſiſſimi. Itaque anno hoc quo Cometes, & pax quinto edicto Regio menſe Aprili decurrente ſancita apparuit. Sed hæc mox artibus Guiſiorum violata in fœdum illud fœdus ad Peronam initum vertit, quod novos in regno motus, & vel Henrico tàm Valeſiorum ultimo quàm Borboniorum primo, vel Guiſiis auctoribus, diadema Borbonio præripere volentibus, exitium portendit. Illud Rex Regum & Sapientiſſimus Imperiorum moderator prohibuit, hoc permiſit fieri. Annum hunc interea non pauca commendarunt læta. In Anglia, ut Camdenus ait, paſſim his temporibus læta quies & negotiatio inter Anglos & Luſitanos iterum recluſa, & via in opulentam & lætam Cathajam, olim Sericam, veteris Græciæ & Italiæ æmulam, Septentrionalis maris beneficio perrumpendi, & Orientis Occidentiſque opes mutuo commercio conjungendi ſtudio induſtriè, &, ſi Bucholzero (*c*) credimus, magno cum fructu, tentata. Hiberni tunc immodicis tributis preſſi tumultuari cœperant. Sed his Reginæ ſuorum clementer miſerentis, & rectores populorum paſtores in tondendis, non lupos in deglubendis ovibus, imitari debere prudenter judicantis beneficio minutis, mox regno reddita quies. Eodem anno bellum Belgæ, ut ad hos paullùm revertar, domi ab exceſſu Requeſenii habuêre. Sed ecce aliud quàm Cometa ejus portentum imò cauſſa! *Etenim populus* (verba ſunt Stradæ) *ab Hiſpano Rectore liber, novam in eiſdem Senatoribus perſonam non agnoſcebat: aut potius diviſam in multos diminutamque potentiam non magnoperè formidabat. Et Nobilitas imperium ſuorum, uti parium, contemptim habebat, eorum mandatis plerumque diſcordibus facilè eluſis.* Pluribus dehinc hæc deſcribit, in diſcordiam Senatorum quorundam Hiſpanis offenſorum atque ultionem meditantium, & libertatis patriæ vindicandæ ſtudio populum ad ſe trahentium, tùm in ſeditionem Hiſpani militis, quæ quarta fuit, ſtipendiis Germano militi, ſe præterito, numeratis, mala hæc conjiciens (*d*). Hinc fœderis Gandavenſis (*e*) dominationi Hiſpanicæ oppoſiti initia, progreſſus & exitum adventu Joannis Auſtriaci, dimiſſis ab hoc Hiſpanis, & pace perpetuâ (in ſpeciem tamen (*f*), ut mox res docuit) ſancitâ, pro tempore lætum exponit. His, præter *inveteratum Hiſpanorum odium* (*g*), *quod Belgæ patratis ab his ſceleribus irritati* induerant, quod addam habeo nihil, niſi quod tantùm libertatis hîc parandæ, quantum dominationis illîc recuperandæ cupido indies creverit, ut ita mutua odia magis magiſque aucta, diuturnum & difficile bellum omni cæleſti face certius portenderent. Sed ad res patrias venio. Has enim Eckſtor-

(*a*) Reidan Annal. 1. Grot. ann. 2. p. 63. (*b*) Vide Reidan. ad 1576. Grot. ann. 2. p. 64. (*c*) Ad ann. 1577. (*d*) Vide Reidan. Annal. 2. initio. (*e*) Vide Reidan. ann. l 1 fine. Grot. Ann. 2. pag. 68. (*f*) Reidan. & Grot. Ann. 2. ille ſub initio, hîc ſub fine. (*g*) Reidan. ibid. Grot. Annal. 1, & 2, paſſim.

mius

mius Cometæ noſtro ſubjecit. Has difficultate quadam & metu periculi, imò & motu Gedanenſis belli mirâ Stephani non tantùm induſtriâ & virtute, ſed & felicitate compoſiti, ex diverſis partium ſtudiis electione non caruiſſe, fateor. Lætas tamen eaſdem electione Stephani, quo Rege aurea tempora Poloniæ maxima commoda & gaudia attuliſſe vox communis, annotante Bielſcio hiſtorico indigenâ, ferebat, dicere non vereor. Proximè Henrici Valeſii, & hoc loco facta ab Eckſtormio Maximiliani 2. & Stephani mentio me permovet, ut horum Clariſſimorum Principum memorandas pro libertate religionis voces hîc, ubi Belgium & Galliam pone Germaniam bello ſacro concuti videmus, ponam. Quæ ſi, ut par erat, obſervatæ fuiſſent, multis cædibus & bellis, indeque ortis malis, quæ ad hunc Cometam alioſque ſequentes injurià tranſferuntur, obviam itum fuiſſet. Prima dignitate & tempore Maximiliani eſt. Is Henrico ex Polonia profugo ad ſe divertenti, qui & antehac bella ſacra geſſerat, & ad ea agenda properabat, *Nullum*, inquit, *majus peccatum eſt (a), quàm vim inferre conſcientiis; & qui eis imperare volunt, dum putant ſe conſequi cælum, ea quæ in terris poſſident, perdunt.* Altera eſt ipſius Henrici, qui ſaluberrimi hujus moniti immemor, exempli tandem proprii documentum & nocumentum cæteris Principibus ore ſuo reliquit *(b)*: *Differentiam religionis ad Conventum regni generalem referte, & diſcite meo exemplo, religionem eſſe officium hominis ergà Deum, in quod brachium carnis nullam habeat poteſtatem.* Stephani vox tanto Rege digna vulgo nota eſt: *Deus tria ſibi ſoli reliquit, in quibus nec poſſit, nec velit habere parem, primum eſt creare aliquid ex nihilo: ſecundum, futura præſcire, tertium imperare conſcientiis.* Utinam hæc iſta quoque tempeſtate obſervata fuiſſent, & aliàs ſemper obſerventur! At verò his neglectis, portenta malorum in terra, etſi nulli Cometæ in cælo oriuntur. Maximiliani mors, alioqui triſtis, ſuo fructu & gaudio non caruit. Reliquit enim dignum ſe ſucceſſorem Rudolphum 2. tum ſuæ ſapientiæ, pietatis & virtutis memoriam honeſtam & optimo Imperatore digniſſimam, ut Bucholzerus ait. Qui etiam ex hâc occaſione laudat Joannis Cratonis Medici Cæſarei Orationem, laudes ejus ſapienter & doctè recitantem. *In qua Oratione*, inquit, *multùm eſt ſcientiæ, arcanæ ſapientiæ, ſenilis prudentiæ & eruditæ eloquentiæ: adeò ut oratio recitans laudes Imperatoris non taceat laudes Oratoris. Hâc quoque parte poſt mortem Felix fuit Imperator, quòd Cratonem, in quo multùm eſſet ſenilis ſapientiæ & canæ ſcientiæ, conſecutus eſt Encomiaſten.* Camdenus ex eadem occaſione illam triſtium & lætorum mixturam monſtrans, Eliſabetam ad Rudolphum legaſſe Philippum Sidnejum, qui & de patris morte dolorem, & de ejus ſucceſſione gaudium officioſiſſimè declararet. Meminit is unà mortis Friderici 3. Electoris Palatini, Principis laudatiſſimi, qui unà cum Maximiliano Imperatore Chriſtiana virtute, & ſingulari moderatione magnum ſui deſiderium omnibus bonis menſe Octobri reliquerit. Invenio & Joannem Albertum Mecklenburgicum die 12. Februarii, tùm Requeſenium 5. Martii vitâ exceſſiſſe. An præceſſerint vel ſecuta fuerint Cometæ apparitionem iſta Principum funera, non habeo dicere, cum nullos Cometæ noſtri natales habeam. Itaque rem in medio relinquo, ut & lætos hujus anni Principum hymenæos vel natales. Joannes enim Princeps Daniæ, Dux Holſatiæ Chriſtiani 3. filius (à quo Sunderburgenſes, Nordburgenſes, & Gluckſburgenſes ex Brunſuicenſi, Plœnenſes autem Holſatorum Duces ex Anhaltina conjuge deſcendunt) tunc nuptias cum Eliſabeta Erneſti Brunſuicenſis filia celebravit. Nati verò ſunt Philippus Bavarus, Joannes Adolphus & Chriſtianus Holſati, Auguſtus Saxo Lavenburgicus, vel certè Maria ſoror ejus (utriuſque enim natalem Auctor 14. tabb. ſed Bucholzerus Auguſti ſolius in hunc annum conjicit) Rudolphus Anhaltinus, Philippus Wilhelmus Heſſus, Catharina Renata Auſtriaca, Maria Palatina, & Sidonia Brunſuicenſis. Et quis dubitet alibi pluria talia hoc anno eveniſſe? Cui etiam fundationem *(c)* vel *(d)* introductionem ſuam ab Julio Brunſuicenſi, Principe virtutum & meritorum gloriâ præſtantiſſimo, factam Academiæ Helmſtadienſis, quæ & Julia à conditoris ſui nomine dicitur, debet. Hannovera tunc Ducem Ericum cum nova Sponſa Dorothea Lotha-

(a) Serres in Henrico 3. initio non procul. (b) Serres in Henrico 3. in fine. (c) Calviſ. Helvic. Alſted. (d) Buntingi. 1. part. Chron. fine & in Chronol. Bucholz. ad 1576.

ringa




Tych. B.
Mæstlin.
Tych. Brah.
Landgr. Hass.
Com. Gemm.
Tych. B.
Landgr. Hass.
Tych. B.
Landgr. Hass.
Tych. B.
Landgr. Hass

ringa magno & splendido cum comitatu ineuntem solemni lætitiâ excepit (a). Hîc etiam mihi memorandi sunt natales Christiani IV. Regum Glorioſiſſimi, cui Magni cognomen præclara merita deferunt: Ferdinandi Bavari, Ludovici Heſſi, & Magni ac Dorotheæ Brunſuicenſium. Hîc pariter indicandæ nuptiæ Joannis Georgii Electoris Brandenburg. qui Sereniſſimi Electoris Frederici Wilhelmi abavus fuit, cum Eliſabeta Anhaltina Celſiſſimi Principis Boguſlai Radzivillii avia, Joannis Friderici Pomerani cum Erdmude Brandenburg. Joachimi Friderici Lignic. & Bregenſis cum Anna Maria Anhaltina, & Erneſti Ludovici Pomerani cum Sophia Hedvige Brunſuicenſi. Licet enim hæc anno proximo evenerint, Cometæ tamen apparitionem præceſſerunt.

(a) Bunting. 3. part. Chron. & in Chronolog. ad 1575.

CCCXCII. *Anno Chriſti* MDLXXVII. 3. *Cometa Id. Novembr. in latitudine Meridionali conſpectus, inferiore ex parte in ſpeciem barbæ jubam extendens, duranſque uſque ad ipſas Idus Januarii anni ſequentis, in Pegaſo tandem diſparens.* Fabricius.

Anno Chriſti 1577. 12. *Novembr. Cometa Anſpachii tunc temporis apparuit, quando Sol primum gradum Sagittarii, quem quoque ſuprà Zodiacum in ſigno Capricorni propè Saturnum, qui tunc* 10. *gr. Capricorni occupavit, verſus Æquinoctialem ſecuta eſt, caudam per cornua Capricorni verſùs Solis ortum brumalem, in medio autem curvatam quaſi verſùs Meridiem dirigens: præterea motus quoque ipſius verſus ortum æſtualem & Septentrionem per Capricornum & Aquarium uſque in* 12. *gr. &* 15. *gr. Piſcium ſeſe extendit. Cumque per duos menſes flagraſſet, circa medium Januarium evanuit. Hunc paulò poſt, anno videlicet ſeptimo, Colonienſis ſeditio eſt ſecuta. Tùm diſceptatum tunc temporis fuit de Epiſcopi novi electione, ſeminaque diſcordiarum magna poſita ſunt, quæ anno* 4. *paullulùm repullulare cœperunt; ſeptimo autem anno bellum manifeſtum per illos ortum eſt, in quorum geneſi poſitus Planetarum idem fuit, in eodemque loco ſitus, in quo Cometa in principio videlicet in ſigno Capricorni apparuit. Inde quoque experientiâ compertum eſt, quòd illi, qui poli altitudinem* 51. *gr. habent (ſub cujus altitudine Epiſcopatus Colonienſis ſitus eſt) Cometa cum ſigno Capricorni, quoties ortus eſt, horizon illorum circulo Cometæ æqualis fuerit, quem per totum tempus quo per ſigna Capricorni, Aquarii & Piſcium motum ſuum habuit, quando videlicet circulus per medias flammas Cometæ ducitur. Quod indicium certiſſimum fuit effectus Cometæ in dicta elevatione tales futuras eſſe (cui Coloniæ & vicina loca quoque ſubjecta ſunt) criticoſque annos, videlicet* 1583 *&* 1584. *certò ſequi, ſicut etiam experientia poſtea docuit. Septimo enim anno poſt apparitionem Cometæ Princeps Uraniæ eſt interfectus.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1577. *die* 10. *Novembris, ſub Aquila volante in aſteriſmo Antinoi apparere cœpit horribilis Cometa, longiſſimam caudam ſpargens ab occaſu verſus ortum. Progreſſus eſt ſecundùm ordinem ſignorum ad collum uſque Pegaſi, fuitque ſine dubio prænuncius belli Mauritani paulò poſt ſecuti; quo anno Chriſti* 1578. *die* 4. *Auguſti, Sebaſtianus Rex Luſitaniæ & Mahometes Mauritaniæ Rex vitam cum victoria amiſerunt: Abdelmelecus autem victor in fervore pugnæ apoplexiâ mortuus, victoriam & regnum Hameto fratri peperit & reliquit. Anno* 1578. *die* 13. *Januarii, horribilis iſte Cometa in collo Pegaſi extinctus eſt.* Eckſtormius ex Buntingi Chronologia, quam tandem (quod non fruſtrà moneo) poſtrid. Kal. Sept. Gregor. anni hujus CIↃ IↃC LXVI. inveni & mihi comparavi.

Anno Chriſti 1577. *licet* 10. *Nov. navigantes Oceanum Norvegicum & ſereniore aurâ uſi videre cœperint hunc Cometam, ut fatetur Tycho, ipſe tamen Tycho, cœpit illum conſpicere die* 13. *Nov. paulò ante Solis occaſum, nondum apparente caudâ præfulgore Solis, quæ poſt occaſum Solis apparuit longiſſima, & verſus Orientem protenſa, quo die una circiter hora poſt Sagittarii ſtellati non longè à Saturno*, quo erat aliquantulo altior, & caudam verſus Capricorni cornua projiciebat, inde aliis noctibus velociori curſu ad Antinoum pergens, tranſienſque manum ejus ſiniſtram & caudam Delphini prætergreſſus, viſus eſt permeare nares Equulei, capite Pegaſi ad Auſtrum relicto: inde verò rectà ad Scheat Pegaſi lentiori quàm antea motu ferebatur, & tandem inter Scheat & duas minutulas ſtellas, quæ ſunt in Pegaſi pectore die* 26. *Jan. anni* 1578. *diſparuit: nunquam verò noctu Meridianum pertranſivit, ſed ſemper ab eo verſus Orientem inclinabatur, ideoque & ob motus proprii inæqualitatem fatetur Tycho perplexiores labyrinthos parallaxeos inveſtigandæ ſibi objeciſſe.*

* Cometa Sole & Saturno altior.

Duravit à die 8. *Novembr. ad* 26 *Januarii* 1578. *Keplerus p.* 129. *de Cometis ait, ab hoc Cometa ſtimulatum Regem Sebaſtianum, ut in Africam trajiceret. Sed eum deridet Fromondus l.* 3 *Meteorol. c.* 3. *Anno porrò ſequenti Muſtaphus Turca in prælio cæſus amiſſis* 70^{m}. *hominibus & Sebaſtianus Luſitaniæ Rex ad Alcazerium cum flore nobilitatis cæſus eſt; mortuo tamen Abdemelecho hoſte ex apoplexia, moritur & Joannes Austriacus in caſtris Belgicis, & Angli in Catholicos ſæviunt.* Ricciolius.

Anno MDLXXVII. *menſe Novemb Cometa viſus eſt illi Ariſtoteleo, qui ab occaſu Æquinoctiali apparuit, & caudam ad uſque Orionem per tertiam cæli partem projecit, unde & via vocatus eſt; non abſimilis, qui prolixos ſecundùm Tychonem effundens crines, juxta occaſuram cæli partem oſtendebatur, & ex radiis Solis Occidentis prodiit, ſecus ac à Plinio proditum eſt fieri. Is initio in dies ſingulos quinque graduum fuit, proceſſit in Boream cum inclinatione in ortum graduum* 29 *cauda continenter directa in oppoſitum Veneris potius quàm Solis. In quo & recurvatio caudæ toto durationis tempore apparuit, quod proximè Solem occaſum, atque adeo non longè adeò ab horizonte extiterit, occidens heliacè diſparere deſiit.* Gaſſendus.

ANnotat hunc Cometen Buntingus *(a)* aliquoties extra Chronologiam, tùm Bucholzerus, Calviſius, Alſtedius, Reidanus & Sifardus, ſed & Schorerus ex Chron. Baſil. Gravius aliique. Ricciolius *(b)* infrà eum ſeptuaginta & novem diebus duraſſe putat. Paulo poſt de magnitudine capitis Cometæ apparenti agens, hunc Cometam radio Aſtronomico ſub menſuram revocatum à Tychone, ſcribit æſtimatum fuiſſe ſeptem primorum minutorum *(c)* fuiſſe duplo majorem Venere perigæa, cujus diameter apparens Tychoni eidem Tomo 1. prog. p. 475. eſt 3′ Infra Scultetum, quia diametrum apparentem hujus Cometæ fuiſſe minutorum 54′. atque adeò duplo ferè majorem Solis diametro, à Tychone *(d)* oculato teſte falſitatis argui aſſerit, & tribuendum eſſe dicit vel oculorum imbecillitati, vel haloni qui Cometam fortè circumfuſus opticè ampliaverit. Mox N° 7. de magnitudine apparenti caudæ vel barbæ Cometarum agens, Cometæ noſtri, ut & illius anno 1538. viſi, caudam 30. grad. ex Mœſtlino circumſcribit, licet eam Joannes Prætorius nonniſi gr. 25. longam & latam 2. Tycho autem grad. tantum 22. fuiſſe dixerit. Hinc N°. 8. de magnitudine vera capitis & caudæ Cometarum agens, varias apponit ſententias, quas Mathematicorum cauſſa inſerere hîc non pigebit: *Tycho tomo* 2. *pag.* 202. *&* 205. *Cometam anni* 1577 *die* 13. *Novemb. cenſuit diſtare à centro terræ quoad caput* 210. *ſemidiametris terræ, ſed quoad extremum caudæ* 157. *ſemidiamet terræ; diametrum autem capitis apparentem* 7′, *& veram milliarium German.* 368. *& ad terræ diametrum, ut* 3. *ad* 14. *ad Lunæ autem diametrum ut* 1. *ad* 4. *corpus autem ſeu ſoliditatem capitis, ad terræ ſoliditatem ut* 1. *ad* 101$\frac{2}{3}$. *ſed ad Lunæ ſoliditatem, ut* 1. *ad* 2$\frac{1}{3}$. *caudæ denique longitudinem apparentem graduum* 25. *ſed veram ſemidiametrorum terreſtrium* 95. *aut* 96. *ſeu milliarium Germanicorum* 81700. *vel* 82560. *Unde capite* 11. *num.* 15. *colligemus ſoliditatem totius Cometæ cum caudæ ad Telluris ſoliditatem, ut* 14. *aut* 33. *ad* 296. ibi conicam, hîc cylindricam Cometæ molem intelligens, ut infra l. d. ſeipſum explicat.

Scultetus tamen apud Tychonem tomo 2. *pag.* 409. *&* 415. *fecit diametrum capitis Cometæ anni* 1577. *milliarium* 124. *qualium terræ diametro dat* 1718. *& Lunæ* 505. *Longitudinem autem caudæ; eorundem milliarium* 2623. *Sed ſuppoſuit diametrum apparentem ipſius & Lunæ* 54′. *errore* ſanè manifeſto; diſtantiam autem à terris milliaribus 8047. German. & parallaxin gr. 5. 22′. Villebrordus Snellius cap. 6. de Cometis eundem Cometam ſuppoſuit diſtare à centro terræ ſemidiametris terreſtribus 300, & diametri apparentis 7′. & hinc ſoliditatem ejus ad terram ut 8 ad 27. ſed ad aërem in unum globum coactum, ut 8 ad 1. Porrò N°. 9 de ſitu caudæ Cometalis reſpectu Solis, Veneris aut Mercurii & plagæ cæli, in quam vergere viſa eſt, agens, dubiam quodammodo Tychonis *(e)* ſententiam de iſtius Cometæ cauda, non exactè in Solis, ſed in Veneris partem oppoſita fuiſſe dicit, tandemque vel ob latentem cauſam opticam, ut ſuſpicatur Tycho, ſive quia Cometæ caput non eſt exactè Sphæricum, ut in hac controverſia putat Cabæus, fieri ut aliquando cauda recedere videatur aliquantulum à Solo oppoſito, allata in hanc rem Kepleri auctoritate, concludit. Mox Moeſtlini ſententiam refert caudam

(*a*) 1. part. Chron Brunſu. fine; 2 & 3. parte. (*b*) Cap. 4. N°. 5 & 6. (*c*) Tycho tom. 2. p. 2 & 202. (*d*) Tom. 2. p 415. (*d*) Tom. 2. c. 7. & c. 9. p. 204. & 142.

Cometæ

Cometæ hujus, ut & illius paulò post, scilicet anno 1580. visi, prius deflectere ab oppositione cum Sole, postea verò ordinari cum Sole & capite Cometæ in eundem Circulum maximum ac à Sole directè averti. Nec longè post, *Caudæ matutini*, inquit, *& Orientales barbati sunt, productis radiis in occasum, ut Anno* 1363. *vespertini verò & Occidentales, ut Anno* 1577. *caudati, radiis ab Occidente aversis in Orientem, & Sole valdè depresso infrà horizontem, cauda Cometarum versùs Zenith erecta videtur & prius oritur barba Cometæ matutini quàm caput, contrà verò prius occidit caput vespertini.* Paulò inferius N°. 10. plagam cæli in qua Cometæ oriuntur, procedunt & exstinguuntur, considerans, idem ferè iter ejus quod supra vidimus, designat. Tum N°. 11. motum Cometarum in consequentia vel in præcedentia describens, in consequentia hunc motum esse, N°. 12. arcum seu viam Cometarum ejusque quantitatem & distantiam à Sole indicans, huic nostro 91. gr. 46'. dies, ut dixi, 79. tribuit. Eundem N°. 13. initio velociorem, sensim tardiorem factum, diurnoque motu in proprio ductu 6. gr. 2. minut. confeciſſe: N°. 15. vespertinum & caudatum (*a*) fuisse ait. Eidem diaphaneitatem auctoritate Tychonis tribuit. Atque hæc de isto Cometa accuratissimus Ricciolius. Observationes diversorum de hoc Cometa factæ apud eum supra p. 10. & 11. videantur. Clarissimus Vir Fridericus Millerus in Hassorum Acad. P. P. Tychonem deprehendisse diametrum Cometæ mill. Germ. 368. caudam verò eum 39. grad. longam fuisse ex Erasm. Schmid. dicit. Sed ibi fortè pro 39. gr. 29. vel 30. sunt ponendi, quòd paulò ante allatæ Prætorii & Tychonis sententiæ cum Mœstliniana comparatæ apud Ricciolium demonstrare videntur. Hujus Cometæ exemplo Tycho, Cornelius Gemma, Helisæus Roeslinus & alii Cometas cælo asserunt. Hunc enim supra Lunam fuisse parallaxis Lunari minor ostendit. Hanc & Wilhelmus Landgravius Hassiæ, non minus Serenissimæ suæ familiæ quàm Reipublicæ literariæ & orbis Astronomici lumen, accuratis observationibus deprehendit. Non defuêre tamen qui etiam hunc Cometam Lunæ subjecerint, ut Joannes Prætorius, cui hic Cometes est ultimus, & alii nonnulli: quorum objectiones Tycho solidè refutavit. Hic tamen non in omnibus Ricciolio (*b*) & Gravio (*c*) tanto minus Claramontio satisfacit. Keckermannus Aristoteli addictior, illis qui Cometen hunc sub æthere collocant, accedit. Cometam tamen illud phœnomenon fuisse multorum auctoritate asserit. Marcellus Squarcialupus Vir eruditione præclarus, ad Magnum Dudithium, Commentarium integrum de Cometa in universum, sed & de hoc speciatim scripsit, lectu profectò dignum. In hoc cum multa sint, quæ ad nostram sententiam confirmandam faciunt, tùm illa cumprimis quæ de cæde Lusitana Keplerus, notante Ricciolio, Buntingus, Eckstormius & alii huic Cometæ adscribere solent. Ita ergò Marcellus: *Jam quia nobis objiciunt Regum* 4. *cædem in prælio ad mare Atlanticum factam, videndum est, Dudithi, quantum sit pondus in dictis observatorum. Lusitanus trucidatus: magnus Rex: nemo negârit. Ergò magna calamitas? Ergò id fecit Cometa? Videor sanè, cum hæc audio, pueros vel ancillas garrientes audire. Quid enim? in bello cædes fieri miraris? Quid bellum, nisi ad perniciem apparatus? Clades, cruoris effusio, strages, fructus proprii sunt bellorum & pugnæ. Carnificina enim humani generis bellum. Et, cum scias in macello bestias mactari, concidi; si videris ovem semel jugulari, monstrum te vidisse clamas? Nullus est annus, in quo prælia non multos perimant; & quæ non præcessit Cometa, ea nos minimè movent: cum is fulsit, mox quicquid accidit, à portento, à stellis, à falcifero Saturno, à furibundo Marte profectum dicimus?* Borosius de Cometis pag. 128. Juvat ejusdem Marcelli exscribere hîc illa quæ ad rem pertinent. *Quid autem*, inquit, *de peste trium annorum dicam? nullo prius viso Cometa in Italia (Germanos & Hungaros mitto) ad* 400. *millia mortalium sublata sunt. Quot venerandi Theologi: quot Viri sapientes? quot fortissimi Senatores, quorum singulos cum Regibus conferas, (Deus enim potentiæ summæ virtutem & justitiam anteponit) pestis contagio sublati sunt? Cometa nullus arsit, & tamen tanti populi deflagrârunt? Et ii tamen obstinati Cometomantes* 30. *millia cum quadringentis millibus; & barbaros tres Reges, cum tanto sapientum numero conferre audent?*

(*a*) Vide Grav. disp. th. 1, § 2. th. 5. § 9. (*b*) Almag. Nov. in historia Cometarum cap. 3. (*c*) Disput. de Cometis

audent? At Christianus Rex cæsus, quot putas Regios filios alibi natos? quot ad regnum idoneos, licet nunquam Reges futuros? Quare sileant jam, si velint, adversarii pertinaces, neque speciem nobis fletus objiciant, nisi velint sibi à nobis nostras horrendas & luctuosas calamitates maximo cum omnium dolore memorari. Illa quoque ejusdem Marcelli reticenda mihi non sunt. *In summa dum vaticinatur Peucerus ustulatum iri corpora nostra, videri illa algere, & pro bellis, terræ motibus ac peste, sanitatem, pacem ac terræ quietem penè omnibus locis (non enim ubique dicam) fuisse; ut mirari sanè liceat, adversarios nostros non pœnitere suarum opinionum. Præsente enim ita magno Cometa, illoque desinente, toto hoc anno, nullas tempestates minimas, nulli venti validiores, nulla siccitas, nullus ardor, non terræ motus, non bellum novum, non pestis fuit. Et potius (ut vident omnes) omnia mitiora acciderunt. Reges confirmati, non mortui Monarchæ, & pestem potius comparente Cometa sublatam vidimus in Hungaris, in Longobardis. Et si alicubi contagium sit, quantum hoc existimandum est ad universi calamitatem? ecquando accidit, ut non esset alicubi pestis? & non pestis tantùm, sed omnes tùm corporis tùm animi morbi? Si viderem, non frequentem esse in Germania pestem, & in Sarmatia: tùm verò mirarer, tùm prodigium esse exclamarem. Nam nihil est, quod magis pestem accersat, quàm aëris ipsa corruptio. Germani verò sæpius habent concluſum aërem. Hypocausta non ferunt perflata. Nam claudunt nimis diligenter ostia, & vitreas illas fenestras occlusas habent: putrescit igitur aër, quo putrefacto pestis gignitur & fovetur.* Hæc etiam bono publico inserenda hîc mihi esse duxi. Porrò quæ ibi Raimundi Vennensis deliriis, qui sibi propitium futurum Cometam scripsit ob natale suum signum Cometæ commune, opponit, ea quodam modo ad illa quæ Rockenbachius nostro Cometæ accommodat, septem annorum eventus ad eum referens, cum & anno 1578, 1580 & 1582. Cometas his eventibus proximiores adnotet, referri possunt. Quæ autem de nativitate Principum hoc anno Marcellus ibi conjecit, vera sunt. Nam præter Glorioſissimos Principes hoc anno natos, quos Cometæ nostri apparitionem anteceſſisse diximus, hanc Joannis Georgii Brandenburg. natalis excepit. Eodem anno Ludovici Philippi Palatini, Joannis Friderici Holsati, Elisabetæ Austriacæ, Annæ Holsatæ, & aliorum Principum natales adnotari invenio. Solum autem ex Principibus Carolum Badensem hoc anno defunctum Bucholzerus memorat. Hùc etiam mihi referendi sunt Philippi 3. Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum avi, Julii Augusti Brunsuicensis & Joannis Ernesti Anhaltini natales, qui prioribus anni proximi mensibus evenerunt, Cometæ illo anno visi (de quo mox agemus) natales paullùm anteceſſerunt, & ad hunc nostrum, utpote vicina, meritò commemorantur. Tot Reges & Principes hoc anno quo & Cometes, vel proximo natos pro uno illo Christiano Rege Sebastiano Lusitano & duobus Mauris in illo prælio Africano mortuis Keplero, Eckstormio & aliis reddimus. Nisi tamen verbo attingamus mortis Sebastiani portentum à Camdeno nobis indicari, nequaquam hîc tacendum. Ita verò ille (a): *Sebastianus Lusitaniæ Rex, cui summa hujus expeditionis in Angliam commissa erat, (quandoquidem ille juvenili ardore & ambitione tumidus, omnem suam operam Pontifici Romano contrà Mahometanos & Proteſtantes jampridem condixisset) à Mahomete Abdallæ filio Fessæ Rege, magnis promissis in Africanum bellum illectus, cum Stucleio egit, ut prius cum Italis illis in Mauritaniam una proficiscereturr. Ille facilè persuasus (quandoquidem Hispanus Pontificis filium Hyberniæ Regem designari dedignatus, non abnuerit) cum Sebastiano in Mauritaniam profectus, memorabili illo prælio quo tres Reges, Sebastianus ille, Mahometes & Abdal-Melechus occubuerunt, solutioris vitæ fabulam honesta cataſtrophe peregit. Nisi hoc Sebastiani fatum Hispani animum ab Anglia invadenda ad Regni Lusitaniæ spem deflexisset, maxima belli tempestas (si qua fides profugis Anglis) in Angliam incubuisset.* Plura qui volet apud Auctorem videat. His tamen tribus verbis ex Reidano (b) addam, cladem illam cœcâ Sebastiani ambitione, belli sine necessitate susceptı temeritate, vanâ auxiliorum Hispanicorum spe & experientiæ bonique consilii inopiâ, prudentioribus præsignificatam & præceptam fuisse. Pariter huc mihi referenda est toto orbe multis nominibus clarissimæ urbis Amstelodamensis cum Arausionensi Principe transactio, tùm deditio & cum cæteris Belgis, maximo patriæ gaudio & commodo conjunctio Anno eodem 1578. die 8. Februarii facta. Hanc Amersforti deditio die

(a) Part. 2. Histor. p. 295. (b) Annal. 2. sub fin. Vide Patav. R. T. 1. part. lib. 9. c. 12.

20. Mar-

20. Martii ſecuta eſt. Exarſerat verò hoc anno bellum Dantiſcanis à Stephano Rege illatum, cruentum quidem & luctuoſum, ſed quòd Cometæ apparitionem præceſſit. Nam 17 Aprilis die commiſſum prælium. Habuit verò illud præter Cometam certius portentum, denegatum Regi Stephano in ſpem gratiæ Maximiliani obſequium *(a)*, hoſtis contemtus & confidentia victoriam præcipiens. Hoc quoque anno *(b) Joannes Auſtriacus edicto pacis perpetuo, ut vocarunt, quod tamen vix annum erat, totus intendit*, ad quam conciliandam Eliſabeta omni ſtudio incubuit. Ille Scotæ captivæ nuptias ambivit, regnum Angliæ hâc ratione appetens. Verum illud pacis edictum perpetuum, Guilhelmus Arauſionenſis perpetuò ex animo damnavit *(c)*, & Eliſabetam, ut animum ab ea detorqueret, ob Auſtriaci ſtudia ad ambiendam Scotam captivam, & appetendam non tantùm Scotiam, ſed & Angliam ſimul converſa promovit. Sed & aliundè *(d)* perſpecto Auſtriaci animo ad bello aggrediendos Ordines promto, edictum illud pacis in bellum vertit. Hæc Eliſabetam ad ineundum cum Belgicæ Ordinibus fœdus permovêre. Atque hæc erant reſumti belli portenta, hæ cauſſæ, quas & Strada commonſtrat, ut nequicquam Cometæ illud imputet. *Et Cometes quidem*, inquit *(e)*, *qui per eos dies adeò ferali effulſit aſpectu, ut ullum eo minaciorem ad illud uſque tempus illuxiſſe diſſererent Mathematici, belli ſignum in cælo elatum, pronis jam ad bellum animis creditus eſt.* Fœderatam Belgicam Anglæ fœdus magnoperè exhilaravit, ſicut Regiam militis Hiſpani diſceſſus *(f)*, iſque, ſeditione in herbis oppreſſâ pacatus: Exhilaverat antea Belgicam Regalem, & Joannis Auſtriaci novi Rectoris non tantùm ingreſſus Bruxellas, ſed & benignitas & initium imperii magnam lætitiam ſecum ferens. Hæc tamen omnia mox, ut ſunt cuncta humana viciſſitudinis plena, in odium Belgis non bona ſecum fide *(g)* agi querentibus, verſa, & Cometæ noſtri apparitionem præcedentia, non parum lætis *(h)* Fœderatorum in Brabantia (quæ Arauſionenſem in Protectorem, veteri vocabulo Ruartem dictum, ſuſceperat) non ſinè adverſorum tamen miſturâ, ſucceſſibus campum aperuêre, Matthiâ Auſtriaco per Arſchotanum ad obumbrandam *(i)* Arauſionenſis gloriam advocato Belgicam Regiam ſummi præfecti, Arauſionenſi autem Legati nomine gubernante, quorum & Patrum auctoritate tolerantiam & libertatem ſacram tunc *(k)* ſancitam fuiſſe invenio. Non diu tamen illa libertas, ita nec concordia ſtetit. Illa enim Proteſtantibus à Geldriæ Senatu, Regi magis quàm patriæ favente *(l)* negata, hanc forti iniquitatis vindictâ laxavit, & pacem Gandavenſem (quam inter plures de ſacris opiniones unius libertatis ſtudium conjungendis & retinendis mentibus æquis idoneam conſervare potuit debuitque) ſolutum paulò poſt iri, certo certius portendit. Acceſſit & à parte Proteſtantium *(m)* iniquitate irritatorum mutua injuria Romanenſibus, & Gandavi quidem, illata. Ita Gandavenſe bellum conflatum, in quod pacem Gandavenſem mutua iniquitas vertit. Præceſſerat Cometam noſtrum ſexti belli civilis in Galliis excitatum *(n)* ab incentoribus ſævis libertatis hoſtibus incendium, quod pace Pictavienſi exſtinctum fuit. Temperatam & ſalubrem hâc tempeſtate fuiſſe aëris conſtitutionem, ideoque lætum frugum & fructuum proventum Squarcialupus *(o)* affirmat. Hic lætorum Cometæ apparitionem ſecutorum indiculus, confirmat illud de hoc Cometa magni cujuſdam Aſtrologi vaticinium, qui *proſpera portendi* ſcripſit, referente Dudithio de ſignificatione Comet. Sed hac ratione, omnibus Cometarum eventibus in rationes relatis, ſemper vaticinari licet.

(a) Joan. Laſicius de clade Dantiſcana Bielſc. Chron. Piaſec. (b) Camden. ad hunc ann. (c) Camden. ad 1577. initio. (d) Strada ad 1577. ann. (e) Lib. 9. p. 554. (f) Strada l. 9. ad 1577. annum. Reidan. ad eundem annum. (g) Reidan. ibid. (h) Reidan. ibid. (i) Reidan. ann. 2. ſub initio. Grot. ann. 2. fine. (k) Reidan. ad 1577. (l) Reidan. ad 1577. pag. 23. (m) Reidan. ibid. pag. 26. (n) Serres ad 1577. (o) Epiſt. ad Dudith. de Cometis.

CCCXCIII. CCCXCIV. CCCXCV. & CCCXCVI.

Anno Chriſti 1578. 16 *Maji horâ nonâ poſt occaſum Solis, quo tempore Jupiter & Luna in Libra conjuncti fuerunt, Cometa verſùs ortum & meridiem, caudam longam habens, eamque verſùs Septentrionem extendens conſpectus eſt. Hunc alii* 2. *Cometæ minores ſecuti ſunt, quibus*

ex oppoſito, igneæ faces apparuerunt ſubitoque evanuerunt. De effectu hujus Cometæ vide Heliſæum Roſlin. in 9. Theoria. Rockenbachius.

Anno Chriſti 1578. *menſe Octobri in fronte Pegaſi iterum viſus eſt Cometa obſcurus & pallidus, celeri motu ad caput Ophiuchi tendens. Circa initium anni ſequentis factus eſt Orientalis: Cumque priùs verſùs ortum comam ſparſiſſet, propter cæli circumgyrationem tandem verſus Septentrionem caudam porrexit, & paulò poſt defecit. Eodem anno Dux Parmenſis expugnavit Mediomatricum civitatem. Gravis peſtilentia Saxonicas civitates duriter afflixit. Hoc anno propter aſſiduas pluvias meſſis parùm fuit felix, unde anno ſequenti annonæ orta eſt caritas.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1578. *alius rurſus Cometa viſus menſe Octobr. in latitudine meridionali ſub Pegaſo in dodecatemorio Aquarii, coloris Saturnini, eo ipſo loco, quo prior deflagravit.* Fabricius.

TRes Cometas nobis Rockenbachius hoc anno exhibet: & illum quidem majorem menſe Majo viſum: duos verò minores. Si Rockenbachius vel alius quiſpiam, putet hos Cometas minores fuiſſe avulſas illius particulas, ſicut quoſdam Cometas in partes diſſiluiſſe & diſſolutos eſſe ſcribitur, (*a*) vel propagines illius & veluti imagines, illi hoc defendendum relinquo. Illæ Solis & Lunæ ſpecies, quæ fiunt ex refractione radiorum Solis & Lunæ in nube oppoſita & æquè denſa, viſuntur ſæpè, Parelii & Paraſelenæ dictæ. Cum autem plures videri ſoleant, memorabo tamen hic quidpiam rarum. Nempè anno 1551. non tantùm tres Soles die 20. Aprilis Magdeburgi & 20. Decemb. Miſenæ, ut ait Eckſtormius (*b*), ſed, quod ex autographo cujuſdam Viri docti, teſtis oculati, in Comment. Milichii ad Plin. l. 2. 31. habeo, eadem illa 21. Martii die quinque Vitebergæ ſuprà domum Chriſtiani Beyeri, tùm & duabus noctibus ſequentibus paraſelena conſpecta fuêre: Sed ejuſmodi Solis & Lunæ idola ſunt momentanea. Cometæ verò diutius durant, ut vix pro Cometa habeatur, qui aliquot horis durârit. Iſte Cometa menſe Octobri viſus, quem Fabricius & Eckſtormius deſcribit, quartus hoc anno, fide Rockenbachii erit. Eckſtormius ſua ex Buntingi Chronologia (niſi quod pro Mediomatricum civitate, Maeſtricum ſive Trajectus Moſæ poni debeat) habet. Is prima parte Chron. fine cum parva & obſcura cauda eum apparuiſſe, in fine vero 2. partis quædam ab Eckſtormio neglecta, nec tamen negligenda addit. Nempè ſingulis diebus tres gradus confeciſſe verſus Occidentem ad capita Ophiuchi & Herculis; tandem cum cauda converſa propter cæli circumgyrationem manè viſum eſſe, & initio 1579. anni diſparuiſſe. Denique 3. parte Chron. ſub finem, caudam quidem in Orientem, ſed curſum in Occidentem direxiſſe addit. Audiendus hîc nobis eſt Marcellus ille Squarcialupus, qui iſtum Cometen ut & proximum vidit, & de hoc argumento Illuſtriſſimi Dudithii gratiâ ſcripſit.

Is Ariſtoteli à pluribus Cometis ventos & ſiccitates gigni docenti ſe opponens, *quanquam*, inquit, *dicat Magiſter, ſi plures appareant, tamen maximus unus Cometa pro multis exiguis haberi debet. Præterea nulla hiſtoria, quod ſciam, extat, in qua ſimul plures crinitas apparuiſſe legatur.* Miror Virum aliàs eruditum, quem talia latere non poterant, non accedere ſententiæ illorum, qui duos, tres vel etiam quatuor ſimul Cometas (quos ad ann. 1529. vidimus, hoc anno videmus, & Anno 1618. videbimus) conſpectos eſſe affirmârunt. Niſi fortè in contrariam ſententiam inclinet, Cometam quidem lucere, ſed non apparere ſemper. Sed nos id argumenti invidiæ vitandæ cauſſa libertati Philoſophicæ & condonamus & relinquimus. Quod ad eventus Cometæ iſtius attinet, eadem quæ huic Cometæ ſucceſſerunt, ante Cometas ſæpenumerò evenire ſolent. Equidem bella, prælia, urbium obſidia & excidia, aliaque triſtia ante hunc quoque Cometam natum vidimus. Audiamus Stradam. Is adventum (*c*) Alexandri Farneſii Parmæ & Placentiæ Ducis, decurrente anno 1577. in Belgium, cui à Rege præfectus & Joanni Auſtriaco paulò poſt morituro ſuffectus erat, deſcribens, rerum ſtatum ſanè quàm arctiſſimum fuiſſe fatetur. Hunc nimirum ad duas (*d*) pro

(*a*) Dio. Kepler. l. de Cometis: Vide Ricciol. Almag. l. 8. ſect. 1. c. 4. n. 3. (*b*) In hiſtor. Parel. (*c*) Lib 9. ad 1578. pag. 551. (*d*) Ibid. pag. 552.

Rege

Rege provincias (Lucemburgum (*) & Namurcum) redactum, in reliquis paucas quæ ſuperfuerant, arces ad Ordines quotidie deficientes Parmereſem inveniſſe agnoſcit. Mox & Bredam ſtrategemate & militum perfidiâ captam, & licet menſe Januarii anni proximi iniquiori Marte Arauſionenſis ad Gemblacum pugnârit, Lovanium tamen & alias Brabantiæ urbes Maximiliano & Arauſionenſi ſe tradidiſſe, inde rem variâ fortunâ geſtam eſſe ad uſque obitum Joannis Auſtriaci, qui Kal. Octobr. vitâ excеſſit, & finem primæ decadis narrat. Paulò quàm Joannes Auſtriacus è vivis exiret, Franciſcus Valeſius, Henrici id nomen tertii frater, qui antehac (*a*) Dux Alenzonius dictus, jam tunc aucta dignitate Andinus vocabatur *glorioſo cum titulo Defenſoris Belgarum* (*b*) *adverſùs injurias externorum* Belgium iniit. Joanni Auſtriaco ingentis animi ſpeique Principi, ac paterni generis nimiùm (*c*) memori, mœror fruſtratæ ambitionis comes mortem Cometâ certius portendit. Ille nempe à Rege fratre, imperii in affecta ætate retinentiſſimo, & pravum plerumque nothorum (*d*) ingenium metuente, neglectum, imò depreſſum, ademtis (*e*) ad magna conandum facultatibus, ſe eſſe videbat. Quinimò & ſua cum Guiſiis (*f*) arcana de defendenda Gallia & Hiſpania, clàm utroque Rege conſilia inita detecta vel ſuſpicabatur vel etiam verebatur. Quid ſi elati animi Principi metuendo fata vis veneni (ut quidam ſuſpicantur) accelerавit? Res tunc Fœderatorum non tantùm virtute heroicâ Arauſionenſis, ſed & potentiâ Matthiæ Archiducis & Franciſci Galli & Joannis Caſimiri Palatini, tùm verò cumprimis potentiâ Anglicâ nitebantur. Non quidem tot diverſis in unum concurrentibus ſtudiis & conſiliis deerant ambitioſæ (*g*) diſcordiæ difficultates, quas diverſæ religionis invidia æquitatis negligens non parum augebat. Sed redeunte in Gallam Franciſco (cui à quibuſdam (*h*) è Proceribus Brabantiæ, rebus tunc turbidis, accito, tot & tantorum bellorum, cædium & omnis generis malorum in Galliis nuper exercitorum memoria, imò & præſentium certa fama invidiam, idque rebus Belgarum quietioribus & firmioribus, conflabat, & Britanniæ Reginæ tantam poteſtatem promiſſam fuiſſe (*i*) ægre ferebat) abeunte in Angliam Palatino (*k*), faciliori concordiâ, pace inter Pontificios & Reformatos renovatâ, res Fœderatorum ſtabat. Niſi quòd Meninenſes Gandavenſium hoſtes irreconciliabile odium exuere noluerint. Nec juſta deerat virtus, cui exeunte hoc anno (*l*) Daventria urbs Tranſiſalaniæ primaria deditione ceſſit. At anno proximo Farneſius Trajectum ad Moſam longo & difficili obſidio preſſum, tandem in poteſtatem redegit. Mox Sylvam Ducis, Mechliniam & Groningam deditione pariter accepit. Rem ita in Belgio ancipiti fortunâ geſtam, nec neglecta pacis, à parte præſertim Cæſaris, Galli & Britannæ ſtudia fuiſſe, reconciliationem Wallonum, tùm & trium Belgii Provinciarum, Arteſiæ ſcilicet, Hannoniæ & Gallicæ Flandriæ partis, magnam lætitiam Regiis attuliſſe, Ninovam captam (*m*), Mechliniam receptam à Fœderatis, Margaritam Parmenſem Caroli V. filiam, Alexandri Farneſii matrem Belgio præfectam, à Provinciis Regi addictis magnâ cum lætitia & gratulatione exceptam, Strada memorat. Inter hos armorum ſtrepitus de pace Coloniæ Agrippinæ, ſed fruſtrà, agebatur. Nec Arauſionenſis (*n*) cum fratre Joanne Naſſovio ſociis artiori fœdere conſtringendis defuêre. Tandem diſtracti internis (*o*) diſſidiis &, creſcente indies partium Hiſpanicarum ſtudio, laborantes Belgæ, urgentibus cumprimis Flandris, qui & bello præ cæteris afflicti & tranſgreſſis in hoſtilia nationibus proximi, revocandum Alenzonium tutius, quàm Hiſpanicam dominationem recipiendam eſſe judicarunt, eique conditiones miſerunt, quas ille cum gaudio excepit, & fratrem Regem in ſuas partes & ſocietatem Belgarum pertraxit. Horum poſtrema licet Anno 1580 geſta, hîc tamen, utpote Cometâ proximo priora, collocando erant. Sed ut in Galliam vicinam tranſeam, hæc pace illâ Pictavienſi, Rege jam tot experimentis, mentes humanas cogi non poſſe edocto, hac tempeſtate (*p*), licet Regi arrogantes Guiſiorum artes non eſſent in cognitæ, gau-

(*) Strada lib. 9. ad 1577. p. 530. (*a*) Serres in Henrico 3. ad 1576. (*b*) Strada dec. 2. lib. 1. Reidan. ad ann. 1578 Grot. Ann. 3 pag. 77. (*c*) Str. 1. dec. ſub fin. (*d*) Camden. 2. part. hiſt. initio. (*e*) Reidan. ad 1578. p. 27. (*f*) Camden. ad 1578. (*g*) Reidan. ad ann. 1578. p. 26. (*h*) Id. ibid. (*i*) Reidan. ad 1578 pag. 25. (*k*) Idem ib. pag. 27. (*l*) Strada dec. 2. lib. 1. ad ann. 1578. (*m*) Strada ad 1580. (*n*) Strada 1. dec. ad 1579. Reidan. p. 30. (*o*) Reidan. ad 1579. pag. 29. (*p*) Serres ad ann. 1578. & ſeqq.

debat,

debat, Alenzonio, Andini Ducatûs dignitate ornato, & Elizabetæ nuptias, & instituta Belgica perſequente, & Venerem cum Marte jungere volente (q). Jacobus inter hæc in Scotia feliciter animum bonis literis imbuebat, & regni adminiſtrationem induebat. Sed hæc & pluria talia læta triſtibus miſta apud Camdenum videantur. Ego ad res patrias propero. Stephanus Rex in officium redactis Dantiſcanis felicibus auſpiciis in Moſcum movet. Huic bellum arrogantia, per quam multa Polonis eripuerat, & Livoniam invaſerat, Stephano victoriam juſta cauſſa portendebat. Anno 1579. ult. Auguſt. recepta Polocia: quam mox ſecuta alia loca. Verbum addo, annum quo Cometæ luxêre, & ab eorum quidem apparitione natalem fuiſſe Ferdinando 2. Imperatori Glorioſiſſimo Auguſtiſſimi Leopoldi avo, Ulrico Friderici 2. Regis Daniæ filio, Wolfgango Guilhelmo Palatino Sereniſſimi Philippi Guilhelmi Neoburgici patri, Friderico Brunſuicenſi, Joanni Friderico Oldenburgico; tùm Leonoræ Magdalenæ Palatinæ & Chriſtinæ Heſſæ. Lætus idem annus nuptiis Richardi Palatini cum Æmilia Wirtembergica fuit. Proximus naſcentes vidit pariter lætus Carolum Ferdinandum, Ferdinandi 2. fratrem, Auguſtum Brunſuicenſem, Auguſto & menſe natum & genio præditum, Senem noſtra ætate inter Principes quidem Incomparabilem, qui adhuc dum hæc ſcribimus propè nonagenarius agit, tùm Ludovicum Anhaltinum: nobiliſſimæ illius Societatis Frugiferæ conditorem clariſſimum: nec non Sophiam Annam & Sophiam Holſatas, Eliſabetam Heſſam & Catherinam Urſulam Saxo-Lauenburgicam. Sequenti anno Cometæ apparitionem præverterunt natales Auguſti Brandenburgici, Caroli Bavari & Philippi Saxo-Lauenburgici. Denique anno 1579. in matrimonium duxit Georgius Frid. Brandenburg. Sophiam Lunæburgenſem, Carolus Suecus Annam Mariam Palatinam, & Joannes Palatinus Sereniſſimi Regis Sueciæ Proavus Magdalenam Clivenſem.

(q) Camden. ad 1578. & ſeqq.

CCCXCVII. *Anno Chriſti* 1580. *Octobris die* 9. *circa æquinoctium vernum Cometa puſillus primùm conſpectus eſt, verſus meridiem paulatim deflectens, qui motu retrogrado ſigna Piſcium, Aquarii, Capricorni, Sagittarii percurrit. Deinde Septentrionalis aſcenſu factus, celerrimo motu verſus Aquilam volantem, in Signo Capricorni & Sagittarii, Latitudinem Septentrionalem maximam adeptus eſt, inde motum ſuum verſus Serpentarium dirigens à* 21. *Novemb. uſque ad ultimum ejuſdem Stationarius fuit. Circà principium autem Sagittarii ſubitò motum ſuum mutavit, verſùſque Meridiem deſcendens directus factus eſt. Cumque rurſus Zodiacum attigiſſet, in* 1°. *Sagittarii, in principio anni ſequentis eum evanuiſſe hiſtorici ſcribunt. Effectum ejus univerſalem futurum eſſe artifices quidam ſcribunt, hanc ob cauſam, quòd motu ejus à puncto cardinali totius cæli eſt factus, ubi poſt quadriennium elapſum Planetæ eodem in loco in Trigono igneo convenerunt. Inde Cometam hunc ad cataſtrophen omnium Cometarum reſpicere artifices volunt, quæ ab hoc anno uſque ad annum Chriſti* 1604. *eventura ſunt. Quidam autem effectum ejus particularem eſſe voluerunt, utpote quod motus ejus motui prioris Cometæ ſit contrarius. Inde ratiocinati, Cometam hunc maximas controverſias in Germania, Gallia, Polonia, propter electionem quorundam Magnatum portendere, primùm autem & principaliter circa electionem Archiepiſcopatûs Colonienſis. Deinde in Gallia propter ligam Papæ contra Regem. Tertiò propter electionem Regis Poloniæ. Quartò propter electionem Epiſcopi Argentoratenſis. Quintò circa annum Chriſti* 1600 *&* 1604. *plurimas quoque controverſias de rebus controverſis tunc temporis quoque orituras eſſe.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1580. *Cometa fulſit, primùm conſpectus in Boruſſia* 6. *Octobris ſub ecliptica circa caudam Ceti. Norimbergæ viſus* 8. *Octob. Gorlicii* 10. *ejuſdem menſis die. Evanuit circa* 12. *Januarii anni ſequentis.* Bucholzerus.

ANnotat hunc Cometem & Keckermannus, ac inter eos qui excretiones ſulphureas habuerunt numerat, & planè fumidum fuiſſe ſcribit. Annotat & Sifardus, tùm Ricciolius (a) ex Moeſtlino & Fromondo, ſed ſine ullis circumſtantiis, niſi quòd

(a) Almag. Tom. 1. p 2. lib. 8. ſect. 1. c. 3. pag. 13.

Figura Cometarum CCCXCIII *et* CCCXCVI. A. C. *1578. nec non* CCCXCVII. A. C. *1580.* *N.º 71.*



quòd infra (
ctere ab oppos
lum maximum
anno 1582.
Cometæ, S
ille aliquot
ϟαφυλάττειν
Ego, ut ex
sævire arbitr
tantò magis
pestate, lice
sacri illius G
jure hùc tra
poris felici
solvit, tran
norum præd
bus minus c
privatim læt
Hybernicam
no & aliis s
Belgicam tr
ventus And
perio potire
cum matre
præter urbes
ctas, numera
monium, f
Strada (*e*) fa
fectiones Pr
periis Lusita
indubitata
veteratum &
fectum add
solutam Gr
Condæi oc
men inter
pro sua par
quod Parm
hâc tempes
patas, men
Porrò fœdu
magnam at
tingam: ar
rem contrà
Narvâ Liv
ciis potitus
acri obsidio
tificis Rom
ineunte co
ante Cance
Ducum usu
tione fuit;

(*e*) Cap. 4
(*f*)

quòd infra (a) scribat: *Moestlinus vidit caudam Cometæ anni 1577 & 1580. prius deflectere ab opposito cum Sole, postea verò ordinari cum Sole & capite Cometæ in eundem circulum maximum, ac à Sole directè averti.* Et mox; hunc Cometen, ut & proximum anno 1582. visum, magis magisque barbam exseruisse dicit. Rockenbachius hujus Cometæ, Sifardus proximi effectus ad annum 1605. satis liberaliter producit, licet ille aliquot Cometas intermedios ponat. Sed placuit ei ex mente Astrologorum ἀφυλάττειν τὴν θέσιν de conjunctionibus & viribus siderum humano generi infestis. Ego, ut ex animo quod sentio dicam, sidera Dei Opt. Max. beneficio servire non sævire arbitror. Sed ad eventus Cometæ nostri progrediamur. Intelligo ei proximos: tantò magis quòd post 18. menses visuri simus novum Cometem. Galliæ res hâc tempestate, licet suspicionibus & molitionibus laboraret (b), pace tamen gaudebat. Nam sacri illius Guisiorum fœderis ad Peronam 1576. initi primordia supra vidimus nullo jure hùc translata, ut & alia, quæ infra ad proximos Cometas videbimus. Idem temporis felici Francisci Draci, qui postquam anno 1577. (c) die 13. Decemb. ex Anglia solvit, transito Magellani freto, & nova Albione detectâ, inter hæc opimâ Hispanorum prædâ potitus, postquam totum orbem tribus annis uno mense & paucis diebus minus circumnavigasset, 3. Novemb. 1580. revertit. Quæ res quàm publicè & privatim læta & utilis fuerit, Camdenus pluribus enarrat. Idem hoc anno seditionem Hybernicam compressam, proximo conjurationem Anglicam ab Edmundo Campiano & aliis sociis factam, aliaque læta & tristia enumerat. Sed relictâ Britanniâ in Belgicam transfreto, & singulare illud vicissitudinis rerum theatrum conscendo. Adventus Andini Britanniæ & Belgicæ lætus, licet nec ibi Reginæ, nec hîc firmo imperio potiretur, fuit. Hâc tempestate Alexander, divisum & malè, ut fit, concors cum matre Margarita imperium in Belgio obtinens, septem sive octo Provincias (d), præter urbes in Brabantia aut obsidione domitas, aut officiis & curâ ad obsequium traductas, numeravit, & à Rege plenam administrationem rerum, quæ consortem, ut & matrimonium, ferre nescit, recepit. Arausionensi tunc & Ordinibus feliciter rem gessisse Strada (e) fatetur, quòd & loca quædam in manus eorum devenerint, & novæ defectiones Primorum indies augerentur. Cum autem fatetur facta hæc Rege novis imperiis Lusitaniæ intento, ac vetera securius posthabente & gravi morbo conflictato, indubitata horum portenta indicat, præsertim si his & odium illud Hispanorum inveteratum & sacræ persecutionis sævitiem & pecuniæ, nervi rerum gerendarum, defectum addas. Res inde Hispanorum lætas, victoriam nempe Hardembergensem, solutam Groningæ obsidionem, Bouchemii & Nivellæ Tornacique deditionem, Condæi occupationem, Bredæ expugnationem aliaque enumerat. Non diffitetur tamen inter hæc & Andinum & Arausionensem ad Cameracum & aliàs rem feliciter pro sua parte gessisse. Reidanus (f) quidem Cameracum adventu Andini acri obsidio, quod Parmensis urgebat, liberatum maximâ Belgarum omnium lætitiâ refert. Idem hâc tempestate Covordum, Ninovam, Machliniam aliasque urbes fœderatas occupatas, memorans, *adeò*, inquit, *& cladibus & victoriis altera pars alteri haud cessit.* Porrò fœdus inter Andinum & Ordines 10. Kal. Februar. 1581. Burdegalæ pactum magnam attulit lætitiam. Sed, ut aliarum quoque gentium res minimùm leviter attingam: anno quo Cometes fulsit & proximo non tantùm Polonus, sed & Suecus rem contrà Moscum, alienorum arrogantem invasorem, feliciter egit. Suecus quidem Narvâ Livonicâ & Russicâ, tùm Iwangrodo, Coporia & multis urbibus ac Provinciis potitus est. Polonus etiam Vilisiâ, Velicoluciâ, Zavolociâ aliisque locis validis acri obsidio ad deditionem compulsis, & Plescoviâ pressâ hostem ad pacem per Pontificis Romani Gregorii XIII. Legatum Antonium Possevinum petendam anno 1582. ineunte coëgit. Et hic quidem operâ Nicolai Mielecii & Joannis Zamoscii (cui paulò ante Cancellarii, tunc autem Supremi militiæ Præfecti munus detulit) fortissimorum Ducum usus est: Ille Ponti de la Gardie, qui quamvis peregrinus (Gallus enim natione fuit;) primarias dignitates in regno meruit, & mereri posteros docuit. E quibus

(a) Cap. 4. p. 26. (b) Serres in Henrico 3. (c) Camden. ad 1580. (d) Strada ad 1581. (e) Lib. 4. initio. (f) Ad annum 1581.

hodie Illuſtriſſimus Comes Magnus Gabriel, nomine & meritis Magnus, maximâ cum laude Cancellarii ampliſſimum munus obit. Annus qui Cometam, etiam lætos natales vidit Ottonis Henrici Palatini, Dorotheæ Palatinæ, Hedvigis Brunſuicenſis, Mariæ Hedvigis Heſſæ, & Eliſabetæ Holſatæ, proximus Philippi Heſſi, Georgii Maximiliani Auſtriaci, Chriſtiani Brandenburg. & Hedvigis Danæ, tùm vero nuptias Chriſtophori Mecklenburgici cum Eliſabeta Sueca, Barnimi Pomerani cum Anna Maria Brandenburg. & Friderici Wirtenbergici cum Sibylla Anhaltina. Hùc etiam mihi referendi ſunt ex anno 1582. læti Principum natales, Cometæ proximi natalibus priores. Inierunt itaque vitam hoc anno Georgius Brunſuicenſis, Dux Inclytus, Sereniſſimorum Ducum Georgii Guilhelmi, Joannis Friderici & Erneſti Auguſti pater, tùm Magdalena Brandenburgenſis.

CCCXCVIII. *Anno Chriſti* 1582. *apparuit Cometa, de quo Antonius Santutius & Joannes Camillus Glorioſus lib.* 1. *p.* 8. *Ab initio Martii fuit matutinus, poſtea veſpertinus, deſitque circa medium Aprilis, cauda ſemper à Sole averſa. Ita Santutius; at Keplerus in Phyſiologia Comet. pag.* 120. *dicit eum fuiſſe retrogradum, & cum factus fuit ſtationarius in principio Sagittarii, factum eſſe Eclipticæ propiorem.* Ricciolius.

Anno Chriſti 1582. *Cometa immenſæ magnitudinis (qui licet à paucis ſit annotatus)* 14. *Maji poſt occaſum Solis, inter occaſum & Septentrionem à Sole prodiens, motuque celerrimo verſus Septentrionem aſcendens, caudamque ſuam inter humerum dextrum & ſiniſtrum aurigæ verſus Solem aſcendendo projiciens, apparuit,* 18. *Maji ejuſdem anni evanuit. Effectus hujus Cometæ paulò poſt ſecutus eſt, videlicet confœderatio Hiſpanica Peronæ in Picardia, quæ ibi habita eſt, anno autem quarto bellum Germanorum, quando in Galliam profecti ſunt, funeſtum. Septimo autem mors Henrici III. Regis Galliæ, cultello à Monacho clàm interfecti, itidemque Ducis Guiſii ſecuta eſt. Cambri & Cales portus præcipui Angliæ ab Hiſpanis ſunt occupati. Hoc autem malum Cometam verticalem Gallis portendiſſe experientia docuit; quodque malum hoc ab Hiſpanis originem ſumpturum, Galloſque paſſurum eſſe, Cometa in principio Hiſpaniæ verticalis viſus, paulatimque deinde verſus Septentrionem progrediens, deſignavit, donec totam Galliam & Belgicam ab elevatione poli* 36. *gr. uſque ad elevationem* 50. *dierum &* 54°. *pervagatus eſt.* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1582. *die* 12. *Maji ingens Cometa conſpectus eſt, verſus Meridiem caudam tendens, radiis quaſi criſtis ſurſum elevatis, ſed poſt dies* 15. *evanuit.* Bucholzerus.

Anno Chriſti 1582. *die* 14. *Maji Lipſiæ & alibi apparuit horribilis Cometa. Hoc anno obiit Otto Comes de Hoja ultimus. Sequenti anno deceſſit Philippus Comes de Spigelberg & Pyrmont, familiæ ſuæ poſtremus.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1582. *Cometam menſe Majo in* 12. *Geminorum gradu propè Capellam conſpectum, radiante caudâ, ſuprà & ultrà Humerum dextrum Erichtonii projectâ, & horrendam in Norfolcia tempeſtatem crebro fulmine, tonitru, impetuoſo ventorum furore, & denſiſſima grandine trium pollicum craſſitudine, ſtellularum in calcaribus figurâ efferatam, ſatis ſit vel verbo memoraſſe.* Camdenus part. 3. hiſt. Elizab. pag. 350.

ANnotat eum & Sifardus, ſed nullas circumſtantias vel eventus ejus. Unum eundemque Cometen eſſe puto, qui ex matutino, vel mutatâ declinatione & aſcenſione rectâ, vel Solis curſum antevertens, eum à tergo relinquendo veſpertinus factus deſierit medio Aprili, vel quòd nubes ſpiſſiores ejus conſpectum ad tempus ceperint, vel quòd horizontem noſtrum ſubiverit, videri, & menſe Majo, poſtquam ſatis magnum ſpatium emenſus eſt, redierit, ſeque iterum conſpiciendum præbuerit. Triſtia quæ Cometen hunc præceſſerunt in Anglia, Belgio & Moſcovia, proximè vidimus, ita ut hinc quoque appareat, Deum ſcelerum vindicem mala mortalibus ſinè præviis Cometarum indiciis ſæpius immittere. In eventibus Cometæ huic imputatis

Fig. Com. CCCXCIII. A.C. 1578. CCCXCVIII. A.C. 1582. CCCCII. A.C. 1593. exhibens. N°. 73.




Cassiopeia
Perseus
Auriga
Cepheus
Cygnus
Lacerta
Andromeda
Pegasus
Aquarius
Capricornus
Sagittarius
Ophiuchus
Serpens
Aquila
Delphinus
Sagitta
Vulpecula
Cygnus
Lyra
Hercules
Corona
Bootes
Draco
Ursa Min.
Ursa Maj.
Camelopardus
Triangulum
Aries
Pisces
Cetus
Eridanus
Orion
Lepus
Monoceros
Canis Min.
Hydra
Crater
Corvus
Libra
Scorpius
Ara
Lupus
Centaurus
Serpentarius
Capricornus
Aquarius
Pisces Austr.
Piscis Austr.
Grus
Pavo
Indus
Tucana
Phœnicopterus
Hydrus
Apus
Octans
Chamæleon
Volans
Dorado
Toucan
Argo
Navis
Columba Noachi
Canis Maj.
Lepus
Eridanus
Cetus
Orion
Taurus
Gemini
Auriga
Perseus

putatis non parùm induſtriæ in Rockenbachio & Eckſtormio deſidero. Ille enim ad ſuam de Cometæ hujus primò Hiſpanorum, dein Gallorum verticibus imminentis efficientia hypotheſin ſervare laborans, contrà Gallos ab Hiſpanis proſperè geſta, non tantùm ab eo remotiora, ſed & duobus proximis Cometis poſteriora, quædam etiam eo priora (ut fœdus (a) Peronæ Anno 1576. initum, ſed ſpecioſis prætextibus tectum) ei imputat. Imò & contraria ei adſcribit. Tunc enim Cameracum paulò ante obſidio acri, quo Parmenſis illud premebat, ſoluto, occupatum Gallus tenebat ut & Cameraſium arcem, quam tamen hoc anno Parmenſis deditione accepit. Eckſtormius verò Comitum illorum obitum, qui rebus humanis menſe Febr. exemti ſunt, notante Buntingo in Chronol. immeritò Cometæ poſteriori tribuit. Quanquam non mirum eſt maximos quoque Cæſares & Reges tàm poſt, quàm ante Cometarum apparitionem & mori & naſci. Nam & hic annus aliquot Principibus vitæ exordium à viſo Cometa dedit. Alberto ſcilicet Friderico Brandenb. Auguſto Palatino Sereniſſimorum Principum Sultzbacenſium patri, Joanni Friderico Wirtembergico, Catharinæ Oldenburgicæ. Ut taceam Joachimi Chriſtophori Anhaltini & Leonoræ Auſtriacæ natales ad eundem annum, ſed ſinè menſe & die certo notatos. Nuptias hoc anno & poſt viſum quidem Cometam celebrârunt Chriſtianus Saxo cum Sophia Brandenburgica, uterque Electorum liberi, Joannes Georgius Lignicenſis cum Anna Wirtembergica, & Franciſcus Saxo Lauenburgicus cum Maria Brunſuicenſi: quod me Buntingus & Bucholzerus docent. Gallia adhuc pace Proteſtantibus data, eandem ipſa univerſa habuit, ut fieri ſolet, ſecus quàm alibi, ubi qui pacem vel bonorum partem aliis negant, pacem cunctaque ſæpius perdunt, ſaltim de iis, nec ſinè auctario damnorum, periclitantur. Andini (b) in Belgicam adventus magna quidem lætitia omnes adfecerat, præſertim cum Cameracum obſidio à Parmenſi preſſum tempeſtivè anno ſuperiori occupârit, & tunc magnas ſpes de ſe fecerit. Sed enim hæc lætitia non fuit diuturna. Poſtquam enim fruſtra tentavit Antverpiam aliaſque urbes (c) armis ſubjugare, Belgio relicto in patriam rediit. Hanc viciſſitudinem portendit poteſtas umbratilis (d) & inane imperii nomen, quod ſibi conceſſum rei ſummâ penes Patres & Arauſionenſem manente, animadvertit & à ſuis exprobrari vidit. Hic annus Belgis inaugurato, ut dixi, Andino, & paulò poſt Bronchorſtium, Eſpellium & alia Geldriæ loca expugnante, inter hæc convaleſcente Arauſionenſi, quem excuſſâ tubo pilâ ſicarius Cantaber vulnerârat (e), Hiſpanis hoc ipſo Arauſionenſis vulnere, tùm in poteſtatem redactâ Aldenarda, Lira, Cameraſio arce aliiſque urbibus, & felici apud Bergam ad S. Winoci & ad Gandavum cum Alenzonianis ſive Andinianis conflictu, tùm victoriâ navali de Antonio regni Luſitaniæ uſurpatore obtentâ, lætus fuit. Sed ejuſmodi crudelia & triſtia gaudia caſtris relinquamus. Demus potius togata gaudia, & hæc illis Principum lætis hymenæis & natalibus addamus. Pacem ſcilicet à Polono cum Moſco compoſitam, auctoritate Comitiali ſancitam, Livoniam receptam & ordinatam, & Hungariam Auguſtanorum Comitiorum liberalitate adverſùs Turcicas incurſiones munitam hac tempeſtate videmus.

(a) Serres in Henrico 3. ad ann. 1576 & 1581. (b) Grot. Annal. 4. initio. (c) Reidanus, Camdenus & Strada ad 1582. Grot. l. d. (d) Iidem ibid. (e) Reidan. & Strada ad 1582. Grot. l. d.

CCCXCIX. *Anno Chriſti* 1583. *Leovitius obſervavit conjunctionem in Ariete, & hinc prædixit Cometam, qui etiam ſecutus eſt.* Schoſſerus. *Hoc anno Erneſtus Dux Bavariæ declaratus eſt Archiepiſcopus Colonienſis adverſus Gebhardum Truchſeſium, unde in Archiepiſcopatu Colonienſi funeſtum bellum exarſit.* Eckſtormius.

COmetæ hujus natales nullus Auctorum, quos præſtò habeo, adnotavit. Sed nec Eckſtormius ullas circumſtantias. Ita parum certi ſumus quænam res geſtæ ortum phœnomeni fuerint ſecutæ. Adnotare tamen has noſtri eſt muneris, ut qui hiſtoriam Cometæ noſtri accuratius deſcriptam invenerit, ad eum referat, quæ temporis ratio dabit. Niſi priùs verbo dicam nos de hâc Leovitii conjunctione & Co-

metæ prædictione ſuprà ad Cometam anni 1532. egiſſe. Gebhardi Archiepiſcopi Colonienſis, non tantùm libertatem religionis ſubjectis concedentis, ſed & uxorem ducentis ac Proteſtantium Sacra amplectentis facinus, Cometam hunc, notante Reidano, anteceſſit, & ut his gaudium, ita Pontificiæ parti triſtitiam, tum motus portendit, attulit. Hoc anno non improſperum apud Fœderatos Reipublicæ Statum bonâ omnes ſpe impleſſe, Reidanus pluribus deducit: quibus immorari nolo. Dixiſſe verbo ſatis eſt, Brabantiam & Flandriam, licet non ſinè ſanguinis impendio, inſidias Andini feliciter evaſiſſe. Strada rem inter Gallos Belgio excedentes, & Hiſpanos eorum veſtigia prementes, pacis primùm, dein belli artibus ancipiti initio fortunâ, poſtea faventiore Hiſpanis geſtam memorat. Nam Duinquercam intrà ſex dies à Parmenſi amiſſis, non pluribus 12. ſuorum deditione à Gallis factâ, & mox Neoportum poſt dies ſeptem facta pariter ab oppidanis deditione, tùm poſt alia loca, Zutphaniam captam, aliaſque Parmenſis victorias & lætos rerum hujus anni ſucceſſus (*a*) recenſet. Paulò ante obſidionem Duinquercæ Andinus in Galliam revolavit. Ibi hâc tempeſtate pax illa inter Guiſiorum & fœderis ſacri ſociorum, publicæ pacis hoſtium, doloſæ malevolentiæ artes utcunque ſolidata viguit. Sed cum Rex ejus confirmandæ ſtudio urbes obſidum loco Proteſtantibus traditas aliquot annis amplius ab eis teneri indulſiſſet, hæc res turbida illa ingenia ad ciendam in Regem quaſi hæreticis faventiorem, ſeditionem parata, & adhuc ambitionem religionis & boni publici velo tegentia compulit. Affudit camino oleum Andini, cui fruſtratorum in Britannia & Belgio votorum triſtis (*b*) recordatio & effœta libido, (*c*) etſi cætera abfuiſſent, præmaturam mortem ſatis portendebat, exceſſus, quo Guiſiorum ambitus magis accenſus & velut reviviſcens erupit. Tunc demum (*d*) Lutetiæ Pariſiorum conſpiratio illa in lucem prodiit, cui Sanctæ Ligæ nomen in baptiſmo datum, Pontifice Romano ſuſceptoris officium detrectante, cum ſtudio removendi à regni ſucceſſione Henrici Borboniorum primi, ipſum Regem Henricum Valeſiorum ultimum in præſens diſcrimen adduci perſpiceret. Ita Guiſiana ambitio diadema legitimo ſucceſſori Borbonio invidens, ante hujus etiam Cometæ apparitionem, etſi vel nullus in cælo illâ tempeſtate Cometes viſus fuiſſet, portendit. Nec hoc reticendum, Andinum ſummâ in ſpe cum Belgis, ab Hiſpano ſibi magis magiſque metuentibus, in gratiam redeundi (quâ de re per Legatos agebatur) non ſinè magna ſuſpicione veneni (*e*) à Medico, quem mater Guiſiis faventior commendaverat, propinati *emanante ex omnibus membris ſanguine, haud abſimili Caroli Regis fato (f), cui ex unguibus quoque ſanguinem effluxiſſe, memoriæ proditum eſt*, è vivis ſublatum. Ita & hîc videmus ſanguinem humanum effundentes à Deo pari ſupplicio plecti. Magis propitiâ dehinc Parmenſem fortunâ uſum, Iprarum, Brugarum & Gandavi, trium Flandriæ urbium primariarum, recuperatio docet. Atque hæc (*g*) lætam & glorioſam Hiſpano victoriam Colonienſem excepêre. Læta Hiſpanorum, triſtis Guilhelmi Arauſionenſis caſus, à ſicario Delfis, altero ab Andini exceſſu menſe peremti, auxit: Fœderatis felix digni tanto Patre ſucceſſoris Mauritii auſpicium magnam mœſtitiam & jacturam paulò poſt (*h*) penſavit. Pace optatâ domi anno, quo Cometes hic luxiſſe ſcribitur, gaviſa eſt Anglia, quam etiam hæc inter Suecum & Moſcum cicuratum conciliavit. Jacobus verò Rex Scotiæ adoleſcens à quibuſdam Primoribus ſuperiori anno captus, hoc anno (*i*) ſe in libertatem vindicavit. Proximo turbas in regno, incentore earum Comite Gourio exſtincto, oppreſſit. Eliſabeta conſpirationem à Scotæ captivæ addictioribus initam læta effugit & vindicavit, ſeque & regnum tutum contra malevolorum artes reddidit. Anno illo poſt mille quingentos octogeſimo tertio Stephanus Poloniæ Rex, per Georgium Radzivillium Cardinalem, Principem & humanum & prudentem, Livoniam, cui præfectus erat, conſtituit, & filiam fratris ſui Chriſtophori Griſelidem Joanni Zamoiſcio Heroi illi Inclyto uxore Radzivillianâ viduato, magnâ cum ſolemnitate Cracoviæ locavit die 5. 15 Maji, ut Bucholzerus adnotat. Ego tamen, ne & hoc præteream, in Joachimo Bielſcio patrio ſcriptore 12. Junii Gregoriani ſtili (qui tunc in uſu jam eſſe cœperat)

(*a*) Vid. & Chron. Belg. (*b*) Camden. Serres & Strada ad 1584. (*c*) Grot. Annal. 4. (*d*) Serres in Henr. 3. Strada l. d. (*e*) Grot. l. d. (*f*) Reidan. ad 1584. (*g*) Strada ad 1584. (*h*) Reidan. ann. 1584. (*i*) Camden. ad 1583 & 1584.

invenio.

invenio. Nec alienum à propoſita induſtria & Cometalium eventuum lætitia fuerit, paucis memoriæ prodere de hac nuptiali ſolemnitate, cæteris neglecta: Signo Ducis & Sponſi Zamoiſcii hæc inſcripta cernebantur, CERNIT ET AUDET: nec non, UTRAQUE CIVIS. Viderat & Aquilam albam diademate ornatam, quod viciſſim Auguſtum Victorioſi Regis nomen ΣΤΕΦΑΝΟΣ ornabat. Ex ore Aquilæ prodibat vox:

REGNI AC TRIUMPHI NOMEN ET OMEN.

Sariſſæ, quæ ternæ tranſverſæ gentilitium Sariorum Zamoiſciorum inſigne eſt, inſcriptione tali præfulgebant RECTIS BELLI PACISQUE CONSILIIS: arcus autem triumphalis iſthâc: STEPHANO REGI POLONIÆ, M. D. LITHUANIÆ, MOSCOVITICO VICTORI, TRIUMPHATORI, POLOTIA LIVONIAQUE RECEPTIS ET LITHUANIÆ FINIBUS PROLATIS S.P.Q.P. Ad dextram addita erant: MAGNANIMITATE ET CLEMENTIA: ad ſiniſtram: NIL PROCRASTINANDO. Eodem anno Ludovicus Elector Palatinus Annam Friſiam, Guſtavi Sueci Neptem, Fridericus Guilhelmus Saxo Sophiam Wirtembergicam, Guilhelmus ille Arauſionenſis Ludovicam Clariſſimi illius Colinii Archithalaſſi Galliæ filiam, Comitis Telinii unà cum ſocero in ſtrage Pariſina cæſi relictam viduam, in uxorem accepit. Vitæ verò initium, Maximilianus Erneſtus Auſtriacus; Chriſtianus 2. Elector Saxo; Joannes Holſatus, Joachimus Erneſtus, & Joachimus ac Erneſtus Brandenburg. Ludovicus Finlandus, Joannes Brunſuicenſis, Georgius Fridericus Wirtembergenſis, Eleonora Brandenburgica & Anna Heſſa fecit. Hos anno proximo Joannes Palatinus, Joannis Caſimiri, qui Sereniſſimi Sueciæ Regis nunc viventis avus fuit, frater, ſuo tempore Adminiſtrator Electoratûs & Vicarius Imperii factus, Henricus Fridericus Arauſionenſis, Celſiſſimi Guilhelmi Principis Arauſionenſis ad laudem & patriæ tutelam ſuccreſcentis avus, Princeps, ut paulò poſt videbimus, rebus geſtis Clariſſimus, Albertus Bavarus, proximè demortui Sereniſſimi Electoris Maximiliani frater, Franciſcus Julius Saxo-Lauenburgicus, Philippus Holſatus, Margarita Auſtriaca Regina Hiſpaniæ aliique Principes ſecuti ſunt. Tot natalibus tantorum Principum lætum illud biennium fuit, ne quæ bello ab Hiſpano, in recuperandis inſulis Flandricis (quæ vulgo Azores) inter Europam & Americam mediis, in Oceano Septentrionali natantibus, vel etiam pace in creando Philippo 3. Hiſpaniarum Principe, tùm à Rudolpho Cæſare in pace Turcica proroganda geſta, commemorem. Niſi quòd hîc adnectendæ mihi ſint res lætæ proximo anno antè Cometæ apparitionem geſtæ. Joannes nempe Suecus Gunillam, Joannis Bielkii, Viri ex præcipua nobilitate, Henricus Julius Brunſuicenſis Dorotheam, Saxon. Electoris Auguſti filiam, Ludovicus Wirtembergicus, Urſulam Palatinam, Joannes Guilhelmus Clivenſis Jacobam Badenſem, Carolus Olſnenſis Eliſabetam Magdalenam Lignicenſem, uxorem, vivendi verò initium Joannes Georgius Elector Saxoniæ, Sereniſſimi Electoris viventis Pater, Fridericus Caſimirus Palatinus, Fridericus Heſſus, accepit.

CCCC. *Anno Chriſti* 1585. *Cometa* 9. *Octobris in* 15°. *Piſcium verſus meridiem ab Ecliptica per* 13 *grad. diſcedens apparuit. Inde progrediens ſecundum Signorum ſeriem celeberrimo motu per ſigna Arietis & Tauri curſum ſuum habuit ita, ut* 2. *Novembr. per Æquinoctialem & Zodiacum verſus Septentrionalem aſcendens ad Ecliptica* 7. *gr. in* 10. *gr. Tauri*; 10. *Novembris autem à principio Geminorum non procul abfuerit, ubi poſtquam motu tardiori progreſſus eſt*, 16. *Novemb. tandem evanuit. Effectum hujus Cometæ bellum Argentoratenſe fuiſſe, propter electionem Epiſcopi, Aſtronomi prognoſticarunt, ſicut res ipſa locuta eſt, utpote quòd Epiſcopatus Argentoratenſis ſub elevatione poli* 49. *gr. ſit ſitus, in qua Cometa in Oriente poſitus in globo cæleſti, indicat arcum quem motu ſuo toto tempore à* 15. *gr. Piſcium uſque ad* 10. *gr. Tauri confecit. Deinde*

diſſenſiones

dissensiones & Gallici tumultus sunt secuti, obsidio paulò post urbis Ruan & alia mala quæ in Picardia sunt postea orta. Rockenbachius.

Anno Christi 1585. *Cometa observatus Rothmanno à die* 8. *Octobris stilo veteri, & æqualis stellæ quartæ magnitudinis, sed cum coma undique paulò major Venere; at observatus est Tychoni à die* 18. *Octobris, stilo veteri usque ad* 15. *Novembr. de quo ipse in Epistolis ad Landgravium Hassiæ à pag.* 4. *ad* 20. *& pag.* 37. *indicans etiam Landgravianas seu Rothmanni Observationes cum suis conspirantes. Visus est hic Cometes ab initio Jovi ferè æqualis, sed raro ac nebuloso lumine præditus, propè linum Piscis australioris, radiis circumquaque crinitus, absque ulla barba vel cauda, exceptis diebus* 20 *&* 22. *quibus radium spithamalem Orientem versus projecit, successivè autem imminutus fuit, adhuc tamen similis nebuloso illi gyro, quem vocant præsepe Cancri, quoad colorem & formam, sed quoad magnitudinem illo minor, cùm ab initio fuisset major; tandem adhuc minor factus, circà medium Novembris prorsus disparuit. Primâ nocte, quâ Tychoni observatus fuit, quinis aut paulò plus gradibus prætergressus, ad Ortum erat Saturnum retrogradum juxta linum Piscium: aliis verò noctibus transivit per totum Arietis astrum, & relicto Tauri dorso ad meridiem, ipse versus Septentrionem flectens, non longè à Plejadum asterismo exstinctus est, majorem illis latitudinem, sed minorem longitudinem assecutus: Jam verò ex selectis dierum* 9. *observationibus (aliis enim noctibus aut nubila, aut Lunæ fulgores obstiterunt) colligit Cometen hunc suo proprio ductu descripsisse arcum circuli maximi, qui tamen ad Æquatorem & ad Eclipticam variabilem inclinationis angulum habuerit; & ab initio velociorem, postea tardiorem proportionali tamen decremento fuisse. Postremò examinatis Cometæ locis apparentibus affirmat, vix ulli sensibili parallaxi obnoxium fuisse, & tamen si fuisset in concavo cæli Lunæ, debuisse habere parallaxim magnam, non instrumentis modo, sed & nudis oculis sensibilem, vel solo intuitu ad vicinas Fixas. Ne verò aliquis suspicaretur refractionem fuisse in causa, ut Cometa hic conservaret motum suum adeò conformem vero & diurno cursui, cum tanta proportione promotionis; affirmat Tycho selectum esse à se illum potissimum situm, in quo Cometa tàm altè suprà Horizontem elevaretur, ut nulla sensibilis refractio rei iniquisitæ certitudinem labefactare posset. Nam exempli gratia die* 18. *Octobris horis à meridie elapsis* 10. 15′. *inventa fuit ab ipso Ascensio recta Cometæ grad.* 19. 19′. *& declinatio Boreal. grad* 4. 25′. *tunc autem altitudo Cometæ fuit grad* 37. 36. *Deinde horâ* 13. 36. *inventa est Ascensio ejusdem grad.* 19. 32′. *& Declinatio Bor. grad.* 4. 36½. *& tunc altitudo fuit grad.* 31. 16. *Ex quibus, & ex motu diurno dierum proximorum colligit Tycho debuisse promoveri Cometam ab hora* 10. 15′. *ad horam* 13. 36. *in suo proprio ductu* 17½. *& tamen promotum fuisse* 18⅔. *ideoque parallaxim non fuisse nisi* 1′. 20″. *at si Cometa fuisset in concavo Lunæ, distans semidiametris terræ* 52. 17′. *Parallaxim in prædictâ altitudine debuisse esse* 27′. *refractionem autem in ea altitudine adeò exiguam esse, ut nullo modo potuerit exstinguere tantam parallaxim, si adfuisset. Eodem modo die* 5. *Novemb. hora* 7. 56. *altitudo Cometæ fuit gr.* 39. 45′. *hora verò* 13. 36. *fuit gr.* 48. 26. *& die* 6. *hora* 6. 5′. *altitudo Cometæ fuit gr.* 26. *& hora* 14. 55′. *altitudo fuit gr.* 38. *In quibus altitudinibus refractio penè nulla est. Sciendum autem est anno sequenti Asiam minorem, Austriam, & Hungariam peste, Italiam & Belgium fame, Constantinopolim locustis infestum fuisse.* Ricciolius.

MUlta horum adnotavit Gassendus: sed nos Ricciolo adhærere malumus. Adnotat verbo hunc Cometen Alstedius, nullis additis circumstantiis. Ricciolius (*a*) infra istius Cometæ & Jovis æqualitatem tribus gradibus describit. Dehinc (*b*) rationem reddit, cur tàm brevem, spithamalem scilicet caudam versùs Orientem projecerit, nempe quòd ad oppositum Solis tendere visus fuerit, illa scilicet latente post tergum, & nobis inter Solem & caput Cometæ interjectis occultata. Addit (*c*) paulò post, Cometam hunc Landgravio Hassiæ & Tychoni observatum inter occasum Æquinoctialem & æstivum surrexisse, & (*d*) in consequentia signorum motum esse: tùm (*e*) 28. diebus arcum seu viam 39°. 21′. confeciſse: velociorem (*f*) initio

(*a*) Almag. Tom. 1. part. post. l. 8. sect. 1. c. 4. N°. 6. (*b*) N°. 9. (*c*) N°. 10. (*d*) N°. 11. (*e*) N°. 12. (*f*) N°. 13. quàm

Figura Com. CCCC. A. C. 1585 et CCCCI. A. C. 1590 ... ex Nobiliss. Tych. Brah potissimum observatis tradens. N°. 68.





quàm in fine fuiſſe: diurno (*a*) motu in proprio ductu duos gradus & 18. min. prima peregiſſe: denique (*b*) crinitum ferè & fuſcum potius quàm fulgidum fuiſſe. Cæterum ſuperius, capite ſcilicet tertio in hiſtoria Cometarum, ephemerides hujus noſtri ex Tychone accuratè proponit, quas ibi videat, qui volet. Subjicit autem: Rothmanus, ut teſtatur Tycho in epiſt. pag. 118. & tom. 2. p. 442. obſervavit Cometam hunc ſub initium ternis gradibus quotidie moveri proprio motu, & tamen tàm exiguam in eo parallaxin deprehendit, ut illum ſupra Jovem in Saturni cælo collocârit. Sed hæc Aſtronomorum gratiâ dicta ſufficiant. Ad eventus Cometæ me converto. Tædet ſubinde triſtium Cometas antecedentium. Ideò ab eis enumerandis libenter jam abſtineo, ac læta potius hunc noſtrum ſecuta, demonſtro: niſi verbo prius ad triſtia Cometam ſecuta reſpondeam. Belli Argentoratenſis, ut & omnium bellorum præ-nuncium, ingentia illa & vaſta ambitionis & avaritiæ portenta fuiſſe. Ego nunquam in animum inducam meum, aſtrorum vi hominis voluntatem ad bella aliaque vitia cogi vel trahi. Gallicos motus ſequentibus annis ortos, quos Rockenbachius indicat, Cometâ & omni phœnomeno cæleſti, hinc Regis edictum Julianum (*c*) pacem Proteſtantibus, tot edictis ejus & fratris ejus conceſſam, ac nuperrimâ tranſactione ante biennium formatam abrogans, & cum pacis publicæ oſoribus ad ſeque omnia trahentibus Guiſiis initum fœdus, illinc Guiſiorum domi foriſque firmata & inexſtinguibilis ambitio, eique promovendæ deſtinatum fœdus illud ſacrum, Hiſpanicis viribus & favore Romano Borboniorum odio nixum, portendit. Hæc enim Proteſtantibus arma (*d*), hæc Guiſio vires (*e*) ſpeſque majores, à morte Condæi reviviſcentes, tandem, ut & fratri ejus purpurato (*f*), atrocem cædem, eandemque ſeptem menſibus (*g*) circumactis ipſi Regi attulit. Ut taceam victorias vel ſucceſſus proſperos partium, quibus multùm civilis ſanguinis impenſum eſt. Nec eo inficias alibi quoque gentium ferrum &, quæ hoc fert, mala graviter ſæviiſſe. In Belgio cumprimis, bellorum & malorum id temporis theatro. Hiſpanus enim Sylvam Ducis hoſte ex urbe, cujus jam potitus erat, pulſo, ſervavit. Bruxellas (*h*) & paulò poſt Antverpiam (*i*), urbium illam pulcherrimam, hanc etiam munitiſſimam & opibus commerciorum beatiſſimam, inter has Mechliniam (*k*) urbem non minùs validam, quàm elegantem & opulentam deditione, Noviomagum (*l*) & Doſiburgum proditione, tùm Graviam (*m*), dehinc Venlonam, Noveſium infelix, utpote magna & obſidentium & obſeſſorum clade à Parmenſi receptum, Daventriam (*n*) & Zutphaniæ caſtrum, non ſinè ſanguine copioſo, quem ut aliàs in conflictibus, ita cumprimis ad Antverpiam horrenda illa (*o*) prodigioſæ navis, pontem Scaldi impoſitum frangentis vi attritus impendit, cepit. Fœderati contrà Oſtendam jam captam rejecto pariter hoſte conſervavêre, Noveſium (*p*), Slikenburgum, Oldemarcam, Axelam (*q*) (quæ victoria eò memorabilis quòd Mauritio tanto dein' Imperatori, ut Stradæ (*r*) verbis utar, tunc primùm in aciem prodeunti, militare initiamentum fuit ſimul & ſpecimen, conſilio illam ac ſtratagemate, quàm aperta vi dubiaque belli alea clariorem fore) Doſiburgum Zutphaniæ Caſtrum, aliaque loca, præcipuè verò Delam Inſulam in poteſtatem ſuam redegêre. Neque vel illis ad Amerongam, Lovenſtenium aggerem, Boxumum ipſamque Palatam (cui ab eventu Victoriæ (*ſ*) nomen inditum) vel his ad Oſtendam & Zutphaniam, aliaſque incruenta victoria fuit. Sed ut hæc curatius à Reidano, Strada, Grotio aliiſque Scriptoribus literis mandata ſuo loco linquamus, paucis læta, ſaltim ambigua & miſta utriuſque partis memorabo. Auſpicante anno, quo Cometa apparuit, tranſactum inter Gallum & Belgarum Oratores de conditionibus, quibus imperium ei deferebatur, erat. Nec res mutuâ lætitiâ, at verò ſucceſſu (*t*) caruit. Hiſpanus nempe rem expeditâ virtute in Belgio gerebat. Imò ad ſua toto pectore incumbere non contentus, alienis etiam operam dedit. Gallicas enim res, poſtquam à Guiſiis fœderis Sacri caput conſtitutus eſt, interpellavit. Ita Gallus ſuis domi foriſque tuendis intentus,

(*a*) Ibid. (*b*) N°. 15. (*c*) Serres in Henrico 3. ad 1585. (*d*) Serres ab Anno 1585 ad 1589. (*e*) Id. ad 1588. (*f*) Id. ad ann. 1588. (*g*) Id. ad ann. 1589. (*h*) Reidan. ad 1585. (*i*) Id. & Strada ad 1586. (*k*) Ad 1585 Grot. ann. 6. pag. 128. (*l*) Reidan. ad 1585. Grot. ann. 5. p. 129. (*m*) Camdenus, Reidanus & Strada ad 1586. Grot. ann. 5 p. 135. (*n*) Reidanus & Strada ad 1587. (*o*) Strada ibid. (*p*) Reidanus & Strada ad ann. 1585. (*q*) Camden. ad 1586. (*r*) Lib. 8. Grotius Annal. 5. pag. 135. (*ſ*) Strada ibid. (*t*) Vide Camden. ad ann. 1585. pag. 409.

aliena

aliena curare non potuit, Belgarum verò res, ſublato Arauſionenſi, velut cuſtode remoto, variè ſocordiâ, proditione, defectione & diſcordiâ agitatæ. Præſentibus Oratoribus Belgis honos Equitibus Georgianæ Periſcelidis conferri ſolitus, Gallo ab Eliſabeta (*a*) delatus non parum lætitiæ, uti par honor Parmenſi, eo in numerum Aurei Velleris Equitum adlecto, ab Hiſpano (*b*) ſub idem tempus habitus, omnibus attulerat. Quam tamen fœderis Sacri & belli Belgici motus mox turbarunt. Inter has turbas, imò ex his Academia Franequerana (*c*) in Friſiis eodem illo Anno 1585 emerſit. Erexerat animos Belgarum hoſtili potentiæ imparium hoc anno exeunte ſpes, mox lætitia (*d*) ex impetratis ab Regina Britanniæ, ſibi ſecuritatem ſervatis Belgis parante, (*e*) & maſculâ virtute magnum facinus audente, auxiliis concepta. Quibus præfectus Robertus Dudlejus Liceſtriæ Comes gratiâ Reginæ, quæ eum, Regiæ dignitati natalibus, fortunâ, fratris, momentanei Regis cum uxore Joanna Suffolcia illâ literis clariſſima puellâ (*f*), exemplo, vultu & moribus proximum, ut miniſtro majorem adſpiciebat (*g*), prævalidus, & ſine rivali primus plurimumque ideò ſpei ſecum pro ſe & Belgis ferens, plurimum gaudii ſecum Belgis, fiduciæ & benevolentiæ in hominem peregrinum nimiis (*h*), attulit. Verum tamen hæc incommodis gravibuſque malis (ut ſunt cuncta humana) non caruère. Hæc nimia, vel ipſius Reginæ (quæ ipſa eam hinc metu Hiſpanici belli (*i*), illinc rerum Belgicarum ſtudio futuri provido detrectavit) judicio, & ſubortæ (*k*) offenſæ indicio, imò (*l*) exprobratione, potentia, Regios ſpiritus, ut Camdenus (*m*) ait, ſumens, ſecum traxit & prudentioribus portendit. Hinc enim æmulationes, illinc ſuſpiciones & lites ortæ, (*n*) odia in publicum noxia conflabant, Jacobo Ringultio, homine ingenioſè nequam, diſſidiorum incentore ad Tribunatum ærarii, adulatoribus perviâ, (*o*) & credulâ Liceſtrii benevolentiâ evecto. Acceſſerat ejuſdem Liceſtrii (quem imperii & gloriæ cupidum fuiſſe Camdenus (*p*) ipſe fatetur) non tantùm averſus invidia à Mauritio Arauſionenſi animus callidè (*q*) primùm tectus, dehinc apertè erumpens : ſed inter hæc fides à permultis Liceſtrio, egregio virtutum ſimulatori (*r*), data, & favor ſacri ordinis auctoritate & ſpecioſâ in vulgus communis religionis machinâ firmatus. Ita enim Viro cato & verſuto tàm ſuorum Anglorum imperia (*ſ*) ab ſe diſtributa, quàm ab ſe arrogatum lenire pronum & efficax fuit. Franciſci Draci (*t*), qui privatâ auctoritate claſſem non contemnendam in Hiſpanos inſtruxerat, expeditio felix & reditus lætus, non parum gaudii & fructûs Britannis, ſed & Belgis horum favore nixis, attulerat. Credita inter hæc à Liceſtrio nequicquam reclamantibus Belgicæ Fœderatæ ordinibus, Guilhelmo Standlæo Nobili Anglo, Pontificiis ſacris dedito, & mox, extremo prævisæ bonis perfidiæ auſu, prodita & perdita Daventria Tranſiſalaniæ primaria urbs. Hanc Zutphaniæ caſtellum Rolando Jorcko (*v*), qui fidem apud Belgas omnem nupera proditione decoxerat, pari temeritate, ac ut in Belgas contumaciâ, ita in Anglos credulitate, creditum è veſtigio ſecutum eſt. Iſta Patres Conſcriptos ad fortius aſſerenda avita jura (*x*), & curatius tuendam patriæ ſalutem, permoverunt. Ubi debita ubique Virtuti laude fraudandus non eſt Joannes Oldenbarneveldius, *adverſus Liceſtrii minas arteſque, ut fidus conſilii, ita animi invictus (y)*. Ita nec illud incommodorum & damnorum commodis ſuis caruit, & dolor ingens cum indignatione junctus, poſtquam exacuit prudentiam & induſtriam, haud levem peperit utilitatem, demùm lætitiam. Hunc maſculi animi vigorem Patres Conſcripti tàm agente in Britannia Liceſtrio, quàm ad ſe redeunte retinuerunt. Interim ſingulari divino (*z*) beneficio Hiſpanus in Belgis, licet diſſidio domeſtico laborantibus, vexandis ſegnior (ideò & Strada [*aa*] Parmenſem inter aliorum diſſidia quieviſſe fatetur & laudat) non parùm

(*a*) Reidan. & Camd. ad 1585. (*b*) Strada ad eundem annum. (*c*) Reidan. l. 4. p. 77. (*d*) Camd. ad 1585. pag. 412. (*e*) Id. ibid. p. 411. (*f*) Sleid. lib. 25. Bunting. Bucholz. Calviſ. ad 1554. (*g*) Strada lib. 7. Reidan. ad 1588. Grot. ann. 5. p. 130. (*h*) Grot. ann. 5. pag. 131. (*i*) Reidan. lib. 5. Camd. ad ann 1585. Strada l. d. Grot. ann. 5. initio. (*k*) Strada l. d. Grotius ann. 5. p. 130. (*l*) Camden. ad 1586. Grot. p. 132. & ſeqq. (*m*) Ad ann. 1586. initio. (*n*) Reidan. ad 1588. pag. 176. (*o*) Reidan. ad 1588. pag. 174. (*p*) Ad ann. 1585. ſub fin. (*q*) Reidan. ad 1587. Grot. Ann. 5. p. 140. (*r*) Grot. ibid. (*ſ*) Strada lib. 8. ad 1586. (*t*) Camd. ad 1585. Strada ad 1587. (*v*) Vide de his Stradam l. 8. ad 1587. Grot. Annal. 5. pag. 136. 141. (*x*) Reidan. ad 1587. Grot. Annal. 5. p. 138. (*y*) Grot. Annal. 5. p. 152. (*z*) Reid. ad 1587. [*aa*] Ad eundem annum.

lætitiæ

lætitiæ eis dedit. Hanc eis, compoſitæ cum Regina Britanniæ & Liceſtrio controverſiæ, ac firmata concordia, auxit. Acria tamen & obſtinata Reginæ (quæ & aliquem ſollicitudinis aculeum Gallorum animis incutere, & curſum victoriarum Alexandri ſpe pacis interſiſtere, ut Strada judicat; volebat) pro ineunda cum Hiſpano pace, ſtudia [a], non levem nec vanum metum excitârant. Pro illa reſtauranda & Pius Rex Danorum Fridericus 2. læto nomini, pacis divitias ferenti reſpondens, multùm apud Hiſpanum & Britannam laboravit. Illa Eliſabetæ pacis redintegrandæ humana & Chriſtiana ſtudia mox Hiſpanus, ab anno uſque octogeſimo tertio, ut ipſe, judice Stradâ [b], fatetur, Anglicam expeditionem mente volvens, ſui ſecuram & imparatam Eliſabetam opprimere ſtudens, inſtructiſſimâ claſſe expeditâ hoſtili ritu penſavit [c]. Sed clade inſigni acceptâ novi gaudii materiam Fœderatis præbuit. Annus octogeſimus ſeptimus ſupra mille quingentos utrique parti Hiſpanorum ſcilicet & Belgarum gaudia attulit. Illis dedita Sluſa [d], urbs Flandriæ, à natura & arte probè minuta, Gelria urbs prodita; his res firmius reditu Liceſtrii, mox tamen ad lites [e] cum Patribus & in Britanniam redituri ac imperium relicturi, pro tempore conſtituta, & ab Hohenlojo Duce primario, utpote Mauritii Legato [f], qui tunc Engelam, (Reidano Eggelam) Helmondam aliaque loca Fœderatis aſſeruerat, ad Sylvam Ducis, & in prælio adverſus Altipennium victum [g] & cæſum feliciter geſta, à Nivenario, Meppa, Weſtphalorum oppidum, capta, quæ tamen mox à Verdugo Hiſpano duce deditione voluntariâ recepta. Inter has turbas Guilhelmus Naſſovius [h] deſponſatâ Arauſionenſis filiâ non tantùm in Martis, ſed & in Veneris caſtris militabat. Liceſtrii in ſpeciem voluntaria [i], re autem verâ coacta abdicatio rem Belgicam in haud exiguas difficultates, imò & pericula conjecit. His tamen cordata & conſtans vigilantia Procerum, divino auxilio, ſegnius præſertim rem [k] Hiſpano gerente, exemit, poſtquam miles acceptis ſtipendiis ad officium rediit. Claſſis Hiſpanica 135. (145. Reidano) navium & viceſies octies (Reidano bis & triceſies) mille amplius hominum gravis ſæva tempeſtate primùm caſtigata. Hinc virtute Britannorum tutò & ſinè ullo audaciæ, quæ totam claſſem Duce idoneo defectam, & ſalutis anxiam dedidiſſet, experimento vincentium, Batavis Parmenſem ſummum imperium, conſilium, vires & victui neceſſaria claſſi allaturum [l], diſtinentibus, & Flandriæ portus obſidentibus, nullo navium, exiguo ſanguinis impendio, rejecta, tandem novâ tempeſtate diſjecta & fracta publico luctu [m] Hiſpaniam, gaudio Britanniam, Belgicam Fœderatam & amicas illis civitates induit. His quippe omnia Hiſpanorum de pace Colloquia ſuſpecta erant, etſi Regina Britanniæ multùm fidei eis tribueret, ita ut parùm abfuerit, quin, ni Belgæ Parmenſis conatus ſtitiſſent, præſenti periculo involveretur. Iſti verò tantæ victoriæ fructum & lætitiam ingentem magis æquam fidamque Britannorum, communis hoſtis potentiâ impetitorum, ſocietatem tulerunt: ſed & totius expeditionis, quæ fluctuante domeſticis diſſidiis, partium præcipuè Liceſtrianarum, re Batava Hiſpani potentiam aliorſum vertit. Eliſabeta tunc maximo defuncta periculo inter lætos triumphos, pietatis & grati animi memor, gratiarum actiones publicas Deo decernit. Claſſis Hiſpanicæ cladem & ponè Bergas ad Zomam [n] ſtragem ex inſidiis in Parmenſis copiis editam, Bonnæ anno proximo decurrente expugnatæ [o] recuperatio (quanquam nec hæc triſtitiæ expers, ſtrenuo & celebri duce Taſſio (cui familiæ literarii commercii per tabellarios & curſores diſpoſitos commodiſſimâ ratione colendi, inventum humanæ ſocietati utiliſſimum, debemus grati) rapto temperavit. Tum verò & Wachtendonchæ, Gertrudiſbergæ [p] & Hedelæ deditio. De cujus tamen lætitia utrobique turbæ militares non parum decerpſerant. Hanc anno proximo (erat à parta ſalute octogeſimus nonus ſupra ſeſqui milleſimum) Blienbechæ, tandem Bercæ deditio [q], Noviomagi defenſio: hæc autem proſpera [r]

[a] Reidan l. 6. ſub fin. Strada ad 1587. [b] Strada ad 1588. initio. Confer. Reidan. l. 8. pag. 170. [c] Grot. Ann. 5. p 145. & hiſt. 1. [d] Reidanus & Strada ad 1587. Grot. ann. 5. p. 143. [e] Reid. & Strada ibid. [f] Grot. Ann. 4. [g] Reidan. & Strada ad 1587. Grotius Ann. 5. p. 143. [h] Reidan. l. 7 ad ann. 1587. [i] Grot. ann. 5. p. 145. Confer Reidan. ad 1587 p. 162. [k] Reidan. ad 1588. initio. [l] Reid. ad 1588. Grot. hiſt. 1. p. 164. 166, 168. [m] Reidanus & Strada ad 1588 fin. l. 9. Grot. hiſt 1. p. 172. [n] Reid. ad 1588 Grot. hiſt. 1. pag. 174. [o] Reidanus & Strada ad 1588. Grot. hiſt. 1. pag. 177. [p] Strada ibid. Grot. l. d. p. 181. & ſeqq. [q] Reid. & Strada ad 1589. Grot. hiſt. 1. p. 189. [r] Strada ſub fin dec. 2. l. 10.

Fœderatis Ementillæ, Soltcampi [a] aliorumque locorum hîc occupatio illîc defensio, tùm ad Bercam contra Varambonium Marchionem pugna excepit: ne minora memorem æquâ fortunâ gesta. Satis enim rebus Belgicis, hîc quidem, datum. Nec tamen immeritò, utpote circa quas tunc non tantùm studia orbis Christiani in duas partes sacrorum vi secti, sed & multarum potestatum vires versabantur. Neque verò paullùm his immorati cætera gentium, & in iis notabiliorum gestorum silentio transmittemus. Et Britanniam quidem, Belgis tunc causæ communis nexu firmius devinctam, prius percurremus. Anno [b] quo Cometes noster luxit, & admiranda divina providentia in servanda ab conjuratorum artibus Elisabeta eluxit. Scotia verò profugis quibusdam Regi conciliatis, & lege oblivionis sancitâ, pacata: ut & Hybernia Burcis rebellium ducibus oppressis. Belgæ susceptо ab Elisabeta sui patrocinio, & felici Francisci Draci à secunda in Hispanos expeditione reditu non parum exhilarati. Mox post Cometam nascitur Anna Austriaca, Matthiæ Imper. uxor, aliorum Principum ut taceam natales, qui nec diem nec mensem habent adnotatum. Hoc quoque anno Ernestus Fridericus Badensis Annam Frisiam, Ludovici Electoris Palatini viduam relictam duxit uxorem. Proximo (fuit octogesimus sextus supra mille quingentos) Augustus Elector Saxoniæ cum Agnete Hedvige Anhaltina, cum filia verò ejus Anna Joannes Casimirus Saxo-Coburgensis, Carolus Palatinus cum Dorothea Brunsuicensi, & Georgius Gustavus, itidem Palatina domo ortus, cum Elisabeta Wirtembergensi nuptias celebrarunt. Natalibus verò Leopoldi Austriaci, Philippi Emanuelis Sabaudi, Friderici Saxonis, Julii Henrici Saxo-Lauenburgici, Ludovici Friderici Wirtembergici, ut pluria præteream, idem ille annus lætus & clarus fuit. Octogesimus septimus supra millesimum quingentesimum auspiciis Sigismundi id nomen Tertii, tùm natalibus Joannis Friderici Palatini, Ernesti Ludovici Saxo-Laoburgici, Mariæ Magdalenæ Austriacæ, & Magdalenæ Bavaræ, Maximiliani Electoris Sororis, Wolfgangi Guilhelmi Palatini Neoburgici uxoris insignitus est. Octogesimus octavus, quem mirabilem & mundi climactericum fore Astrologi aliique creduli putabant [c], nuptiis Joannis Holsati cum Agnete Hedvige Anhaltina, Augusti Saxonis vidua, Joannis Mecklenburgici cum Sophia Holsata, Joannis Ernesti Anhaltini cum Dorothea Mansfeldica, & Ulrici Mecklenburgici cum Anna Pomerana: Natalibus autem Henrici Borbonii Condæi, Joannis Friderici Palatini, Friderici, Christiani Guilhelmi Brandenburgicorum, Julii Friderici Wirtembergici, Constantiæ Austriacæ Reginæ Poloniæ, Serenissimi Regis hodierni Joannis Casimiri matris, magna attulit gaudia. Denique octogesimus nonus pacem inter Rudolphum Imperatorem & Sigismundum Tertium libertati restituto, Maximiliano hujus æmulo & captivo, fœderis sanctionem inter Henricum III. Gallum & Henricum Navarræum constitutam, & illo cæso [d], hujus auspicia, orbi cum gaudio gratulatus est. Idem lætas nuptias Jacobi Scoti cum Anna Dana, (quam Elisabeta [e] Britanniæ Regina præ cæteris commendavit) Georgii Hessi cum Eleonora Wirtembergica, Ferdinandi Thusci cum Catharina Lotharinga, Ludovici Palatini cum Anna Maria Hessa vidit. Sed & natalibus Augusti Saxonis, Joannis Casimiri Palatini (qui Serenissimi Caroli XI. Sueciæ Regis avus erat) Adolphi Friderici Mecklenburgici (pater is Serenissimi Principis Christiani Ludovici fuit) Elisabetæ Sophiæ Brandenburgicæ, quæ Celsissimorum & Generosissimorum Principum Janussii & Boguslai Radzivilliorum, uxor & mater, Julianæ Saxo-Laoburgicæ, cujus fratri Julio Henrico Radziviliana ista vidua postea nupsit, gavisus est. Mitto fessus, nec amplius Lectorem fatigare volens, pluria ejusdem generis, quæ in promtu sunt, nisi quòd tot læta in unum congesta tristi vicissitudinis rerum, cui & Principes subjecti, exemplo finire non inutile visum, quò & Principes magni legem mortalitatis & adversa casuum reputent. Præbet illud Maria Stuarta, ortu Scotiæ, matrimonio Galliæ Reginâ, eruditione Clarissimi Regum Jacobi mater, morte quàm vitâ melior. Hæc anno illo octogesimo supra sesquimillesimum acceptâ,

[a] Reidan. ibid, Grot. l. d. [b] Camden. ad hunc annum. [c] Camden. & Grotius ad 1588. Leovit. in ephemerid. & de conjunctione Planetarum &c. [d] Reidan. ad 1589. Grot. hist. 1. pag. 191. [e] Camden. ad 1589.

vultu

vultu conſtanti & virili animo, Eliſabetæ cognatæ ferali ſententiâ, læta ad mortem properavit, & auguſtam cervicem Carnifici præcidendam præbuit. Si Camdeno [a] credimus, inveterata tàm æmulatio, quàm ob arrogatum ab Maria titulum Anglicum ſimultas, neglecta ab eadem Nuptiarum conſilia ab Eliſabeta præbita, & turbulentum Mariæ ingenium, diſſidio religionis exaſperatum, maximè verò in caput Eliſabetæ conſpiratio, favore Romano & Hiſpano fulta. Verbo: invidia & metus mortem ei accerſivit, egregio documento nec terrarum Principes legi mortis & acerbis caſuum exemtos eſſe, ideòque nec officii negligentes eſſe oportere.

[a] Ad annum 1561. pag. 54. & ſeqq. ad ann. 1563. p. 77. ad 1564. p. 87. ad 1586. p. 432. & ſeqq. Confer Strad. ad 1587. Grot. ann. 5. p. 141.

CCCCI. *Anno Chriſti* 1590. *apparuit Cometa ille, de quo Tycho in epiſtolis à pag.* 173. *ad* 182. *viſuſque eſt à die* 23. *Februar. ſtilo veteri ad* 6. *Martii: apparebat autem ab initio major, ſed vix minutorum* 3. *ad caput Piſcis Borei, in occidua cæli plaga, caudâ graduum circiter* 10. *longâ, & ad amuſſim in Solis oppoſitum verſus Zenith directâ. Motus in conſequentia fuit ſignorum, adeoque concitatus, ut à die primo obſervationis ad ſecundum penè gradus* 8. *confecerit, poſtea remiſſior, & in fine ſeſquigradum abſolvens, deſignavitque exactè arcum circuli maximi, ex ratiociniis Tychonicis, & parallaxim nullam ſenſibilem habuit, ideòque ſupra Lunam fuit, ſi Tychoni credimus.* Ricciolius.

Plura apud Auctorem vide: qui infrà [b] caudam ejus 10. grad. fuiſſe, dicit. *Anno Chriſti* 1590. *ante feſtum S. Matthiæ obſervatus eſt magnus Cometa. Hujus effectus Auſtria terræ motum, præcipuè verò S. Stephani turris Viennæ, & aliis in locis, experta eſt, ſicut D. Ehingerus in Cometarum hiſtoria memorat.* Schorerus.

NEc hunc à Schorero allegatum auctorem vidi unquam. Nullus præterea auctorum, quos ad manum habeo, hunc Cometam adnotat. Ricciolius infrà [c] eum in occidua cæli plaga ad caput Piſcis Borei prope occaſum æſtivum ſpectari cœpiſſe, veſpere verſùs Andromedæ pedes, ad pedes Caſſiopeæ evanuiſſe, acquiſitâ in dies majori latitudine ac declinatione boreali, & diebus undecim [d] arcum grad. 42. 16. confeciſſe ac initio velociorem, ſenſim tardiorem [e] fuiſſe ſcribit. Cæterùm etſi nec hunc, nec proximis annis 1593, 1596 & 1597. viſos Cometas ſuprà aut infra Lunam fuiſſe demonſtratum eſſe doceat [f], concludit tamen hunc noſtrum ſupra Lunam fuiſſe. Nullos autem ei tribuit effectus. Res tamen ipſa teſtatur, ſueto rerum ordine, lætos & triſtes eventus Cometam ſecutos fuiſſe. Duos Pontifices Romanos Sixtum V. & Urbanum VII. Carolum illum feliciſſimum, Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ propagatorem, qui, raro exemplo, tres Reginas genuit, Jacobum Badenſem alioſque nonnullos Principes debitum naturæ perſolviſſe, hoc anno invenio. Eodem, vitam in terris Carolum Magnum, Caroli illius filium poſthumum, Joannem Albertum Mecklenburgicum, Sereniſſimi & Optimi Principis Guſtavi Adolphi patrem, Dorotheam Sibyllam Brandenburgicam, Agnetem Magdalenam Anhaltinam, Evam Chriſtinam Wirtembergicam, ac plures inſignes Principes auſpicatos eſſe video. Nec deſunt lætæ nuptiæ, Principum origo. Henricus enim Julius Brunſuicenſis Eliſabetam Chriſtiani 4. Regis Daniæ Sororem (ſub idem temporis Jacobus Annam minorem natu Sororem Dani novam nuptam, non tantùm Scotiæ, ſed & totius Magnæ Britanniæ Reges dehinc parituram, regio diademate ornavit) felici omine ſibi copulavit, ex qua circumacto anno Fridericum Ulricum ſuſcepit. Eodem verò anno & Fridericus Guilhelmus Saxo Annam Mariam Palatinam, & Ludovicus Heſſus Mariam Manſfeldicam uxorem, accepit. Natalibus verò gaudia Georgius Albertus Brandenburgicus, Joannes Chriſtianus Lignicenſis, Achilles Fridericus Wirtembergius, ut alios taceam, parentibus attulerunt. Proximo pariter anno (fuit nonageſimus ſecundus ſuprà mille quin-

[b] Almag. Tom. 1. 2. p. l. 8. ſect. 1. c. 4. N°. 7. [c] Loc. cit. Num. 10. [d] Ibid. N. 12, [e] Ibid. N. 13. Vide plura c. 20, N. 1 & 2. [f] Loc. cit. fine.

gentos) Sigiſmundus 3. Rex Poloniæ Annam Auſtriacam Caroli nuper defuncti filiam, Carolus IX. qui poſtea apud Suecos, pulſo Sigiſmundo, regnavit, Guſtavi Adolphi pater, Chriſtinam Holſatam, Henricus Turenius Carolam Bullioneam matrimonio ſibi junxit. Idem Sigiſmundo Brandenburgico, Henrico Wenceſlao Olſnenſi & Monſterbergenſi, Joachimo Erneſto Anhaltino aliiſque Principibus natalis fuit. Et, ut ad alia veniam, Turca ſicut anno proximo cum Perſa, ita hoc anno, Cometæ natali, cum Polono pacem facit. Colonienſis quoque ditio hac tempeſtate pace recenti gaudebat. Bellum interim atrox inter Suecum & Moſcum, Scythis ab illo in auxilium adſcitis, geſtum eſt. Sed nec alibi res quietæ fuêre. In Gallia præcipuè & Belgio, tùm in Croatia. De ſingulis pauca dicemus. Bella Gallis domi tàm negata & violata ſacrorum libertas, quàm odio religionis invida Guiſiorum ambitio & fœdus illud ſacrum ante hunc Cometam, ſi vel nullus tunc in cælo viſus fuiſſet, portendit & conflavit. Etſi verò Guiſii fœderis auctores è medio ſublati fuerant, non tamen belli civilis fomenta & incentores deerant. Accendit Hiſpanum in æmulationem & partium ſtudium apertâ vi armatum regni ſucceſſio à morte Henrici Valeſiorum ultimi [a] ad Henricum Borboniorum primum legitimè tranſlata, quòd is Proteſtantium caſtra ſequeretur. Cui ideò Guiſiorum factio Hiſpanici auxilii certa, Carolum [b] id vocabulum Decimum, Borboniâ pariter ſtirpe ortum Henrici patruum, ſed inter Purpuratos Principes à Pontifice Romano adlectum, tunc verò à ſtrage Guiſiana carceri mancipatum, opponere tentavit. Sed deſtituit injuſta auſa ſperatus ſucceſſus. Magni enim Henrici fortuna inimicos domi, hoſtes foris urgebat, licet Carolus Meduanus, & ſanguinem fratrum Guiſiorum, Henrici & Ludovici, & diadema ſibi vel Carolo Borbonio vindicare contendens, rem acriter geſſerit. Henricus enim memorabili ad Ivram victoriâ potitus rebelles & ſocios eorum Hiſpanos fregit. Carolo imaginario Rege inter hæc è vivis excedente, Proceres Sacri fœderis ſocii, qui novum æmulum Henrico opponere parabant, propter mutuam æmulationem fruſtra fuêre. Nec enim fortuna Regi, nec Rex ſibi defuit. Venientem cum copiis auxiliaribus Parmenſem ſolâ armorum oſtentatione ſubmovit, & citrà pugnam victor evaſit fortiſſimi Ducis, qui tamen ab occupata miraculoſa virtute & proſperitate Antverpienſium urbe, multum de fervore militari [c] remiſiſſe, imò nuncium bellis [d] miſiſſe judicatus eſt. Et anno quidem 1592. Rege Henrico multis victoriis & urbium deditione magis magiſque inclareſcente & Rothomagum obſidione acri urgente, ad liberandos obſeſſos in Galliam & tuendam melius partam apud Belgas famam, non leviter his extremis vitæ temporibus, ut ibi negligentiâ, ita hîc infelicitate attritam, redire juſſus fuerat. Verumtamen nihil memorabile geſſit. Imò accepto vulnere & concepto mœrore paulò poſt Bruxellis non ſine ſuſpicione veneni exſtinctus eſt. Diſtractæ ut nuper Britannicâ, ita nunc Gallicâ expeditione Hiſpani vires, Belgio æquè validè, ut antehac, imminere non poterant. Imò longè leviores redditæ, cum & Britanniæ Regina & Galliæ Rex jam à partibus eſſent. Inter hæc Mauritius & veteris diſciplinæ reſtaurator, & novæ militiæ doctor, induſtriæ artes explicans, Bredam munitiſſimum Brabantiæ oppidum innoxio ſtratagemate militibus inter ceſpites in urbem navigio illatis, nullo ſui, exiguo hoſtilis ſanguinis impendio occupavit. Lætum facinus felici ſidere ſuſceptum & peractum ſidere crinito certius è veſtigio ſecuturis præfulſit. Capta, non difficili multum negotio & ultra Procerum exſpectationem, & alia loca munita: *exciſaque opera hoſtibus, ſita pacato* [e] *in ſolo ad Rhenum Moſamque.* Quædam etiam à Mauritio hæriditatis jure ad ſe ſpectantia, recuperata. Ortum inter hæc ingens partibus Henrici Regis gaudium, Franciſco Ladigerio, qui Delphinatui à Rege contra Carolum Emanuelem Sabaudum novæ in ſpem gratiæ, utpote Galli Sorore natum, & Hiſpano generum, Galliis etiam imminentem, præfectus erat, Gratianopolin [f] & Viennam Allobrogum, urbes celeberrimas ſub poteſtatem Regis eadem tempeſtate redigente, aliaſque feliciter defendente, & primam Provinciarum ſociis fœderis ſacri ereptam, Regi ſubjiciente, ac hoſtem majoribus cum viribus vertente anno rever-

[a] Reidan. ad 1589. Grot. hiſt. 1. p. 191. [b] Camden. ad 1589. [c] Serres in Henrico 4. ad 1592. Grot. hiſt. l. 2. fine. [d] Reidan. Ann. 9. fine. [e] Grot. hiſt. 2. p. 202. Vide Reidan. lib. 8. fine. [f] Buchole. ad 1590. Serres in Henrico 4. ad 1591.

tentem

tentem rejiciente. Contra eundem hostem Genevenses [a] proximo anno bellum felicitèr gesserunt & aliquot insignia loca recuperarunt. Sed eminent inter hæc res Mauritii lætæ, ex voto, imò & super [b] vota fluentes, ubique Belgarum cœpta secundante Numine. Nam, ut tribus verbis multa complectamur, [c] Zutphaniam, Daventriam & Noviomagum, urbes famosissimas, ne alias longè plures minoris notæ memorem, Mauritius mascula tàm virtute quàm prudentiâ paulò supra annum victricia arma per Geldriam vacuam hoste, ubi quondam Nassavii Principes sanguinis rerum potiti, circumferens & avitis decoribus sua jungens, occupavit. *Victor in Hollandiam reversus*, ut verbis Grotianis [d] publicam illam lætitiam incomparabilem describam, *egregia externas quoque apud gentes fama, quantis nemo unquam populi gaudiis excipitur. Principum quondam res prosperas, ut jussi nec proprias sibi gratulabantur. Arausionensis ferè adversa tantum viderant. Etiam Liceastrii tempora clades inter & discordias exacta. Nunc primùm fines armis propagatos: fluminibus undique validis munitum & oppidis imperium. Nec aliud duci quam laborem & gloriam poscì: successus ad patriam pertinere.* Cuncta hæc, potentia hostilis bello Gallico distracta, Parmensis absentia [e] & res parùm prosperè illîc, parùm fideliter, quod ad rem pecuniariam attinet, hîc gesta, portendit iis, quibus longa est prudentia futuri præscia. Sed jam res Britannicas paulùm inspiciamus. *Elisabeta, quæ pacem summam cogitationum semper*, teste Camdeno [f], *fecerat, ideòque belli curas nunquam abjecerat, ne ex improviso ab Hispano opprimeretur, primo vere militum delectus habuit*, Gallum sacrorum & periculi societate sibi fœderatum pecuniâ juvit. Ut vero tuendo [g], ita & ritè administrando tributis minutis & lenius exigendis, tùm firmandis Gallorum Belgarumque adversus hostis communis potentiam rebus, & colendæ cum Scoto fidæ paci dedita, hoc & Gallo in societatem Georgianæ Periscelidis Equitum adlecto, pacem inter Polonos & Turcas, tùm inter hos & Principem Moldaviæ firmavit. His ita anno nonagesimo supra millesimum quingentesimum actis, duobus proximis annis rem domi forisque pacis & belli artibus gessit, Academiam Dublini, quæ est primaria Hyberniæ urbs, erexit. Hîc mihi appendicis loco adnectenda, quæ anno proximo Cometæ apparitionem antecesserunt. Nempe Fridericus IV. Elector Palatinus, Sereniissimi Electoris hodierni avus, Ludovicam Julianam Arausionensem, Joannes Saxo-Winarienſis Margaritam Anhaltinam connubio sibi junxit. Prioris Sponsæ frater Mauritius iisdem diebus, quibus soror nuptias celebravit (erat 12. Junii dies Julianus) Gertrudisbergam [h] benè munitum oppidum & quod capi multum intererat, Nassaviorum possessionem pignoris jure, deditione occupavit. Juvat hîc audire Reidanum [i] Vossianum: *Eodem die dum expugnatæ Gertrudenbergæ gaudio universa trepidat Hollandia, lætissima nuncii adferebant, Fredericum Electorem, Comitemque Palatinum, Dillenburgi matrimonio sibi copulasse Ludovicam, Mauritii Principis sororem: quod Patribus, & prudentiorum quibusque ipsâ Gertrudenbergensi victoriâ haud minoris visum, ob novam in Germania societatem.* Paulò verò ante Philippus Nassavius Lucemburgiam & extrema Belgarum adiens, rem pro Fœderatis feliciter gessit. Hîc mihi etiam verbo memoranda est pax Argentinensis, quæ novem mensium bello finem imposuit, anno, qui proximo Cometæ natalis fuit, composita. Et longius quidem à nostro Cometa bellum hoc abfuit, habuit tamen aliud portentum, illud scilicet vetus ambitionis, quod & in Sacro ordine dominatur.

[a] Bucholz. ad hunc annum. [b] Grot. hist. 2. pag. 219. [c] Reidan. ad ann. 1591 & 1592. Grot. hist. 2. [d] Hist. 2. p. 222. [e] Reidan. ad 1592. p. 229. Grot. hist. 2. p. 201. 224. 234. & in fine. [f] Ad 1590. initio. [g] Camden. ad ann. 1590, 1591 & 1592. [h] Reidan. ad 1593. Grot. hist. 3. pag. 244. & seqq. [i] Ad ann. 1593.

CCCCII. *Anno Christi* 1593. *Cometa (ex oppositione Saturni, Jovis & Martis causatus) in signis cardinalibus Solstitialibus* 10. *Julii Sole ultimum gradum Cancri occupante, ante ortum Solis apparuit, qui motu suo à Tropico Cancri à Meridie versus Septentrionem supra totam Europam vel Circulum Arcticum progressus est. Motum suum retrogradum à Cancro per Geminos & Taurum ita instituens, ut* 17. *Augusti. propè*

Circulum arcticum in principio Tauri ſit viſus, propeque Cepheum 21. Auguſt. evanuerit. Effectus hujus Cometæ ex motu ejus talis ſecutus eſt, qui cum ab Oriente verſus Ungariam, Græciam & Conſtantinopolin motum ſuum direxit, caudam ſuam aſcendendo ad nos vertens, bellum Turcicum, unà cum morte Amurathis Imperatoris Turcici ſecutum eſt, cui filius ipſius Mahomet in imperio ſtatim ſucceſſit. Quod bellum omnibus Germaniæ Principibus (utpote quia Cometa verſus Septentrionem à Meridie ſupraque caput noſtrum & totam, ut dictum eſt, Europam adſcendit) & aliis finitimæ regionis populis in Africa & Meridie ſitis multum negotii faceſſit, utpote quòd Cometa à Tropico Cancri primùm, exque locis infrà Conſtantinopolin ſitis, apparuerit. Rockenbachius.

Anno Chriſti 1593. *die 3. Auguſti St. Nov. Cometa apparuit, caudam oblongam à Septentrione Meridiem verſus convertens: qui poſtquam aliquot ſeptimanarum ſpacio ſe conſpiciendum præbuiſſet, rurſum evanuit.* Bucholzerus.

Anno Chriſti 1593. *apparuit Cometa, quem D. Herlicius in Prognoſtico ſuo prædixerat. Menſe Julio paſſim per Germaniam, Italiam & Galliam viſus eſt hic Cometa, inque Oriente conſtitutus, caudam oblongam & tenuem meridiem verſus extendit. Judenburgi in Stiria ſtella quædam nigra in Sole apparuit: Machinis aliquot bellicis ex oppoſito diſpoſitis, ex quibus magnæ quantitatis pilæ in Solem torquebantur. Marpurgi etiam in Haſſia tribus continuis ejuſdem menſis diebus Sol circa meridiem apparuit atro circumſeptus circulo, haud aliter ac ſi nigræ rotundæque affixus foret tabulæ. In Gallia tùm factæ ſunt inducia inter Regem & Reformatæ religionis homines, poſtquam Rex Navarræus in Catholicam religionem juraſſet.* Eckſtormius ex Arthuſii Tom. 4. l. 1.

RIcciolius teſtatur Fromondum lib. 3. Meteor. cap. 1. art. 1. hujus Cometæ meminiſſe, & ita quidem, ut eum auctoritate Tychonis ſupra Lunam collocet. Auctoritatem tamen Tychonis Ricciolius* in dubium vocat. Neque etiam ullas ejus circumſtantias memorat. Imò infra cap. 4. Num. 5. durationem ei nullam adſignat, ſed nec menſem natalem N. 4. Nobis fide Auctorum allegatorum ſuſquimeſtri ferè ſpatio, ſcilicet à 10. Jul. ad 21. Auguſti Gregoriani numeri eum duraſſe certum eſt. Ad eventus ei tributos quod attinet, bellum Turcicum, quod ad eum Rockenbachius refert, integro amplius anno [a] natales ejus præceſſit. Illud verò Turcarum in Croatiam impreſſio ac Wihitzii occupatio funeſta portendit. Quod cum ita ſit, omnes Rockenbachii rationes ſpontè ruunt. Illa quæ annotavit Eckſtormius tunc in Sole viſa, ſunt chaſmata ab apparitione Cometarum videri ſolita. Exempla in hanc rem Cometarum anni 1533, 1544 & 1556. Gebhard. Himſelius Math. Prof. Revalienſis, Cometolog. p. 15. adnotat. Henrici IV. ad Eccleſiam Romanam tranſitus Cometæ apparitionem paulò poſt excepit. Hæc res quietem, quam Rex [b] ante omnia egregio publico devotus exoptavit, regno attulit. Ille tamen ictum geminum, alterum quo dens tantum excuſſus, alterum quo cor confoſſum, non effugit. Mutata ab eo ſacra affectum Eliſabetæ [c] in eum mutarunt primùm, mox tamen in arctioris fœderis ſocietatem cum eo, communi periculo impulſa, ire non recuſavit. Erat enim ſatis de propria ſalute quoque ſolicita detectâ & oppreſſâ conjuratione, quam ei in prædam cuique, Pontificis Romani ſententia datæ, diverſa de ſacris ſententia in animis malevolorum conflavit. Scotus eodem prope tempori mori ſacrum illud Galliæ fœdus & naſci apud ſe, genitore Bothvillio, feroci & turbulento Viro, ſed mox oppreſſum vidit, &, cum Hiſpanus [d] jus filiæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ genus avitum à Regibus Angliæ ducentis in Angliam prætenderet, ac Scotiæ immineret, ſuſcepto die 19. Febr. anni 1594. [e] ex Anna illa Danica filio Henrico Friderico, gaviſus eſt. Nec exiguum Angliæ gaudium ejus virtus unita Hiſpano opponenda peperit. Teſtis Camdenus [f]: *Jam & Regina, & cum illa univerſa Anglia, magnam lætitiam præ ſe apertiſſimè tulerunt ob exploratam Regis Scotorum benevolentiam & ſingulare pacis tuendæ ſtudium.* Paulò poſt controverſiam ſatis difficilem, qualis de re pecuniaria inter ditiſſimos quoque Principes eſſe ſolet, Eliſabeta cum Belgis Fœderatis compoſuit, & actionibus

* Almag. Tom. 1. 2. p. l. 8. ſect. 1. c. 3. & 20. [a] Bucholz. Calviſ. ad 1592. [b] Reid. ad 1593. [c] Camden. ad 1593. [d] Idem ad 1594. Grot. hiſt. 3. p. 276. [e] Camden. ad hunc annum. Grot. hiſt. 3. p. 276. [f] Ad 1595. initio.

Galli

Galli Hiſpano, quem illâ tempeſtate & mercatoria claſſis, duce Joanne Lancaſtero, in America cum ſucceſſu & opimâ Fernambuci prædâ carpebat, tunc bellum denunciantis providè invigilavit. Cujus res feliciter illâ tempeſtate geſtas videamus, tempus eſt. Poſtquam is ſacra Romana ſequi cœpit, electio Guiſii parati, & vel Erneſti Auſtriaci à ſociis fœderis vel alterius alicujus à tertia neceſſariorum [a] Regis factione meditati æmuli, paulo poſt & totum illud fœdus ſacrum in fumum abiit, Rege Auſtrici Carnutum decurrente Februario anni 1594. [b] ſacro oleo peruncto, & mox non ſinè miraculoſæ providentiæ divinæ, ſingularem ſacrorum capitum curam gerentis, argumento, receptâ ſine ſanguine regni ſede Lutetiâ, quamvis à perſpicacibus, conſtantibus & fortibus Hiſpanis cuſtoditâ. Nam hujus ad exemplum totum componitur regnum, idque è veſtigio, & ſic optata & beata pace reddita, univerſo regno maxima redditur lætitia. Hanc tamen exeunte anno [c] illatus Regi à parricida Joanne Caſtello (Petrum Reidanus, paternum nomen filio tribuens, vocat) ictus, qui jugulum vel ventrem inclinati ad terram Regis petens & aberrans, dentem tantum exciſſerat, & labiorum ſumma leviter læſerat. Quod facinus non tantùm parricidæ triſte attulit fatum, ſed & ſodalitio Jeſuitarum, quorum hic erat diſcipulus, exſilium auctoritate publica imperatum. Hoc paulò poſt, Anno ſcilicet 1602. & pyramide & ſanctione illa Pariſina ſublata [d] in reſtitutionem, ſicut & bellum Hiſpano illatum [e] in victorias Gallo lætas, tandem in pacem apud Vervinos Anno 1598. 2. Maji conſtitutum omnibus lætiſſimam vertit. Proſpera fortuna, quâ per hæc tempora Gallus uſus eſt contrà Hiſpanum, communibus hujus hoſtibus Britannis & Belgis, non exiguam lætitiam & utilitatem attulerat. Parum erat Fœderatis ſua fortiter & induſtriè defendiſſe, niſi ex hoſtico aliquid decerpſiſſent. Ita loca Coverdæ vicina à Guilhelmo Naſſavo capta [f]: tùm Slochtera & Vedda, quæ mox tàm ab Hiſpano capta, quàm à Fœderatis recepta: capta inter hæc alia ab Hiſpano. Ita anni quo Cometes luxit res æqua propemodum fortuna geſtæ, æquæ Cometarum ſignificationis exemplum non obſcurum præbent. Niſi quòd omne bellum boni felicium cenſu excludunt, & militiam meram malitiam dicunt. Tantum tamen erat animi Fœderatis, ut ingenti ære (erat ducentorum millium florenorum ſumma, menſtruum Hollandorum, Zelandorum, Friſiorum & Ultrajectinorum tributum, [g] illud tamen æris extra ordinem collectum) Gallum juverint. Nec ſua ſervaſſe & ab octo menſibus pertinaci, contrà brumæ quoque rigorem, Coverdæ obſidio, hoſtem eumque Verdugum Ducem veteranum, tùm & parvo impendio depuliſſe contenti, Groningam, principalem Friſiorum urbem, pariter obſidio preſſam, deditione miti & ſalutari receperunt. Quæ res quantam parti Fœderatorum lætitiam crearit, res ipſa docet, tùm verò & Reidanus teſtatur. Dehinc in Tranſrhenanis partibus [h] bellum ſtetit. Stiterunt & victoriarum [i] Mauritii curſum auxilia militum in Galliam miſſa. Horum uſus foris incommoda domeſtica non penſavit [k], quamvis duces, Henricus Turrius Bullionius Turenæ Vice-Comes, nova id temporis Mauritii, cujus ſororem Eliſabetam conjugio ſibi junxerat, affinitate lætus, & Philippus Naſſavius rem fortiter, nec ſine ſucceſſu [l], gererent. At enim tunc exardeſcentes in quatuor locis militis ſeditiones, ut Hiſpani vires & conſilia diſtraxerant, ita Fœderatis difficili tempore inſperatam ſalutem attulerunt. Memorabilis hæc tempeſtas fuit ſingulari numinis, qua Viros Principes curaret, providentia, cùm parricidarum molimina vel auſus Scotorum [m], Anglorum, Gallorum [n] & Belgarum [o], & apud hos quidem pluries, capita appetentes, eluſit & eliſit. Ut taceam paulò ante ſubmiſſum Guilhelmo Naſſavio percuſſorem, & inſidias ab Eduardo Badenſi agnato Erneſto ſtructas. Belgas Regios inter hæc Erneſti Auſtriaci, qui tot Imperatorum ſanguis [p] à gravitate & modeſtia morum commendabatur, adventus in novam lætitiam & optatæ ſpem quietis erexit. Erneſti ſpem potiundæ Hiſpanæ, & per hanc Galliæ, Henricus Romana inſtitutione ſuſcepta præ-

[a] Reidan. ad 1593. [b] Serres ad 1594. Petav. R. T. 1. p. l. 9. c. 13. [c] Serres ad 1594. Reidan. Ann. 11. ſub fin. Grot. hiſt. 3. p. 273. [d] Petav. l. d. [e] Serres & Camden. ad 1595. [f] Reidan. ad 1593. [g] Reidan. ad 1594. initio. [h] Grot. hiſtor. 3. p. 277. [i] Reidan. ad 1594. [k] Reidan. ibid. Grot. l. d. p. 279. [l] Reidan. ad 1594. [m] Camden. ad 1592 & 1594. [n] Serres in Henr. 4. [o] Reidan. Annal. 11. pag. 274. 298. Grot. hiſt. 3. p. 272. & ſeqq. [p] Grot. hiſt. 2. p. 256.

vertit

vertit & præcidit, (a) paulò poſt eo rebus & curis humanis exemto. Studia ejus pro pace Fœderatis ingrata, quia ſuſpecta erant. Nec meliori fortunâ excepta Croi Arſchotani, primæ inter Belgas dignitatis & generoſi Principis, cordata pro pace redintegranda deductis Belgio Hiſpanis conſilia, quibus patriam, ejus tamen amore, glorioſe poſtpoſuit, & hanc potius, quam ſtudium ejus pacandæ, relinquens, magnorum Virorum exemplo in voluntarium exſulium ad Venetos ivit. Et flagrabant quidem in pacem cunctorum Ordinum Belgicæ animi: ante alios tamen Crojorum Domus: è qua Haurejus Marchio ad Jacobum Maleræum ſuæ quondam Domûs partem, tunc Mauritii in Aula florentem, literas miſit, affectûs ſui indices, ut Grotius (b) adnotat. Sed hæc omnia fruſtra fuêre, quamdiu Hiſpanus miles Belgicæ & vicinæ incubuit. Belgæ inter ſe alioqui non difficili negotio coaluiſſent. Sed Hiſpanorum pars odio, pars metu, pacis ſtudia reſpuebant. Inter hæc enatas inter ſe diſcordias Fœderati, ſed & turbas Embdanas compoſuerunt, ne dubiis rebus ſuis, in vicinia belli incendium oriretur. Hoc in Clivenſi & Juliacenſi ditione præſtare non poterant, potentibus Principibus Joachimo Friderico Electore Brandenburg. & Philippo Ludovico Palatino Neoburgico (quorum uterque Joanni Guilhelmo Duci Cliviæ inclinanti affinitate junctus erat) opimam ſucceſſionem ad ſe trahentibus. Ambigua id temporis fortuna belli inter Gallum & Hiſpanum geſti fuit, niſi quòd hic inſignis victoriæ apud Dorlentium, iſtiuſque oppidi in confiniis Picardiæ natura & arte munitiſſimi, tùm Cameracenſis (quæ una ex primariis Gallicæ Belgiæ urbibus) duce Fontano potitus fuerit. Varia equidem tunc belli fortuna & alibi terrarum fuit. Ac primum illius Ungarici inter duos Imperatores Rudolphum & Amurathem geſti. Anno namque, quo Cometes luxit, geminam victoriam Rudolphus reportavit, & Fillecum, Zabaticam, Devinam multaque alia loca paucis diebus occupavit, Siſſecum tamen nuperrimè defenſum, Veſprinum & Palottam amiſit. Iterum tamen anno proximo Novigradum, Breſenzam & alia loca in poteſtatem redegit. Anno denique nonageſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum Moldaviæ & Valachiæ Principes Tranſylvani (erat is Sigiſmundus Bathoreus) fidem ſecuti, ſuſcepto adverſùs Turcam bello, non exiguum Cæſaris, qui eos in ſocietatem belli adſumſerat, partibus addiderunt momentum. Capta Babotzca, Strigonium, Archiepiſcopi Sedes, Viſſegradum arx munitiſſima Budæ imminens, aliaque perquam plurima loca. Victoria etiam ad Strigonium & in Valachia parta. Jaurinum tamen amiſſum, & parta non exiguo ſanguinis conſtiterant impendio. Inter hæc auſpicante anno nonageſimo quarto ſupra milleſimum quingenteſimum, pax inter Suecum & Moſcum, Cæſare & Polono conciliante, compoſita eſt. Hanc alia exceperunt togæ & lætitiæ documenta. Sigiſmundo id vocabulum Tertio avitum Sueciæ diadema impoſitum. Erneſto Auſtriaco Belgii præfectura ab Hiſpano, alia aliis à Cæſare in Conventu Imperii, collata fuère. Venio tandem ad nuptias & natales Principum, illuſtria id temporis lætitiæ argumenta. Anno quo Cometes luxit, & ab ejus quidem apparitione (nam quæ eam præceſſerunt, hujus generis ſupra vidimus) Mauritius Heſſus Agnetem Solmenſem: proximo Joannes Sigiſmundus ille Brandenburgenſis Septemvir, Annam Alberto Friderico Brandenburgenſi, Duce Boruſſiæ, ſuo patruo Magno & Mariâ Eleonorâ Clivenſi & Juliacenſi genitam uxorem accepit. Hanc qui excepit annus, plures vidit nuptias. Sigiſmundus Tranſylvaniæ & Valachiæ Princeps Mariam Chriſtinam Auſtriacam, Maximilianus Bavarus Eliſabetam Lotharingam, Joannes Georgius Anhaltinus Dorotheam Palatinam, Chriſtianus frater ejus natu minor Annam Benthemenſem, Henricus Bollionius, ut diximus, Eliſabetam Arauſionenſem, Philippus Hohenlojus Mariam Eliſabetæ ſororem, Georgius Eberardus Solmenſis Sabinam Egmondenam connubio junxit ſtabili. Natalem cum Cometa communem habuit, Joachimus Sigiſmundus Saxo-Laoburgicus, Chriſtianus Anhaltinus, Carolus Fridericus Olſnenſis, Eliſabeta Brunſuicenſis & Barbara Wirtembergenſis. Proximum Henricus Fridericus Scotus, quem vidimus, Fridericus Palatinus, Joannes Georgius Holſatus, Joannes Erneſtus Saxo, Otto Heſſus, Franciſcus Carolus Saxo-Laoburgicus, Fridericus Badenſis & Magnus

(a) Reidan. ad 1593. Grot. hiſt. 2. p. 257. & 4. p. 294. (b) Hiſt. 4. p. 295.

Wirtem-

Wirtembergenſis, Ludovica Juliana Palatina. Sequentem Vladiſlaus Quartus Rex Poloniæ Glorioſiſſimus, Georgius Guilhelmus Sereniſſimi Electoris Brandenburg. pater, Joachimus Erneſtus Dux Holſatiæ, Joannes Wilhelmus Saxoniæ, Georgius Rudolphus Lignicenſis & Bregenſis, & Catharina Sophia Palatina, Sereniſſimi Electoris Brandenburg. matertera, Virgo annos virtutibus adhuc feliciter prorogans.

CCCCIII. *Anno Chriſti* 1596. 9. *Julii circa primam noctis Cometa barbatus, in plaga mundi Septentrionali, inter ſtellas Urſæ Majoris in Horizonte Francofordiano cis Viadrum, primùm à quibuſdam literatis conſpectus eſt, qui motu ſuo paulatim progrediens ad poſteriores partes dictæ Urſæ pervenit. Mox etiam princ. Leonis attingens in pede poſteriori ſequentibus diebus, ut aliqui volunt, viſus eſt. Caput Cometæ colorem Saturni planetæ retulit: cauda à capite in oppoſitam Solis partem verſus polum Eclipticæ verſus meridiem extenſa fuit, ac deinde paucos poſt dies evanuit. Poſt hunc Cometam eodem anno non ita multò poſt Agriæ, caſtrum munitiſſimum, in ſuperiori Pannonia ſitum, à Turcis poſt multiplicem oppugnationem (ſtratagematibus variis tentatis) à* 10. *Octobris uſque* 13. *ejuſdem menſis & anni (cum præter omnem ſpem noſtrates diutius præſidiis & auxilio Chriſtianorum deſtituti erant, quique propter cæli inclementiam adventare celerius non potuerunt, deditione à Chriſtianis cum gemitu facta) circà meridiem dicti diei occupata eſt, fide tamen prius datâ à Turca noſtris militibus fore, ut ſalvi ad ſuos redirent, qui tamen, ut hoſtis perfidus, poſtea promiſſis non ſtetit. Cum enim noſtri milites non procul cum capitaneis ab Agria occupata à Turcis abeſſent, in itinere à Turcis & Tartaris miſerabiliter cum magnâ multitudine eos inſequente ſunt ſpoliati & interfecti: Capitaneis ipſorum, Domino videlicet Niceri Paulo, Dn. Terſki, Dn. Coloran Italo ac Dn. Kinſki ad Turcici Imper. tentorium tanquam captivis perlatis. Deus Eccleſiæ ſuæ miſereatur & faciat ut in filio, quemadmodum ipſe precatur, unum ſimus, ac contra Turcici tyranni barbariem & crudelitatem eccleſiam ſuam defendat! aliqua halcionia nobis præbeat, quò incorruptam Euangelii doctrinam alios docere & diſcere poſſimus, ad gloriam nominis ſui, & ſalutem multorum!* Rockenbachius.

Anno Chriſti 1596. *arſit Cometa, qui peragravit Cancrum, Leonem & Virginem, animadverſus ſub ore Urſæ majoris, feſtinavit ad comam Berenices. Quid eo & ſequenti anno acciderit, legatur in Chronologia Bucholzeri.* Eckſtormius.

Anno Chriſti 1596. *Joſephus Bonſilius in hiſtoria Sicula parte* 2. *lib.* 10. *ait viſos ſub Urſæ Majori in ſigno Virginis duos Cometas, quibus ſubſecutam fuiſſe ſiccitatem ac terræ motum in Aſia. At Keplerus in Phyſiologia Cometarum pag.* 120. *inquit, ex Cancro progreſſum hoc anno Cometam, & in fine de directo evaſiſſe ſtationarium quoad longitudinem, flexo itinere ad gr.* 4. *Virginis. Claſſis Anglicana Hiſpanam ad Gades incendit, Matthias Auſtriacus vincitur à Mahomete.* Ricciolius.

NOtat hunc Cometen & Alſtedius, ſed nullas ejus circumſtantias, eventus verò, ut & illorum anni 1577 & 1585. in genere tantùm adnotat; Rockenbachio hic Cometes eſt ultimus numero, ut puto 198. Ego ſane Viri illius diligentiæ non parum debeo. Alicubi eum lapſum eſſe nec miror, nec ægre fero, humanæ imbecillitatis, cui pariter ſubjaceo, memor. Benè eſt dum quiſque agit pro ſua virili egregii publici ſtudio. Non alia unquam mihi mens fuit vel erit. Arcis illius à Turcis occupatæ, Bucholzerus, Calviſius & Piaſecius meminit. Hujus jacturam Cliſſa & Vacia capta, tum Victoria de Achmete Baſſa Temeſvarienſi obtenta penſavit. Cæterùm hæc & ab (a) Hiſpano Ardea & Hulſtum, à Gallo Fera & Maſſilia, ab illo etiam Caletum Galliæ Belgicæ, ab Anglo Caletum Andaluſiæ (ita Gades Bucholzerus vocat, quanquam incendium navium hîc factum, & Gadium occupatio Cometæ apparitionem paullùm (b) præceſſit, & aliunde (c) profectò, quàm à Cometa excitatum fuit) capta ante Cometam, orta bella portenderunt. Hæc porrò non Cometæ ſed vitia humana

(a) Reidan. annal. 13. Grot. hiſtor. 5. Piaſec. ad ann. 1596. (b) Camden. ad 1596. p. 669. Reidan. pag. 340. Grot. hiſt. 5. p. 364. (c) Camden. ibid. pag. 666, 667.

excitant, ut toties dictum & demonstratum. Reidanus Gaditana Anglorum expeditione descripta, eadem tempestate Cometen de cælo in occasu æstivo Belgis fulsisse, conspectumque etiam Gadibus esse scribit. Sed ipse superius naves Hispanis Kal. Quintilibus ab Anglis, postridie reliquas ab ipsis Hispanis exustas esse ait. Idem Camdenus & Grotius putat. Bucholzerus in 28 Junii St. Nov. refert. Calvisius mense Junio accidisse notat: Eckstormius hujus Cometæ eventus apud Bucholzerum nobis indicat. Morem itaque ei geremus. Non paucis exemplis, quàm perpetua sit, & hoc anno ante & post Cometam apparuerit lætorum & tristium vicissitudo, probatum illa quoque inter duos Imperatores, & Hispanum, Gallum & Anglum gesta, quæ innuimus, commemorat. Sed & innocua addit gaudia. Splendidissimum Alberti Austriaci in Belgium præfecti nomine ingressum: Christiani IV. (Fridericum Reidanus (*a*) vocat) Regis Danorum Glorioſissimi inaugurationem, tàm lætam quàm magnificam & munificam (*b*), ejus sororis Augustæ cum Joanne Adolpho Holsatiæ duce & Archiepiscopo Bremensi, tùm & Philippi Ludovici Hanoviæ Comitis cum Catharina Arausionensi nuptias. At enim aliquot Principum funera recenset. Ita est, sed & natales. Illa sunt Annæ Reginæ Poloniæ, Ernesti & Augusti Holsatorum, Bernardi Anhaltini & Andreæ Episcopi Uratislavienſis à viso Cometa, ante hujus apparitionem Philippi Brunsuicensis, Georgii Hessi, Friderici 4. Lignicensis & Ulrici Mecklenburgensis. Hi verò: Friderici V. Electoris Palatini 16. August. & triduo post Elisabetæ Britannæ conjugis ejus, tùm Joannis Casimiri Anhaltini (qui Serenissimi Joannis Georgii Principis nostrum seculum virtutibus & factis egregiis exornantis pater fuit) & Elisabetæ Hessæ. Hæc sola ante Cometam nata. Reliquis addemus plures, qui lucem hoc anno, & à viso quidem Cometa, ne & hîc inferiores numero simus, viderunt. Rudolphus Maximilianus Saxo-Laoburgicus die 19. Julii, Philippus Badensis die 30 Decembr. Hermannus Fortunatus ejus agnatus, Joannes Saxo, & Augustus Wirtembergensis, quo mense nati sint, non invenio. Hîc mihi attexendi natales proximi Cometæ natalibus priores Joannis Philippi, Friderico Wilhelmo Duce Saxoniæ geniti, & Annæ Wirtembergensis. Eckstormius anno à Cometæ *nostri* apparitione proximo annonæ caritatem & pestem grassatam fuisse adnotat. Sed talia sine Cometis frequenter evenire & non necessariò ad eos referri, nisi eodem jure & abundantia rerum & aëris salubritas referatur, toties demonstravimus. Postquam itaque & Eckstormio satisfecimus, res hoc anno gestas paucis prosequamur. Gallus hoc anno extrema regni, qua Hispaniam & mare Adriaticum respiciunt (*c*), fidem Guisiorum adhuc tutò sequentia, feliciter in officium redegit. Cum Britanniæ verò Regina fœdus contrà communem hostem inivit (*d*), admissis Belgis (*e*), sed Scoto præterito, qui tamen primus ejus motor Anno 1594. fuerat. Caleto & Hulsto expugnationem (*f*) incuria portendit & attulit. Nec desunt alias ejus generis errores, qui vel urbibus vel Principibus exitium adferunt, nisi quòd horum multi ævi maturi imò & saturi excedant. Quod hâc quoque tempestate cum vero convenire, res docet. Et tamen omnia Cometis imputare mos est. Lætum illum annum Belgicæ Regiæ (*g*) & adventu Alberti Archiducis genium, studia & spem pacis optatæ ferentis, & propitiâ magis fortunâ fuisse comperio. Distractæ nempe Fœderatorum Belgarum, Galli & Britannæ gratiâ, vires, incommoda illa, quæ indicavimus, prudentibus portenderunt, Reidano & Grotio testibus. Fortiter inter hæc & prudenter (*h*) rem Mauritius nec sinè successu egit. Et Gallus duce Bironio egregiam de Warembonio capto (*i*) & Cujacensi fugato victoriam retulit. Nec inter turbida belli, regendi artes & literæ neglectæ, Leidensi Academia (*k*) Clarissimorum Virorum ingeniis expolita. Sed nec Hispano, licet tertia (*l*) maritimarum virium parte Gadibus amissâ & alioqui diminutis opibus, vel animus vel vis ad acriter urgendum bello Gallum defuit, quod facta, quæ diximus, testantur, manifesto documento, quod & aliàs observatum, Hispanum mari parùm felicem, nunquam tamen victum fuisse. Hîc mihi etiam re-

(*a*) Annal. 12. pag. 353. (*b*) Reidan. ibid. (*c*) Serres in Henrico 4. ad 1596. (*d*) Reidan. ad 1596. p. 337. Grot. hist. 5. p. 373. & seqq. (*e*) Reid. Ann. 11. p. 283. (*f*) Idem ad 1596. p. 336. Grot. hist. 5. p. 348. (*g*) Grot. hist. 5. initio. (*h*) Reidan. pag. 342. (*i*) Idem ad 1596. Grot. hist. 5. pag. 380. (*k*) Grot. hist. 5. pag. 377. (*l*) Reidan. l. d. p. 338. Grot. hist. 5. p. 367. Vide Camden. ad 1596. p. 675.

ferenda

ferenda eſt memorabilis Mauritii, ineunte anno proximo ante Cometæ apparitionem, obtenta victoria ad Turnholtum, cujus deditio extemplò ſecuta eſt. Sed hanc jacturam intercepta ex inſidiis metropolis Picardiæ Ambianum penſavit. Antequam ulterius progrediar, conveniens & utile puto addere epiphonema, quo Rockenbachius, quem adhuc inter alios ducem in componenda Cometarum hiſtoria ſecuti ſumus, hoc argumentum concludit. Eſt autem tale: *Ex his prodigiis atque oſtentis, jam breviſſimâ inductione quaſi omnium Cometarum enumeratis, quantum lectio hiſtoriarum ſuppeditare potuit, ſequitur, Cometas eſſe ſtellas ſecundas, ex commixtione & operatione ſuperiorum Planetarum ortas, utpote qui motum ſuum aliquandiu in Sphæris æthereis habent, prout generatio ipſorum vel ex materia denſa vel debili aut tenui conſtat. Ac quemadmodum elementa inferiora peculiares ſuas generationes & proprias quidem per operationes ſiderum habent: ita Cometæ ſunt fructus quaſi cæli & Planetarum ex materia elementari in cælum ſublati. Quemadmodum autem cælum ſecundum totum & partes rotundum eſt: ſic quoque Cometæ corpora rotunda, rara, tranſlucentia, minus compacta, non fixa, ut ipſæ ſtellæ habent. Ideò quoque ipſorum corpus paulatim attenuatur, decreſcit & minuitur, tandemque in totum evaneſcit. Credibile quoque eſt, plures Cometas ſæpius apparuiſſe, præſertim verſus Meridiem prope Zodiacum, quemadmodum plerumque circa medium cæli Planetæ curſum ſuum habent, quàm quòd ab aliis annotati ſunt hodie hiſtoricis. Quemadmodum igitur Cometæ per omnes partes cæli egrediuntur, ſic quoque Planetarum operatio, quæ aliàs univerſalis eſt, totumque mundum reſpicit, per Cometas particularis fit, inque loca mundi etiam extrema; ut quidquid Planetæ unà cooperati ſunt, effectus ipſorum monſtret. Atque ita Cometæ, partim cauſæ, vel quaſi concauſæ operationis Planetarum ſunt, partim ſigna vel præcones mutationum, quæ in mundo hoc inferiori evenire plerumque ſolent. Deus itaque iratus mundo tunc temporis, & ejus interitum minitans, pœnitentiâ atque innocentiâ vitæ placandus eſt, orandusque æternus Pater, Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſua interceſſione Patris iram mitiget, cor novum in nobis creet, fidem augeat, ſuamque Eccleſiam, quam proprio ſanguine redemit, ab omnibus Satanæ inſidiis in æternum protegat. Amen!* Piè & verè omnes officii Rockenbachius, ut & paulò ante ad concordiam admonuit. Sed talium non eſt capax ſeculi genius. His pauca addere liceat, ſolius veritatis, quam ubique ſector, ſtudio. Cometas eſſe ſtellas Phavorinus & Artemidorus dicere non dubitarunt. A Gellius l. 14. c. 1. & Seneca lib. 7. Nat. Quæſt. c. 13. Hoc, ſi Epigeni apud Senecam l. d. c. 3. contra Apollonium Myndium credimus, Chaldæi dicere non ſunt auſi. His accedit Milichius, qui Cometas nec ſtellas fixas, nec errantes, quas vulgò Planetas vocamus, eſſe, in lib. 2. Plin. c. 25. contendit, his præcipuè nixus argumentis, quòd Cometæ conſumantur, & ſint halitus in aëre accenſus. At enim Cometas non conſumi, ſed occultari & ſe ſubducere multis, æthereos verò eſſe pluribus placet. Cometas ſtellas crinitas vel barbatas dici frequens eſt. Et certè ſtellæ meritò dici poſſunt, (quod probabile eſſe Gaſſendus (*a*) ex Seneca demonſtrat) ſaltim extra ordinem apparentes. Clariſſimus Vir Hevelius Planetas Spurios vocat, eorumque originem ad Planetas refert. Atque hæc jam ſententia apud magni nominis Philoſophos Cabæum, Fromondum, Telleſium, Kircherum, Bullialdum, Schulerum alioſque obtinet. Hanc ut probabilem Galilæus contra Sarſium aſſeruit. Nec repugnat ſententia Rockenbachii, niſi quòd Cometas non per excretionem, ſed per operationem Planetarum conflari ſtatuat. Sed de his judicium ferendo quiſque libertate Philoſophicâ fruatur, & quod ſecundùm rationem ſibi videtur, in medium proferat aliiſque dijudicandum proponat, ubique modeſtus, nuſquam moleſtus. Alioquin eum in Senatu noſtro Philoſophico locum non habere, eadem illâ libertate Philoſophica, à qua omnes ſtant boni, pronuncio. Sed de his ſatis.

(*a*) Cap. 2. de Comet. ſub fin.

CCCCIV. *Anno Chriſti* 1597. *Cometes viſus, de quo Antonius Santutius, menſe Julio ante diem* 16. *& duravit ad diem* 9. *Auguſti.* Ricciolius,

VIginti & quinque diebus Cometen hunc manſiſſe idem Ricciolius (*b*) ait. Nil præter ea de hoc phœnomeno apud eum in hiſtoria Cometarum vel alios Au-

(*b*) Almag. Tom. 1. part. 2. l. 8. ſect. 1. c. 3.

ctores,

ctores, qui mihi sunt, invenio. Infra tamen l. d. c. 20. de eo uberius agit. Multa felicia, læta & salutaria hunc Cometen secuta sunt: sed & contraria (*a*) his, quæ est perpetua rerum humanarum vicissitudo. Nos illa ex instituto, hæc ex occasione quàm brevissimo stilo prosequemur, metam & quietem anhelantes. Non improsperè res hôc & proximô annô Cæsari Hungariam contra Turcicam invasionem tuenti cessit, (*b*) & loca (quæ inter Jaurinum eminet) quædam recuperata. Gallus pari fortunâ in recipiendo Ambiano (*c*), in domando Sabaudo (*d*), Mauritius in capiendis Berca, Alpa, Mursa aliisque locis, quæ ab ortu Rheno amni jacent, usus est. Inter hæc artes pacis hîc illîc tàm cum laude, quàm cum successu exsertæ. Illam Rudolphus Cæsar, Sigismundus Poloniæ, & Christianus Daniæ Reges (*e*) pacem apud Ordines Fœderatos & Reginam Britanniæ conciliare studentes, meruerunt. Hunc ipsi Ordines (*f*) domestica Groningensium & Omlandorum, tùm & sua cum Zelandis dissidia componentes consecuti. Non fraudandi laude debitâ, qui id temporis pacem inter Gallos, Hispanos, Britannos & Belgas componere studebant. Sed horum studiorum fructum, solus ex Fœderatis Gallus, pace ad Vervinum honestâ & utili cum Hispano redintegratâ, præripuit. Camdenus (*g*) ipse, etsi à partibus Elisabetæ, pacem illam quasi fœderi secum inito inimicam dissuadentis, steterit, merito tamen & publico bono Galliæ factam ab Henrico fuisse agnoscit. Et paulò infra: *Cæterum*, inquit, *pace confectâ, Gallus bellicâ gloriâ hactenus cumulatissimus; pacis studiis jam totus defixus, rem Gallicam intestini belli tempestatibus multos annos præcipitatam ita excitavit, Religionem cum Romanam tùm Reformatam sublevando, jura restituendo, bonas literas fovendo, commercia revocando, & regnum ædificiis exornando, ut omnes retrò Galliarum Reges longo intervallo superaverit & Henrici Magni agnomen retulerit.* p. 710. in fine. Serres qui vitas Regum Galliæ hoc illustri pacis monumento & gaudio publico in Philippum 2. Hispaniæ Regem pariter redundante finit, operique egregio coronidem coronâ oleaginea imponit, sociam hanc lætitiam illius (*h*) ex reducta ad fidem & concordiam Britannia Aremorica facit. Nihil eum partium studio vel adulationi sed publico bono dedisse, Camdenus, quem audivimus, docet. Nec aliud Reidanus (*i*): *Henricus quamvis gnarus collapsas hostium vires, ac tristem statum Mendozæ, quas legerat, literis, prodentibus, maluit sine sanguine, sine impendio, potiri tot urbibus, ac regnum quiete componere, quam victoriarum, etsi bonam, incertam tamen spem sequi.* Paulò post pluribus necessitate justâ Regem apud Fœderatos pacem excusasse deducit. Sed & Hispanum extremâ necessitate ad pacem, Caletensis portûs ad oppugnandos Britannos & Belgas, ac subducendis classibus commodissimi, & aliorum locorum in Picardis & Britannis, quot nunquam Carolo Quinto parenti ejus possessa fuerunt, maximo impendio, redimendam coactum fuisse asserit. Idem tamen gravibus de caussis Fœderatos Gallo pacem (*k*) per Justinum Nassovium vicario jure apud Zelandos mari præfectum, & Joannem Oldenbarnefeldium Hollandiæ Advocatum, & hâc ab eo compositâ, eandem Elisabetæ dissuasisse, quod paulò ante apud eandem per Warmontium & Collegas fecerant, idemque per Oldenbarnefeldium, Warmontium alioque apud Reginam ursisse, docet. Urgebat rem hanc acriter & cum admiratione (*l*) Reginæ Oldenbarnefeldius, *Vir patriæ Reipublicæ scientissimus, ac proinde eâ auctoritate quantam quis summam ope ingenii atque industriæ in libero populo consequi possit*, ut Grotius (*m*) ait. Nec alia huic ipsi mens est, quam (*n*) demonstrare & Fœderatos gravibus de caussis Gallum ac Britannam à pace avertere, nec ipsos eam inire voluisse, & Gallum tàm necessitatem pacis Hispanicæ excusasse, quàm amicitiæ Fœderatorum instituisse, nec tantùm eorum caussæ favisse, sed &, solis armis exceptis, eandem, ut fit, fovisse. Inter hæc turbida Hispanus fatum in vicinia suum videns (quod etiam (*o*) eum ad componendum cum uno hostium, eoque tàm ob potentiam vicinam præ cæteris metuendo quàm ex ratione communium Sacrorum demerendo, bellum, & hinc saltim pacatum regnum filio adolescenti relinquendum

(*a*) Reidan. Annal. 14. fine. (*b*) Bucholzerus & Piasecius ad ann. 1597, 1598. (*c*) Camdenus, Reidanus, Serres & Grotius ad eundem annum. (*d*) Serres ad 1597. (*e*) Reidan. ad 1597. pag. 372. Grotius ad eundem annum. (*f*) Reidanus ad 1597. pag. 372. Grot. (*g*) Ad 1598. pag. 709. (*h*) Reidanus ad 1598. pag. 407. (*i*) Ibidem. (*k*) Ad ann. 1598. p. 398, 414. & seqq (*l*) Reidanus ad 1598. pag. 445. (*n*) Ibid. à pagina 445. ad 455. (*o*) Reidanus ann. 15. initio. Grot. hist. 6. p. 418.

permo-

permovit) filiæ Isabellæ nuptias cum Alberto Archiduce moliebatur. Id etiam paulò post effectum datum est, acceptâ ab Alberto (*a*) in dotem Belgica, Burgundiâ & Carolesii ditione, & depositâ purpuratâ & episcopali, quâ indutus erat, dignitate. Idem temporis Margaritam Austriacam Caroli filiam, Ferdinandi II. Sororem Philippo (*b*), cui nomen Tertio factum est, Sponsam duci vidit. Alberti & Margaritæ præsentium, Philippi verò & Isabellæ absentium fœdus matrimoniale Pontificis Romani auctoritate Ferrariæ firmatum, omne gaudiorum solemnium genus Italiæ peperit. Anno superiori, qui Cometæ nostro natalis fuit, decurrente, Christianus IV. qui regendi artes apud Danos cum juvenilibus annis magis magisque cum laude explicabat, Annam Catharinam Brandenburgicam, novem Electorum sanguine, formâ & moribus commendatissimam matrimonio sibi copulavit. Et Philippus quidem ex Margarita filiam, cui Annæ Mariæ nomen inditum erat Anno hujus seculi primo, XXII. Septemb. post quatriduum nato futuro ejus conjuge Ludovico XIII. (ita & hîc tantis exemplis conjugum natales concurrere videmus) Christianus verò currente dehinc biennio cognominem filium ex Anna Catharinâ suscepit. Et sanè felix & ferax illa tempestas horum gaudiorum fuit. Anno eodem, quo Cometes conspectus, Carolus Emanuel (*c*) Lusitaniæ Princeps Æmiliam Arausionensem, proximo ineunte ſ ororem ejus Carolam Claudius Tremolius Tuartii dux, Ludovicus Hessus Magdalenam Brandenb. Sequenti Henricus Lotharingus (*d*) Catharinam Borboniam Henrici IV. ſ ororem, Joannes Wilhelmus Clivensis Antoniam Lotharingam, uxorem accepit. Inter hæc natalem annum cum Cometa communem, & ab istius quidem ortu, Joannes Brandenburgicus octo Electorum sanguis, Fridericus Holsatus Serenissimi Christiani Alberti pater Glorioſissimus, Joannes Saxo patri cognominis, Elisabeta Carolota Palatina quatuor Electorum, lineâ rectâ à Stephano progenitore Ruperti Palatini Imperatoris filio ductâ propago, Serenissimi Electoris Brandenburgici mater, & Hedvigis Maria Saxo-Laoburgica, habuerunt. Proximè hos Christianus Palatinus, Wilhelmus Saxo cum fratre gemello anonymo, Franciscus Albertus Saxo-Laoburgicus, Georgius Aribertus Anhaltinus, Carolus Badensis, Anna Sophia Saxonica & Anna Sophia Brandenburgica secuti. Decursum seculum natales Friderici & Alberti Saxonum, Christiani Anhaltini, & Mariæ Eleonoræ Brandenburgicæ Reginæ Sueciæ clausêrunt. Præsens auspicati sunt (nam & hæc exiguo discrimine à Cometa nostro absita ad eum referre, eorum præsertim qui etiam decadas annorum Cometæ imputant, gratiâ licet) ut qui nuptias felices celebrarunt, ita qui vitalem auram haurire cœperunt. Illi sunt: Ferdinandus 2. Imperator cum Maria Anna Bavara, & Henricus IV. cum Maria (*e*) Medicea, ille Augustissimi Cæsaris, hic Christianissimi Regis avus, quos Carolus Austriacus Sibyllâ Juliacensi ductâ secutus est. Hi: Carolus Magnæ Britanniæ Rex, viventis pater non minus morte atrociſſima quàm vitæ & fortunæ vicissitudine glorioſissimus, Joannes Wilhelmus & Joannes Fridericus ac Joannes Georgius Saxones, Fridericus Mauritius Anhaltinus & Mauritius Hessus, patri cognominis. Hos exceperunt Christianissimi Regis Ludovici XIV. parentes, Mauritius Palatinus, (pro quo Fridericum fratrem ejus natu maximum, quem Anno 1596. natum, testibus Bucholzero, Calvisio, Rittershusio, Auctore 14. tabb. genealog. vidimus, Piasecius ponit, falsus hactenus vates) Ernestus Saxo, Henricus Woldemarus Anhaltinus, Sophia Hedvigis Saxo-Laoburgica, & Dorothea Saxonica. Hæc ex industria attuli, ne quis Cometa viso Fridericum Palatinum, Alfonsum Ferrariensem, proximè Philippum 2. Joannem Georgium Electorem Brandenburgicum, Richardum Palatinum, septuagenario majores, alioſque Principes id temporis fato functos miretur. Ut taceam quibusdam & temeritatem accersere & portendere fata. Hoc inter alios Robertus Ebroicus Comes Essexiæ (*f*) gratiæ apud Elisabetam Reginam nimius, eâ ad contumaciam & invidiam abusus, & tàm officii negligens quàm ambitioſus, ab excelſo fortunæ fastigio in ferale pegma & infelicem truncum dejectus.

(*a*) Grotius hist. 6. p. 431. Piasecius ad 1598. (*b*) Grotius hist. 7. p. 473. Piasecius ibid. (*c*) Reidanus ad 1597. Grotius hist. 6. p. 428. (*d*) Reidanus ad 1599. Grotius hist. 6. p. 426. & seqq. (*e*) Piasecius ad 1599, 1600. (*f*) Camdenus & Reidanus ad 1601.

Is ſimul gratiâ Principis, ut igne, utendum, exemplo ſuo docet, quamvis Regium genus, genium, vultum ſpiritumque, ſingulari favore populi, ferret. Hunc, cujus pietatem officii in mortis articulo memorem (*a*) irriſerat, Gontaldus Bironius Dux, ut meritorum ita & arrogantiæ, & ad perfidiam quidem (quæ niſi nefariis excidiſſet auſis, Ludovicos, patrem JUSTUM, filium BONUM, Reges Clariſſimos ac Glorioſiſſimos ætas noſtra non vidiſſet,) nimius, ſimili fati viâ intra annum ſecutus eſt. De utroque prudenter, qui ejus mos, Grotius (*b*): *Unum intrà biennium Viros duos, Angliæ Galliæque ſub Regibus ſuis Principes, ambitio miſerabili fine abſumſit: ſed Eſſexii, ut conatus excuſatior, ita mors placida & quieta: Bironium conceptum animo ſcelus & cæleſtis vindicta eouſque perſecuta eſt, ut ſuprema quoque mixtus impietati & furori exceperit.* Sed ut ab exiguo, utili tamen in publicum diverticulo in viam redeamus, bellum inter Pontificem Romanum (*c*) & Cæſarem Eſtenſem, ab Alfonſi defuncti patrueli Alfonſo ante matrimonium genitum, de ampla Ferrarienſis Ducatûs ſucceſſione, illo jus directi dominii, hôc, jus non injuſtum (*d*) hæreditatis in argumentum cauſæ adferente, Anno 1597. ortum mox facilitate Cæſaris componitur. Ita & ibi pax coaluit, ut & in Friſia Orientali (*e*) auctoritate Ordinum molitionibus Etſardi Comitis intercedente. Publicam Galliæ pacem domi foriſque partam & firmatam privata illa Reformatorum, magna tamen publicæ pars, excepit. Hæc etiam cum Sabaudo, inter quem & Gallum de Marchionatu Saluſſiæ controverſia in bellum eruperat, paulò poſt compoſita. Sed dum ita hîc pax è turbis belli emergens efflorescit, alibi terrarum illæ vel veteres vigent, vel novæ oriuntur. Illas Hungaria & Belgium, has Suecia & Clivia vidit & ſenſit, fortunâ, ut fit, ambiguâ. Hungaricas turbas jam olim inſatiabilis arrogantia hoſtis vicini, Tranſylvanicas inconſtantiâ (*f*) Sigiſmundi Batoræi, Belgicas negata contrà æquitatem, Suecicas (quæ Rempublicam Polonam diuturno & noxio bello involverunt) arrogata à Sigiſmundo (*g*) contrà jus, Sacrorum libertas, & utrobique gravis incolis externi militis potentia (*h*), Clivenſes alieni cupiditas (*i*), Germanico ferro vindicata, ſicut & illud bellum Sabaudicum pacis Vervinenſis leges non bonâ fide (*k*) à Sabaudo ſervatæ, portendêre. Hungaricos ſucceſſus ſupra indicavimus. His defenſum 1598. Varadinum, fortiſſimum adverſûs Turcas propugnaculum, occupata 1601. Alba Regalis & victoria de hoſte parta adjungenda. In Belgio Mauritius dedito ſibi Andreano (*l*) caſtello omnium munitiſſimo, & bellicis operibus inſtructiſſimo, ſuperioris biennii victoriarum fructum Hiſpanis extorquet, & inſignem victoriam (*m*) de Hiſpanis hoc ſeculo ineunte ad Neoportum reportat, variaque (*n*) loca occupat. Hîc etiam mihi ponenda ſunt Principum auſpicia: Philippi nempe id vocabulum Tertii in Hiſpaniis Anno 1598. proximo Alberti & Iſabellæ in Belgio, Philippi Arauſionenſis in paterno principatu, anno denique hujus ſeculi primo Chriſtiani 2. in Electoratu Saxoniæ. Niſi & verbo dicam ultimum decurſi ſeculi annum Dei beneficio nuperam annonæ caritatem largiter penſante per totam Europam fuiſſe fœcundiſſimum, ut feliciter circumnavigatum orbem & inchoata à Batavis anno 1597. Indica commercia prætream.

(*a*) Camdenus ad 1601. p. 804. (*b*) Hiſt. 11. p. 613. Vide Camden. & Piaſec. ad 1602. (*c*) Bucholzerus, Calviſius & Reidanus ad 1597. p. 392. Piaſecius ad eundem annum pag. 181. (*d*) Piaſecius ad 1598. (*e*) Reidanus ad 1598. Grotius hiſt. 7. p. 475. & ſeqq. (*f*) Piaſecius ad 1599. Petav. Rat. Temp. 1. p. lib. 9. cap 15. (*g*) Piaſecius ad 1594. Grotius hiſt 15. p. 710. (*h*) Reidanus ann. 15. fine. Grotius hiſt. 8. fine. (*i*) Reidanus & Piaſecius ad 1598. (*k*) Bucholzerus ad 1600. Grotius hiſt. 9. fine. Piaſecius ad ann. 1599 & 1600. (*l*) Bucholzerus & Reidanus ad 1600. Grotius hiſt. 9. p. 549. (*m*) Reidanus ibid. Grot. ibid. pag. 563. & ſeq. Piaſecius ad 1600. (*n*) Reidanus ad 1600, 1601. Grot. hiſt. 9.

CCCCV. *Anno Chriſti* 1602. *Cometa apparuit in pectore Cygni. Ordines Belgici magnis copiis, ex Germania & Anglia contractis, Brabantiam invadentes, Graviam obſident & expugnant. Baſta Tranſylvaniam in Cæſaris poteſtatem redigit, Moſe Zedero profligato, & Sigiſmundo Batoræo Cæſaris poteſtati ſe permittente. Bironius in Gallia proditionis in Regem accuſatus & convictus ſupplicio afficitur.* Eckſtormius ex Arthuſii Tom. 4. lib. 4.

Alſte-

Alstedius hunc Cometen superioribus accenset, nullis ejus circumstantiis, & eventibus tantùm in genere notatis. Indicat verò quosdam hunc Cometam & proximos anni 1604 & 1607. pro novis stellis haberi, cum Ricciolius * hos tantùm 1602 & 1604. novis stellis accenseat. Inter hos est magister ejus Keckermannus, qui id de phœnomenis 1601 & 1604 pronunciat: rem tamen in dubio relinquit. Addit autem, si hæ faces Cometæ fuerunt, rectissimâ & exactissimâ ratione non fuisse observatas. Equidem nullæ ejus circumstantiæ notantur. Keckermannus etiam natalem annum præcipit, nisi sit typographi error. Sed Alstedius & Eckstormius annum hunc assignant. Bellorum, quæ Eckstormius à Cometa hoc portendi putat, alia portenta jam dudum vidimus, ut & Bironianæ cædes, quem insana & perfida ambitio, cum fortunam reverenter non haberet, perdidit. Anno ante Cometæ natalem proximo Ostendæ, quæ à natura & arte, si quæ urbs in Europa, munitissima, sola adhuc à fœdere Gandavensi ex Flandriæ civitatibus fide in Fœderatos eximia clarebat, obsidio memorabilis, si quæ unquam & cruenta (utpote quæ ultra 72. millia obsidentium totidemque obsessorum hausit †, & altera Troja dici meruit) antecessit. Hujus initium, Annalium Reidani finis est. In Hungaria hoc anno, quo noster Cometa visus est, res variâ fortunâ gesta. Perdita Alba Regalis, recepta Pestum & Adon, munitissima & peropportuna propugnacula. Ita & hîc vices rerum videmus. In Livonia pariter, quæ prima belli Suecici acrem impetum Anno 1600 excepit. Ex quo bellum illud minimè necessarium ex occasione privatæ Sigismundi caussæ Rempublicam incommodis bella sequi solitis implicare magis magisque cœpit. Nec enim tantùm Livoniam avulsit, Prussiam bis, sed & totum regnum semel occupavit, ac toties concussit & attrivit. Favit hoc anno (*a*) Joanni Zamoscio Summo Regni Cancellario bellique duci, & Stanislao Zolkjevio fortuna belli in Livonia. Sed quicquid tunc erat cruenti gaudii, seditio militum stipendiis non solutis ferocientium, tùm pestis, quæ famem anno (*b*) proximo secuta Cometam præcesserat, in regno grassans dispunxit. Anno tamen proximo (*c*) in Comitio Cracovienſi gratiæ Zamoscio de recuperata Livonia actæ. Verùmenimverò hunc conventum domestica dissidia irrito eventu solverunt. Et, ut præteritâ Germaniâ, quæ id temporis pace gaudebat, in Belgicam (quæ & ipsa Germania inferior est) transeamus, durante acerrimo Ostendæ obsidio, Mauritius deditione Graviam (*d*) accepit. Proximo à Cometæ apparitione anno Fœderati Wachtendoncam receperunt (*e*), victoriam in mari de Friderico Spinola ad Sylvam Ducis Mauritio duce reportarunt, Transamasianorum lites composuerunt. Ita hôc & proximô annô utrique parti lætitiæ, sed cruentæ, non deerant argumenta. In Gallia & Britannia sublatis Bironio & Essexio seditionum ducibus, ibi etiam firmato cum Helvetiis fœdere res quietiores fuêre. Hæc etiam exstinctâ Hibernicâ rebellione diuturnâ gavisa est. Istam si quis ad Cometam, ut verosimile est, referat, portenta illius ex Camdeni (*f*) testis idonei ore audiat: *Ita Tir-Oenii* (erat is inter Comites Hiberniæ præcipuus, qui interfecto Anno 1590. delatore causam rebellioni præbuerat) *rebellio, ex privatis simultatibus ambitione intermixtis cœpta; contemptu & parsimonia ex Anglia fota; prætextu Romanæ Religionis restaurandæ, spe effrenatæ licentiæ & impunitatis, per universam Hiberniam diffusa; levi nonnullorum credulitate, & aliorum, qui authoritate valebant, occulto favore, uno & altero eventu prospero, Hispanico stipendio, Hispano milite & Papalibus indulgentiis, confirmata, pravis Anglorum æmulationibus, bipartito imperio, veteranorum avaritia, subdolis Tir-Oenii artibus, simulatis induciis atque submissionibus, Protectionibus maleficorum pecuniâ emptis, impeditissima locorum difficultate, desperato hominum genere, magis pernicitate quàm armis tuto, protracto: octavo, postquam eruperat, anno, Reginæ auspiciis, ductu Proregio Baronis Montioji (quem postea Rex Jacobus Comitis Divoniæ titulo honoravit) felicissimè confecta est.* Atque hoc prudentiæ, Clementiæ & felicitatis lætitiæque argumentum gestorum Elisabetæ supremum fuit. Ætas enim Septuagenaria, quæ nulli ante eam Regum Angliæ obtigit, & naturali gravitate & vi quadam in climactericis annis conspicuâ, valetudinem ejus aggressa, accedentibus anxiis

* Lib. d. sect. 2. de novis stellis c. 1. Num. 13 & 14. † Calvisius & Piasecius ad 1604. (*a*) Piasecius ad 1602. (*b*) Piasecius ad 1601. (*c*) Piasecius ad 1603. (*d*) Grotius hist. 11. pag. 604. (*e*) Grotius ibid. pag. 625. (*f*) Ad 1603. initio.

regno-

regnorum curis, ita ægritudine mentis illam ſociam corporis vel antecedente vel ſubſequente, eam menſe Martio, ſenibus perquam periculoſo, confecit. Triſtiſſimum deſiderium, quod Anglis reliquit (verba refero Camdeni *(a)* hiſtoriam Eliſabetæ cum illa ipſa finientis) lenivit ſpes optima de Regis Jacobi ſucceſſoris virtutibus concepta: qui poſt pauculas horas fauſtiſſimis omnium acclamationibus Rex declaratus fuit. Periculoſa primùm, mox læta hæc tempeſtas quibuſdam ſeorſum extitit. Quomodo Rex Regum Henricum & Eliſabetam magnis periculis defungi voluerit, vidimus. Anno Cometæ natali aſtu tentata à Sabaudo Geneva feliciter dolum eluſit eliſitque. Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, ut paulò ante *(b)* ita & tunc paulò poſt læta inauguratio-nis ſuæ cum Anna Danica ſolemnia, & iterum vel maximè Anno 1605. ſed & 1606. inſidias ſibi ſtructas lætus evaſit. Natalem cum Cometa annum non pauci Principes habuêre. Ludovicus Philippus Palatinus, Wilhelmus Heſſus, Conſtans dictus (cui Æmilia Eliſabeta Hanovienſis, ſeculi hujus ornamentum & Heroina dicta, uxor fuit) Rudolphus Badenſis, Catharina Brandenburgenſis, Eliſabeta Dorothea, & Sibylla Anhaltina. Proximus Chriſtianum 5. regno Danico deſtinatum, Joachimum Sigiſmundum Brandenburgicum, Fridericum Wilhelmum Saxonem, Chriſtophorum Badenſem & Sibyllam Chriſtinam Anhaltinam in lucem edidit, & nuptias Mauritii Heſſi cum Juliana Naſſavia, proximus autem ſed ante quàm Cometem Joannis Palatini cum Catharina Rotomagenſi & Lugdunenſi vidit. Ita Chriſtianus IV. Rex Magnanimus lætum hunc annum habuit. Nam & filium primogenitum, qui poſtea egregiis virtutibus Inclytus Princeps in Regem electus fata Patris prævertit, ex lectiſſima conjuge, & magnificentiſſimo paratu fidelitatis juramentum ab hac celeberrima & florentiſſima Urbe Hamburgenſi accepit.

(*a*) Ad 1602. (*b*) Piaſecius ad 1600, 1603, 1605, 1606.

CCCCVI. *Anno Chriſto* 1604. *die* 3 *Octobris, ſub magna conjunctione Saturni, Jovis & Martis, inuſitata ſtella in cælo apparere cœpit, & initio etiam anni ſequentis adhuc flagravit. Fuerunt ab initio non pauci, qui Heſperum eſſe putarent, ſtellam nimirum Veneris, idque propterea, quòd licet magnitudine & colore alias ſuperaret ſtellas, caudam tamen nullam, quod Cometis uſitatum eſſe ſolet, oſtentârit. Verùm cùm diligens accederet obſervatio, compertum eſt, non Veneris, ſed inuſitatam aliquam ſtellam, & ut verius dicam, Cometam fuiſſe. Cœpit autem apparere hic Cometa die* 3 *Octobris, veſperi paulò poſt horam ſextam, conſtitutus in* 17 *gradu Sagittarii, uno gradu &* 30 *ſcrup. ab Ecliptica remotus, cum Jupiter* 19 *Saturnus* 11 *Mars verò* 22 *ejuſdem Signi gradum obtinerent. Non tamen immotus eo loco perſtitit, ſed progreſſum in dies fecit, donec* 1. *Novembris die,* 17 *prædicti ſigni gradum aſſequeretur. Quò loci cum ſequenti Novembre* 10 *circiter quintam veſpertinam etiamnum deprehenderetur, ſtationarium eum factum, moxque retrogradum futurum, & curſum ſuum per Eclipticam, verſus dextram Serpentarii, indeque per medium Cygnum ad Caſſiopeæ ſidus directurum eſſe exiſtimatum eſt, quo loci præterito* 1572 *anno Cometam etiam viſum eſſe, qui huic quidem magnitudine & ſplendore non admodum diſſimilis fuerit, multi ſunt, qui etiamnum meminerunt. Arthuſius Tom.* 6. *l.* 1. *Mercurii German. ubi etiam prolixè commemorat, quid de ſignificatione hujus Cometæ ſit ſtatuendum. Scripſerunt etiam de hoc Cometa M. Albinus Mollerus & Paulus Nagelius Mathematici inſignes. Obſervavit etiam Cometæ hujus curſum, ſublimitatum, magnitudinem & effectum Joannes Crabbe Ducalis Brunſuicenſis Geometra induſtrius. Notandum & hoc, hunc Cometam anno præcedenti prædictum fuiſſe à D. Davide Herlicio.* Eckſtormius.

Anno Chriſti MDCIV. *Cometa* 5. *Non. Octob. conſpectus.* Fabricius.

PIaſecius induſtrius & cordatus Chronicorum conditor, Demetrii à Polonis ad Imperium Moſchicum promoti hiſtoriam luctuoſam, quæ in annum 1606. incidit, deſcripturus, hujus Cometæ in fine geſtorum anni 1604. meminit. Ita verò ille (*): *Haud dubiè maxima rerum converſio in Imperio Moſchorum inde promanavit, & ſi verum*

(*) Piaſec. Chronic. ad 1604. pag. 264.

illud,

illud, *Cometas magnas calamitates prænunciare, non alteri nisi Poloniæ & Moschoviæ proximè subsequentia belli civilis mala prædixit Cometes ille, qui anno antecedenti tertia die Octobris primùm in decimo septimo Sagittarii gradu conspectus, usque ad finem anni istius luxit, magnitudine & splendore Hespero seu Veneris stellæ non dissimilis, cùm & caudam nullam haberet, Cometis alioquin usitatam.* His duobus Eckstormio & Piasecio Cometæ nostri descriptionem debeo. Alioqui Keckermannus & Alstedius eum annotant. Sed omnibus ut aliàs, ita & hîc palmam Eruditissimus Ricciolius (*a*) præripuit. Is hanc stellam novam fuisse, & numero quidem decimam tertiam putat, visam in pede seu calcaneo dextro Serpentarii, majorem Jove, & Veneri propemodum æqualem. Infra pluribus de hac stella agit. Ex his pauca, quæ rei essentiam continent, huc adferemus. Phœnomenon istud, quidam 27. Septembris die, alii 8. Octob. sub magnam conjunctionem Saturni, Jovis & Martis observarunt, ut Eckstormius ait. Apud quem puto pro 3. Octobris 5. vel 8. substituendum esse. Tunc enim conjunctio illa evenit, de cujus tamen apparitione Everhardus Belga, Cyprianus Leovitius, Maginus & Keplerus, longèque plures de apparitione istius phœnomeni apud Ricciolium depugnant. Fuit verò & hoc phœnomenon extraordinarium. Nam si vel à 10. Octob. 1664 cum Keplero initium apparitionis ejus (quum tamen non sinè legitimis rationibus die 27. Septembris hæc arcessatur) faciamus, certò duravit ad 8. Octobris 1605. Keplero oculato teste, qui etiam addit incertum esse, quo die inter 8. Octobris 1605 & Martium 1606. disparuerit. Ut ita Santutius 13. mensium durationem, Ricciolius minimùm annuam ei tribuat. Quod verò Eckstormius de Herlicio adfert eum prædixisse hunc Cometen; id verum esse Keplerus, qui de hac stella in pede Serpentarii Comment. edidit, testatur. Multos enim Astrologos ex Arabum doctrina refert prædixisse hoc anno Cometam ob conjunctionem magnam Planetarum superiorum. Facta enim erat Saturni & Jovis in 8. gradu Sagittarii conjunctio 1603. 17. Decembris, Tychoni 19. Magino 24. Leovitio 29. dicti mensis die: Saturni verò & Martis 26. Septembris 1604. in 10. gradu Sagittarii: denique Jovis & Martis die 9. Octobris in 19°. 14′. Sagittarii, quæ magnam conjunctionem complevit. Ex quibus conjunctionum 7. periodis Cometam sive phœnomenon istud natum multi volunt. Sed Ricciolius rationibus & auctoritate fultus, incertum, imò vanum id esse demonstrat. Inter alia carmina erudita Joannis Weidneri ex Keplero in hanc rem adfert:

At si quis Jovis ac Martis congressa duorum
Astra Planetarum imberbem genuisse Cometam,
Prædictumque sibi magno contendat hiatu
Astrologaster iners: centum opponemus eidem
Erronum coitus, nullum genuisse Cometam
Vera loqui casu, mendacia mille locutum.

Cæterùm nec Keplerum nec alios hoc phœmenon supra Lunam, nedum inter fixas fuisse, nec etiam Claramontium infrà Lunam fuisse certò demonstrasse, & ex probabili aliqua hypothesi Kepleri demonstratum esse, supra Lunam, ex aliqua verò Claramontii infra Lunam fuisse: tandem tamen probabilius supra quàm infra Lunam fuisse concludit (*b*). Plura qui volet videat c. 16, 17 & 18. scitu jucunda & utilia. Vicissitudinem rerum hîc quoque videmus illustribus exemplis exhibitam. Fœderati (*c*) Slusam, Ardenburgum aliaque Castella, at Hispani Ostendâ tandem potiuntur. Hæc tamen Cometæ nostri apparitionem præcesserunt, ne quis hæc eum portendisse dicat. His bellorum curis lætæ, nec improsperæ pacis successerunt. Has non tantùm Albertus (*d*), sed & ipse Cæsar in se suscepit, eventu tamen irrito. At inter Hispanum (*e*) & Anglum diuturnos & acres hostes, pax coaluit. Sed & inter Gallum & Bullionium (*f*) (utrique Henrico nomen erat) enato ex Bironianæ conjurationis suspicione Bullionium petente diffidio, quòd Regia arma in hunc provocarat.

(*a*) Almag. Tom. 1. 2. p. l. 8. sect. 2. c. 1. N. 14. (*b*) L. d. c. 15. fine. (*c*) Bucholzerus ad annum 1604. Grotius hist. 13. pag. 640 & seqq. (*d*) Grotius hist. 13. passim & 14. initio. (*e*) Idem hist. 13. pag. 647. Piasecius ad 1605. fine. (*f*) Idem Grot. hist. 15. pag. 680.

Sed ſimul hæc ſumta & poſita fuêre, magno Galliæ, magno etiam utriuſque Belgicæ gaudio. Bellum quoque Brunſuicenſe (*a*) ſuperiore anno ex certamine imperii & libertatis ortum, auctoritate Cæſarea compoſitum. Inter hæc rem in Belgica (*b*), Regiâ quidem Spinola & Buquojus, Fœderatâ verò Mauritius & Henricus Naſſavii fratres, æquâ ferè fortunâ inter proſpera & adverſa tenuerunt, quæ ad finem properanti enumerare non æquè conveniens quàm promtum eſt. Anno, qui Cometæ noſtro natalis fuit, Carolus rex à Sueciis renunciatus res ſuas domi foriſque magis magiſque firmavit induſtrius. Sigiſmundus contra licet Ducum, quos paulò ante nominavimus, tum Chriſtophori Radzivillii, Palatini Vilnenſis & copiarum Lithuanicarum Ducis, tum Caroli Chodkevicii aliorumque Virorum fortium operâ prælio ſuperior, bello tamen inferior fuit, & cunctando deſtituit rem, quem errorem in eo Piaſecius (*c*) ubique notat. At enim violata ſacrorum libertas, quæ jam antehâc Rege Stephano in Livonia motus dederat, omnium fere in Suecia & Livonia (paucis exceptis) animos à Sigiſmundo averſos in Carolum converterat. Hîc nobis ex vicinia Demetrius ille (quem impoſtorem fuiſſe Piaſecius ſuſpicatur, Kobierzicius (*d*) affirmat) occurrit, magnum viciſſitudinis rerum exemplum daturus. Perſuaſerat ille cumprimis Georgio Mniſzek Palatino Sendomirienſi, cujus in Aula viliſſima miniſteria præſtans ex dorſo inuſtis ſtigmatibus agnitus, generis ſui hiſtoriam aperuit, ſe Joannis Baſilidis Magni Moſcorum Ducis filium, miro artificio matris Boriſſii Odonovii parricidæ, rerum tunc apud Moſcos potientis, manus ſævas evaſiſſe. Inde Georgius filiæ Mariæ nuptias & ſumtuum refuſionem ab eo pactus, privatâ auctoritate & potentiâ, amicorum catervis adjutus, in Moſcoviam introduxit, & accedente Boriſſio & filio ejus unico exſtincto, multorum Procerum favore in throno poſuit. Hinc filiam ei ſplendidiſſimo cum comitatu adduxit. Sed mox & Demetrius ſævum (*e*), & Maria ſuperbum (*f*) & Polonus arrogans & ferox ingenium induens, omnes adhæc præcoci ſecuritate ex inſolentis fortunæ muſto ebrii ſecuta mala ſibi accerſivere. Tantò magis cum & ante & poſt adventum Polonorum cum Sponſa (*g*) ſacra Moſcorum, qui veteres ritus Græcos addicto obſequio colunt, intempeſtivam arrogantiam non effugerint. Quid multis? Prudentes & auſa temeraria maturâ deliberatione perpendentes, antequam viderent Cometen ſecutura mala prævidebant. Ipſe Piaſecius (*h*) ingenuè & verè ait: *Fortuna rarò inconſtantiæ & temeritati non ſociata, juvit auſum Demetrii, quantumvis malè conſultum viciſſitudine ſubitâ, quæ illius ſeculi prudentiorum & celebriorum militiæ Ducum de iſto bello nullo conſilio, ordine præpoſtero, & per omnia temerè ſuſcepto, malè ominantium ingenia fatigavit.* Idem temporis motus & Moſchicos & Polonicos vidit. Hi à ſigno Equitibus ad arma contra Regem & Senatum pro tuenda libertate dato Rokoſch dicti, nil aliud quàm bellum civile denotant. Hujus præcipuum (*i*) portentum ſecundæ Sigiſmundi (*k*) cum Conſtantia Auſtriaca nuptiæ, quibus acerrimè (*l*) & uſque ad Regis offenſam Joannes Zamoſcius Sarmaticus ille Heros Incomparabilis reſtitit. Anxia libertatis cura ſuſpectam hanc novam cum gente vicina eaque præpotenti affinitatem fecit. Cui inſolens apud Polonos, aviti moris & gravitatis retinentiores, cum ſorore defunctæ conjugis matrimonium invidiæ plurimùm addidit. Fateor tamen & diminutam ſacrorum libertatem, fœderibus, legibus & ipſo æqualitatis in libera Republica jure munitam, utraque Fratrum Majoris & Minoris Eccleſiæ (ita tunc vocabantur, qui nunc Calviniani & Ariani vocantur) æde ſacra (*m*) Anno 1591. everſâ, & libertate ſacrorum ademtâ, creſcente magis magiſque Pontificum potentiâ (*n*), communi cauſæ ſe adjunxiſſe. His & id genus aliis vitiis & erroribus removendis ſi pares eſſemus, motus bellorum, etſi Cometæ lucerent, nullos haberemus. Inde ſi præcedant illa vitiorum portenta, etſi nulla Cometarum adſint, frequentiſſima bellorum videmus incendia. Ego quidem ſic judico, qui quantum debeam pietati, & ut patriæ libertati, ita & Regiæ majeſtati, novi. Qui hujus temporis geſta à Piaſecio &

(*a*) Grotius hiſt. 15. p. 682. Confer hiſt. 15. p. 713. (*b*) Idem hiſt. 13, 14 & 15. (*c*) Ad 1599. p. 210. ad 1604. p. 229. ad 1604. p. 261, 262. (*d*) Lib. 1. hiſt. Vlad. Principis. (*e*) Piaſecius ad 1605, 1606. (*f*) Kobierzicius lib. 2. (*g*) Piaſecius ibid Grotius hiſt 15. pag. 711. (*h*) Piaſec. p. 265. (*i*) Grotius hiſt. 15. pag. 710. Piaſecius ad 1603. pag. 249: 1604. pag. 263: 1605. p. 267, 273. ad 1606. pag. 281. Kobierzicius l. d. paſſim. (*k*) Piaſecius ad 1605. (*l*) Id ad 1603. initio. ad 1604. ſub fin. Kobierzicius l. d. (*m*) Biſcius & Piaſecius ad hunc annum. (*n*) Piaſecius ad 1591. Grotius hiſt. 15. pag. 710.

Kobier-



Figura Com. CCCCVII. A. C. 1607. e observatis Kepl. et Longomont. exhibens unà cum orbita peculiari Cometæ e Com[illegible]put. Kepl. ad ejus hypothesin directa. N.º 88



Kobierzicio aliisque cordatis scriptoribus annotata legunt, me hîc à veritate non abire fatebuntur. Neque verò illa tempestate solæ belli artes, sed & pacis vigebant. His ævi ferè (nempe quintum & quinquagesimum ætatis annum agens) & gloriæ satur Henricus Magnus (*a*), his & ætate gravis Cæsar Rudolphus domi foriſque quietem suadente & postulante senectâ, cumprimis studebat. Itaque anno hujus seculi sexto Transylvaniæ & Hungariæ pax reddita, postquam in certas cum Botzcajo & Hungaris leges (quarum præcipua (*b*) concessa sacrorum libertas) conventum est. Hanc & Turcica è vestigio secuta. Atque ita Hungaria miserè tot diuturnis bellis dilaniata hoc anno respirare, exoptatamque tranquillitatem postliminio revocare cœperat, ut cum Piasecio loquar. Tunc & à Polono pacem confirmari & constanter servari, (*c*) Turca ipse internuncio misso expetiit. Sub idem tempus (*d*) acre dissidium de jurisdictione Ecclesiasticorum, inter Pontificem Romanum & Venetos exortum, operâ Henrici Magni componi cœptum, & feliciter anno proximo ante Cometæ apparitionem compositum, & Italia Gallicarum & Hispanicarum partium studiis ac metu belli exemta. His lætis Cometam nostrum secutis addendæ nuptiæ & natales Principum. Eodem, quo Cometes, anno natus Joannes Fridericus Palatinus, Philippus Hessus, Franciscus Henricus Saxo-Laoburgicus, & Anna Augusta Badensis. Sed & Bernardus ille Saxo Wimariensis bello Germanico celeberrimus, cujus tamen natalis Cometæ natalem paulò amplius mense præcessit. Proximo anno, quo Sigismundus Tertius ad secunda vota matrimonialia descenderat, nati, Philippus IV. Rex Hispaniæ, belli & pacis Clarissimus, & Georgius Hessus: Sequenti Philippus Arausionensis (*e*) Eleonoram Condæi sororem, Regii sanguinis virginem, uxorem, & simul plenam (*f*) paterni Principatûs possessionem dotemque amplissimam; Joannes verò Holsatus, Friderici frater, literatorum amor & deliciæ dictus, Maria Anna Philippi IV. soror, Ferdinandi III. uxor, Augustissimi Cæsaris Leopoldi mater, Juliana & Agnes Hessa vitæ initium in his terris accepit. Hîc mihi etiam referendi ex anno proximo natales Principum, quos prius quàm Cometam natos invenio. Caroli scilicet Principis Hispaniarum, Joannis Christiani Holsati, Hermanni Hessi & Amaliæ Hessæ. Liceat & Manhemii natalem, ut sic dicam, annum hujus seculi sextum his accensere. Civitas enim in confluenti Rheni & Necari amœnissimo & peropportuno loco condita & benè constituta ac munita, libertatisque, quàm unicè amo, sedes, jure suo id à me requirit.

(*a*) Grotius hist. 15. pag. 714. (*b*) Piasecius ad 1606. Grotius hist. 15. pag. 712, 713. (*c*) Calvisius ad 1606. (*d*) Grotius hist. 15. p. 683 & 713. (*e*) Grotius hist. 15. pag. 709. (*f*) Golnitz in Itiner.

CCCCVII. *Anno Christi* 1607. *Cometa apparet circa diem* 16. *Septembris, qui velocissimo cursu Libram, Scorpium & Sagittarium perambulabat.* Calvisius.

Anno Christi 1607. *sub tempus Æquinoctii autumnalis*, 16. *nempe Septembris die, crinitus in Lunari regione Cometa apparuit, qui caudâ in ortum directâ velocissimo versus Meridiem cursu, à sinistro humero Bootæ ad pedem dextrum Serpentarii properando, tria Zodiaci signa, Libram nempè, Scorpium & Sagittarium perambulavit. Arthusius Tom. 7. lib. 3. Mercur. German. De hoc Cometa peculiariter etiam commentati sunt D. Herlicius & Theodorus Majus.* Eckstormius.

Anno Christi 1607. *fulsit Cometes observatus à Keplero & Longomontano, ut videre est ex ipsorum de hoc tractatibus. Itaque Keplerus à pag.* 25. *ait sibi primùm visum Cometam die* 26. *Septembris Pragæ hora* $8\frac{1}{2}$ *à meridie, majorem stellis Fixis, si perspicillo spectaretur, & sibi sinè cauda, aliis acutioris visûs cum cauda: consistebat verò Cometa hic propè genu sequens Ursæ majoris versùs præcedens; manè sequenti horâ tertiâ post mediam noctem apparuit manifestè cauda benè longa & sursum versa, caput autem celeri motu in consequentia delatum, intra horas illas sextas circiter per gradus* 2. 50. *Sed vide in sequenti tabella nucleum Observationum Kepleri, quas tamen pag.* 30. *fatetur non fuisse subtilissimas, esto ex illis concludat, si Cometa fuisset in confinio Lunæ, differentiam parallaxeos intra sextas horas futuram fuisse multò majorem, quàm ferat motûs observati analogia; ideòque Cometam statuat supra Lunam: Caudam præcisè in oppositum Solis affirmat,*

affirmat, & Cometam ſemper minus quadrante abfuiſſe à Sole, ipſique die 30. conjunctum fuiſſe ſecundùm Longitudinem, & in fine de directo evaſiſſe ſtationarium. Suppoſito autem telluris motu, & lineâ rectâ Cometæ trajectoriâ, colligit ad diem ultimum obſervationis, qui fuit 26. Octobris, diſtantiam Cometæ à terra ſemidiametrorum terreſtrium 13187, quam juxtà ſuam hypotheſin ait eſſe octuplò & amplius majorem altitudine Solis. Ricciolius.

COmeta iſte judice Vendelino 25. Septemb. natus. Obſervavit eum ultimò 5. Novemb. cum Keplerus à 26. Septemb. at 26. Octob. eum tantum obſervarit. Parallaxin ejus vel nullam fuiſſe, vel ita exiguam, ut longè fuerit à terris remotior quàm eſt Luna, nec ſublunarem eam fuiſſe Vendel. p. 12. ait. Tota ejus duratio dies tenuit 41. quibus motus fuit S. S. S. à latitudinibus borealibus in Auſtrales: trajecitque ecliptícam in 17°. 12′. Sagittarii cum inclinatione Auſtrali 41°. 7′. omninò & curſu lenteſcente, quodque in omnibus fermè eſt hactenus obſervatum, ductu viæ rectæ deſcribentis portionem Circuli maximi. Hinc concludit Cometas non aëreos ſed æthereos eſſe. Vidiſſe ſe eum velut haſtam ignitam aut gladium flammantem: caudam quippe projectam eſſe à capite in partes à Sole averſas, deſiiſſeque in mucronem longam 7. circiter gradus: arſiſſe manifeſtè, donec in confinio crepuſculi veſpertini obliteraretur ac ſimul deflagraſſet, ſimul in partes diſraratus abiiſſet in pappos, quomodo flores quidam ſolent. Cùm verò nullas ejus parallaxes invenire potuerit, ipſe primus Cometam ſupra Lunam fuiſſe ante Tychonem docuit, ut ipſe aſſerit pag. 13. Præter hos, quos Eckſtormius nominavit, Cometæ hujus hiſtoriam Petrus Crügerus, Keckermannus aliique, quos & Ricciolius producit, compoſuêre. Alſtedius eum nominaſſe contentus fuit. Keckermannus eum mediocrem caudam, ſed quam ſurſum erexerit, habuiſſe, colorem albicanti ſimilem, tamen ſubobſcurum, & veluti mixtum refert. Viſum eum primo die 25. Septembris ab aliis, ab ſe 28. Septembris affirmat: imò & aliquantò ante à nautis conſpectum initio ſub cauda Urſæ Majoris verſùs Occaſum Septentrionalem, poſtea in medio circà Arcturum, paulatim magis ad Occidentem, in fine verò circà Æquatorem ad Meridiem ſe vertiſſe, modò altiorem, modò humiliorem fuiſſe, capite lucidiori, cauda pallidiori, quam initio ad antepenultimam ſtellam caudæ Urſinæ verſùs ortum hyemalem, quadantenus Soli oppoſitam, & veſperi quidem etiam verſùs ortum, mediâ verò nocte verſùs Meridiem, direxerit. Motum ejus initio multò fuiſſe velociorem, quòd longè ab Æquatore tunc abfuerit, poſtea eò tardiorem fuiſſe, quò magis Æquatori appropinquârat. Occidiſſe ſine occaſu, utpote ab horizonte verſùs Æquatorem progreſſum, duraſſe 20. diebus, circa 13. enim vel 14. Octobris exſtinctum eſſe. Effecta ei ex colore varia adſcribit. Ratione nempe Mercurii magnam inconſtantiam & tempeſtatem aëris: ratione Jovis blandum quid atque adeò effectum bonum: ratione Saturni contagioſum & malignum portendiſſe ait. Tùm verò reipſa aëris, pacis, belli conſtitutionem inconſtantem fuiſſe, notat. Vere. Talis enim ſemper eſt, nec ullus annus, imò ferè dies, viciſſitudine exemtus. Sed ut demus Cometam ex vicinia turbando aëri aptam materiam excernere, nihil hæc ad belli paciſque ſtudia, quæ aliunde ortum trahunt. Ricciolius Cometæ hujus hiſtoriam ex tabulis Kepleri & Logomontani præſtantiſſimorum Mathematicorum accuratè contexuit. Cum illo durationem ejus à die 26. Septembris ad 26. Octobris dierum unius & triginta ſpatio circumſcribit: latitudinem verò apparentem ſemper borealem deſignat. Cum hoc Cometam ante 25. diem Septemb. non apparuiſſe, imo hunc probabili ratione natalem, 26. verò Octobris extremum fuiſſe, intra hoc tempus 97°. 18′. motu diurno in circulo proprio confeciſſe, æmulum Jovis apparenti magnitudine, Saturni livore luminis, Lunâ ſuperiorem parallaxim trium minutorum fuiſſe, caudam valdè longam, denſam, capiti conproportionaliter cum magnitudine, die inter 9. & 10. Octob. Æquatorem tranſiiſſe, & ſemper deinceps Auſtraliorem factum eſſe aſſerit. Infra tamen, cap. ſcilicet 21. nec Keplerum, nec Longomontanum, nec Santutium demonſtraſſe hunc Cometam fuiſſe ſupra Lunam, & quamvis id probabile ſit, probabilius tamen infra Lunam fuiſſe concludit. Nullos

effectus

effectus huic Cometæ adſcriptos invenio. Hos ego dabo, quantum potero, ad metam properans. Ineunte hoc anno Cometæ ortum præceſſit graviſſima inundatio, quæ Angliam damnis nullo auro redimendis (*a*) affecit. Polonia verò motu illo civili primò verè concuſſâ utraque parte arma corripiente, uſquequo prælium ad Guſoviam 6. Julii commiſſum, quo error vel proditio, (*b*) Regi victoriam dedit, rem diremit, & ad concordiam paulò poſt, (*c*) rem inter hæc contra Carolum Carolo Chodkievitzio feliciter in Livonia gerente, perduxit. Sed ex hac pace, ut bella ex bellis ſeri ſolent, bellum Moſchicum natum. Hoc erumpente è latebris novo impoſtore (*d*) Demetrio (cui felix audacia Procerum quorundam Polonorum gloriam, ſtipendia, vindictam injuriæ nomini ſuo illatæ nuper, querentium privatis ſuppetiis fulta ſpem imperii & Marinam infauſtam illam Sponſam conciliaverat) ortum ex privato publicum evaſit. Rex enim ad occupandum imperium invitatus, & memorabilem victoriam de Moſcis ad Cluſinum (*e*) dedito ſibi Baſilio Suiſcio, qui per Demetrii ruinam ad imperium graſſatus erat, deditâ & metropoli Moſcoviâ filio Vladiſlao imperium acquiſivit, & anno ſequenti Smolenſcum magnâ virtute expugnatum Reipublicæ recuperavit. At enim Rex rerum Moſchicarum ſucceſſu elatus, Joannem Tiſcovicium Bielſcenſem oppidanum, virum probum, religionis à Romana inſtitutione diverſæ cauſſâ ad gladium & rogum in manus, pedes, linguam, cervicem, totum denique corpus ſævientem damnans, è veſtigio acerbam omnium rerum ſuarum converſionem ſentit. Ortum enim militis in Moſcovia ſtipendia tàm Demetrio quàm Regi facientis 1612. fœdus, Rempublicam tunc florentem graviſſimè, ſi unquam, afflixit & exhauſit. Et notæ quidem ſunt Piaſecii (*f*) aliorumque exercitûs & ſtipendiorum rationes, ſed ſunt mihi idonea inſtrumenta, quæ Sapiehanis quater mille quadringentis viginti octo equitibus Anno 1612. Breſtiæ novies centies quinquies & bis mille ducentos viginti tres florenos, ſive marcas Lubecenſes vel Turonenſes, numeratas eſſe. Zborovianis verò ſexies mille quingentis quadraginta & quinque equitibus Leopoli die 16 Aprilis Anno 1614. Commiſſarios Reipublicæ duos milliones, octingenties triceſies ſexies millenos, octingentos quinquaginta tres florenos pependiſſe. Tandem Smolenſcenſium Fœderatorum factioni, quæ quinque Legionibus termillenos bis centenos viginti equites comprehendebat, Bydgoſtiæ decem milliones centies triceſies ſexies mille florenos exſolutos eſſe. Atque hæc ſtipendia, magno, Reipublicæ bello Suecico & Moſchico tùm fame & peſte attritæ, fuerunt oneri. Converſam rerum Sigiſmundi fortunam amiſſâ A. 1612. Moldavia, extemplò ſecuta Potociana in Moldavia clades, Tartarorum invaſio, teſtatur. Hæc anno proximo res damnis Moſchicis & Moldavicis turbatæ, & peſtis Cracovienſis, ſequenti continuata militis Moſchici ſeditio, iterata Tartarorum irruptio, Turcæ ob captam à Coſacis Sinopen offenſa: hinc decimo quinto hujus ſeculi, militis ſeditioſi proſcriptio, novæ Tartarorum rapinæ, Comitia irrita: decimo ſexto nova clades Moldavica duce Samuele Corecio à Turcis capto & crudeliter necato, novæ Turcarum offenſæ ex injuriis Coſacicis ortæ: Smolenſci obſidium, Lithuaniæ vaſtatio, inordinata de Suecia recuperanda conſilia: arma in Coſacos verſa: nova & atrociſſima Podoliæ & Voliniæ per Tartaros direptio: decimo ſeptimo Turcica contra Rempublicam expeditio: noxii in Moldavia cum Turca tractatus: amiſſâ proditione Livoniâ aſſiduæ Ordinum querelæ, aliaque quæ ſequentibus annis videbimus, exceperunt. Sed his omnibus proximius & certius, ut puto, Cometâ portentum illud crudelitatis multiplicis in uno homine eoque inſonte, inaudito in gente libera exemplo exercitæ, præfulſit. Ego quidem ſic judico, ducem æquitatem & patruum illum meum magnum Andream Lubieniecium, qui id integro libro læta Poloniæ ante hoc facinus, triſtia dehinc recenſente, maternâ linguâ conſcripto, nondum tamen edito, & unà debitam circa ſacra libertatem aſſeruit. Infortunia illa cuncta Piaſecius, pleraque Kobierzicius, uterque Regni Senator, aliique, ſed nullus eorum cauſſam adnotavit. Niſi quòd ille (*g*) hæc ad ſecundas Regis nuptias referat. Dixi & probavi ſupra eas publicè fuiſſe noxias. Sed hæ remotæ ab iſtis malis erant.

(*a*) Calviſius ad 1607. (*b*) Piaſecius ad 1607. (*c*) Idem ad 1608. (*d*) Piaſec. Kobierz. lib. 2. (*e*) Piaſecius ad 1610. (*f*) Ad ann. 1612. & ſeqq. (*g*) Piaſecius ad 1637. pag. 588.

Ego proximius horum portentum monſtrare, & cuncta ſimul enumerare volui, etiam à Cometa noſtro longius diſſita, ut & triſtem eamque magnam rerum Polonicarum à cæde hominis innoxii horrenda converſionem confirmarem, & unà quàm multa triſtia Cometam proximum anteceſſerint, oſtenderem. Sed nunc ad priora redeo. Ex quo noſter Cometa effulſit, Italia & Polonia domi, Hungaria foris partam pacem firmare ſtudebat. Togata verò ſtudia & colloquia inter Archiduces Belgarum rectores & Fœderatos inchoata, ſuperatis (*a*) non paucis difficultatibus & ad mitiora verſis pacem diſſuadentium (*b*) ſtudiis, inducias duodecim annorum publico non tantùm Batavæ libertatis auctoramento, ſed & commodo ac gaudio Anno 1609 initio Aprilis menſis initas attulerunt. Juvat hîc ſubjicere ea, quibus Magnus Grotius (*c*) decem & octo hiſtoriarum libros finit. *Nono Aprilis die factum eſt fœdus, quo illa per Europam notiſſima & pervecta jam alterum in orbem arma, in ſpem pacis per inducias ponebantur. Statimque Archiducum & Ordinum literis probatum, ac publicè recitatum eſt Antverpiæ illiſque in partibus magno plebis gaudio: apud Batavos haud æquè, dum ſponte pacis amans populus, ſed 40. annorum malis proſperiſque confuſus tardè ad ingenium redit. At externi, ubi ad eos fama manavit, extorqueri potuiſſe Regi potentiſſimo libertatis confeſſionem & Indiæ partem, utrumque ſine exemplo, nec credita hactenus, tantò impenſius mirabantur. Hinc vires, hinc conſilia æſtimabant. Certè eo ex tempore multi Reges, Principes, nationem Batavam ad ſocietatem reſpicere cœperunt.* Vide quæ in hanc rem Piaſecius ad eundem annum notat. Plena hæc ſpei melioris, hinc lætitiæ laudiſque veræ ſtudia juverunt inter alia felices Societatis Batavæ in utraque India id temporis inſtitutæ progreſſus (*d*), ut & ſociorum Anglorum res in India Occidentali proſperè geſtæ: tùm Hemſkerkii claſſi Batavæ præfecti (*e*) contra Hiſpanam claſſem in Calpetano ſinu: novum denique fœdus à Fœderatis cum Gallo; mox & cum Anglo firmandis rebus ſuis Anno 1608. initum. Hic etiam annus regno Hungarico Matthiæ (qui Ordinum illius regni propendentibus in ſe ſtudiis tenere quàm exſpectare maluit imperium) ſed & diſſidio cum fratre Cæſare initium dedit (*f*). Sed conceſſâ Matthiæ Hungariâ & Auſtriâ, fratrum odia mitigavit amor. Hæc tamen Matthiâ Bohemiam quoque totumque fratris imperium appetente, in bellum exarſerunt. Sed & hæc datâ Matthiæ Bohemiâ exſtincta, ad quem & imperium morte fratris Rudolphi Anno 1612. devolutum. Commoverat Anno 1608. Auſtriam negata à Matthia ſacrorum libertas. Quâ conceſſâ (*g*) quieverunt cuncta, ut pacis ita & lætitiæ plena. Eadem mox Bohemiæ, Sileſiæ & Moraviæ (*h*) Rudolphi, poſt & Matthiæ benignitate, hôc etiam Hungaris id juris relictum confirmante, fortuna fuit. Pacatam tunc Germaniam opima Clivenſis & Juliacenſis ditionis ſucceſſio (*i*), Duce Joanne Guilhelmo ſine liberis Anno 1609. mortuo, novo bello domi foriſque implicuit. Sed hæc à pacatis Cometæ temporibus aliquanto remotiora aliud præter eum portentum cupiditatis habuerunt. Pax tamen huic controverſiæ (*k*) inter Saxonicam & Brandenburgicam domum, illam feudi, hanc ſucceſſionis jus aſſerendæ Juliacenſi hæreditati adferentem, Anno 1611. impoſita: bello aliàs magis magiſque ardente, poſtquam ſemel conceptum cupidinis incendium graſſari cœpit. Emerſerat velut ex mari, quod tunc Carolus infeſtum tenebat, per hæc tempora & inter Danum ac Suecum bellum, quod ab illo captâ Calmariâ (*l*) felicius geſtum, mox ſecutâ hujus morte. Huic Guſtavus Adolphus filius Princeps Magnanimus Anno 1611. & ante annum Ludovicus 13. Henrico 4. (ibi filius hîc pater Magni cognomen ob laudes bellicas Alexandri, Pompei, Conſtantini, Caroli, & Ottonis exemplo meritus) ſucceſſit. Mortem Henrici, qui tandem in medio paratuum, (hi toti orbi metum (*m*) & motum, illi ipſi mortem portendebant) ſicarii manum effugere non poterat, pax excepit, & quietiores in Gallia res fuêre quàm ſpes omnium tulerat, ut Petavii (*n*) verbis hæc deſcribam, *ſub Ludovico puero, cujus tutela cum regni procuratione matri extemplò permittitur. Initium tumultuandi fecêre anno* 1614. *Principes aliquot, qui nimiam Com-*

(*a*) Grotius hiſt. 16 & 17. (*b*) Id. hiſt. 16. p. 726, 727, 731, 147 & alias. (*c*) Hiſt. l. 18. fine. (*d*) Grotius hiſt. 15. p. 701. l. 16. p. 720 & ſeqq. l. 17. p. 801. (*e*) G. l. d. p. 731 & ſeqq. Piaſecius ad 1607. (*f*) Bucholzerus, Calviſius & Piaſecius ad 1608. Grotius hiſt. 17. pag. 803 & ſeqq. (*g*) Bucholzerus & Calviſius ad 1608. (*h*) Bucholzerus & Calviſius ad 1609, 1611. Piaſecius ad 1611 & 1618. (*i*) Bucholzerus, Calviſius & Piaſecius ad 1609. Petavius R. T. 1. par. l. 9. c. 14. (*k*) Bucholzerus, Calviſius & Piaſecius ad 1611. (*l*) Bucholzerus, Calviſius & Piaſecius ad 1611. Petavius l. c. (*m*) Piaſecius ad 1610. (*n*) Loc. cit.

cini

cini Florentini potentiam exosam habebant. Per hos tumultus Ludovicus nihilominus in Aquitanos profectus est anno 1616. *ut Annam Philippi II. Regis Catholici filiam, quam per Legatum sibi ante desponderat; justum ad conjugium reciperet; eodemque tempore sororem Elisabetam paribus auspiciis cum Philippo III. filio conjungendam reciperet. Sic potentissimi Principes, summo Christianæ rei commodo, pacis inter se fidem arctius hoc nuptiali commercio vinxerunt. Publicam hilaritatem sequente anno geminavit domestica concordia: Henrico Condæo Principe ac fœderatis reliquis cum Ludovico reconciliatis.* Inter hæc anno 1613. & Danus cum Sueco, utroque belli artibus adhuc de gloria strenuè certante, tùm verò & Sabaudus cum Cardinali Mantuano Fratris Francisci sine virili stirpe mortui hæreditatem adeunte, pacem iniit. Hanc anno decimo quinto hujus seculi (*a*) pax Turcica, Sabaudo Hispanica, Wormatiensis & Brunsuicensis excepit. Isti Gallica anno proximo sancita, sequenti Concino Florentino, tàm gratiâ apud Reginam matrem valido, quàm apud Principes Regii sanguinis arrogantiâ ejus offensos exoso, sublato, firmata, tùm Dano-Suecica & Sueco-Moschica, denique Polono-Moschica successit. Lætis Cometæ nostri apparitionem secutis annumeranda sunt duo, quæ Varsavienſe Comitium Anno 1611. vidit. Alter est triumphus Staniſlai Zolkievii, Viri togâ & sago Præstantissimi, in quem Basilium Suiscium Magnum Ducem Moscoviæ cum duobus fratribus duxit. Alterum magnâ cum magnificentiâ collatum Prussiæ feudum Joanni Sigismundo Electori Brandenburgico, qui tunc præsens fuit, ut id beneficii ab excessu Alberti Friderici Anspacensis proximæ agnationis jure à Rege obtineret. Tandem ad nuptias & natales Principum veniamus. Anno quo Cometes luxit, Sereniſſimus Augustus Dux Brunsuicensis adhuc superstes, conjugii primi cum Clara Maria, Boguslai Ducis Pomeraniæ filia, Ernestus Casimirus Nassavius cum Sophia Hedvige Brunsuicense, & Philippus Pomeranus cum Sophia Holsata; vivendi verò in terris initium Gaston Secundogenitus Henrici 4. filius Dux Aurelianensis, Carolus Ludovicus Palatinus Georgio Gustavo genitus, Joannes Fridericus Brandenburgicus, Ludovicus Anhaltinus & Ursula Badensis fecit. Numerat quidem hîc Bucholzerus & Calvisii continuator filium Sigismundi III. secundogenitum die 26. Decembris natum. Sed neuter illum nominat, & uterque falsus est. Secundogenitus enim est Sereniſſimus Rex superstes Joannes Casimirus, Anno 1609. ut mox videbimus, natus. Proximo à Cometæ apparitione anno, Ferdinandus id nomen Tertius Imperator Glorioſiſſimus, Augustissimi Leopoldi parens, tùm tertia Henrici Magni proles mascula, imperii capax (*b*), Christianus Albertus Saxo, Georgius Fridericus Brandenburgicus, Alexander Henricus Holsatus, Ernestus Anhaltinus & Juliana Hessa natales, Philippus Quartus, tunc trimus, regni auspicia debent. Nono hujus seculi anno Joannes Fridericus Wirtembergensis Barbaram Sophiam Brandenburgicam uxorem duxit. At mensis Martii decimo octavo die, Sereniſſimus Fridericus hujus nominis Tertius, virtutibus nulli secundus, & primus Danorum Monarcha, seculi nostri ornamentum, vitam Haderslebi Cimbrorum feliciter ortus est. Hunc quatriduo post Sereniſſimus Rex Poloniæ secutus est. Utrumque paucis diebus Albertus Christianus & Georgius Albertus Brandenburgici (ut ita mensis ille Magnorum Principum ferax fuerit) hos Ferdinandus Austriacus, ille Cardinalis, Ernestus Guntherus Holsatus, Joannes Hessus secutus est. Sophia Eleonora Saxonica, Anna Maria Brandenburgica & Ludovica Amalia Anhaltina eodem anno natæ. Decimus hujus seculi Mariam Annam Ferdinandi 2. filiam, Maximiliani Bavari uxorem Sereniſſimi Electoris matrem, & Mariam Elisabetam Saxonicam (quæ XI. Electorum sanguis Sereniſſimi Christiani Alberti Holsatiæ Ducis mater est) produxit. Undecimus Matthiæ Hungariæ & Bohemiæ Regis cum Anna Austriaca (quæ paulò post Anno 1613. diademate Hungarico ornata est) nuptias, natales verò Alfonsi Austriaci, Cæciliæ Renatæ eadem Augusta domo oriundæ, Reginæ Poloniæ, Ulrici Principis Daniæ Magnanimi, Georgii Friderici Holsati vidit. Duodecimus Galliæ & Hispaniæ Regibus sorores sibi mutuò desponsentibus, Joanni Palatino Ludovicæ Palatinæ, Alberto Bavaro Mechtildæ Leuchtenbergicæ & Joachimo Ernesto Brandenburgico Sophiæ Solmensis nuptias, Joanni

(*a*) Bucholzerus, Calvisius & Piasecius ad hunc annum. (*b*) Grotius hist: 17. p. 802.

verò

verò Alberto Principi Poloniæ, Augusto Saxoni, Henrico Hesso, Christiano Oldenburgico, Magdalenæ Sibyllæ Brandenburgicæ (quæ nunc Serenissimæ Domûs Saxonicæ Electoralis mater est) aliisque Principibus natales gratulatus est. Decimus tertius de multis pariter hymenæis & natalibus Principum gavisus est. Nam Fridericus V. Elector Palatinus Elisabetam Britannam, Wolfgangus Guilielmus Palatinus Neoburgicus Magdalenam Bavaram, Georgicus Joannes itidem Palatinus Veldentianus Susannam Palatinam Sultzbacensem, Otto Hessus Catharinam Ursulam Badensem conjugio sibi junxit. Eodem anno Elisabeta Sophia Joannis Georgii Electoris Brandenburgici filia & septem Electorum sanguis Janussio Radzivillio Birzarum, Dubincorum, Slutzii & Copilii Duci fœdere matrimonii juncta, aliquot annis post Boguslaum filium enixa, unicum paternæ Domûs solatium, Principem Magnanimum & virtutibus Maximum, Prussiam Electoralem Præfecti amplissimâ potestate nunc gubernantem. Eundem illum annum Carolus Ferdinandus Princeps Poloniæ, Joannes Georgius 2. undecim Electorem Saxoniæ sanguis, & ipse Elector, Princeps Magnanimus, validum Serenissimæ Domûs Saxonicæ, sed & S. Rom. Imperii columen, Christianus Ernestus Brandenburgicus, Fridericus Anhaltinus, Hedvigis Hessa, Eva Catharina Anhaltina, Antonia Wirtembergica, natalem habuit. Decimo quarto Georgius Rudolphus Dux Silesiæ Lignicensis & Bregensis Regius Piastadarum Poloniæ sanguis Sophiam Elisabetam Anhaltinam, & Georgius Fridericus Badensis Agatham Erpacensem vitæ sociam: Leopoldus Guilhelmus Austriacus Ferdinandi Secundi filius, Tertii frater, Alexander Princeps Poloniæ, Fridericus Henricus Palatinus Friderici V. primogenitus, in cunis Rex Bohemiæ electus, Augustus Saxo, Albertus Brandenburgicus, Mauritius Hessus, tùm Serenissimus Eberhardus Wirtembergicus Dux octavus, Princeps eruditionis & virtutum laudibus insignis, tùm &, quæ ipsi postea uxor à Deo feliciter, utpote numerosam & præclaram sobolem paritura, data est, Anna Catharina Joannis Casimiri Comitis Sylvæ & Rheni filia, & Sophia Brandenburgica vitæ exordium habuit. Decimo quinto celebratæ sunt illæ nuptiæ Ludovici 13. cognomine Justi, Regis Galliæ cum Anna Maria sorore Regis Hispaniarum Philippi Quarti, & hujus cum Isabella Ludovici sorore: tum Joannis Casimiri Palatini Bipontini, qui Serenissimi Regis Sueciæ Caroli XI. avus est, cum Catharina Caroli IX. Regis Sueciæ filia, Ludovici Electoris Palatini, qui Serenissimi Caroli Ludovici Electoris Palatini proavus fuit, ex filia Anna Maria nepte: nec non Ambrosii Spinolæ, bello Clarissimi Principis, cum Aumalii Ducis filia. At verò Christiani Saxonis, Erdmanni Augusti Brandenburg. tùm Serenissimi Philippi Guilhelmi Palatini Neoburgici inter Principes Germaniæ Laudatissimos & regnandi artium peritissimos optimo jure ponendi, nec non Friderici Wirtembergici, Sophiæ Hessæ, Agathæ Badensis & Christinæ Margarithæ Mecklenburgensis natalibus, idem annus lætus & præclarus extitit. Decimus sextus Annæ Matthiæ Imper. uxori Bohemicum diadema impositum, Georgium Guilhelmum novem Electoribus Brandenburgicis satum, & paulò post Inclyto Patri Joanni Sigismundo successurum, Elisabetæ Carolotæ, quæ etiam tot non tantùm Electorum, sed & Imperatorum ac Regum, quos Domus Palatina orbi Christiano dedit, sanguis, Friderici 4. Electoris filiæ, Quinti sorori, nexu connubii junctum: Fridericum Palatinum Bipontinum, Fridericum Brandenburgicum, & illum Hessum, qui duodecimo abhinc anno sacram purpuram induit, natum conspexit. Decimus septimus auspiciis Ferdinandi (*a*) in regno Bohemiæ (sicut proximus in regno Hungariæ ante Cometæ apparitionem) nuptiis Ducis Mantuani cum Magni Ducis Hetruriæ sorore, & natalibus Serenissimi Caroli Ludovici Electoris Palatini Principis, eximiis laudibus ornatissimi, Alberti Brandenburg. Friderici Hessi (qui Serenissimi Regis Suecorum Caroli Gustavi affinis in nupero bello Polonico Costiani ex insidiis occubuit) Friderici Badensis, Ulrici Wirtembergensis, & Dorotheæ Batildis Anhaltinæ inclaruit. Atque hæc etsi paulò longius à Cometa nostro dissita, tùm eorum qui longè remotiora casuum adversa Cometis imputant, tùm præcipuè tot Magnorum seculi nostri Principem (quorum hîc uno obtutu hy-

(*a*) Piasecius ad 1617.

menæos

Figura exhibens facies et motum Cometæ illius maxime insignis et memorabilis A. C. 1618. et 1619. Cujus orbita hic ex tab. Kepleri delineata adjunctis item aliorum ut Cysati Nº 86.
Longomontani, Habrechti, Schickardi etc. observationibus ad singulos dies



menæos, natales & genus subjicio) gratiâ adnotare ex industria volui. Quod si tamen hoc aliquis ægrè ferat vel etiam miretur, sciat me invenisse Cometam inter hunc & proximum ad annum 1610. à Clarissimo Viro Daniele Berckringero* notatum. Qui si, ut spero, justa auctoritate firmari possit, bono jure tabulas nostras Cometas augebit.

* Dissert. de Cometis pag. 57.

CCCCVIII. CCCCIX. CCCCX. & CCCCXI. *Anno Christi* 1618. *Cometa mense Octobri manè ante Solis ortum in cælo, prolixâ admodum caudâ formidabilis visus in signo Scorpii propè lancem, qui inde progressus Borrholybicum contra seriem signorum Bootem ferè totum perlustravit.* Bucholzeri & Calvisii appendix. *Anno Christi* 1618. *ardente in Bohemia bello, Cometa in cælo ardere cœpit, prolixâ admodum caudâ formidabilis. Visus is primùm apud nos* 16. *Novemb. fuit horam circiter matutinam quintam, accensus nimirùm in Scorpione juxtà duos Planetas, Martem & Mercurium, à quibus flammam concepisse haud immeritò putatur, cum præsertim Cometas omnes effectus habere ejusmodi, quales à Marte & Mercurio cientur, Ptolemæus etiam annotatum reliquerit. Ex Scorpione deinde progressus fuit contra Signorum ordinem in Libram, sumptoque ex Oriente Septentrionem versus itinere per dissectum medium Booten ad cingulum ejus usque transiit, & caudam suprà verticem nostrum, prolixo admodum intervallo juxtà inferiorem Ursæ minoris pedem extensam habuit, donec ultra Cancri Tropicum progressus, circà* 14. *Decembris iterum disparuit, cogitandi nobis de effectis & significatione ejus materiâ non vulgari relictâ, quàm editis in lucem multis doctissimis, post meum discursum scriptis, Astrologi prolixè satis explicarunt & pertractârunt. Extant de Cometa hoc monetæ aureæ argenteæque, cum scripturâ meâ ejusmodi cusæ:*

Ardet divini Numinis Astrum.

M. Godfridus Arthusius Tom. 12. lib. 3. Mercurii German.

Cæterùm de hoc Cometa scripserunt D. David Herlicius Medicus Stargardiæ in Pomeraniâ: M. Paulus Nagelius Lipsiens. Theologus & Astrologus: Casparus Dauthendey Medicus & Mathematicus.

Cometam hunc duobus mensibus antecessit terræ motus horribilis, quo in Alpibus Rheticis oppidum Plura obrutum est Anno Christi 1618. *die* 25. *Augusti. Sequenti anno die* 15. *Januar. circà Francofurtum etiam factus est terræ motus. Anno Christi* 1618. *die* 2. *Novemb. Maximilianus frater:* 14. *Decemb. Anna uxor Matthiæ Imperat. obierunt. Quos Anno Christi* 1619. *die* 20. *Martii ipse Imperator Matthias secutus est. Eodem anno mense Majo sepulta est Annâ uxor Jacobi Magni Regis Angliæ. Obiit etiam hoc anno uxor Philippi III. Regis Hispaniæ. Anno eodem die* 24. *Decemb. ex hac vitâ decessit Joannes Sigismundus Elector Brandenburgicus.* Eckstormius.

ACcedamus ad deducendam curatius quatuor Cometarum historiam. Utemur primum duce Ricciolio, qui ex multis aliis historiam horum Cometarum contexuit. Is igitur primum Cometen 25. Augusti in Hungaria apparuisse, & 25. Septemb. disparuisse, ex mente Kepleri scribit. Existimasse verò, eum, quia Cometa tàm citò caudam perdiderit, ruisse versus Solem in linea obliquè à terra aversa, & supposito motu terræ annuo, Cometam hunc motu suo diurno in principio trajectionis æquasse motum terræ diurnum in longitudine. Secundum Cometam ex confusæ narrationis tenebris in lucem producit. Putat enim eum vel cum trabe, vel cum dracone volante, vel cum tertio Cometa confundi. Visum itaque eum die 10. Novemb. Novesii in Silesia igneum, pennæ struthionis similem ac incurvatum, quam speciem veteres Ceratiam dixerunt, eodem die visum Romæ instar trabis arcuatæ: die verò 17. Novembris Spiræ, aliàs alibi: ubi tamen Kepleri sententiæ incertum notat & scrupulum hîc, ad tertium Cometam abeundo, relinquit. Hunc verò à priori distinctum circà medium Novembr. apparuisse, ignoratum Keplero, Longomontano &

pleriſque Scriptoribus Europæis: & tertium à Secundo in Perſide, tertium quoque à quarto in India viſum diſtinguit. Et ſecundum quidem Obſervationes in Perſide à Garcia Silva Figueroes Legato Hiſpanico factas, Cometarum alter die 10. Novemb. duabus ante exortum Solis horis fulgere cœpit, cujus apparitio inter Orientem & Meridiem animadverſa fuit, color ſimilis planè fumo, qui ex pulvere ſulphureo recoctiſſimo incenſo, evaporatur, caput in Scorpione: Magnitudo quanta Zodiaci ſextantem caperet forma velut acinacis, ut aliqui autumarunt: ſed Legato viſum eſſe Cometam ſpeciem referre magis furculi palmæ anniculi, qui nondum dilatatus in cacumine leviter curvetur; motum autem tenuiſſe in Meridiem. Alter autem Cometa die 12. vel 13. poſt prioris Cometæ exortum ei apparuit jubatus ſive crinitus communi facie, colore Veneris aſtro ſimilis, parique magnitudine aut paulò majore. Ortum autem rectè ducebat ab Oriente Æquinoctiali, & quamvis ab initio longè minor eſſet priore, incrementa tamen in dies longè majora capiebat, ſic ut alterum penè æquaret. Movebatur motu primi mobilis & item proprio, non procul à linea verticali Septentrionem verſùs. Porrò triduo poſt hujus exortum, vel quatriduo alter evanuit. Ambo certè brevem adeò periodum habuêre, ut poſterior jam ſuprà diem decimum apparere deſierit. Obſervatum eſt hunc dum deſineret, magis rubuiſſe. Ex his & aliis Obſervationibus in Perſide factis Ricciolius infert, ſecundum Cometam Garciæ primùm apparuiſſe 10. diſparuiſſe 23. Novemb. tertium verò qui Garciæ ſecundus, ortum 22. vel 23 Novemb. (duo enim, ſecundus ſcilicet & tertius, ſimul viſi in Perſide Cometæ adnotantur) 13. Decemb. deſiiſſe. Inter hæc trabem igneam præ cæteris ejuſdem generis conſpicuam memorat, quæ & à die 18. ad diem 29. Novembris movebatur ad motum primi mobilis, apparebatque antelucanis horis, & occupabat in cælo penè 40. gr. motu autem proprio progreſſa eſt, & à Cratere ad Cor Hydræ progreſſa eſt in antecedentia diebus illis 11. gradus 24. ita ut quidam eam pro Cometa duxerint. Ita ſecundùm horum ſententiam cum aliis collatam quinque Cometæ (quod fieri poſſe Franciſcum Fernandem teſte Ricciolio dicentem audivimus) hoc uno anno apparuerint: quod adjunctâ tabellâ exhibeo:

Cometa 1618. viſus
1. à die 25. Auguſti ad 25. Septembris.
2. à die 10. Novembris ad 23. Novembris.
3. à die 18. Nov. ad 29. Nov. Keplero, ſecundus conjiciente Ricciolio.
4. à die 22. vel 23. Novembris ad 13. Decembris.
5. à die 24. Novembris ad 22. Januarii 1619.

Ne quid dicam de phœnomeno die 20. Octobris St. N. à Schikardo, & 30. Octob. ejuſdem ſtyli Urſino teſte Coloniæ Agrippinæ (fortè ad Spream) viſo, & pro Cometa habito. Sed enim nemo, quod ſciam, eſt, qui duos ſimul Cometas ſecundum & tertium, tùm tertium & quartum, licet iiſdem diebus apparuiſſe ſcribantur, ſicut ſecundum & tertium (nobis hactenus quartum) in Perſide, tùm quartum & quintum in India ſimul viſos accepimus, viſos ſibi eſſe affirmârit. Itaque ille tertius Cometa è tabella delendus, ut quatuor tantum Cometas illâ tempeſtate intra quatuor paulò amplius menſes viſos eſſe relinquatur. Cæterùm de hoc quarto & omnium famoſiſſimo Cometa notandum, eum ad ultimos dies Novembris infra Lunam, non valdè tamen, fuiſſe, inde verò ſupra Lunam ſcandiſſe, ſicut Ricciolius Cyſati, Kepleri, Longomontani aliorumque argumentis expenſis judicat. Ortum eum fuiſſe dicit grad. 4. infra lancem borealem, & exſtinctum inter caput Urſæ Majoris ac polum mundi boreum, motumque retrogradum fuiſſe obliquè in præcedentia, & quotidie remiſſiorem, ſicut etiam capitis magnitudo quotidie minor apparuerit oculo nudo, ſecus autem Teleſcopio; Latitudinem autem ſeu declinationem ab ecliptica auxiſſe uſque ad diem 8. Januarii, inde autem diminuiſſe flexo curſu nonnihil verſùs Meridiem. Ita ut

ut cœperit in Scorpii gradu 18. cum latit. Auſtr. gr. $3\frac{1}{2}$. & deſierit in Cancri grad. $21\frac{1}{2}$. cum latit. bor. grad. $56\frac{1}{3}$. Diligenter dehinc Ricciolius obſervationes Præſtantiſſimorum Mathematicorum accuratiſſimas exponit: quibus ut immorari nolo, ita tamen pauciſſima non negligenda adponam. Refert caput Cometæ quotidie diminutum, & caudam 21 gr. at die 18. Decembris 28 gr. longam Scipioni Claromontio viſam. Valentiæ Hiſpanorum Antonio Luciano ſinè capite ob viciniam Solis viſum die 24. Novembris, ſed die 29. caput emerſiſſe è radiis Solis, & caudam gr. 25 porrexiſſe (quam tunc incurvatam Meridiem verſùs Gaſſendus: die 10. Novembris Vendelinus, 10. Decembris Romani viderunt) occaſum verſùs averſam potius à Venere quàm à Sole, licet poſtea exactè averſa fuerit à Sole. Exordium motûs fuiſſe à lance boreali & inde per Booten & caudam Urſæ Majoris. A die. 17 Decembris non occidiſſe amplius Batavis, ſed verſatum fuiſſe inter ſtellas ſemper ibi apparentes. Extinctum denique circà medium Januarii ultrà Urſam majorem ex Villebrordo Snellio, celeberrimo apud Batavos Mathematico ait. Longomontano Hafniæ non ante 1. Decembris St. N. obſtantibus procellis viſum. Caput Cometæ aliquanto majus Spicâ Virginis & colore medio inter Martem & Spicam. Caudam viſam ei directè à Sole averſam & longam ſtaturæ hominis procerioris. At die 3. Decembris caudam 20. quaſi grad. fuiſſe. Die 4. eandem valdè prolixam & vibrationem inſignem: caput adhuc majoris diſci quàm Spica ſit & ſatis rotundum. Die verò 10. Decembris manè Cometam ortum ferè cum Luna caudæ radios præter morem vibraſſe uſque ad gr. 104. nempe uſque ad manum ſiniſtram Aurigæ & averſos à Sole, elevato autem Cometâ caudam contractiorem factam. Die 15. Decembris caput Cometæ ſubobſcurum fuiſſe & diminutum ac rubicundum nudo oculo, at perſpicillo lividum & caudæ radios raros. Die 24. Lunâ ex adverſo ſplendente Cometam valdè attenuatum & caudæ vix veſtigium apparuiſſe, ut & die 26 & 28. quo deſierit obſervari Hafniæ. Diſtantiam porrò Cometæ à terris ex parallaxibus Longomontanum deduxiſſe ſemidiametrorum terreſtrium ſaltem 240. & quia caput Cometæ majus quàm Spicam ac 3. minutorum æſtimârit, diametrum ejus ad diametrum terræ feciſſe, ut 377. ad 3600. ſeu ut 1 ad $9\frac{1}{2}$, & corpus Cometæ ad terram ut 1 ad 870. & ad Lunam ut 1 ad 20. Keplerum iniiſſe Obſervationes Lincii à 29. Novembris æſtimatione oculari ad fixas, cum idoneis inſtrumentis caruerit. Die tandem 7. Januarii finem obſervandi feciſſe. Die 9. Decembris adeò longam fuiſſe caudam, ut illa major fuerit diſtantiâ Cometæ à terra. Ambroſio Rhodio Mathematico Wittebergenſi à 27. Novembris viſum Cometam. Die 14. Decembris caudam longiſſimam uſque ad gr. 60. vel ſaltem 50. die 17 & 19. contractam ad 30. gradus; tandem eum circa 12. Januarii diſparuiſſe. Singulare verò quidpiam D. Iſaacum Habrechtum Argentorati die 30. Novembris in Cometa notaſſe, ſcilicet quaſi triplicem ſtellam, & intimum ipſius nucleum fulgentem inſtar auri in teſta liquati inter violentiſſimos ignes Capellæ: ſed illum nucleum circumdatum fuiſſe circulo remiſſioris claritatis, & hunc iterum alio circulo inconſtanti & ſcintillante. Eodem die viſam ab aliis ſtellam in capite Cometæ, quaſi Domicellam in curru ſedentem, idque ſcriptum fuiſſe Lipſiam ad Phil. Müllerum. Keplerum hoc oculorum vitio fruſtra tribuiſſe. Id enim Cyſati præſtantiſſimi Ingolſtadienſis Mathematici Obſervationibus confirmari. Quas cùm præ cæteris commendet, omiſſis dierum obſervationibus ad iſtas rectà veniemus. Refert itaque Cyſato ante 1. Decembris nebulis impedientibus Cometam non fuiſſe viſum. Viſum autem tunc paulò ante horam 5. matut. hora jam 5, 45′. vidiſſe Cometam altum 12° 26. & diſtantiam ab Arcturo 27° 6′: à Spica verò 24° 48′. ideoque in Scorpii 9° 24′. cum latitudine boreali 11° 37′. Die 4. ortum fuiſſe paulò ante horam quartam matutinam. Die 7. inter quartam & quintam matutinam, ſtellam tertiæ magnitudinis, quæ eſt in Libra Bootis, fuiſſe ferè in mediis Caudæ Cometicæ radiis, & horâ ſeptimâ in extremis propè caput. Die 16. Decembris caudam Cometæ hora nona veſpertina tranſiiſſe per medium quadrilaterum Urſæ Majoris: capite adhuc latente vel infra horizontem, vel in vaporibus horizontis, à quo emerſerit circa undecimam horam noctis. Die 20. Decembris caput Cometæ hora tertia 54′. matutina diſtare, viſum eſſe uno gradu proximè à ſtella quartæ magnitudinis, quæ eſt ad ſiniſtrum

ſtrum cubitum Bootis, cum Cometa altus videretur 48° 36. & perſeveraſſe in eadem diſtantia ab eadem ſtella abſque notabili diſcrimine, uſque ad ortum ferè Solis, ſeu uſque ad viſam Cometæ altit. 76°. ſibique viſum id eſſe argumentum parallaxeos exiguæ. Ab hoc autem die 20. uſque ad Januarii 18. nunquam amplius occidiſſe Cometam infra horizontem*, ſed verſatum eſſe inter ſtellas ſemper apparentes. Die 27. Septembris veſperi hora ſeptima cælum ſereniſſimum, adeò ut ſtellæ ſextæ magnitudinis diſtinctè viderentur, & tamen Cometæ comam nihil prorſùs apparuiſſe, caput difficillimè viſum non majus ſtellis quartæ magnitudinis, & reliquis ſtellis longè obſcurius: quia videlicet Luna plenior extinxerit ferè Cometam, ut & lacteam viam ac nebuloſas ſtellas. Die autem 28. hora quinta matutina, Lunâ abſente, conſpicabiliorem fuiſſe Cometam, caput multò majus, & comam multò longiorem, & aërem quoque puriorem. At hora nona veſpertina Lunâ lucente nil de Cometa viſum, eſto ſtellæ ſextæ magnitudinis comparerent. Die 7. Januarii Cometam conjunctum fuiſſe cum ſtella penultima caudæ Draconis. Tandem à die 22. Januarii per alios 8. & plures dies fuiſſe dies nubilos, poſt quos Cometæ nullum amplius veſtigium apparuerit. † Quod ad Obſervationes caudæ 12. aſtrorum ſchematiſmis elegantiſſimè oculis ſubjectæ attinet, die 1. Decembris caput paulò infra pedem borealem Virginis fuiſſe, ab hoc ſurrexiſſe caudam non rectam ſed curvam, ſurſùm convexè, & deorſum concavam nonnihil, ac latiorem in medio quàm ipſum caput, ut fit in flammis lucernarum, in fine autem non ſcoparum more ſparſam, ſed collectam in cacumen (fortè, *acumen*), quod rarioribus & dilutioribus radiis luxerit, longitudinem caudæ tunc ſaltem 22°. fuiſſe. Die 4. caput Cometæ rarò & languidè ſcintillaſſe, & caudam velut vento leniter agitatam fluctuaſſe, & reciprocâ vibratione ſubſaltaſſe & aliquando acutum in extremo, aliquando in ſcopæ formam dilatatam, quod aliis quoque multis noctibus uſque ad diem 28. Decemb. animadverſum fuerit. Die 7. hora ſeptima tramite ferè recto protenſam, latam in medio ferè 2° 36. ordinariè, ſed ob reciprocam ejaculationem ac dilatationem aliquando gr. $3\frac{1}{2}$ longitudinem autem viſam 57°. & à genu Bootis remotiore uſque ad ſtellas pedis ſiniſtri poſterioris Urſæ Majoris. Latitudinem ordinariam caudæ 2°. Die 17. hora ſexta matutina caudam notabiliter curvam apparuiſſe longam 56°. latam paulò plus 2°. Die 18. longam 54°. latam paulò minus 2°. Die 20. caudam longam 34°. & curvam, tranſiiſſeque à carpo Bootis per extremam Caudæ Urſæ Majoris, uſque ad humerum ſiniſtrum Urſæ. Die 21. caudam longam 20°. Die 22. hora octava veſpertina caudam brevem adeò, ut videretur diſparitura, ſed diem 24. incrementa nova accepiſſe & fluctuare ac vibrare alternis jaculationibus radios, multò quàm aliàs frequentius viſam eſſe, ſic ut à manu Arcturi uſque ad remotiſſimam plauſtri pertingeret fieretque interdum lata 4°. quod etiam die 28. viſum ſit. Caudæ longit. die 28 & 29. fuiſſe 35°. decreviſſe verò adeò ut die 7. Januarii vix 8°. videretur. Tandem advertiſſe Cyſatum extremorum radiorum ſubtilitatem & caudæ longitudinem aliis aliter viſam ob oculorum, aëris & crepuſculi varietatem; caudam tamen ſemper directè in averſam Soli partem protenſam fuiſſe, ‡ & caput Cometæ à Sole die 1. Decembris digreſſum 31° 27'. & die 21. Decembris 90° 34'. & die 18. Januarii 123° 3'. ſed die 22. 122° 2'. tantum.

(*a*) Caput porrò Cometæ nudo oculo repertum à Cyſato eſſe 1. Decembris longè majus quàm ſtellam primæ magnitudinis ejuſque lumen obtuſum, pallidum & non ſcintillans, ſed Saturno valdè ſimile: illud verò Aſtronomico Radio ſe dimenſum fuiſſe & reperiſſe uſque ad die 10. Decembris 7' aut 6'. At die 3. Januarii adeò diminutum, ut vix æquaret ſtellas quartæ magnitudinis; ſed adhibitis tubo ſpicillis, uno 6. altero 10. pedum, vidiſſe in medio capitis nucleum lucis conſtipatioris rotundum, diametro majore quâvis ſtellâ 1. magnitud. teleſcopio item ſpectata, minore tamen quàm iis diebus viſa fuerit per tubum Jovis diameter, ita ut ſummùm contineret duas tertias diametri Jovis. Nucleum illum ambiiſſe circumfuſum aliud lumen pallidius, duplo ferè latiore limbo quàm fuerit nuclei diameter tanquam juba vel halo. Nuclei

* Cometa quando inter ſemper apparentes eſſe cœperit † Cometæ ſitus & Longitudo. ‡ Digreſſio à Sole. (*a*) Capitis Obſervationes.

diame-

diametrum 2′, latit. limbi 3′. & totam diametrum 8′. circiter. Die 8. nucleum seorsim sumptum apparuisse duplo majorem Arcturo, & 3′ vel 4′. cum primo die longè minor visus fuerit, nec amplius rotundus sed diffissus in tres vel quatuor irregularis figuræ globulos inter se cohærentes. Die 17 & 18. Decembris pro nucleo illo jam aliquot minutissimas stellulas lumine obtusissimo illis interfuso & circumfuso: & die 20. manifestius apparuisse in stellulas multas dissolutum, quarum tres distinctius visæ fuerint, earumque maxima similis stellis 5. magnit. Nuclei hujus seu congeriei stellarum diametrum fuisse 5′ aut 6′ & notabiliter majorem quàm die 1. Decembris. Sed die 24. stellulas nuclei magis dissipatas & multò tenuiori lumine apparuisse, & ex tribus illis insignibus, unicam tantùm visam, cæteras similis omnes magnitudinis, sed ob crebram scintillationem * & inconstantiam non potuisse numerari; nuclei verò diametrum 6′. latit. limbi circumfusi 5′. & totam diametrum capitis 16′. visam esse: postea verò non potuisse tubo spectari dissipatis jam illis stellulis. Concludit tandem Riccius (a): *Mirum itaque fuit contrarium planè evenisse spectantibus nudo oculo, nam ab initio majus* (caput) *videbatur, ob constipatum ac densum corpus, & lumen intensius, & in fine vix poterat discerni, & videbatur minimæ magnitudinis, at è contrario per Telescopium, visum est caput* 1. *die Decembris* 8′. *minutor. & die* 24 *Decembris minutorum* 16′. *Aderat Chrysostomus Gall. Mathematicarum postea publicus professor in Lusitania, & observatio diversis tubis sæpiusque iisdem noctibus repetita, liberat animum suspicione ludibrii oculorum; vide etiam quæ supra viderit D. Habrechtus Coloniæ. Ecce autem tibi in fine hujus observationis figuram, quâ à die* 17. *Decembris usque ad* 20. *apparuit caput Cometæ. Similis congeries cernitur telescopio in nebulosa Cancri, & in fine gladii Orionis. Tandem putat Cysatus distantias à terra fuisse, quales in fine tabulæ quartæ ponemus, & Cometam motum per Epicyclum circa Solem, licet non neget potuisse moveri per lineam rectam; & caput fuisse quoad diametrum milliarium Germ.* 175. *corpus autem minus terrâ vicibus* 950. *sed Lunâ vicibus* 22. *Deinde exhibebo tabulas, primò quidem longitudinum & latitudinum observatarum, deinde ephemerides concinnatas ex paucis observationibus, sed probabili conjecturâ motûs ordinatas & extensas ad alios plures dies, quibus non est observatus Cometes.* Subjicit etiam pauca de eventibus horum Cometarum, quæ pono: *Quoad effectus, inquit Keplerus, fuit hyems anni* 1619. *sicca & squallida, adeò ut licet flante Austro Mosella nunquam, ut solet, exundârit: mortua est circa hoc tempus Anna Imperatrix, deinde mortuus est Matthias Imperator, qui Mansfeldium Palatinatu spoliârat, unde ingentes turbæ & clades, bellum Bohemicum, Bethlemi Gaboris eruptiones in Hungariam, & aliæ multæ calamitates, quæ Germaniam & Italiam præcipuè infestas habuerunt.* Tabulas Observationum omnium de hoc Cometa à pluribus excellentissimis Mathematicis factarum & inter se collatarum, videat qui volet apud Auctorem l. d. c. 3. fine. In sequentibus hæc pauca de hoc Cometa observanda addit: Sicut ille anno 13. ante Christum natum teste Dione, Cometa, qui diu supra urbem pependerat, postea in multas faces dissolutus fuerit: ita id ipsum evenisse putare Keplerum loco adducto (lib. de Cometis pag. 49) de duobus Cometis Anno 1618 visis (b): & exinde aliisque exemplis constare Cometam unum in plures divisum (c) aut resolutum, aut ex pluribus coaluisse. Caudam Cometæ nostri Philippo Müllero 90. die 26. Novembris Mathematicis Romanis 12. Decembris 60°. (d) Keplero 70°. Cysato 75°. longiorem die 9. Decembris non fuisse (quibus merito ex Gassendo addimus, caudam ei 29. Novembris per gradus plus quàm 40. protensam fuisse observatam) at postridie 104°. Longam Longomontano observatam. Ab Oriente (e) versùs Occidentem, sed obliquè tranasse. Spectatum manè (f) paulò ultrà ortum æquinoctialem ex Libra per Bootem ad caudam Ursæ Minoris profectum esse, ita tamen ut observantibus Cysato, Snellio & aliis quasi cochleam in fine circa polum mundi descripserit, seu circulum intrà circulum semper apparentium manens à die 23. Decembris usque ad 23. Januarii, nunquam descendens infra horizontem Ingolstadii. In præcedentia (g) signorum motum esse. Arcum (h) 28. diebus 107°. 36. confeciss: velociorem (i) ab initio, tardiorem in fine fuisse, & diurno motu maximo in

* Cometa congeries stellularum. (a) Almag. l. 8. sect. 1. pag. 20. col. 2. initio. (b) Cap. 4. num. 3. (c) Vid. Gassendi Phys. sect 2. l. 5. de Comet. cap. 1. p. 701, 703, 704. (d) Cap. 4. num. 7. (e) Cap. 4. num. 10. (f) Ibid. (g) Num. 11. (h) Num. 12. (i) Num. 13.

proprio ductu 3° 26. absolvisse. Meminit & aliàs Ricciolius hujus Cometæ. Ex industria tamen de eo pluribus c. 22. agit: ubi eum primò infrà Lunam aliquantisper, postea ea superiorem fuisse reliquorum argumentis pensitatis, ut diximus, concludit. Vid. & c. 23. p. 119: c. 24. p. 120, 121: cap. 25. pag. ead. & seqq. cap. 26. p. 128. & seqq. Placuit autem hæc omnia, licet prolixiora, adnotare, ut & Auctori diligentissimo debitam laudem profuturo in publicum exemplo tribueremus, & Mathematices studiosorum usibus, cum liber iste in his oris satis rarus sit, consulamus. Sed his non contenti, Cometæ nostri historiam damus ex Godefrido Vendelino, Viro, si Fromondo, at quanto viro! fidem habemus, eruditissimo, qui consummatissimum Cysati Commentarium de illo Cometa in compendium redegit. Is itaque 4. illorum Cometarum à die 24. Augusti 1618. ad 23. Januarii 1619. in Europa observatorum historiam ita pertexit: Primùm die 24. Augusti manè horâ tertiâ post mediam noctem conspectum esse in Hungaria Cometen: eundem die 27. caudam ab ortu versus occasum projecisse, in partes scilicet à Sole aversas. Die 2. Septembris observatum esse à Keplero, qui ejus locum retulerit in 10. Leonis cum latitudine 21½ Boreali, caudâ ferè omni deperditâ, capite obscuro, non absimilem visum fuisse globi alicujus nebulosi atque ardentis, cujusmodi sunt aliqui in via lactea. Observatum esse ab eodem Keplero ad diem usque 25. Septembris & tunc illi postremo visum in 28. Cancri cum latitudine 23½ boreali, lato ac brevissimo capillitio nebulosum non micante lumine. Durasse itaque dies 32. admodùm.

Secundum exortum esse circa finem Octobris: ac die 30. mensis ejus manè visum esse Coloniæ ad Borrhapelioten, tractu caudæ longo & exporrecto à capite in partes à Sole aversas, cum ipsum caput delitescceret in vicinia Solis. Die 5. Novembris conspectum esse Valentiæ in Hispania, notante illum Joanne Baptistâ illîc Astronomo, juxta primum Decanum Scorpii haud procul Mercurio pedeque dextro Virginis cum latitudine austr. gradus unius fermè declin. verò 12. hoc est in 3°. fermè Scorpii: Solem tunc versatum fuisse in ejusdem Signi parte 13. Dissitum ergò tunc Cometen à Sole fuisse ad 10°. tantum: in qua propinquitate non fuisse per Belgicas regiones adspectabilem. Caudam longam fuisse 32°. pertigisseque ad finem Virginis medio sui latam partes 3. incurvam instar spadicis de palma. Colorem fuisse buxeum, pallentem cum nonnullis stricturis & scintillis coloris ignei ac flagrantis. Die 7. Novembris notasse eum in Gallia Balthasarem Montfortium igneumque globum appellasse: quoniam tale apparuerit caput. Die 9. Nov. in Lotharingia visum. Die 10. Novesii in Silesia, teste Keplero, ignita specie instar pennæ struthionis, valdè incurvatum scilicet & ita κεφλιαν fuisse, cum cornu quodammodo curvitate æmularetur, hoc est spadicem jam dictam repræsentaret. Postremò 2. Decembris visum esse Valentiæ, cum jam cauda prætergressa esset Corvum, Craterem, Hydram, strinxissetque humerum Centauri, ut duraverit dies 34. aut fortean plures Australibus hominibus observatos.

Inter hæc insolens ac rarissimum ab orbe condito spectaculum fuisse, quod dum proximè dictus Cometa fulgeret, eodem tempore atque in eadem cæli vicinia duo alii Cometæ apparuerint, ita ut Keplerus putaverit ex uno factos duos. Tertium die 10. Novembris vespere Rhodio Mathematico Wittebergensi & Arturo Dantiscano conspectum, teste Keplero, sed nonnisi caudatenùs, cum intrà viciniam Solis caput latitaret. De motu nil traditum se habere; nec aliud hinc auferre quàm fieri interdum, ut plures simul Cometæ conspiciantur. Atque hos Cometas prodromos quarti & quotquot spectavit hominum memoria maximi fuisse. Hunc vero se comperisse tredecim diebus ab exortu tertii jam commemorati, die 23. Novembris conspectum in Perside à Sole haud procul. Die vigesima quinta visum in Hispania ab eodem illo Joanne Baptista, manè ante ortum Solis in secundo decano Scorpii, dicique ei Cometam mensis hujus secundum, qui obtinuerit latitudinem partium undecim borealem cum declinatione 7. gr. austral. Sed hoc quadrare in diem demum 2. Decembris, quo præcedentem postremùm viderit: & hanc observationum incuriam, Astrologiam præ Astronomia consectanti, condonandam. Visum hinc 26. Novembris Francofurti ad

Viadrum

Viadrum Ursino. Die 27. Romæ, Wittebergæ, Lovanii. Die 28. Dantisci, Coloniæ, Wormatiæ, Parisiis. Die 29. ab se: locum ejus pronunciasse se ex vicinia Lancis in 14. Scorpii, cum latitudine part. 5. boreali. Die 30. Novembris situm ejus se definivisse in gr. 11. 36. Scorpii cum latitudine 8. 25'. bor. Observasse se eum ad 20. Januarii 1619. quo locum ejus ægrè sit consecutus, cum non amplius Cometa fuerit, sed tomentum potius hapsi convoluti, ut nec caput nec cauda satis discernerentur etiam telescopio. Censuisse tamen stetisse tunc in 20½. Cancri, cum latitudine 58. partium boreali, non amplius. Denique 24. nihil superfuisse. Durasse itaque Cometam dies ad summum 60. quantum quidem ab Observationibus cis Æquatorem borealibus colligi potest. Credibile tamen esse Monomotapis & Chilensibus apparuisse diebus aliquot citius quàm Persis & Hispanis; cum & Cometa 1577. qui ex Australibus plagis in boreale hemisphærium profectus, cum Europæ vix 9. Novembris illuxisset, in Peruvia jam inde à Kal. Nov. effulserit, teste oculato Acosta lib. 3. c. 6. Ita fieri potuisse ut & hic Cometa vel ex die 15. Novembris illic observatus fuerit. Motum hujus Cometæ fuisse ex Scorpio in Cancrum, ex fine scilicet fermè Scorpii in 18. circiter Cancri plus triente cæli. Ac primùm quidem fuisse Australem ad 15. fermè gr. latit. transiisse deinde Eclipticam in gr. 17. 15'. Scorpii, cum inclinatione anguli partium 63. 56. admodùm, quam non servarit constantem: principio enim minorem fuisse, & post diem 23. Decembris rursum imminutam fuisse. Eundem motum principio velocem fuisse, ut dietim expleret in proprio cursu gradus ferè 5. lentiorem deinde ac lentiorem, donec sub finem putaretur Stationarius. Viam Cometicam rudi quidem sensu oculorum judicari potuisse descripsisse lineam in cælo rectam, portionem scilicet circuli maximi: sed id absolutè verum non fuisse. Nam ab illo retro ductu deflexisse sensibiliter, uti ab aliis quoque fuerat observatum. Parallaxes interim nec à se nec à Keplero aliisque ullas fuisse sensibiles: inde Cometam suprà Lunam fuisse. Caudam semper observatam fuisse projectam in partes à Sole aversas. Longitudinem ejus excessisse 56°. à capite, sensim latiorem ad modum radii Solaris per foramen exiguum in obscurum conclave intromissi, quem atomi faciunt adspectabilem. Colorem caudæ juxta caput igneum fuisse ac rutilum, qui subinde quibusdam velut fulgetris ac stricturis reciprocati incendii remissionem atque intensionem imitaretur. Reliquam caudam pulchram, candidam, lucentem: sensim breviorem, & cum jam ad manum Bootis Cometa perveniisset, vix ullam superfuisse. Caput Cometæ Telescopio ab se 29. Novembris exploratum, fuisse deprehensum veluti ingentis foci luculentas tres aut quatuor prunas igne valido accensas, & visum Cometam quasi triplicem globum: illas prunas situm nonnihil mutasse, quasi esset qui focum scrutaretur: ac sequentibus diebus plures prunas sibi conspectas quasi carbones nostri dissiliunt in plures partes jam accensi. Idem denique Cysatum observasse.

Petrus Gassendus (*a*) Philosophus eximius unum tantum Cometam illius anni agnoscit. Nempe & aliàs plures simul Cometas videri vix posse ait. Sed aliud experientia loquitur. Illud quoque dissimulandum non est, Gassendo unum tantùm Cometam, illum scilicet quartum & celeberrimum die 29. Novembris observatum. Postremam observationem Radio institutam fuisse die 13. Januarii dicit, cum supereset adhuc tenue ac satis informe alboris vestigium. *Iter proinde Cometæ*, inquit, *proprium institutum fuit per mediam Libram perque Bootem, cujus cum superasset vultum cœpit pernox fieri, sive tota nocte conspicuus reddi. Transiit autem deinceps proximè suprà ejus carpum ac remotius supra Helicen, Ursamve Majorem.* Reliqua quæ addit illorum gratiâ, *quibus cordi est isthæc scrupulosius*, ut ait, *rimari*, apud eum videantur. Audiendus tamen nobis est abiturus Alstedius. Ita enim sub finem Chronologiæ Cometarum de hocce nostro: *Nemo est, qui non observaverit hujus anni Cometam, de quo multi multa scripserunt. Præsagium ipsius jam heu! est in manibus nostris. De hoc Cometa audiamus Erycium Puteanum lib. 1. Paradoxologiæ pag. 32,33. Quinto Kal. Decembris, horâ quintâ post mediam noctem, in signo Libræ, citrà Æquinoctialem primò se spectandum præbuit, & moveri in Septentrionem cœpit, medius inter Virginem & Serpentem. Permeavit hinc Booten, relicto ad*

(*a*) L. d. pag. 701.

sinistram

ſiniſtram Arcturo. Poſtquam verò circa Eidus Decembris, ad lævum hujus imaginis brachium perveniſſet, majori jam Urſæ imminens, libratâ velut lineâ, duas extremæ caudæ ſtellas excepit, & occidere nobis deſiit: ſic quidem deinceps & matutinus & veſpertinus; Orientalis & Occidentalis: Lucifer, & Heſperus; totius, ut ſic dicam, jam noctis ſidus. Brumæ die manum Arctophylacis occupans, extremam Urſæ ſtellam, ſed radiis jam multùm contractis ac dilutis, æquavit, ad reliquas duas obliquè porrectus. Paucis adhuc diebus ſervavit curſum, & magis magiſque imminui cœpit,

Donec in exiguum moriens vaneſceret ignem.

Idem d. l. Mercurio proximum fuiſſe (hunc Cometam) quamdiu in Planetarum via moram traxit, manifeſtum eſt. Itaque præcedebat Phœbus, Princeps ac moderator reliquorum, hinc Scorpio, illinc Serpentario, tanquam gemino ſatellitio munitus. Ne reginam deſiderares, Venus, ſed triginta ſex partium intervallo ſequebatur: à tergo inhærente veſtigiis Capricorno. Spatium ferè quadraginta partium interjectum erat, & hilarem nectare vultum Jupiter oſtendit, proximam Ganymedis urnam quaſi tangens. A Jove Lunam, ſive Dianam viginti circiter tres partes ſeparabant: quia feræ deerant, circa Piſcem Auſtrinum occupatam. Ergo inſolito exemplo, & venationem, & in cælo admireris. Interſtitio centum deinde partium tardus ſenio Saturnus ferebatur, Taurum, velut jugo ſubjecturus, cornibus apprehendens. Pari hinc penè remotus ſpatio Mars Gradivus, impetum facere in Leonem viſus, novoque labore ponè Herculis monſtrum urgere. In extremo tandem orbe lucentem barbæ jubam novum ſidus explicuit. Auroræ nuntium putes, alterumque quaſi Phoſphorum: ſed cujus radiis Mercurius agmen velut ex inſidiis ſequens, latitabat. Furtiva hæc veſtigia erant; mox tamen detecta, procurrente in Boreæ latus Cometâ, & per ſigna aut juxta ſigna. Innuit Cometam hunc bellum Bohemicum & Germanicum præſagiviſſe. Sed longè plura & atrociora Joannes Petrus Lottichius rerum Germanicarum Scriptor ei imputat. Sic autem ille (*a*): *At illud in terris oſtentum horrendum, atque ingens, quis non expaveſcat? Quis verò ad criniti, pariterque metuendi ſideris è cælo territantis, Cometæ, inquam, aſpectum non conſternetur? In cælis certè fax, ante quidem, ſed nunquam impunè, ac ſinè exitio, cognita, eodem Anno MDC XIIX. flagrantem Dei Omnipotentis iram abundè mortalibus indicare cœpit. Illud divinum, inquam, flagellum, ſeditiones, bella, famem, peſtem, regionum provinciarumque everſiones, atque id genus innumera mala, promptè ſubindicare, haud quidem opus eſt, ut è veterum authorum, ſive etiam Lucani, ſive Claudiani monumentis, petamus, ut vel ipſimet, quantum vis Tragici ſideris iſta poſſit, atque innuat, ab experientia, doloris magiſtra, docere, ac confirmatiſſimum poſteris tradere, ſufficiamus. Interim memoriæ, metuendæ iſtius, ac flammantis è cælo facis, quod ab initiis horum motuum deſtinatum à me fuit Epigramma, hîc locum inveniat. Quod tale eſt:*

Et quis adhûc ſuperi convexa negabit Olympi
  Stare velut ſummo viribus orba polo?
Ac nihil humanis portendere ſidera rebus,
  Seu vaga ſint, certis ſeu quoque fixa plagis?
Præcipuè torvo fulgentes crine Cometas
  Ecquis in obſcurum pondus habere neget?
En! noviter longâ metuendus in æthere caudâ
  Aſpicit Eoas manè Cometa plagas:
Terret & obliquum, ceu tranans lancea, cælum,
  Nubila dum rutilo diſcutit atra polo.
Credibile eſt, reliquas à fronte recedere ſtellas,
  Pallida nam trepidis Luna paveſcit equis.
Si memini, rapidis exarſit in aëre flammis
  Hæc quoties certi nuncia forma mali:
Tabida lethiferæ toties contagia peſtis
  Orta, vel atrocis fulmina Martis erant.

(*a*) Lib. 1. c. 2. Num. 4.

Dum

Dum loquor, hei! dubio turget Germania bello,
Et patitur proavis vis meditata suis.
Ipse, caput mundi, Cæsar modò prælia versat,
Per regni Proceres sollicitata sui.
Quæ quò Teutonicum cessent mala mota per orbem,
Et præsaga bono sydere fine cadant,
Iratum placare Deum prece convenit, Astra
Dirigit hic nutu, regna, Ducesque suo.

Indulsit Lottichius non parum genio Poëtico & communi sententiæ cum hæc scriberet. Ecce verò iterum (a): *Quis autem ostentum illud, è cæli culmine, toti pene Europæ, ob oculos positum, Cometam, inquam, & facem, è cælo ardentem, non expaveſcat? Tanquam buccinatorem, concionatoremque, desuper ex ipsis Astris mortales ad pœnitentiam seriò vocantem, Deus Opt. Max. flagellum igneum istud posuit. Quo quidem, quanta dissidia, proditiones, rebelliones, latrocinia, invasiones, anxietates & miseriæ, itemque bella, pestes, fames, morbique multiplices & varii, imò Regum, Principumque obitus, regionum eversiones, mutationesque, ac tropicorum introductiones, atque id genus mala sexcenta alia, nobis præsignificata sint, nemo uspiam quisque est, qui contrà mutire ausit. Is Anno MDC XIIX. circa* VII. *Cal. Novembr. veteris, circà* VIII. *Id. Novembr. novi styli, è cælo prominere animadversus est, tametsi non omnibus eodem temporis articulo ostensus. Primùm igitur in signo Scorpii emicuit, caudam inter Spicam Virginis & Arcturum, ad Polum Septentrionalem obvertens. Inde ad Libræ interſignium transiens, cursumque ab Ecliptica ad Tropicum Cancri dirigens, à Meridie sive Oriente, ad Septentrionem perrexit, ubi radiis suis flammantibus Booten omninò penetravit, dissecuitque, adeòque ad Ursæ Majoris pedium anterius usque excurrit. Illius cursus motusque, sicut extitisse visus est celerrimus, ideòque in aërea regione terræ vicinior Luna fuisse creditur. Quo de qui ex professo cognoscere cupit, Mathematicos hujus temporis adeat. Duravit ejus cursus ad dies* XXVII. *vel alibi, ad mensem integrum; cælo sudo, ante matutinum crepusculum, conspectu maximè notabilis.* Plura Cometarum hoc loco præsagia colligere non attinet. Satis enim magnæ sunt eventuum eorum tabulæ, dum bellum Bohemicum & Germanicum ad eos refertur. Et solent quidem non pauci affirmare, Cometam, qui triginta diebus luxerit, 30. annorum bellum portendisse. Sed illi egregiè falluntur. Nam Cometa saltim iste celeberrimus, quem quartum fuisse ostendimus, diebus 59. & fortè aliquid amplius, docente Ricciolio & Vendelino duravit. Eckstormius ei sexaginta septem dierum durationem assignat. Longomontanus verò Cometæ istius effecta tantùm ad ann. 1625. extendit. Quàm porrò parùm certa & vera sint illa de Cometarum tristibus effectis decreta, iste quoque noster, ipso Lottichio indice & teste, docet. Hoc enim anno 23. Octobris Maximilianus Archidux tot Augustorum soboles & ipse in Regem Poloniæ electus, diem suum obiit: ne aliorum Virorum illustrium & clarorum exempla ab eodem Lottichio adducta vel aliàs inventa in medium producam. Testatur idem terræ motus ingentes 8. Kal. Septemb. extitisse, & Non. Septemb. Schilanum pagum 78. familiis constantem sed & pulcherrimam Plursii apud Rhetios urbeculam 125. ædificiis illustrem oppressis ac suffocatis 930. mortalibus concussisse penitusque contrivisse. Addit autem accidisse id excitato tanto fragore, ac strepitu, ut incolæ machinas bellicas tormentarias ingentes easque numerosas conjunctim simulque explodi cœpisse, confusis sensibus arbitrarentur, pulvere, fumo ignibusque sulphure mistis in cæli usque altitudinem evolutis rotatisque. Calvisii & Bucholzeri appendix 15. Augusti ruinam illius oppidi & 1500. hominum exitium accidisse refert. Ita omnes hujus anni Cometas ista tristia præcesserunt. Sed & varii bellorum motus, qui proximo anno totam ferè Europam concusserant. Polonicos, Suecicos, Livonicos, Moschicos, Turcicos, Tartaricos, ad proximum Cometam vidimus. Nec Germania fœderibus sacris bellum spirantibus, nec Gallia armatis, nec Batavia sacris dissidiis, nec Hungaria Turcicis irruptionibus caruit. Græcensis ditio, Venetorum, Mediolanensis, Sabaudi arma sensit. Maria quoque Batavi,

(a) Lib. 2, c. 1. Num. 4.

Hiſpani, Veneti, Uſcochi infeſta habuerunt. Tonitrua, fulmina & fulgura horrenda & prodigioſi grandines Hollandiam perculerant. Multi præterea Principes è vita vario violenti & naturalis fati genere exceſſerant. Sed & ipſi motus Bohemici, qui bellum Germanicum portenderunt & generarunt, ante Cometam orti ſuaque alia habuerunt portenta. Atque hoc ipſius Lottichii verbis exponere placet ut publica auctoritas privatæ libertati patrocinium præbeat. Is enim, ut ſuperioris ſeculi annus decimus ſeptimus bellum ſacrum in Saxonia viderat, ita hujus pariter ſeculi eodem anno bellum ſacrum apud Bohemos Saxonum vicinos conflari cœpiſſe, & totam Europam partemque Aſiæ, tanquam per fomentum ac contagium funeſtum in belli ac turbulenta litium commercia ſucceſſivè veniſſe deducit. Grave hoc ſanè & totius Imperii viſcera, pluriumque regnorum extrema depaſcens incendium fuit. Hujus ſcintillæ erant odia, quæ contumaci violentiâ hinc oppugnata, illinc propugnata ſacrorum libertas conflavit, quibus nec ſpirantes ignem folles, ſcripta & dicta acerba in vulgus ſparſa, nec incentores deerant. Vigentibus nempe à pace Paſſavienſi non tantùm ſuſpicionibus, ſed ſimultatibus, diſſidiis, odiis, incedebatur adhuc per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Accedebat flammam rapiens fomes, gentis Bohemicæ religionis diſſidiis jam à ſeculo belliſque civilibus aſſuetæ genius: tùm & commoda occaſio, abſente Matthia, ciendis motibus apta. Hæc Lottichius (*a*) proæmio operis poſtquam cordatè expoſuit: ipſam Confeſſionem Auguſtanam maximos motus paſſim excitaſſe fatetur. Sed ut ad viciniora belli Germanici portenta, hunc ipſum ducem ſecuti, veniamus, ex induciis illis Belgicis alibique gentium compoſitâ pace bellum Juliacum in Inferiori, & Alſaticum in Superiori Germania ortum, bello Germanico præluſiſſe & præfulſiſſe oſtendit. Addit enim (*b*): *Quod autem nondum fatalis communis hujuſce belli impetus, juſtumque furoris, & malorum, velut tempus appropinquaſſet, paulò poſt ab armis utrinque diſceſſum eſt. Ut velut magnorum motuum, deinceps impendentium, præliminaria atque incentiva, hæc videri poſſent.* Hinc gliſcentibus partium odiis, Donaverdam à Bavaro captam & libertate Confeſſionis Auguſtanæ privatam, Udenhemium à Palatino ſubrutum memorant. *Tandem*, inquit (*c*), *fatis viam invenientibus, in intimis Imperii, ac Cæſaris, viſceribus & fibris, Pragæ, inquam, Urbe nempe Cæſarea, Bohemiæ metropoli, fatalis ac funeſtæ, iſtius inundationis; procellæque bellicæ, incendia poſita ſunt. Siquidem verò Cæſaris Miniſtri Regii, Imperii, & regni Bohemici, Dynaſtæ, religionis diſſidiis inter ſeſe flagrarent acerrimis, aliis pro Catholicis, ut vocant, Romanis, aliis pro Euangelicis, dictis Proteſtantibus, rem ſtrenuè gerentibus: Interventu Cæſarei diplomatis (Majeſtatis appellabant litteras;) quo quidem indulta & privilegia, Proteſtantibus per Bohemiam conceſſa, continebantur: aliquouſque talis qualis compoſitio locum habuiſſe videri potuit.* Demum quâ ratione ad certamina de ſenſu diplomatis Regii, tandem ad arma & ſeditiones, & ejiciendos (*d*) per feneſtras miniſtros & delegatos Regios ventum eſt, (die 23. Maji Gregor. factum id invenio) deſcribit. *Inde*, inquit (*e*), *eheu! factum, ut pace velut ipſâ projectâ furor bellorum inſanique Martis, tanquam apertas per feneſtras illas Pragenſes, animos menteſque plerorumque omnino ſubierit ac conturbârit. E præcitato Livio notum eſt, Carthaginenſibus olim, belli cupiditate ferocientibus, ubi à Q. Fabio, Legato Romano interrogarentur, pacem ne, an bellum, eligerent? Bellum omnino præferentibus, à Romano, ceu ſinu facto, bellum datum, effuſumque, fuiſſe? Quis hic non ſinu bellum effuſum, ſed patentibus etiam feneſtris Bohemis bellum, motus, furores, omneſque malum, largiſſimè admiſſum, receptumque eſſe negabit? Dum igitur hoc loco Bohemi, belli cupiditate ebrii, atque furentes, militem conſcribunt, Miniſtros Regios abdicant, omniaque quæ armorum ac belli furor ſuadet, præcipites agunt, eandem cum Carthaginenſibus ſortem, everſionem nempe fortunarum ſuarum, experti ſunt. Hoc, hoc, inquam, eſt bellum, etiam per feneſtras admittere: cum potius virgis (ut veteres famem extrudere, atque foras eliminare ſolebant) furcilliſque, omnibus angulis temeraria belli cupiditas ejicienda fuiſſet. Itaque, hei dolor! à viginti, & pluribus annis, per hos continuos belli furores, totis feneſtris totiſque foribus, admiſſos, innumeri penè dynaſtæ ac Magnates, tantum non è feneſtris*

(*a*) Lib. 1. cap. 1. Num. 1. Vide lib. 2. cap. 1. Num. 1. (*b*) Lib. 1. cap. 1. pag. 3. Num. 8. (*c*) Lib. 1. cap. 1. Num. 10. (*d*) Vide ſimile exemplum Pragæ Anno 1419. Fabric. mem. Saxon. Confer Dubrav. l. 26. Bohem. (*e*) Lib. 1. cap. 1. Num. 12.

ſtris præcipitati, ſed è patria, laribus, bonis regionibuſque paſſim ejecti exturbatique fuêre. Atque hæc ſunt funeſtiſſimi illius belli portenta, quæ longè meliori jure quàm Cometa aliaque (quæ initium motuum Bohemicorum citius ſerius exceperunt, ut aquarum inundationes 1619. motus terræ 1620. tempeſtates inſolitæ 1620 & 1623, eodemque pluviæ ſanguineæ ſimileſque cruentationes aliaque) illud præſignificaſſe dicendum erat. Ego verò his, quæ durante jam bello evenerant, exprobraſſe potius Deum Chriſtianis inſolentes in orbe tempeſtates cientibus, terram bello commoventibus, ſanguine mutuo inundantibus atrocem ſævitiam, & ab ea avocare & abſterrere his prodigiis voluiſſe, arbitror. Juſtitiæ enim & Pacis ſtudiis, & hinc clementiâ æquâ, illinc obſequio patienti certare, hoc verò demum Chriſtianorum eſt. Id enim ſacra pagina, ratio ipſaque natura, & tota antiquitas docet. Atque hoc ſolum ego de toto hoc negotio dicendum habeo. Cicatrices enim benè obductas refricare animus non eſt. Nam nec convenit ad metam, ex tanto curſu contendenti & quietem anhelanti. Bellum Suecicum in Germania longè à Cometa noſtro diſtat, utpote anno demum 1630. indictum & cœptum. Cujus longè propius, & Cometâ ante duodecim annos viſo certius portentum fuit auxilia Polono in Pruſſiam contrà Suecum anno proximo miſſa. Cometas noſtros multa triſtia lætaque bello paceque geſta excepiſſe, palam eſt. Legat qui volet Alſtedii hiſtoriam belli Bohemo-Germanici, Chronica Piaſecii & Comment. Lottichii de rebus Germanicis, & his ſimiles. Illa in Bohemia & Germania ſola vox belli abundè præbet. Quibus nos pauca de rebus patriis, utpote melius notis, addemus. Productis nuper Sigiſmundi Regis ad proditam Livoniam adverſis, pauca, ut tunc promiſimus, addemus. Anno hoc, quo Cometes fulſit, ante ejus tamen apparitionem, *ſoluta Comitia* (a) *querelis Nunciorum Terrarum de malis, quibus publicus ſtatus gravari videbatur, ſepoſitis ad alia proxima Comitia:* inutilis Zolkievii Ducis in Voliniam expeditio, Tartarorum in hanc irruptio, Parnavia à Suecis retenta, & Templi Cathedralis Elbingenſibus ademtione, horum à Rege & Regno alienatio evenit. Anno hujus ſeculi decimo nono copiarum Liſſovianarum, quæ Liſſovii Ducis bello Moſchico celebris nomen induerant, per regnum rapinæ & in Hungariam invitâ Republica irruptio: hinc anno proximo (b) accerſita, inſtigante Gabriele Bethlemo Principe Tranſylvaniæ, quem Liſſoviani adorti erant, Reipublicæ Turcica arma, & clades ad Cecoram, quæ Zolkievio Supremo Regni Cancellario & militiæ præfecto cum copiis cæſo, altero militiæ præfecto Staniſlao Konietzpolio ac Duce Samuele Corecio, reliquâ cum copiarum parte in vincula rapto, trucidato & Gratiano Moldaviæ Palatino, Polonorum ſocio, triſtis extitit; tùm verò & Tartarorum in Podoliam & Ruſſiam irruptio & belli Turcici denunciatio, inter hæc ictus Regi à Piecarſcio ſicario illatus. Tandem anno viceſimo primo noſtri ſeculi bellum Turcicum difficillimum & periculoſiſſimum: iniqua pax (c) ad Chotimum conventa, præſertim ſi tacitas (d) ejus leges ſpectes; perdita Riga injuriis (e), præſertim circa ſacra, irritata, & ſic, ut paucis multa complectar, amiſſâ Livonia, & pernicioſorum bellorum Suecicorum moles, longum duratura ſucceſſit. Eja tempus eſt, læta quoque Cometarum noſtrorum apparitionem ſecuta in medium proferamus. Pace tunc Auſtria (f) cum Venetis, & Sabaudia cum Mantuano (g) compoſitâ gaudebat. Danus quoque & Suecus bello dum omnia perſtrepunt, fœdus renovarunt & confirmarunt. Friderici Palatini in Regem Bohemiæ electio brevi tempore læta magnum viciſſitudinis rerum humanarum exemplum præbuit, cui non defuêre ſua portenta, prudentioribus præviſa. Ferdinando Secundo in Regem Hungariæ Anno 1618. menſe Julii electo Auguſtum diadema 1619. confertur, quæ res maximum parti ejus attulit gaudium. Tum verò & pax cum Betleno inita. Hæc etiam Galliæ Reginâ matre Regi conciliatâ, & Condæo libertati priſtinæ reſtituto, reddita, cujus gaudium, Regiâ Sorore Sabaudo deſponſatâ, inſigniter auctum. Iſtud novo gaudio, poſtquam bellum civile per Gallias, conſpirantibus contra Luinium, potentiæ nimium, quibuſdam Proceribus, repetitum, uno conflictu compoſitum eſt, cumulatum fuit pace Anno 1620. reddita. Sequentibus pariter

(a) Piaſecius ad 1618. (b) Piaſecius ad 1620 pag. 396. (c) Piaſecius l. d. pag. 412. (d) Legatio Turcica Zbaraſcii. Vide Piaſec. ad 1623. pag. 437. (e) Piaſecius ad 1621. (f) Petavius Rat. Temp. lib. 9. cap. 14. (g) Idem ibid.

annis Gallia modò civilibus, modò ſacris diſſidiis diſtracta, ad æquitatem & quietem tandem revertens triſtia & læta alternis obtinebat. Turbarum belli Germanici adverſa induciæ (*a*) Anno 1620. cum Betleno (qui etiam bello Bohemico (*b*) ſe immiſcuerat, & Hungariam cum diademate armis quæſiverat) tùm pacis leges ſancitæ utcunque diſpunxerant, nec non ineunte anno viceſimo ſecundo his violatis novæ induciæ, ac mox pacis leges anno viceſimo tertio (*c*) ſupra M DC. initæ. Et ut jam ad hymenæos & natales Principum, quibus Cometæ noſtri præfulſerunt, accedam, annus qui eos, idem quatuor, quod ſciam, Principes produxit. Joannem Franciſcum Carolum Bavarum, Rodericum Wirtembergicum, Eliſabetam Palatinam, ſexûs & ſeculi ſui ornamentum, & Julianam Urſulam Badenſem. Ut omittam alia ejuſdem generis, quorum accuratas rationes non invenio. Proximo hinc anno Fridericus Ludovicus, Joannes Ludovicus & Rupertus Palatini, Mauritius Saxo, Georgius Albertus Brandenburgicus & Julia Felicitas Wirtembergenſis vitam auſpicati ſunt. Sequenti, qui viceſimus noſtri ſeculi fuit, Maria Eleonora Princeps lectiſſima, novem Electorum Brandenburgenſium ſanguis, Guſtavo Adolpho Auguſti nomine ſemper decorando, & Magni cognomen præclariſſimis facinoribus merito, Regum Glorioſiſſimo nupſit, & poſt ſexennium Chriſtinam unicam filiam, & virtutum paternarum viriliſque animi in fœmineo corpore hæredem, enixa eſt; Auguſtus Palatinus Sultzbacenſis Hedvigem Holſatam, Auguſtus Saxo ſororem ejus Eliſabetam Sophiam in matrimonium accepit. Natalibus autem Sereniſſimi Friderici Guilhelmi Electoris Brandenburgenſis optimo nobis jure tàm toties laudati quàm ſemper laudandi, Friderici Guilhelmi agnati ejus, ut & Alberti, tùm Mauritii Palatini, Philippi Ludovici Holſati, Erneſti Godliebi Anhaltini, Chriſtophori Wirtembergenſis, Boguſlai Radzivillii, Agnetis Heſſæ, Sibyllæ Friderici Badenſis filiæ 5. Februarii die, eademque Eliſabetæ ejuſdem Friderici ſororis annus iſte conſpicuus & lætus fuit. Proximus naſcentes Maximilianum Henricum Bavarum, Mauritium Heſſum, Carolum Magnum Badenſem, Juliam Magdalenam & Annam Sophiam Palatinas Principes vidit. Mox anno ſecundo & viceſimo ſupra M DC. Ferdinandus 2. Eleonoram Mantuanam uxorem accepit: vitam verò iniit Carolus Guſtavus Palatinus, qui Chriſtinâ cognatâ regnum deponente, Rex apud Sueones creatus, rebus pace belloque geſtis in ſecula celebrabitur. Æquales illi multi Inclyti Principes fuêre. Chriſtianus Auguſtus Palatinus Sultzbacenſis, Chriſtianus Ludovicus Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, Chriſtianus Heſſus, Joannes & Lebrechtus Anhaltini, Sylvius Nemrod Wirtembergenſis, Margarita Catharina infans Hiſpaniæ, & Maria Æmilia Palatina. Proximus etiam plures tulit. Ludovicum & Adolphum Fridericum Palatinos, Albertum Sigiſmundum Bavarum, Chriſtianum Brandenburgenſem, Sereniſſimum Ducem Mecklenburgenſem Chriſtianum, Franciſcum Auguſtum Saxonem, Ludovicum & Erneſtum Heſſos, Eberthalium Wirtemberg. & Hedvigem Sophiam Brandenburgenſem, nuper admodum defuncti Guilhelmi Heſſi Principis egregii, tùm Joannam Badenſem, celeberrimi illius Ducis Succorum Joannis Banneri uxorem. Idem & Sereniſſimi Auguſti Senioris Brunſuicenſis nuptias cum Dorothea Anhaltina tot Inclytorum Principum matre nuptias vidit. Mox viceſimo quarto ſuprà milleſimum ſexcenteſimum Eduardus Palatinus, Joachimus Sigiſmundus Brandenburg. tùm Sereniſſimus Dux Brunſuicenſis Georgius Guilhelmus, Georgius Heſſus, tùm Leopoldus Fridericus Wirtembergenſis & Auguſta Sophia Palatina Sultzbacenſis: proximo Sereniſſimus Joannes Fridericus, Georgii Guilhelmi frater, uterque magnis laudibus ſeculum noſtrum ornans; tùm patruelis eorum Henricus Auguſtus, Carolus Otto & Joannes Ludovicus Palatini, Joannes Holſatus: Guilhelmus Chriſtophorus & Guilhelmus ac Chriſtina Heſſi, Ferdinandus Maximilianus & Friderica Badenſis nati ſunt. Tùm & Maria Euphroſina Palatina, Glorioſiſſimi Caroli Guſtavi ſoror, quæ Illuſtriſſimo Comiti Magno Gabrieli de la Gardie 1647. nupta lætiſſimam ſobolem, utriuſque parentum & Majorum laudes feliciter ſectantem, edidit. Hoc etiam anno Carolus I. Magnæ Britanniæ Rex glorioſo fato Regum

(*a*) Alſted. Chronol. belli Bohemo-Germanici ad 1620, 1622. Piaſecius ad 1622, 1624. Lotich. ad 1620, 1621.
(*b*) Lotich. lib. 4. cap. 2 & ſeqq. (*c*) Lotich. & Alſted. & Piaſec. ad 1623.

omnium,

omnium, qui unquam fuerunt clarissimus, matrimonium cum (a) Henrica Maria Ludovici XIII. Regis Galliæ sorore, sed & regnum patre Jacobo paulò ante vitâ functo iniit. Proximo anno, qui vicesimus sextus nostri seculi fuit, Bethlenus novam ut nuptam Catharinam Brandenburgicam, Reginæ Sueciæ sororem, domum duxit, ita & pacem (b) cum Cæsare fecit. In eundem nuptias ejus, ut & Leopoldi Austriaci cum Claudia Hetrusca, Auctor 14. tabb. sed Piasecius (adeò & in his quæ nostrâ ætate gesta sunt, auctores dissident) in præcedentem refert. Serenissima Christina Regina Sueciæ, Princeps undique Clarissima, Leopoldus Ludovicus Palatinus, Guilhelmus Saxo, Joannes Adolphus Saxo-Laoburgicus, Georgius Christianus Hessus, Franciscus Philippus Holsatus, Leopoldus Guilhelmus Badensis, Carolus Mecklenburgensis, Georgius & Manfredo Wirtembergensis, Henrica Palatina, Æmilia Hessa, Christina Badensis vitæ telam exorsi sunt. Vicesimus septimus annus ferè solemnia gaudiorum Ferdinandi Tertii Imperatoris Gloriosissimi compleverat. Paulò enim ante (c) Rex Hungariæ, tùm & Mariæ Annæ (quæ Philippi IV. Hispaniarum Regis soror, Augustissimi Cæsaris nostri mater fuit) Sponsus (d), tunc etiam Rex (e) Bohemiæ renunciatus est, post aliquot annos (f) Imperator renunciandus. Idem annus Philippi Palatini, Christiani Holsati, Joannis Ernesti Saxonis, Joannis Georgii Anhaltini Principis Generosissimi, Philippi Hessi, Philippi Sigismundi Badensis, Henrici & Julii Peregrinatii Wirtembergensium natalibus insignis fuit. Proximus ei vicesimus octavus nostri seculi Joannem Adolphum Palatinum, Ferdinandum Franciscum Saxo-Laoburgicum, Rudolphum Augustum Brunsuicensem, dignum Augusto patre filium, Guilhelmum Christophorum Badensem; & ut alios sileam, cum primis florem Principum, & insigne decus sexûs & seculi sui Sophiam Amaliam Brunsuicensem felicissimam, & Magni apud Danos Regis Friderici III. conjugem, & tot liberorum, qui mox, favente Deo, Reges & Regum generabunt parientque parentes, matrem lætissimis auspiciis tulit. Idem Henricum Julium Saxo-Laoburgicum, Elisabetam Sophiam illam Brandenburgicam, viduam Radzivillianam duxisse in uxorem videt. Ex quo matrimonio Franciscus Erdmannus natus est anno proximo. Hunc Ernestus Augustus Brunsuicensis, virtutibus & laudibus Serenissimis fratribus germanus, Guilhelmus Hessus hujus nominis sextus, virtutibus & meritis nulli secundus (qui nuper in ipso flore ætatis exaruit) Joannes Bugislaus & Carolus Alberti Holsati, Joannes Georgius & Joannes Christianus Mecklenburgenses, Sueno Martialis Wirtembergicus aliique nonnulli Principes natalem habuerunt. Proximum verò Balthasar, Carolus Dominicus Philippus Victor Lucas Hispaniarum Infans: tùm Sigismundus Austriacus, Philippus Palatinus Sultzbacensis, Princeps non tantùm belli, sed & pacis, literarum & virtutum laudibus Clarissimus, Joannes Guilhelmus Saxo, Philippus & Ludovicus Hessi, Bernardus Badensis, Sophia Palatina, Serenissimi Ernesti Augusti Brunsuicensis uxor, Elisabeta Anhaltina, Amadea Fredonia Wirtembergica. Taceo fessus Serenissimam Friderici Holsati ex Maria Elisabeta Saxonica sobolem, ab hoc anno ad quadragesimum nonum feliciter & continua propè serie propagatam, inter quam favens sereniſſimo & egregio Principi Christiano Alberto cælum, quatuor fratribus fati lege remotis, imperium paravit. Atque hæc sunt quæ ad quatuor Cometas dicenda habui, ita ut una eademque operâ potioris orbis Christiani partis genealogiam exhiberem. Id opellæ ut tot Principibus Christianis, quod non immeritò spero, gratum erit, ita illis, qui plurium decadum annorum adversa in Cometarum tabulas referre solent, non videbitur iniquum.

(a) Piasecius ad 1625. (b) Lotich. ad 1626. lib. 16. cap. 2. Num. 1 & 2. (c) Piasecius ad 1626. (d) Lotich. ad 1625. (e) Piasecius ad 1626. (f) Lotich. Piasec. Auctor 14. tabb. ad 1627. (g) Piasec. ad 1636.

CCCCXII. *Anno Christi* 1652. *exeunte &* 1653. *ineunte visus est Cometa.*

Nuperi Cometæ, qui nobis Diniæ sub finem anni M DC LII. *& initium sequentis visus est, à duodevigesimo puta Decembris ad octavum Januarii diem, ejusve apparitionis universæ motus secundùm longitudinem* 29. *graduum* 42. *min. latitudinem* 84. *grad.* 4. *minutorum & propriam, quam tenuit semitam* 92. *graduum* 32. *minutorum ut pronum fuit ex data*

utrimque ab intersectione Ecliptica summa cùm longitudine, tùm latitudine suppuare: Observationis series heic non adjungetur, quia plenius à nobis est expendenda, otiumve, quo jam fruimur, majus requirat. Gassend.

COmeta iste Vendelino vocatur singularis, qui ei observatorum erat tertius. De quo hæc memoriæ prodit: eum primò à 19. Decembris 1652. usque ad 3. Januarii 1653. durasse. Apparitionis initium circà constellationem Leporis, finem in 20. Tauri cum latitudine boreali 27. partium fuisse: & ita 14. tantùm diebus mansisse. Juvat tamen Observationes ejus à Vendelino habitas & descriptas contrahere, & hic inserere. Die 19. Decembris spectatus est Cometa subobscurus cum aliqua barbula, qui intra primum ac secundum diem magnum progressum fecerit, diurno motu velocissimo ad xv. gradus tendens ad caput Eridani seu pedem Orionis: inde versùs Taurum se attollens ad Plejadas pedemque Persei & caput Medusæ. Per tubum visæ in eo plures stellæ.

Die 20. Decembris collegit Cometam stetisse circà dorsum Leporis in 9 aut 10. Geminorum, cum latitudine Australi 35. admodum.

Die 21. Decembris horâ octavâ vespertinâ vidit ad Clypeum Orionis insolitum quoddam lumen, quod majus quidem esset quàm aliqua stellarum nebulosarum: luceret verò malignius colorem pallido ac buxeo triste atque obscurum. Et cum sciret eò loci non esse ullam nebulosam, advertit propius defixo obtutu esse revera Cometam: sed diversi generis ab iis, quos recensuit, & meminerat se observasse. Magnitudo erat, quæ discum Lunæ vel æquaret vel excederet: & ad sinistram, hoc est, Orientem versùs, protuberabat longiusculè velut barbula, πωγωνίας planè; reddebatque totum ipsum hapsum velut ovalem. *Non erat* (inquit) ξιφίας *aut* ἀκοντίας *in similitudinem fulgurantis hastæ; sicut recordabar fuisse illum anni* 1607. *neque cornu referebat, quale videri potuit ille anni* 1618. κεραλίας: *sed dolium potius exprimebat* πιθώδης, *nisi mavelis* πιθειῶ vel πιθέτης *ob hoc cum Plinio dicendus: aut certè* ἱππειῶ *cum eodem, cui tribuit equinas jubas, celerrimi motus, atque in orbem circa se euntes: quod maximè in hoc ipso verum fuit. Nam crinitus erat circumcirca & jubas equinas non malè referebat* (talem sibi circà 25. Decembris Patavii visum Clarissimus Michaël Kirstenius adnotavit) *& celeritas motûs intra eandem horam patuit. Hora enim illa octava stabat ad inferiorem partem Clypei Orionis, cum septima in illa & octavâ stella triangulum constituens ac velut umbonem istius clypei vicinior aliquantò stellæ octavæ quàm septimæ.* Explorato Telescopii beneficio corpus totum istius sideris, vidit in eo stellulas plusculas minutissimas, atque in his unam cæteris majorem & oblongam, aliarum mediam: diceres focum aliquem consumtis lignis favillas suas reliquas, permixtasque in his prunas ac scintillas ostentantem. *Breviter eadem visa illi facies quæ fuit Cometæ illius superioris* 1618. *in manu Bootis conspecti. Cæterùm barbula illa sive juba longior tendebat in Orientem partes scilicet à Sole aversas.* Appropinquante horâ decimâ clarissimè notavit tantillo temporis mutatum locum, ac distare jam ab utraque supradictarum stellarum æqualiter, velut in triangulum Isosceles, ut tantillo non duarum horarum intervallo absolvisse potuerit gradum totum unum. Locum ejus tunc censuit in 4° 36. Geminorum, cum latitudine Australi 19° 36. circiter. Atque ita intra 25. istas horas emensus erat gradus quasi 15. 36. quod cum Observatione Mantuana consentit ad miraculum 15. in diem imputante.

Die 22. Decembris hora septima jam ascenderat Cometa velut in verticem nostrum tendens ductu rectissimo; distabatque æqualiter ab oculo Tauri & ejusdem pectore, Australior oculo ad grad. 2. 36. & in eadem latit. quâ pectus: quare locum ejus censuit in l. 36. Geminorum cum latitudine Australi 8° 3′. Itaque *intra horas 23. circiter absolverat in suo ductu gradus circuli maximi* 10½ *& intra horas 24. percurrerat 11. omnino, vel etiam plus tantillo. Lentior ergò jam erat quàm fuerat pridie, sed multum jam imminutus. Barba syrma aversum quidem erat à Sole: sed tamen corpus videbatur illam trahere sequentem, nec istius celeritatem satis assequentem.*

Die 23. totâ vesperâ nocteque nubes fuêre. Ita nihil Tornaci observatum. Montibus Hannoniæ perscribebatur visus circà oculum Tauri. Ex analogia motuum præcedentium

tium collegit, ut istâ vesperâ percursis 8°. circà horam septimam steterit in o. 36. Geminorum cum latitudine 2°. adhuc Australi: usque circà mediam noctem trajecerit Ecliptican in ipso confinio Tauri & Geminorum cum inclinatione anguli 69° 55'. aut etiam 70°.

Confirmari hanc suam conjecturam dicit observatione Mantuana, quæ referat per hosce dies Cometam imminutâ celeritate 6. vel 7. tantum gradus singulis diebus, cum perveniisset ad Plejadas, quod postridie contigisse putat, peregisse.

Die 24. Decembris secundùm eandem analogiam vult, ut saltem 6°. emensis hâc vesperâ situs fuerit circa 28. Tauri, cum latitudine jam borealigraduum fermè 4. utque nocte ipsa Natalis Christi media steterit in 27½ Tauri, cum latitudine 4°. non minus boreali. Idque aliis Observationibus probat.

Die 25. veseperi hora septima stetit inter Plejadas & pedem Persei, vicinior huic quàm Plejadibus: unde locum ejus quantum potuit religiosissimè definivit circa 26½ Tauri, cum latitudine 8½°. bor. Apparuit à vespera diei 22. ad hanc vesperam medio isto triduo confeciisse in suo ductu saltem 18°. per intervalla proportionalia 8. 6. 4. aut non multò aliter.

Die 26. veseperi hora 6. 15', Ratisbonæ distitit à Capella 33°. & ab oculo Tauri 19°. 16. Sibi Tornaci hora octava stetisse ait in linea recta duarum stellarum in pede Persei lucidarum, ipsum tertium, facientemque duo æqualia intervalla cum illis. Unde concludit necessariò hæsisse in 25¼ Tauri cum latitudine bor. 13. satis præcisè.

Sequenti manè intentum se in parallaxes venandas fuisse, sed opportunissimo situ nullas inveniisse ait: cum via Cometica esset horizonti occiduo satis parallela nec Cometa infra eam deprimeretur.

Die 27. Ratisbonæ horâ sextâ vespertinâ distabat ab oculo Tauri 33° 5'. Ascenderat proinde illo die 5° 16. secundùm Observationes aliorum, sibi Tornaci inter 7 & 8. definitum fuisse dicit in 24½ Tauri cum latit. 16° 53'. ex collatione vicinarum stellarum.

Die 28. Decembris manè hora 4½ distitit à loco vespertino die 26. ad 5°. paullò plus hærebatque in 23½ Tauri cum latitudine 18° 45'. circiter. Etiam isto manè intentum se fuisse, ut parallaxin, si quam faceret, investigaret: sed nullam se potuisse deprehendere ait.

Die 29. manè eadem hora distabat à capite Medusæ 2° 15'. Australior illo atque in latitudine 19. 26. cum longitudine in 23. Tauri. Eadem die ad veseperam hora octava stetit juxtà claram Medusæ quasi ad sesquidiametrum Lunæ: quam stellam eadem nocte attigisse debuit circa horam 5½ matutinam, locus in 22. Tauri cum latitudine bor. 22. satis præcisè.

Itaque die 30. Decembris manè, cum speraret videre conjunctionem Cometæ cum oculo Medusæ, frustratum se sensit ea spe: jam enim descenderat post objectam sibi domum antequam advolasset. Sed Coloniæ observatum eclipsatam fuisse subeunte Cometâ illam stellam horâ sextâ matutinâ. Unde concludit necessariò aut nullam aut multò Lunari minorem parallaxin fuisse: cum fuerit conspiciendus Cometa subter illam lineam quam ductu suo describebat gradu toto & amplius: Locum ergò fuisse in 21° 21'. Tauri cum latitudine 22° 22'. bor. Vespere ejusdem diei 30. Decembris hora nona distitit à capite Medusæ sesquigradu circiter, curvatâ semper eadem lineâ rectâ suæ viæ semel institutæ. Eratque in 21¼ Tauri cum latitudine partium 23. bor.

Die 30. manè hora quarta jam aberat à capite Medusæ 2°. paullò plus. Unde locus fuit in 20° 55'. Tauri cum latitudine 24° 36. Æstimato autem viæ Cometicæ ductu horizonti Tornacensi parallelo, cum debuerit tunc sentiri parallaxis maxima, si quæ fuit sentienda, nullam se tamen advertere potuisse, unde longè remotiorem illum quàm sit à nobis Luna, pronunciat.

Die 2. Januarii 1653. hora octava vespertina jam Cometa erat borealior capite Medusæ 4½°. Occidentalior sesquigradu & amplius, unde locum ejus æstimat in 20. Tauri cum latitudine bor. 27. partium.

Die 3. Januarii veseperè nihil se potuisse amplius discernere de Cometa reliquum & succe-

ſuccedentibus nubeculis, mox nubibus, valedixiſſe ſe obſervationibus ulterioribus dicit.

Judicium tandem addit ex ejus duratione & convenientia cum Cometa 1618. 1. ejaculatum fuiſſe à Sole dudum antequam compulſus ſubire leges & ad eclipticam venire nobis Europæis ſe præbuerit adſpectabilem. 2. quoniam ductu ſatis recto venit ex plagis Auſtralibus ad boreales, vi ſuorum Theorematum affirmat in Indiis ac præſertim Peruvia & Chile ac Monomotapa fuiſſe ſpectatum ſub ea forma, magnitudine, celeritate motûs, exorſum ex ipſa vicinia Solis, qua nobis apparuerit ille quem dixit. 3. Affirmare non veretur, ejaculatum fuiſſe à Sole illâ vi quæ illam intra Sphæram Martis quidem, non tamen ad Martem uſque ipſum, ſed inferius ac propiorem nobis intulerit, ideòque proſtaphæreſes parallactrices orbis (ut vocant) magni ſenſiſſe aliquanto majores quàm ſunt parallaxes Martis in dies ſingulos per oppoſitionem ejus ad Solem: ſicut hic noſter Cometa propemodum adhuc erat Soli oppoſitus cum nobis illuxit, ideòque retrogradus in ratione longitudinis ſenſim factus eſt velut ſtationarius cùm expiravit. Atque hæc ſunt quæ Vendelinus de hoc Cometa obſervavit. Doctiſſimus Vir Fridericus Millerus in Haſſorum Academia Profeſſor celeberrimus, in ſuo de nupero Cometa hyemali Comment. refert caudam iſtius Cometæ minus quàm caput effulſiſſe, judice Liceto reſp. 3. cap. pag. 6. Unde concludit colorem caudæ & capitis ſæpè diverſum eſſe lib. 1. cap. 41. Et mox § 12. ſic habet: *Ejuſdem diſci* (capitis Cometici) *lucem non ſtabili jacere tranquillitate. In præſente lux quædam niventior luridum colorem leni viciſſitudine ad eum modum exercebat, quo ſuaviter aliquis velum poteſt ſubmovere, deinde idem admittit relabens. Id ipſum in anni* 1652. *Cometa notavi, cum aliis aſtans fideliſſimo præceptori meo, M. Alberto Linemanno, p. m. Idem teſtantur de eodem anni* 1652. *Cometa apud Licet. loc. cit. pag.* 10. *Langrenus pag.* 16. *Colleg. Roman. Jeſuitarum pag.* 23. *Bononienſes Jeſuitæ pag.* 30. *Schimpherus. Ille, dixit, ſcintillantem verſus latus Orientale: iſte ſcribit: tria lucida puncta conſpiciebantur in medio: ex quibus aliud lumen videbatur emanare. Hi ajunt: in cujus ferè meditullio nucleus quidam fortioris lucis conſpicuus emicuit. Ultimus: obſcurus, inquit, & veluti à ſubtili quadam nubecula tectus: radios ejiciebat & ſcintillationes. conf. Licet. l. c. c.* 4. *pag.* 49. *rat.* 20. Infra cap. 8. § 5. ita ſcribit: *In illo anni* 1652. *Cometa die* 9. *Decembris, Bononienſes Jeſuitæ æſtimarunt caput Lunari ferè diſco æquale, hoc eſt,* 25. *circiter minut. die* 11. *Decemb. Langrenus magnitudinem cenſuit non minorem, quàm Lunæ. Aſt die* 16. *Decemb. Bullialdus quantitatem confert cum ſtella magnitudinis primæ. Vid. Licet. l. c. p.*23. *p.* 10. *& p.* 20. Libro verò 2. cap. 2. § 1. *Licetus*, inquit, *Cometam anni* 1652. *cælo detrahit, quòd ex obſervationibus Aſtronomorum collegerit, Parallaxin ejus Cometæ ſenſibilem & Lunari majorem. Quid huic reſpondendum foret, ſi Matheſeos peritum ſe probaſſet, lego apud Tychonem* 2. *Prog.* 10. *membr.* 2. *pag.* 317. *ſeqq. At, ut Viri peritiam agnoſcant alii quoque, dabo, ex ingenti rationum acervo, pauca ſpecimina.* Ille pag. 37. rat. 1. *Motus Lunæ diurnus, inquit, eo tardior eſt motu diurno Solis, quo Luna trium dierum ſpatium gerit cum Sole coïens: nec enim ſpectatur proxima die ante coïtum, nec in ipſa die coïtus, nec in die coïtum ſequente, ut omnibus in aperto eſt, quia Luna, quòd infrà Solem ſit, tardiore motu communi quam Sol feratur in occaſum.* Hæc ille. Alteri *Plin.* 2. *nat. hiſt.* 17. *Purbach. in theor. planet.* &, qui in hanc commentantur, *Reinhold. pag.* 159. *Schreckenfuchs f.* 258. *Idem pag.* 43. *rat.* 13. *quæ*, ait, *remotiſſima ſunt à nobis in cælo multùm ſuprà Lunam, nudis oculis apparent majora, quam per dioptram; contra, quæ ſunt in elementari mundo, cuncta nudis oculis minora cernuntur, quàm per Dioptram. Quum igitur Cometa noſter à Clariſſimo Bullialdo die* 22. *Decemb. Pariſiis inſpectus fuerit oculo nudo magnitudinis æqualis cum Venere, ſed adhibito Teleſcopio longè major quàm Venus apparuerit. Itaque neceſſariò colligendum eſt, locatum in elementario mundo.* Sic Licetus. *Illi tamen Lynces noſtri ſeculi Hevelius in Selenographia, & Hugenius in Syſtem. Saturn. tubis ſuis detexerunt in cælo, quæ videbantur ſperanda oculo mortali. Parum felicius argumentatur idem Licet. pro Cometæ loco ſublunari pag.* 49. *rat.* 21. *ex eo, quòd Cometa Venetiis repertus major toto Plejadum examine: Pariſiis, æqualis Veneri, vel major eâ: Bononiæ, initio æqualis ferè Lunari diſco pag.* 50. *rat.* 22. *ex eo, quod in apparitionis principio Venetiis* 15. *gradibus: Bononiæ* 9. *gradibus fuerit determinata Cometici motûs velocitas. Debuiſſet enim Vir ille ſecernere demonſtrativam ab æſtimatiçâ*


Auriga
Capella
Pedes Andromedæ
25 Dec. 4 Ian.
24 Dec. vesp. 3 Jan.
23 Dec. vesp. 2 Jan.
21/31 M.
20/30 vesp. 21/31
Caput
Triangulum
18/28 Dec.
17/27 Dec. vesp.
Apis-musca
16/26 Dec. vesp.
15/25 Dec. vesp.
14/24 Dec. vesp.
Aries
Taurus
Tropicus Cancri
Ecliptica
13/23 Dec.
Cete
Orion
12/22 Dec.
Cometæ
11/21 Dec. h. 8. vesp.
Æquinoctialis
10/20 Dec. Colon
Eridanus
fluvius
orbini
10/20 Dec. Wendelin
Lepus
2/19 Dec. Colon
Apparens
Tropicus Capricorni
Hypotyposis Cometæ A. C. 1661
Sagitta
Aquila
Cauda Serpentis
Delphinus
29 Ian. 8 Feb. Man.
31 Ian. 10 Feb.
30 Ian. 9 Feb.
Æ. quinoctialis
Antinous
Tab. magn. stell. in Vergil. min.
maj.
1
2
3
4
5
6
7
nebulos. obsc.
Scala diamet. Comet. in minut.
G. Gerardi sculp.



mativâ motûs determinatione: ubique verò memor eſſe, quàm non ſit omnibus hominibus æquus lis oculorum acies p. 22 & 23. Paulò poſt § quartus ſic ſonat: *Proprium Cometæ motum apparere circularem. Confer. Müll. l. c. § 26. ſeqq. & § 176. Eichſtad. de anni 1652. Comet. § 33. Ad hanc apparentiam ſe facilè componit noſtra linea Trajectionis, de qua ſupra l. 1. 7. 2.* Statuit ille nimirum, cum molis Cometicæ magnitudo æthera circumfuſum perrumpere tàm ſubito nequeat, cogi eandem obliquare iter & per lineam Trajectionis proficiſci in altiora, & hanc ipſam lineam eſſe, quæ Cometam per longum cæli ſpatium vehat. Fromond. Meteor. 3. 4. 4. p. 169. ſeqq. Durationem ſemeſtrem Cometæ magnitudini ejus & abundantiæ materiæ tamdiu voraces flammas alentis l. 1. c. 6. § 5. tribuerat, libro verò 3. c. 5. § 4. Cometam hunc æqualem telluri noſtræ pronunciat. Hunc ex ejus mente idem December peperit ac peremit. Nempe itaque Obſervationes nullas menſe Jan. anni ſequentis factas vidit. Diarii Europæi auctor 6. part. 139. Cometis, quos ex Ricciolio collegit, hunc inſuper addit. Ortum eſſe ſub Orione, veloci curſu fuiſſe, in aſteriſmo Perſei diſparuiſſe, & à 9. ad 27. Decembris duraſſe ait. Plura nobis ſingularis Clariſſimi Hevelii diligentia in Cometographia promittit, quæ ideò exſpectanda ſunt. Prodromus tamen hæc præmittit, quæ cognitu nec ingrata, nec inutilia ſunt. Nempe Vir ille Eximius hunc & tres proximos Cometas, qui familiam claudent, maximâ cum diligentia obſervavit, & ita multa Cometarum arcana inveſtigavit. Ac primò progreſſum & viam eorum prædixit. Cujus rei me quoque fuiſſe, qua Vir ille eſt humanitate, participem alibi dixi. Hinc etiam deducit Cometas moveri revera in ſectione Conica, motu tamen nonnihil inæquali: ideò in aliis parabolam, in aliis hyperbolam, in aliis etiam ellipſin deſcribere, quod etiam hujus noſtri & proximi Cometæ exemplo probat. Nec non, quod ſingulare eſt, cum per ipſas genuinas parallaxes horum, non tantùm probabiliter ſed more Mathematico demonſtraverit, & omnium Cometarum, quorum Obſervationes accuratas prædeceſſores nobis reliquerunt, exemplo idem confirmârit, Cometas non in aëre, ſed in altiſſimo æthere ſedem habuiſſe, ſuamque Cometographiam ex hac occaſione compoſitam eſſe. Porrò Cometam noſtrum die 20. Decemb. initio parallaxin 36. ferè poſſediſſe, die verò 10. Jan. 1653. jam ad 13′. decreviſſe, ut non amplius in diſtantia 100. S. T. ſed in orbe Jovis verſaretur, affirmat, & ita Cometas univerſos in dies parallaxin, atque ita etiam diſtantiam à terra variare docet. Infra verò apparenti Cometæ diametro quandoque revera Cometam minorem eſſe. *Id*, inquit (*a*), *Cometâ Anno 1652. perſpicuè probamus: hujus, inquam, diameter initiò 20. Decemb. obſervata à nobis eſt 36, in diſtantia à Terra 110. Semid. T. Vera itaque diameter prodit 825. Mill Germ. circa finem verò, 7. ſcilicet Januarii, nonniſi 5′. dabatur apparens, ſed in diſtantia à Terra 8277. Semid. T. ergò vera diameter proſilit 10360. Semid. T. hoc eſt, decies major diametro Terrenâ. Hincque fit manifeſtum, etiamſi diameter apparens decreſcat, quod vera utique increſcere poſſit, dato ſcilicet intervallo à Terra ampliori. De quo haud parùm miraberis. Nam multi, imò ferè omnes hactenus in ea fuerunt opinione, quòd Cometæ ad exitum uſque paullatim reipſâ mole decreſcant, donec in nihilum redigantur; ſed contrarium omninò ex omnibus Cometis, uti ex dicto 1652. pariter deducitur; nimirum: quòd Cometæ materia ultimò, dum decreſcit apparenter, magis magiſque in dies diſgregetur, diſſipetur, atque ita paullatim tenuior & pallidior reddatur, donec planè diffluat; pari modo, ut ab exortu ſenſim congregatur, coagulatur, condenſatur, minorque quoad diametrum redditur; ſic ut tandem, exiſtente in ſummo robore & denſitate, Cometa etiam minor reverà exiſtat: de quibus ultrà quàm ſatis diſſeruimus Lib.* VI. *&* VII. *Cometogr. atque multis diverſis Cometis rem ita reverà eſſe, demonſtravimus.* Dehinc corpus Cometicum ex materia diverſæ denſitatis & raritatis eſſe compoſitum, imò hanc planè diverſiſſimam eſſe & nullam æquabilem continuamque maſſam multis & diverſiſſimis nucleis corpuſculiſque diverſæ rurſus figuræ & magnitudinis intermixtis, ita tamen ut ſpatiola materiaque tenuiſſima interjecta dentur, quæ radiis Solaribus tranſitum concedant non tantum hujus & proximorum, ſed & priorum anni 1607. & 1618. Cometarum Obſervationibus accuratis demonſtrat, ut & caput Cometicum ex diverſiſſima pariter

(*a*) Prodr. Comet. p. 47.

materia diversissimisque nucleis compositum esse. Caudas verò Cometarum perspicaci solertiâ investigans, diversam earum constitutionem esse, alios proinde crinitos, alios barbatos seu caudatos, alios aliter dici, quosdam etiam pyramidatas in speciem coni caudas exhibuisse, ut hunc nostrum die 20. Dec. maximam verò caudæ ejus deflexionem ad 19°. proximi verò anno 1618. visi ad 22. pervenisse refert. Caudam cum capite quandoque scintillare & veluti novos radios ejaculari, nostri & proximè tàm præcedentium quàm sequentium Cometarum exemplis asserit. Denique longitudinem caudæ veram ab amplitudine atmosphæræ Cometicæ ut plurimum dependere & circà initium ac finem apparitionis diversam esse diversis exemplis nostri scilicet & proximè præcedentium Cometarum, demonstrat. Hæc ideò addere non pigebit. *Jubaris*, inquit, *Cometici* 1652. (*quod pariter observavimus*) *longitudo vera extitit initiò die* 20. *Decemb.* $27\frac{1}{2}$. *Semid. Terræ; circà exitum verò die* 4. *Januarii jam* 192. *Semid. Terræ; cum tamen longitudo caudæ apparens ab exordio* 7°. *& in fine* 1°. 36. *tantùm observata sit. Rursus caudæ longitudo vera Cometæ* 1618. *à principio die* 1. *Decemb.* 32. *S. Terræ, atque in ingressu* $25\frac{1}{2}$ *Semid. T. extitit. Item Cometæ* 1607. *die* 16. *Sept. caudæ longit.* $82\frac{1}{2}$ *S. T. & rursus* 10 *Octob. licet utraque die cauda apparens esset eadem* 10. *scilicet grad. nihilominus vera longitudo ad* 1301. *S. T. reipsâ excreverat, quantam in aliis vix reperi.* Prodr. Comet. p. 62. In Continuatione hujus Prodromi Cometici, descriptionem Cometæ verni Anno 1665. visi exhibente, idem solertissimus & incomparabilis siderum rimator & metator, nuperrimi Cometæ verni ante annum visi nucleum licet unum tantùm densissimum & clarissimum constanter 14 diebus Cometa postremus retinuerit, tandem tamen in progressu ulteriori & successu temporis ad exemplum nostri Cometæ eique utrinque proximorum immutatum esse non dubitat. Sub finem verò laboriosissimi istius & præstantissimi operis eorundem Cometarum tùm & nostri & nuperi Cometæ 1664. observati exemplis veras diametros, nonnunquam etiam apparentes, in majori distantia non diminutas, sed potius auctas esse, affirmat. At in Mantissa Prodromi qua vindicias observationum suarum contrà Clarissimi Auzutii Objectiones non minus laboriosè quàm solidè præstitit, Cometas, ubi nudorum oculorum conspectum fugiunt, & armatis investigari & apprehendi queunt, tardissimos esse, eorundem, quos dixi, Cometarum nostro ab utraque parte proximorum, tùm & nuperi Anno 1664. visi exemplis demonstrat. Versùs finem quoque operis istius diametros Cometarum veras & apparentes in Cometographia accuratè investigatas & descriptas tangens, hoc etiam singulare addit, in remotiori intervallo à Terra mense Januario 1653. dictam veram diametrum propemodum vicies ampliorem quàm mense Decemb. reipsâ extitisse. Postremo sub finem operis, quali diversissimâ facie noster Cometa & proximus à nupero anni 1664. fulserint, in Cometographia se propediem exhibiturum promittit. Postquam in texenda hujus Cometæ historiâ Mathematicâ hucusque perveni, & antecedentia in Bataviam prælo subjicienda misi, factum est, ut figuras Cometarum monitu Amicorum historiæ adjungere constituerim. Hinc plura Mathematica hîc & illîc prioribus addenda erant. Hinc etiam ephemerides hujus & præcedentis Cometæ addimus, hujus quidem hoc loco, illius ad calcem 1. Tomi, operâ Doctissimi M. Conr. Ysenii, quæ & figuras nobis dabit, confectas.

Ephemeris Observationum Cometæ Anni M DC LII. & M DC LIII.

Die $\frac{9}{19}$ Decemb. spectatus Cometa obscurus cum aliqua barbula Wendelin. initio
Longitudo caudæ 7° Hevel. Prodr. Comet pag. 62.

$\frac{10}{20}$ Dec. stetit circa dorsum Leporis 9° a 10° ♊ cum Lat. A. 35° admodum Wendel. ejus diameter 36. Hevel. Prodr. p. 47.

$\frac{21}{21}$ Dec. hor. 8. vesp. ad clypeum Orionis vicinior octavæ quam septimæ clypei cum utraque triangulum constituens h. 10°. ab utraque æqualiter velut in triangulum isosceles. Long. 4°. 30. ♊ Lat 19° 36. A. discum ☾ æquavit vel excessit lumine obtuso & maligno: per tubum in eo stellæ plures visæ, quarum una præ reliquis insignis. Wend.

$\frac{22}{32}$ Dec.

$\frac{12}{22}$ Dec. hor. 7. dist. æqlr. ab oculo & pect. ♉ australior oculo ad 2° 36. & in eadem latitudine qua pectus. Long. 1° 36. ♊, Lat. A. 8° 3′. multum jam imminutus, barbæ syrma aversum quid à ☉ Wend.

$\frac{13}{23}$ Dec. Regiomonti h. $7\frac{1}{2}$. vesp. Cometa lineam fecit cum lucida ♈ & Aldeb. item cum capella & pectore ♉ λ. Baj. non procul ab oculo Austr. ♉ Long. ♉ 29. 14. Lat. A. 2° 47′. magnitudo com. dig. 6. orbiculi instar, in medio nucleus luteus magnitud. ovi Gall. collor pallido luteus instar Lunæ vaporis. Tenuioris tectæ barba in Euroboream tendens ad ♪ ♉ Baj. Linemann. *Wendelin.* nubes: colligit tamen ex analogia motus ad h. 7. Long. 0° 30. ♊ Lat. 2°. adhuc Austr. utque circa mediam noctem Ecliptica trajecerit in confinio ♉ & ♊ sub inclinatione anguli 69° 55′. aut 70°.

$\frac{14}{24}$ Dec. eadem analogia putat Long. circ. 28°. ♉ Lat. fermè 4. jam Bor. utque nocte ipsa natalis Christi media steterit in $27\frac{1}{2}$. ♉ cum latitud. 4°. non minus Bor. Wend.

$\frac{15}{25}$ Dec. h. v. 7. inter Plejades & Pedem Persei vicinior huic, Long. $26\frac{1}{2}$. ♉. Lat. B. $8\frac{1}{2}$. Wend. statim à 7. v. Cometa lineam fecit cum lucida Plejadum & calcaneo Persei o. Baj. dist. à lucida Pers. 3° 27′. magnitudo tertiâ parte minor quam 23. Dec. color etiam pallidior & nucleus minor, non multo major ovo columbino, cauda in euroboream directa $1\frac{1}{2}$. vel 2. uln: radiis tenuib. & raris h. 11. com. rectam cum Aldeb. & suprema cing. or. item cornu ♉ ζ & pede ♊ minus lucido constit. item cum naso ♉ & Regel: color pallidior quàm ante Linem.

$\frac{16}{26}$ Dec. h. 12. $5\frac{1}{2}$. com. in recta cum duab. in Pede Pers. ζ & o ita tamen ut Cometa dexterior, calcaneo proprior quam pes ipse fuerit. Linem. h. v. 6. 15′. dist. à capella 33°. ab oc. ♉ 19° 16. Ratisbonæ. H. 8. in recta cum cap. Algol. & coxend. Cassiop. γ cum naso ♉ γ & Regel β dist. à Sin. pede Pers. ζ 3° 56′. adhuc superstes nucleolus parvulus clarus, reliquum pallidum & nebulosum, nec de cauda quid animadverti potuit Godofr. Cruger. Linem. Tornaci Wendel. in recta duarum in pede Persei medius Long. ♉ $25^{\circ}\frac{1}{4}$ Lat. B. 13°.

$\frac{17}{27}$ Dec. h. v. $5\frac{1}{2}$ Com. in recta cum cap. Alg. & cor Cassiop. η. cum castore ♊ α. & genu aurigæ ϑ. dist. à cap. Alg. 6° 42′. à genu Pers. 7° 35′: cauda sat app. & spissior quàm ante unquam, inque ea ad η & o. Pers. protensam inter Cometam & pedem Pers. stellula à Bajero non notata. Linem h. inter 7. & 8. Tornaci Long. ♉ $24^{\circ}\frac{1}{2}$ Lat. B. 16° 53′. Wend.

$\frac{18}{28}$ Dec. h. m. $4\frac{1}{2}$ Long. ♉ $23^{\circ}\frac{1}{2}$ Lat. 18°. 45′. circiter Wend. Vesp. alt. ort. Aldeb. 28° 35′. dist. com. à fem. Pers. δ. 10°. 15′. à genu Pers. 7. 37. à cap. Alg. à π. cap. Medus. 2° 58′. alt. Aldeb. ort. 46° 25′. dist. à later. Pers. 10° 15′. à genu Pers. 7° 37′. à cap. Alg. 3° 23. cauda longa versus ξ. Pers. Lineman.

$\frac{19}{29}$ Dec. h. m. $4\frac{1}{2}$ à cap. med. 2° 15′. Australior Long. ♉ 23°. Lat. B. 19. 20. h. v. 8. juxta claram med. qs. ad sesquidiam. ☾ quam stellam attigisse debuit circa h. m. $5\frac{1}{2}$. Long. Tau. 22°. Lat. B. 22. Wend.

$\frac{20}{30}$ Dec. h. m. 6. Colon. com. subierat cap. med. Long. Tau. 21° 21′. Lat. 22° 22′. h. v. 9. à cap. Alg. $1\frac{1}{2}$° Long. $21^{\circ}\frac{1}{2}$ Tau. Lat. B. 23°. Wend. circ. h. 6. alt. capell. or. 50° 45′. dist. à genu Pers. 10° 39′. à fœmor. Pers. 9° 5′. à lucida sub hac δ. 9° 14′. à cap. Alg. 1° 7′. caudæ nihil videbatur.

$\frac{21}{31}$ Dec. h. m. 4. à cap. med. 2°. paulo plus Long. 20° 55′. Lat. 24° 36. Wend.

$\frac{22}{1}$ Dec. 1652. $\frac{1}{2}$ Jan. 1653. h. v. 8. Cometa borealior capite Med. $4^{\circ}\frac{1}{2}$ occidentalior $1^{\circ}\frac{1}{2}$ unde Long. 20. Taur. Lat. B. 27°.

$\frac{24}{2}$ Dec. Jan. vesp. alt. cap. sq. ♊ seu Pollucis 42° 25′. ort. dist. com. à lucid. Pers. 6° 33′. à lucid. pede Androm. 9° 22′. à cap. Alg. 6° 54′. in unà recta cum lucid. Pers. & lucido pede Androm. obscurus & luminis pauci parvique. Linem.

$\frac{25}{4}$ Dec. Jan. Phœnom. obscurissimæ Cometæ illi simile & ejus quasi vestigium non in eadem ut ante linea sed paulo borealius visum.

$\frac{26}{7}$ Dec. Jan. diam. appar. 5′. Hevel. Prodr. p. 48. in fine longitudo caudæ 1° 36. ibid. p. 62.

Adjungo & observationes miscellas à Clarissimo & Humanissimo Viro Mart. Fogelio

gelio Med. D. collectas, ut & ſtudio erga rem literariam, & amicitiæ Viri Eximii & memoriæ Magni Jungii, quem Excellentiſſimus & acutiſſimus, judice Magno pariter Voſſio, Mathematicus, ac Vir variæ eruditionis Joan. Pellius Britannus, in didacticis maximi faciebat, ſatiſfaciam.

(*) CAP. I.

DE MOTU HUJUS COMETOIDIS PHÆNOMENI

1. *Obſervator Colonienſis* in Novellis Phœnomenon hoc *à 9. die Decembris* ſecundum Calendarium Julianum, *ad 24. uſque ejuſdem* menſis (incluſive) contemplatus fuiſſe, legitur.

13 Tamen, 14, & 15, uti & 21, 22, 23. Decembris *Cælum* ipſi *non favit.*

2. Janus *Gartovius*, Nobilis Mæklenburgenſis, in Prodromo de hoc Cometa, ut vocat, ſic habet: „*primum Hamburgi* XI. *Decemb. die Saturni horâ* 8. *veſpertinâ à me* „*aliiſque viſus fuit inter Orientem & Meridiem in fluvio Eridano, non procul à parva Stella* „*prope ſiniſtrum Orionis Genu, ad menſuram oculis nudis captam* 7° *vel* 8° ♊, *non longe ab* „*Æquatore, Meridiem verſus.*

3. ANIMADVERSIO 1. Hæc *Stella* Eridani *fuerit Lucidæ ſiniſtri Pedis Orionis proxima*, quintæ Magnitudinis. *Cum his* duabus igitur, (Lucida nimirum ſiniſtri Pedis Orionis, eique in Eridano proximâ) *in una* quaſi lineâ *rectâ* Meridiem verſus à Gartovio *viſum* hoc Phœnomenon *fuerit.*

4. ANIMADVERSIO 2. Valde autem *diſcrepant Colonienſes Obſervationes die* XI. *Decemb.* inſtitutæ *à Gartovianis.* Tunc enim *ille* Cometam 3°. *fere ab Æquatore verſus Septentrionem*, diſtantiam obtinuiſſe; *hic* vero *Æquatori proximum vidit verſus Meridiem*, eo loco, quo Colonienſis eum 10. Dec. obſervavit.

5. *Sequentis diei* (12) Obſervationes *conveniunt.* Utrique enim tunc *in ſiniſtro* (Colonienſis dextrum à ſiniſtro hic & alibi diſtinguere neſcivit,) *Genu Tauri* apparuit. *Colonienſis* magis determinavit ſitum. „*Horâ*, inquit, 10. *veſpertinâ ab Ecliptica* 10°. *fere ad Auſtrum declinabat, exacte ſtringens Longitu-* „*dinarium, qui per Dodecatemorii* ♊ *initium ducitur.*

6. *Erraſſe* vero videtur *Gartovius*, quod *non credibile* ſit. Phœnomenon *ſpatio unius diei ab Eridano ad Tauri genu perrexiſſe, ſi pridie minus* promotum fuerit.

7. *Quidam* ex meis Condiſcipulis, ſibi Phœnomenon hoc ſub oculo Tauri (Aldebaran) 12. Dec. *conſpectum*, affirmabat, ita quidem, ut *Oculus Tauri*, & quæ *in* ejuſdem *Genu ſiniſtro* eſt, *cum Apice Vau* illius, quod maxima ex parte *Hyades* comprehendit, *& hoc* Phœnomeno *Rectangulum* fere conſtituerint.

8. Die 13. Dec. *Cælum* Hamburgi *non* fuit *ſerenum.*

9. 14. Dec. circa horam 7. veſpertinam, itemque 9. ſatis *vicinum Plejadibus* apparebat, ita quidem poſitum, ut Recta, in qua hærent Plejadum Sextana antecedens, & earundem Lucida, verſus Orientem producta in ipſum incideret.

10. 15. Dec. *inter Plejades & Siniſtram Pedis Perſei plantam* conſpiciebam, ubi nimirum Recta, à Præcedente trium in Cauda Arietis per Mediam Caudæ verſus Perſeum producta, per Corpus Phœnomeni tranſibat.

11. 16. Dec. *in eâdem Rectâ cum duabus* Stellis *Pedis Siniſtri Perſei* videbatur, occaſum verſus, eodem fere intervallo ab Antecedente diſtans, quo hæc à Sequente.

12. 17. Dec. horâ 10. veſpert. *in mutuâ Rectæ per Oculum Dextrum Meduſæ, & Naſum* ejus, itemque Rectæ *per Antecedentem* Stellam *Sure Dextræ, & Femur Siniſtrum Perſei* tranſeuntium, *Interjectione*, obſervavi.

13. 18, 19, 20. Dec. *Cælum* Obſervationibus *minus benignum* fuit.

14. Die 21. Dec. horâ 9. veſpert. conſpectum eſt *ſupra Lucidam Capitis Meduſæ*, ita quidem, ut hæc & Lucida Plejadum, vel quod fere idem eſt, Lucida Capitis Meduſæ, & quæ infra eam eſt quintæ Magnitudinis in eodem Capite, cum hoc Phœnomeno in eâdem mihi apparuerint Rectâ.

15. Clariſſimus *Jungius*, de quo poſt c. 3. *prope caput Perſei* videri ſibi *Nebuloſi quid*, ajebat, *eouſque tamen Phœnomenon progreſſum*, ſe *non* credere.

(*) *Obſervationes Fogelianæ de Cometa* 1652. *&* 1653. *viſo.*

16. *Ar-*

16. *Abhinc* deinceps *ad* 27. *Dec. noctes* noſtræ *non* fuerunt *illuſtres.*
17. Die 28. Dec. autem circa hor. 5, 6, 7, 8 veſpert. Cælum ſerenum quidem fuit, verum *Lunæ ſplendor* impediebat, quo minus accurate Stellas minores contemplari potuerim. *Alii* tamen è meis Condiſcipulis, acutioris viſûs, poſtridie mihi teſtati ſunt, ſe *non amplius* Phœnomenon *conſpicere potuiſſe.*

Circa horam 9, ni fallor, *inter Caſſiopejæ Pedem Siniſtrum & Lucidam Dorſi Perſei,* (reliquæ Stellæ à me non poterant adeo diſtincte cerni) *apparebat quid meis Oculis ad inſtar Particulæ ex Via Lactea*, quod Cometam eſſe ſuſpicabar. Quidam ex Condiſcipulis ſe idem primum conſpexiſſe referebat, ſed poſt, re diligentius conſideratâ, reperiſſe ex inſpectione Globi, fuiſſe *Stellas circa Caput Perſei.* Quod poſt octiduum ipſe quoque deprehendi.

CAP. II.
DE DECLINATIONIBUS PHÆNOMENI, QUÆ OCULIS NUDIS FACTÆ SUNT.

Die 12. Dec. 11°. circiter ejus *Declinatio* obſervata eſt *Septentrionalis.*
14. Dec. 23°. 36. *Alii* 22°.
15. Dec. 28°.
16. Dec. 31°.
17. Dec. 34°. 48'. circiter.
21. Dec. 41°. 56. circiter.

CAP. III.
DE PHÆNOMENI HUJUS LUCE ET NATURA.

1. CUm primum Summo Viro, Joachimo *Jungio*, tum noſtro Rectori, Phœnomenon 14. Decembr. oſtenderemus, *tanquam Præſepe Cancri*, aliquanto tamen *majus* ipſi apparuit. Quomodo *etiam Condiſcipulo*, de quo c. 1. § 7, apparuerat.

2. *Quibuſdam Radios ad partes cæli inter Orientem & Meridiem* (Südoſt;) *aliis ad partes inter Orientem & Septentrionem* (Nordoſt) *ſpargere* viſum eſt. *Meis oculis* (myops verò ſum) 3. aut 4. *ſtellularum* apparuit, Radios per vices *verſus Orientem* jaculans.

3. Obſervator *Colonienſis æquè ac ſtellam lucere, majoris tamen eſſe diſci, abſque ullâ caudâ, radiaſſe nonnihil ſibi videri verſus Orientem*, refert.

4. Quicquid ſit, ſi *Cometa* fuit, *in partem à Sole averſam radiaſſe* debuit.

5. Georgius *Schumacherus* Bibliothecæ noſtræ quondam præfectus, ſe ſummo ſtudio, etiam Clariſſimi Taſſii *Teleſcopio adhibito*, obſervaſſe ajebat, *nihil* verò *Lucidi* apparuiſſe.

6. Neque Clar. *Jungius punctum* aliquod *Lucidum* in eo deprehendit, quippe quod *ſumi inſtar* habere ipſi viſum eſt. Cum 21. *Decemb.* eidem oſtenderetur, pro *Fixâ* habens, Cometam eſſe concedere noluit, quia punctum aliquod Lucidum in eo ſibi conſpici exiſtimabat.

7. *Ego* ſanè *à ſtella* 4. magnit. *diſcernere* non potui, licet *Condiſcipuli acutiori viſu præditi* diſtingui ſibi phœnomenon à ſtella, faterentur.

8. Non ſemel interim 20. Dec. affirmabat, ſimile ſibi videri hoc phœnomenon *particulæ ex galaxia quaſi avulſæ.* Quam aſſertionem 21. Dec. repetiit, cum ipſi videretur *iterum* Galaxiæ *conjuncta*, unde ante quaſi abſciſſa fuerat. *Illuſtrabat* aſſertionem ſuam *ſimilitudine à globo telluris* deſumtâ, *cujus portio* à terra in uno loco *avulſa*, *alibi* eidem denuò jungitur.

9. ANIMADVERSIO. Nos 21. die Dec. non ſtellam aliquam fixam, ut tum putabat Cl. Jungius, ſed *phœnomenon* ipſum *conſpexiſſe*, vel *Colonienſis fidem fecerit*, qui 20. die Dec. (nam 21. Coloniæ cælum non fuit ſerenum, ut jam c. 1. §. 1. dictum) illud hora 6. veſpertina *non longè ab eo*, quo à nobis 21. die videbatur, *loco* conſpicatus fuit, cum ſpatio unius diei non adeò longinquum iter conficere potuerit, in ea cæli regione conſtitutum.

10. Clariſſimus *Taſſius* Mathematum Profeſſor Celeberrimus, *Cometam Crinitum* eſſe hoc phœnomenon perhibebat.

Hæc etiam ſunt obſervata Fogeliana de hoc Cometa, totaque adeò hiſtoria iſtius phœnomeni Mathematica. Nunc tandem ad hiſtoriam ejus Politicam progredimur. Antequam verò de eventibus hujus Cometæ aliquid dicamus, moneamus par eſt, ab Anno 1618. uſque adhuc triginta quatuor annorum ſpatio nullum Cometen, multa tamen bella, Regum funera, regnorum converſiones & everſiones, annonæ caritatem, famem, peſtem aliaque mala in orbe viſa eſſe. Nempe hæc, ut toties demonſtravimus, nullo neceſſitatis vinculo cum Cometarum apparitione juncta ſunt, ita ut qui hoc faciunt, experientiæ quoque, non tantùm ſapientiæ & æquitati divinæ, quæ in rerum omnium diſpoſitione & gubernatione cernitur, contradicant & adverſentur. Diximus nonnihil ad proximi Cometæ conſpectum de bellis variis inter duos iſtos Cometas mediis, præcipuè verò Suecicum indicavimus, cujus vim tota quanta quanta eſt ſenſit Germania, imò & Gallia, & ſocia regna. Taceo inter hæc Gallica, Hiſpanica, Belgica, Italica, Turcica, Polonica, Moſchovitica aliaque bella. Tùm & Principum funera. Amiſit enim intra hoc tempus Germania Ferdinandum 2. Suecia Guſtavum, Polonia Sigiſmundum, & filios ejus quatuor (quos inter & Rex Vladiſlaus) Gallia Ludovicum XIII. Dania Chriſtianum IV. ne alios enumerem, qui non facilè numerari poſſent. Silentio tamen præteriri nequit Carolus Magnæ Britanniæ Rex, qui inaudito ab omni memoria exemplo, à populo, jure ſucceſſionis & hæreditatis, quam & fœminæ ibi adeunt, proprio, judicatus, damnatus, necatus Anno 1649. glorioſiſſimo fato occubuit. Taceo varii generis, quæ illa tempeſtate orbem preſſerunt mala

- - - - - quæ ſi comprehendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Inter hæc tamen, Juſtitiæ & pacis artibus geſta, nuptias, natales (inter quos ille Ludovici 14. Regis Chriſtianiſſ. Principis ad maxima quæque nati, & laudes Caroli M. à quo ingens & præclariſſimum ducit genus, feliciter aſſequentis, quique ut cognomen Adeodati ex eventu ſeræ nativitatis meritus eſt, ita factis cognomen alterum *Boni* multis conſentientibus meretur, Anno 1638. eminent) auſpicia Magnorum Principum, aliaque quæ bona & proſpera vocare ſolemus, in orbe eveniſſe, fateor. Hæc ferè rerum facies & à viſo noſtro Cometa fuit. Multa namque bello paceque geſta: & frequentes Principum hymenæi nataleſque celebrati. Paucis hæc proſequemur, optatam ad metam manibus pedibuſque contendentes. Sola patria mea quas non per hæc tempora rerum mutationes, belli & pacis, triſtium & lætorum vices experta eſt! Orto internecino bello Coſacico (cujus jam pridem violata toties (a) genti feroci & licentiæ aſſuetæ libertas civilis, poſtmodum & Sacra, in prudentiorum animis portentum fuit, & hoc rurſus belli Moſchici tùm & Suecici procellam excivit, ac nonnullis avitas Suecorum & Moſchorum injurias, horum etiam communia cum Coſacis ſacra in rationes advocantibus præſagivit) quinta & ultima ad Batoviam clades, Ducibus . . . . . Calinouſcio, & Sigiſmundo Przijemſcio, & exercitui Polono, peſte in regno graſſante ante viſum Cometam m. Junii Anno 1652. illata fuit. Mox generali expeditione indictâ res felicius ad Bereſteciam, Bialacerkviam & alibi contra rebelles ſocioſque eorum Tartaros geſta, ita ut res ad pacem exoptatam, haud diu tamen duraturam perducta fuerit. Itaque ex hoc bello Anno 1654. Moſchicum, & rurſus ex hoc circumacto anno Suecicum ortum Rempublicam graviſſimè afflixit. Et hoc quidem initio incredibili rerum ſucceſſu Sueco lætum fuit, ſalutemque Reipublicæ à Moſco, qui Lituaniæ victor diviſis copiis penitiora regni petebat, liberatæ, tùm verò & ſpem guſtumque æquæ circa ſacra libertatis poſtliminio reſtitutæ afflictis, multa tamen & incommoda publicè & privatim attulit. Sed nato ex hoc Danico bello, Polonia ad antiquum Dominum, ſed & ſacra iniquitas ad opprimendam, invidiæ Suecicæ prætextu, avitam libertatem, rediit: ideòque

(a) Piaſec. ad 1637. & 1638.

cum

cum bellorum malis domi foriſque, aliiſque plurimis incommodis, continuò adhuc luctatur. Daniæ verò diſcuſſis belli, variâ fortunâ geſti, nebulis, nova imperii hæreditarii lux, rei ſummâ improſperè adhuc adminiſtratæ ad unum delatâ effulſit. Tanta lætitia & magis ut expedita regnorum cura, ita & ſalus ac publica quies firmius duratura belli biennio amplius geſti impendio conſtitit. Multis dicitur Cometa noſter bellum Polonicum, Danicum & Holſaticum portendiſſe. At enim iſta quarto & quinto anno demum ab ejus apparitione evenerunt, ut Holſatus Auctor anonymus, Tertius ille interveniens (quem Cl. Olearium eſſe ex illo ipſo paulò ante cognovi) prudenter & ingenuè demonſtrat, hoſque eventus longè à Cometa peti fatetur. Sed mirari ſubit, quî fiat, quòd qui talia triſtia omina, quamvis longe diſſita, Cometæ imputant, lætorum vel æquè diſſitorum, vel etiam viciniorum, obliviſcantur. Nam ut bellum inter Anglos & Hollandos Cometæ noſtri apparitionem præceſſit, ita eam pax & fœdus horum populorum, res Anglicas Protectoris quidem nomine, ſed Regiâ auctoritate moderante Oliverio Cromvellio, excepit. Dehinc Ludovici XIV. anno ætatis XIV. diademate inſigniti auſpicata tempora ſecuta. Cum hoc Lubeca, Brema & Hamburgum ablegatis ad eum prudentiſſimis Viris Davide Penſhorn & Theodoro Möllero, civit. Hamburg. Conſiliariis, libertatem & ſecuritatem commerciorum civitatibus Hanſeaticis, quas vocant, obtinuerunt. Et ut hoc loco brevibus Pacis deſideratiſſimæ cunctis ſtudia eorumque effecta dicam, Anno 1655. pacis fœdera inter Gallos & Anglos, Suecos & Hollandos, hos & Electorem Brandenburgicum ſancita occurrunt. Hinc non pauca inter Suecos & Hollandos bello, ſed & pace geſta videas. Anno 56. ſupra MDC. pax inter Anglos & Portugallos, Polonos & Moſcos (quanquam hæc fuit irrita) compoſita, eademque oppreſſis in herba intra duos menſes domeſticis motibus Helvetiorum Reipublicæ reſtituta. Anno 57. ead. inter Polonum & Suecum nequicquam tentata: at inter Gallum & Anglum, inter Polonum & Brandenburgicum, inter Gallum & Hollandum reſtaurata. Anno 58. pace Danica Rotſchildiæ ſancitâ, Berolini quoque de pace inter Suecum & Brandenburgium, tùm Varſaviæ inter illum & Polonum redintegrandâ, Electoralis Collegii auctoritate actum. Tum quoque pax inter Suecum & Moſcum conciliata, eadem à Polono Coſacis ad Hadziacum data, proximo verò anno Comitiali ſanctione firmata. Inter hæc Gallus renovato cum Helvetiis fœdere, ad pacem Septentrioni intra annum reddendam aditum paravit. Ipſe quoque ad eandem amplectendam rebus feliciter geſtis in Italia & Flandria (munitiſſimis quoque Flandriæ propugnaculis & X. provinciarum clavibus, Indiæ oſtiis, verbo, dominabus maris, Grevelingâ & Dunkerkâ, in eâ captis) Hiſpanum Anno 1659. permovit, & connubio læto Mariâ Thereſiâ Philippi IV. filiâ, Principe Lectiſſimâ ſibi junctâ ſtabilivit. Suecus quoque cum Hollandis pacem reſtauravit. Inter hæc auſpicante Hungaricum Anno 1655. proximo Bohemicum regnum, & paulò poſt imperium Auguſtiſſimo Leopoldo Imperatore laudatiſſimo, bello paceque Incluto, ingens populis lætitia & ſolida quies exorta, quæ vix nuper Turcico bello viribus totius Imperii & Galliæ feliciter geſto & glorioſè compoſito, laceſſita, etiamnum perdurat. Sed & Glorioſiſſimi Regis Caroli Guſtavi, Magnanimâ Principe Chriſtinâ, dum ei regnum Anno 1654. reſignat, Diocletianos, Maximianos, Lotharios, Carolos ſeque ipſam adeò vincente, Suecis lætitiam attulerunt. Optimi verò & Maximi Regis Friderici Tertii, primi Danorum Monarchæ Anno 1660. pacem etiam eamque fidam confeſtim ſecuta ſunt auſpicia, ut dulciſſimo *Friderici* nomini, *Pacis divitias* portendenti, res ipſa reſponderet, illudque non tantùm huic ætati, ſed & ſeræ poſteritati cultu ſubmiſſo & proſperâ memoriâ proſequendum commendaret. Non exiguum gaudium Principibus & populis Caroli 2. Magnæ Britanniæ Regis in avita regna reſtitutio, eod. illo anno 1660. attulit: maximum verò ſimul, eodem ſcilicet menſe Majo, pax & ſalus non tantùm Magnæ Britanniæ, & ſociis ejus regnis, ſed & Imperio Romano, Galliæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ aliiſque Rebuſpublicis reddita. Paulò poſt firmioribus legum vinculis pax Coſacica ad Tzudnoviam adſtricta: ubi & Moſcorum ingens, ſed iners, exercitus, duce Seremeto capto, à Polonis & Tartaris victus & deletus.

Non deerant huic tempeſtati læta hymenæorum & natalium Principum ſolemnia, quæ bellorum aliorumque incommodorum triſtitiam diſpungebant. Anno 1653. Chriſtianus Ludovicus Brunſuicenſis Dorotheam (pro qua Auctor 14 tabb. genealog. Chriſtianam ſororem falſò ponit) Holſatam lætus duxit, nec minus lætus Georgium unicæ ſororis ſuæ Sereniſſimæ Danorum Reginæ filium, maximæ exſpectationis Principem naſcentem tunc vidit: ut alia hujus generis, brevitati ſtudens, omittam: niſi tamen ex hac occaſione verbo dicam, Principi illi glor. mem. de feliciter Anno 1660. ſurgentis Gymnaſii Lunæburgenſis, & nobiliſſimæ palæſtræ incrementis Rempublicam literariam gratulatam eſſe. Annus 54. tàm auſpiciis, quæ vidimus, quàm nuptiis Glorioſiſſimi Regis Caroli Guſtavi cum Hedvige Eleonora Duce Holſatiæ, lectiſſima & ut formæ ita & morum bonitate eximia Virgine: proximus lætiſſimis & nomini Suecico glorioſiſſimis Regis ejuſdem Polonicis victoriis ad invidiam clariſſimis, tùm natalibus Caroli Regis Sueciæ renunciati, laudibuſque & annis ſimul efflorescentis, ac hos bonis moribus eruditos imperio parantis, inſignitus eſt. Illo 1653. anno Sereniſſimus Philippus Guilhelmus Palatinus Neoburgicus felicibus auſpiciis Eliſabetam Amaliam Heſſam, ſpectatæ formæ & probitatis virginem, matrimonio ſibi junxit, ex qua intra annum primâ, mox dehinc ſequentibus annis numeroſâ prole beatus, ſeptem filios maximæ ſpei Principes, vel maximi imperii, quo Princeps ille dignus eſt, fulcra, ſuſcepit. Quâ tempeſtate & agnati ejus Sereniſſimi Electores Bavarus & Palatinus (ille Adelheide Sabaudâ Anno 1652. hic Carolotâ Heſſâ paulò ante ductâ) tum Chriſtianus Auguſtus Sultzbacenſis, familiam feliciter auxerunt. Præceſſerat quidem Cometæ apparitionem Auguſtæ Principis Thereſiæ Mariæ Joſephæ, Glorioſiſſimo Ferdinando 3. & Eleonorâ Mantuanâ (quæ altera Auguſtum diadema moribus meritiſque Sereniſſimæ Gonzagorum genti intulit) ſatæ natalis. Sed proximis annis Auguſtarum ſororum fratriſque paulò poſt tum Philippi Proſperi Infantis Hiſpaniæ natales exceperunt. Anno 1653. & proximis Archiducis Oenipontani Ferdinandi Caroli ſoboles gaudia, illius temporis cumulavit. Idem gaudii orbi Caroli Æmilii & Ludovici Leopoldi Principum Electoralium Brandenburgenſium Anno 1655. & 1657. natales orbi attulerunt. Paulò ante, à viſo ſcilicet Cometa, Egregiorum Principum Chriſtiani Auguſti, & Erneſti, qui ſunt velut lucidiſſima Sereniſſimæ familiæ Saxonicæ lumina, fœcunda poſteritas non minus lætitiæ peperit. Tantundem lætorum (ut paucis multa complectar) tabulæ Brunſuicenſes, Haſſiacæ, Anhaltinæ, Badenſes, Wirtembergicæ & Mecklenburgicæ (poſtquam Sereniſſimus Princeps, tàm eruditionis quàm pietatis laudibus Inclutus, Guſtavus Adolphus Magdalenam Sibyllam Holſatam, eodem quo Glorioſiſſimus Rex Sueciæ ſororem ejus Hedvigem Eleonoram anno, ſociam thori eſſe voluit) aliæque præbent. Sed hæc brevitatis cauſâ prætereo, ſicut & proſpera belli Gallici in Flandria, ternam Venetorum victoriam navalem rejectum auſpiciis Caroli Guſtavi, virtute Comitis Magni indefeſſâ & fide Rigenſium invictâ Moſcum, fidem tolerandi neſcium, aliaque Principum læta, & ad reliqua propero.

CCCCXIII. *Anno Chriſti* 1661. *die* 28. *Januarii manè ab hora* 3. *ad* 6. *Amſterodami viſus eſt Cometa verſus Eurum ſeu Vulturnum, qualis ſub idem tempus Hamburgi viſus eſt.* Diar. Europ. ad 1661.

IDem Auctor induſtrius & laude ob ſtudium veritatis & ſcientiam ut aliarum ita & Mathematicarum rerum dignus, ex Clariſſ. Erhardi Weigelii Math. in Academia Jenenſi Prof. Comment. de hoc Cometa iſtas obſervationes exhibet:

Viennâ die $\frac{6}{16}$. Februarii 1661.

HIc per aliquot dies viſus eſt Cometes caudâ venuſtâ oblongiori & criſpâ verſus Poſonium. Innuit capite verſus Orientem, caudâ verò verſus Stiriam. Quæ ejus futura ſit operatio, Deo notum eſt. Holmiæ

Holmiâ die $\frac{4}{14}$ Februarii 1661.

CErnitur hîc Cometa mane duabus horis ante diem exortum, caudam obvertens Septentrioni. Hujusque apparitionem confirmant relationes aliæ, allatæ Antverpiâ, Hafniâ, Parisiis, Bruxellis, Pragâ, Regiomonto, aliisque de locis extra Imperium Romanum sitis.

Augustâ Vindelicorum per literas refert Doctissimus quidam & peritissimus Astronomus, qui hunc Cometam accuratissimè observavit, & locum ejus ac cursum juxtà notas illas & artificiosas configurationes cælestes Clarissimi Joannis Bayeri dimensus est, sequentia:

Anno 1661. $\frac{1}{11}$. *Februarii manè circa horam quintam (vel duabus horis ante diem) Cometa in sidere Aquilæ sive Vulturis volantis visus est, cujus caput valdè propinquum erat stellulæ sextæ magnitudinis in capite Aquilæ, quæ in schemate Bayeri notata est. Nucleus autem Cometæ adeò vicinus fuit dictæ stellæ fixæ, ut vix ab invicem discerni potuerint. Obvertebat capillamentum suum sive caudam stellæ illi lucidiori in Aquila, ita ut quidam statuerint, quòd illa à parva ista stella modo dicta ad alteram parvam, quæ lucidæ stellæ in Aquila astat, protensa fuerit, nec tamen hanc (quintæ magnitudinis) inconspicuam fecerit. Radiatio sive coma Cometæ erat luce pallida, nec adeò conspicua; dispersa nonnihil; ad stellam tamen illam sese vicissim contrahens. Luna autem splendens visui, quo minus accuratè omnia cognosci potuerint, non parum obfuit.*

Olomucii Anno 1661. 29. *Januarii St. Vet.* (8. *Febr. St. N.*) *Cometa, apparuit manè circa horam tertiam* 46. *propè caput Aquilæ, ita quidem, ut gracili cauda Delphinum versus tenderet. Horâ* 5. 26. *Altitudo ejus ope Quadrantis* 13°. 17′. *deprehensa est; Aquilæ verò* 18°. 15′. *Hic Cometes distabat à stella ista lucidiori secundæ magnitudinis (quæ in medio Aquilæ exactè humero ascripta est, & aliàs plerumque Aquila dicitur)* 5° *&* 26. *Erat, in se consideratus, rubicundus, & pariter tamen aliquantulum pallidus ac luridus. Figurâ non major ac stellæ circiter tertiæ magnitudinis. Motus ejus sive incessus in pari distantia ab Aquila deprehensus est.*

Sequenti die $\frac{30.\text{ Jan.}}{9.\text{ Febr.}}$ *Cometa hora tertia &* 26. *circiter uno gradu proprior Aquilæ, ac pridie, exortus est; & quidem ita ut in ipso Aquilæ capite cerneretur, dissitus ab eadem media ac lucida stella (hoc est ab Aquila)* 4. *gradus. Color verò non æquè luridus erat ac nuaius tertius, nec cauda versus Delphinum, sed directè sursum dirigebatur. Corpus ejus, licet oculorum judicio non excederet stellam tertiæ magnitudinis, per tubum tamen opticum* 8. *pedum visum est duplo majus ac Jupiter. Caudaque sensim incurvata evanuit.*

Hora quinta 36. *ille supra Horizontem nostrum* 17°. 56′. *elevatus fuit: Aquila verò supra eundem Horizontem* 21°. 48′.

Ephemeris observat. Cometæ Ann. C. 1661. *quæ nobis obvenerunt.*

DIe 29. Jan. 7. Febr. H. mat. 3. Erh. Weigelius Jenæ Cometam observavit supra caput Aquilæ, caudâ sursum erectâ: color pallidus instar nubis lumine perfusæ. Triangulum Isosceles constituebat tàm cum tribus Aquilæ in recta linea jacentibus, quam cum dextro cubito Antinoi supremaque Delphini ad Occidentem: medium Cometæ, ut & caudæ nuclei & medullæ instar clariora quàm extima. Long. Aquarii 3°. latit. bor. 25. Olomutzii ad caput Aquilæ visus oriri caudâ ad Delphinum versâ: distabat à lucida Aquilæ 5°. color pallidè rubescens. H. m. 5. long. Aquarii 5°. Decl. B. 6°. Petr. Megerling. in literis ad Bleissium adjectis orationi Basileæ habitæ.

30. Jan. St. V. H. m. 3. Weigel. Cometa in sectione duarum linearum à suprema Aquilæ ad parvam in collo, & à suprema Delphini in cubitum sinistrum Antinoi: cauda tricuspis, Cometa ipse major aliquantò, mediâ in Aquila, multò tamen obscurior. Long. ♒ 2°. 8′. lat. B. 25½ Noribergæ sub lucida Aquilæ α. H. m. 3. 36. Olomuzii distab. à lucida 4°. Color lucidior, cauda non Delphinum versus, sed sursum. Caput oculis nudis æquale stellæ 3. magn. tubo verò 8. ped. Jove duplo majus visum. Long. ♒ 2°. Decl. B. 4°. Megerl. At secundum Speissium Decl. 6°. Asc. R. 301. h.m. 5.

31. Jan. St. V. Weigel. cauda ulnæ longit. visa, sursum ad verticem tendens, caput æqui-

æquierurum triang. conſtituens cum lucida aquilæ & ead. inferiore, ita ut à lucida in infer. & ab infer. in Cometam æquales fuerint: ipſe Cometa obſcurior viſus. Long. ♒ 1°. 15′. lat. B. 26°. 8′. Norib. ſub β Bayeri viſus.

1. 11. Febr. Weig. Cometa magnitud. multum jam decreverat: diſtantia lucidæ ab inferiore, dupla diſtantiæ ſuperioris à Com. & angulus ad inferiorem rectus, ita ut lucida cum infer. & com. rectang. conſtituerat. Long. ♌ 29°. lat. B. 27°. H. m. 5. Cometa conjunctus ſtellæ 6. mangn. τ. Baj. ut ead. eſſe putaretur: cauda verſus lucidam α uſque ad ξ magnit. quintæ porrecta.

15. 25. Febr. Weigel. ad utramque ſtellam in ala Aquilæ aliquod obſcurius nebuloſâ Cancri minus.

Omnium de hoc Cometa obſervationes, quas adhuc videre mihi contigit, inimitabilis Heveliana ſolertia ſuperat. Affirmat enim ſe eum feliciter uſque ad 28. Martii cum Cl. Bullialdo obſervaſſe, tubi præſtantiſſimi beneficio, cùm alios ultra 15. vel 20. Febr. ſuas obſervationes hujus phœnomeni non extendiſſe arbitretur. Mantiſſa Prodr. Comet. p. 181. Superius hunc noſtrum medio Martii uno die 12′, ultimo verò tantùm 6′. confeciſſe, & quidem ſub evidenti incurvatione orbitæ, dicit, ſeque id in Cometographia demonſtraturum promittit. p. 174. Inferius verò eundem, ut & illum 1652. Cometam à nupero hyberno diverſiſſimâ facie fulſiſſe pariter ſe demonſtraturum pollicetur. p. 186. Cl. Frider. Mullerus ait Cl. M. Abdiam Treω in ſuis Cometæ hujus obſervatis c. 3. monere Ariſtotelicos, Tychoni, Cometæ parallaxin lunari minorem eſſe obſervationibus Aſtronomicis contra Ariſtotelem probant, tanquam perito artifici in ſua arte credendum eſſe. Comm. de Cometa 1664. l. 2. c. 2. Cum tamen Claremontius, & ex ipſo alii, Tychonis obſervata in dubium vocent, illumque potiùs ex hypotheſi nondum probatâ ſuas rationes deduxiſſe, quàm evidenti Mathematicâ demonſtratione id ipſum eviciſſe, opinentur, exſpectanda nobis erit à Magno Hevelio tantæ controverſiæ deciſio. Is enim vel ſolus, vel certè eximiâ diligentiâ doctrinam de Cometarum parallaxi pertractat. Ego itaque me ad eventus noſtri Cometæ dijudicandos converto. Adſcribitur ei, utpote in Capricorno & Aquario apparenti, inter alia peſtis, quæ Anno 1663. Hollandiam & Hamburgum aliaque loca afflixit, eò quòd quædam horum iſtis ſignis ſubjaceant. Sed id mali Hollandia Africano, Hamburgum (licet hîc non defuerint viri ſcientiâ rerum naturalium & artis Medicæ excellentes, cumprimis Cl. Joan. Alb. Huſwedelius Med. D. & Phyſicus urbis primarius, qui non peſtem, ſed febrem tantùm peſtilentialem graſſatam hâc in urbe fuiſſe affirmârint) Hollandico commercio, non Cometæ debet. Graſſatum verò tunc fuiſſe hoc malum in locis alii ſigno quàm Capricorno vel Aquario ſubjectis, docet ipſa Hollandia, Cancro, ſed & Africa Virgini ſubjecta. Docet contra Lituania, Maſovia, Berga, Auguſta, docet Dania, Suecia, Ingolſtadium, Saliſburgum & alia loca Capricorno & Aquario ſubjecta, quæ peſtis non attigerat, quàm vanæ ſint hæ Aſtrologorum rationes. Quod etiam ingenuè & cordatè Cl. Olearius Auctor Tertii Intervenientis deducit. Igitur ad alia. Recens adhuc eſt memoria triſtium, quæ bella Septentrionem quaſſantia, & orbem Chriſtianum ſtudiis partium dividentia, ſecum tulerunt. Horum multa iſtum potius Cometen anteceſſiſſe, quàm proximè præcedentem ſecuta fuiſſe ex æquitate dici poſſunt. Proximè verò Cometam noſtrum anteceſſerunt horrendæ tempeſtates m. Dec. & Jan. ineunte multarum navium & opum jacturâ, multorum & hominum exitio celebres, ut & inſulæ Dantiſcanæ inundatio, quæ permultis pariter interitum attulit. Et certè atrox illa tempeſtas fuit, adeò ut finem mundi adeſſe quidam cogitarent. Quod ad eventus Cometæ lætos attinet, pax quidem Polonica & Danica, toti Septentrioni, imò orbi, ſalutaris, Cometæ noſtri apparitionem non exſpectavit, ita ut hæc ad proximum referenda ſit, eorum ſaltim, qui aliquot decadibus annorum geſta Cometis imputare ſolent, gratiâ. A viſo tamen Cometa pax magis magiſque firmari cœpit. Equidem in Dania feliciter id præſtitum, ita ut tunc demùm non tantùm læta, ſed & tuta rerum facies, ac diu deſideratæ pacis ubertas Auguſti FRIDERICI tempora coronans, redierit. At Polonicæ pacis lætitiam corrupit & fructum ejus intervertit violata magis magiſque religionis, hinc & violari cœpta electionis libertas, id eſt, ibi ſubruta, hîc convulſa libertatis

columna,

columna, cui tota pulcherrimi istius Reipub. ædificii moles innititur. Atque hoc secutorum dissidiorum, fœderum militarium, ut Reip. noxiorum, ita & Ducum Vincentii Gonsewscii & Zeromscii cruore fœdatorum, tandem & belli civilis pluriumque malorum portentum fuit. Ut enim nusquam gentium æquè ac in Poloniâ vel magna vel fide fœderum, juramentorum & legum publica (quam sacrosanctam esse omnium gentium consensus docet) fundata fuit libertas, ita postquam violata est, singulari ratione à Deo æquitatis custode vindicanda erat. Cujus justæ iræ an satisfactum adhuc sit, tempus docebit. Plurima certè mala patriæ carissimæ alia incumbere adhuc, imminere alia, dolens & pius erga eam, utpote in errorum correctione certum, &, ni rejiciatur, efficax malorum remedium ostendens, dico. Nec enim aliud horum, quàm violatam religionis libertatem, unde Cosacica rebellio adhuc durans, ex hac demùm alia mala orta, portentum quis invenerit. Inter hæc bellum Lusitanicum duravit, insigne vicissitudinis rerum & alternantis victoriæ documentum. Turcicum verò viribus totius Imperii & auxiliis Gallicis aliorumque Principum Anno 1663. gestum lætam mox pacem attulit, splendidissimis utriusque Imperatoris legationibus & muneribus confirmatam. Anno interim sexagesimo primo primus Novembris Greg. dies multum mœroris morte Philippi Prosperi Infantis Hispaniæ, sed & cum fuerit natalis Ludovici Delphini Ludovico 14. Rege Christianissimo geniti, luxuriosissimis gaudiorum solemnibus orbi Christiano celebratus, & alioqui multis afflictis salutaris, ut & ille Caroli Infantis, in præsens Regis, Hispaniæ ejusd. mensis quartus mira rerum vicissitudine plurimum lætitiæ attulit. Ita utriusque Principis Regii sed & aliorum Principum nativitati stella hæc crinita præfulsit. Sunt adhuc in recenti memoria Principum Angliæ & Galliæ Regiorum, sed & aliorum Principum per Germaniam, Galliam, Angliam & Italiam hymenæi & natales, quos ideò enumerare, metam præcipuè anhelanti & tàm laboribus fesso, quàm gaudio gestienti, non est necesse. Rapiunt tamen in admirationem gaudii, quamvis fatigatum, lætissimæ Sereniss. Magnæ Britanniæ Regis Caroli diademate insigniti & vinculo connubii cum Catharina Lusitana juncti Anno supra MDC sexagesimo secundo celebrata solemnia. Bono equidem nomine. Nam & ipse Cæsar, tùm Lusitanus, Regii, Electorales aliique Principes ex hinc ad casta conjugii fœdera sancienda animum adjecerunt, quorum lætissima pacique publicæ conciliandæ & firmandæ destinata studia inter gaudia & vota omnes gratantes & grati adspicimus. Neque verò ex quo noster Cometa fulsit, à Magnis Principibus & Rectoribus orbis artes pacis neglectas, imò verò easdem studio singulari cultas fuisse, docent tractatus feliciter inter Episcopum & urbem Monasterienssem, ruptâ illâ, de qua paulo ante diximus, pace conventâ, tum inter Suecum & Moscum perfecti, inter Anglos & Suecos, Hollandos & Portugallos eodem illo 1661. anno sanciti: proximô verò inter Gallos & Suecos renovati, inter Gallos & Hollandos novo fœdere firmati, inter hos & Anglos tùm & Regem Tunetanum & Algerienses ad reddendam quietem mari & libertatem commerciis, nec non inter Anglos & eosdem Algerienses ac Tripolitanos pyratas eidem fini instituti: tandem inter Electorem Moguntinum & Erfordensem civitatem finiti. Non nego desideratam pacem hîc & illîc difficilem fuisse & non exiguo sanguinis impendio constitisse. Verumtamen illa bellorum malis finem attulit lætum & salutarem. Quod si igitur bellorum mala, certè & pacis bona ad Cometarum præcedentium apparitionem æquo jure referenda.

Antequam ulterius progrediamur, paucis de phœnomenis hac tempestatæ vulgatis dicendum est. Anno 1660 exeunte visus Cometes supra Varadinum rutilans ac ruber, qui supra Lunam stetit visi unà aliqui acinaces versus Lunam tendentes quasi illam dissecturi. Visus alius major acinacis & sub eo Sol, nec longè inde insignia Hungarica quæ splendore obfuscata non poterant conspici. Istum magnum acinacem ajunt ictum intendisse Lunæ ad latus. Diar. Europ. part. 6. p. 253. Dehinc Anno 1663. fama sparserat medio m. Febr. Cometam supra Pragam visum geminum, flavum & rubrum utrumque conflixisse & rubrum victum fuisse. Anno 1664 2. 12. Jan. magnus Cometes Græcii in Stiria visus specie dimidiæ Lunæ, qualem Turcica insignia ferunt. Idem die 17. ejusd. m. Rackelsburgi & Tschacaturni visus dicitur oriens post mediam noctem, qui usque ad matut. tempus duravit, colore quem aliæ stellæ habent, caudâ in Croatiam directâ. Sparserat

ferat fama & ad Malmogiam in Scania. Cometæ ſimile phœnomenon mane obſervatum. Deſcribitur in Diario Europæo primis diebus Aprilis Anni 1664 apud Lutetiam Pariſiorum viſus Cometes dimidiam ulnam Gallicam longus, totus ignitus, caudam quarta parte ulnæ Gallicæ longam trahens, intus ſcutum & tres lunas dichotomas habens ab Oriente ad Occidentem curſu citato tendens: tum eod. menſe in Delphinatu Cometa viſus cum magno ſtrepitu exoriens capite magno & longâ rutilante caudâ qui nimium ſplenduerit, cum die 12. 22. ejuſd. ad Valentiam caderet. Sed cum nullæ ſitûs circumſtantiæ horum phœnomenôn annotentur, nec de eis quidquam à quopiam Mathematicorum acceperim, plura de iis non habeo dicere.

CCCCXIV. & CCCCXV. *Anno* 1664. *&* 1665. *Cometa primùs quibuſdam menſe Novembri, omnibus menſe Decembri mane in Dodecatemoriis Libræ, Virginis & Leonis uſque ad diem* 28. *Decembr. St. N. apparuit. Hinc ab horizonte ad Tropicum Capricorni & Æquatorem ac Eclipticam aſcendens d.* 29. *ejuſd. m. & ſtili ad Pedicem Leporis acronychius & veſpertinus apparuit & uſque ad* 18. *Febr. anni* 1665. *obſervatus ſub occidentali Arietis cornu diſparuit. Alter eodem anno d.* 6. *Aprilis ſtili pariter novi in Pegaſo manè effulſit & d.* 20. *ejuſd. m. ſupra cornua Arietis evanuit.*

HOc eſt breve totius hiſtoriæ horum Cometarum compendium. Non unum, nec tres, tantominus quatuor Cometas tunc nobis apparuiſſe diverſis Clariſſimorum & excellentiſſimorum Mathematicorum, cumprimis Ampliſſimi Hevelii, rationibus deductum & obſervationibus aſſertum priori tomo dedimus, quò lectorem remittimus. Veritas ſententiæ noſtræ de gemino Cometa altero hyberno, altero verno, uno obtutu patet ex tabula obſervationum, quam ad Ampliſſimum & Cl. Virum Wilhelmum Langium miſſam tomo 1 inſeruimus. Idem & ex ephemeridibus horum Cometarum patebit, quas ſtudioſus lector ex tot Clariſſimorum Mathematicorum obſervatis facilè colliget, & nos ſi opus & otium fuerit, ſubjiciemus. Quod ad utriuſque Cometæ, præcipue vero prioris, qui Argo navim & tot alia, ut vocant, aquatica Signa peragravit, eventus attinet, multi eo bellum navale inter Anglos & Hollandos exortum aliaque mala portendi dicebant. Sed bellum quidem ut & reliqua ejuſd. generis, alia habent, vitiorum ſcilicet portenta, quæ ſi abeſſent, nullum nobis Cometæ periculum, imò nec metum crearent. Sed *vitia erunt*, inquit ille, *donec homines:* ita & bella, quæ à Caino fratricida prima ab origine mundi orta, niſi cum mundo non ceſſabunt. Artibus inter hæc juſtitiæ & pacis permulta quoque in orbe à Cometarum apparitione geri, aliaque læta evenire, clarius eſt quàm ut probatione egeat. Juvat tamen paucis ſeræ poſteritati temporum noſtrorum decora & gaudia commendare. Magnorum funerum Hiſpanici, Gallici, Bavarici, & nuperrimi Polonici acerbitatem, penſant lætiſſimi Principum Magnorum natales, quos Lutetia Pariſiorum, Moſcovia, Parma, Clevia, Auguſta Taurinorum, & plura Germaniæ loca cum tripudiis celebrarunt. Supparia gaudia læti generant hymenæi. Alterum vidit Auguſta Dahorum Hafnia lætiſſimum Joannis Georgii Principis Saxoniæ Electoralis ad magna plus pluſque adſpirantis, & Lectiſſimæ Principis Regiæ Annæ Sophiæ in magnas ſpes genitæ eaſque orbi jam parientis Anno 1666. die 9. 19. Octob. Alterum Magnanimo Principi Regio CHRISTIANO & formâ moribuſque ſplendidiſſimæ Principi Carolottæ Heſſæ parat. Inter hæc Auguſta Vindoniana ſpectavit nuper die 5. Decemb. Gregor. Auguſtiſſimi Cæſaris LEOPOLDI & Margaritæ Hiſpanæ forma moribuſque commendatiſſimæ auguſtum hymenæum. Quis ex hac Sereniſſimorum ſiderum conjunctione maxima orbi Chriſtiano gaudia non auguretur? Stat etiam ante oculos pax Lunæburgenſis, Mecklenburgenſis, Monaſterienſis, Modenenſis, Polonica, eaque domi compoſita, foris cum Moſco inita: tùm inter Suecum & Moſcum firmata, tandem inter Electores ad Rhenum ſancita. Horum omnium fuit maxima pars Cæſar LEOPOLDUS, Auguſtus, Pius, Felix, ad pacem & ſalutem publicam natus. Hic ideò & Luſitanicam pacem, quantum potis eſt, promovet. Et adeò quidem feliciter, ut toties conventam publica vulgârit fama. Quis ideò pro ſalute & incolumitate ac proſperitate tàm Benefici Principis, qui almam pacem non obſtante ipſo diverſarum circa ſacra ſententiarum invidioſo delectu, ſeculo dans, *Pater Patriæ* antequam domi pater fiat, dici publice meruit, vota ex animo non fundat? Quod reliquum eſt tractatus de pace in Luſitania & Batavia in novas ſpes orbem Chriſtianum erigunt, magnæque lætitiæ terra marique perſonaturæ tripudia promittunt.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

DEO PACIS GLORIA.



FIGURA COMETAS ULTIMOS A.° CHR. 1664 ET 1665 EXHIBENS.

Ephemeris observationum Cometæ hyemalis A. C. 1664 mens. Nov. et Dec.

Nov. 22 1 Kechel Lejd.
Dec. 2
Nov. 30 2 Mejer. Vsum
Dec. 1/11 3 Mejer.
2/12 4 Salisburg
3/13 5 Meier. Hav. Hag. Com.
4/14 6 Hevel. Gedan. Kirch. Rom. Grav. Franeq. Siver. Hamb.
5/15 7 Hevel. Kav.
6/16 8 Salisb.
7/17 9 Siver. Rudbeck et Fornel. ubsal.
8/18 10 Hevel. Buthner. Gedan. Bursman. Hannover. Kirchet et Gouja. Rostoch. Schorer. Mennings Siver.
9/19 12 Digiser. Trident. Gottin. Busm. Rudb. Fornel.
10/20 13 Salisb. Stuttgard. Ingolstud. Dublin. Hibern. Digiser. Schorer
11/21 14 Hevel. Bulliald. Par. Grav. Digiser. Schorer.
1664 Dec. 12/22 15 Digiser. Gottin. Bullhald.
13/23 16 Hevel. Mane
17 Kercher. Digiser
14/24 18 Manch. 2. Salisb.
19 Digiser
20 Norib. Mane
15/25 21 Busm. Hannov. Neostad.
22 Mane Bulliald. Paris.

1665
5/15 67 Bartholin. vesp. h. 5.
Jan. 12/22 68. Grav.
69 Hevel. vesp.
70 Bartholin. Gottin.
71 Neostad
72 Salisb.
73 Grav. Siver
8/18 9 Arendal. Norvag.
71 Neost.
74 Hevel
75 Grav.

10/20 71 Neost. Viern.
75 Grav
76 Hev. v. h. 7
11/21 75 Grav
76 Hevel. vesp.
77 Salisb
12/22 75 Barthol. vesp. h. 5 1/2
12/22 76 Hevel

1665
Janu 2/12 78 Hevel vesp. h. 8.
18/28 79 Hevel vesp. h. 8.
Jan. 22/Feb. 1 80 Rudb.
81 Placentin
23/2 80 Rudb
82 Hevel vesp. h. 5.
24 82 Hev. v. h. 7. Barth. v. h. 8 1/2
2/12 82 Hev. v. h. 7. Reiher
Vient Buthn.
28/7 83 Grav. Frid. Herbip
29/8 83 Herbip
84 Rudb.
30/9 83 Herbip
86 Busm.
31/10 83 Monach.
85 Hevel. h. 7. 7.
Feb. 1/11 83 Monach
89 Placentin.
2/12 85 Busm. Reiher Gottin.
87 Hevel. v. h. 6 1/2
88 Rudb.

1664
Dec. 22/2 41 Busm. vesp. h. 6.
42 Siv. vesp. Reiher. Rintel. h. 4.
1665 Jan. 43 Hevel. vesp. Reiher h. 10.
44 Grav.
45 Salisb.
22/2 46 Bartholin. Nath. Busm. Siv. Rejh. Digis. Gottin.
47 Grav.
16/26 23 Stuttgard
24 Grav.
25 Gottin
26 Norib.
17/27 27 Stuttgard
28 Neostad
28/7 29 Gottin. Busm. Kirch.
30 Mane Hevel. h. 2.
18/28 31 Norib.
27 32 Kirch. Gottin. Digis.
33 Hevel. Kirch. Gottin. Digis.
19/29 34 Salisb
35 Hevel. Gottin. Digis. Reichelt. Hafn.
30/30 36 Grav.
37 Siver. Hamb. vesp. h. 12
31/31 38 Siv. Mun. h. 2
39 Hevel. Digis. Colon. Agrip.
40 Neostad
24/3 48 Hev. Gott. Busm. Digis. Siv.
49 Bartholin.
50 Grav.
25/4 51 Hev. Barth. Digis. Busm. Grav. Siv. Hamb. Vien.
52 Neostad
26/5 53 Hev. Gott. Digis. Trid. Vien
54 Salisb.
27 55 Hev. Barth. Gott. Grav. Siv.
28/7 56 Hev. Barth. Busm. Placent. Francof. ad. Viadr. Rejh. Siv.
28/8 57 Barth. Gott. Grav. Siv. Hamb. Neose. Norib.
30/9 58 Hev. Barth. Grav Busm. Siv.
59 Salisb.
31/10 60 Hev. Gott. Placent. Rejh. Siv. Neose.
1665 1/11 61 Hev. Grav. Busm.
62 Hevel. Grav. Placent Rejh. Siv.
2/12 63 Barth. Grav. Busm. Mannov. Neostad.
3/13 64 Salisb.
4/14 65
5/13 66
Barth. Grav. Rejh. Siv.

1665. Feb.
3/13 83 Monach
87 Hevel. v.
4/14 87 Hev. v. h. 6 1/2
5/15 88 Rudb.
7/17 85 Barth. v. h. 7
8/18 89 Hevel
10/20 91 Rudb

Catalogus Observationum Cometæ verni A. C. 1665. mens.
Mart 22/1 Trident
April 23/2 2 Trid. 24/3 4 Trid. 25/4 4 Trid. 26/5 5 Trid. 27/6 Hevel. Gedan Trid. Placentin. Francof. ad Viadr.

1665
2/12 15 Grav.
16 Barth. Siv. Trid.
3/13 17 Grav.
18 Hevel.
4/14 19 Placent. Grav.
20 Rejh. Siv. Muller. Hamb.
5/15 21 Placent. Rejh. Mull. Siv.
22 Hevel
6/16 23 Barthol
24 Hevel
7/17 25 Barth. Siv.
8/18 26 Hev. Barth.
27 Placent. Siv.
9/19 28 Siv.
10/20 29 Hevel.
28/7 7 Hevel. Trid.
8 Placentin
29/8 9 Hevel. Trid.
30/9 10 Barth. Hinn. Trid.
31/10 11 Grav. Franeq.
12 Hev. Barth. Siver. Hamb.
1/11 13 Grav.
14 Hevel. Placent.



Addenda Tomo Secundo.

PAg. 1. in medio *multum diversas.* Vide Clarissimi Petri Lambecii præstantissimum opus Prodr. histor. liter. l. 1. c. 4. N. 1.

Ibid. mox: *Annos* 3947. Vide ejusdem Lambecii Prodr. histor. liter. l. 1. c. 6. N. 1.

Ibid. *Temporum emendator* 3948. Non longè distant Calvis. Helv. & alii à duce suo Scaligero. Nam anno 3947. finiente incipit primus Christi annus. At verò Ann. M. 3948. Actiacæ victoriæ sive à morte Antonii & Cleopatræ 28. natum esse Christum Eusebius & alii putarunt. Vid. Calvis. Isag. Chronol. c. 46. Et certè secundum sententiam Scaligeri, Calvisii & aliorum, dum Epocha mundi à 25. Octob. Christi verò à d. 1. circiter Oct. incipit, annus mundi 3948. à 25. Octob. & Periodi Jul. 4712. à Kal. Jan. incipiens est primus Christi annus currens, qui circa 1. Octob. desinit.

Ibid. & *Krentzheimii.* Vide & Chronol. Pantaleonis Candidi in generali tab. Ann. Mund. ad Christum Natum.

Pag. 2. lin. 1. p. 4. Vide doctissimas notas Clarissimi Georgii Hornii in h. l.

Ibid. *expunxisset:* Putatis deinceps curatius rationibus novem inveni, quod sequens Tabella demonstrat.

Cometæ Semestres
- I. Anno Christi 59. secundum Buntingum, qui rationes Epochæ vulg. anno uno aliàs excurrit, hîc autem prævertit: secundum alios 60. vulg. 62. verô.
- II. Anno Christi 64. vulg. 66. verô.
- III. Anno Christi 78. verô 76. vulg.
- IV. Anno Christi 340. vulg.
- V. Anno Christi 603. circiter.
- VI. Anno Christi 906.
- VII. Anno Christi 1110. Seb. Franc.
- VIII. Anno Christi 1115.
- IX. Anno Christi 1240.

Pag. 3. *non negligam.* Factum id est feliciter. Vide cumprimis Communicat. Bullial. l. Busman. & Capellanam T. 1.

Pag. 4. lin. 2. *Alstedius & alii.* Vide Clarissimi Petri Lambecii Prodrom. hist. liter. l. 1. c. 1. N. 1 & 2. & c. 4. N. 1.

Pag. 4. *ejus videtur.* Meminit hujus Cometæ diluvio prioris Cæsius, Uttenhoferus & Mathematicus Noriberg. anonymus in Comment. de Cometa 1664. ita quidem ut tribus diebus mortem Mathusalem præcesserit, & d. 16. April. disparuerit. Sed nescio unde tam accurata rerum ante diluvium gestarum habeatur narratio, ut quo die hoc vel illud gestum ante diluvium fuerit, indicetur & determinetur.

Pag. 6. *quod Xerxes, qui in S. Historia Assuerus vocatur.* Vide Clar. Lambec. append. Prodromi hist. liter. Sciagraph. c. XII.

Pag. 7. *Calvisius, Helvicus & Alstedius in* 3519. Adsentit hic & ubique ferè Calvisio Clar. Petrus Lambecius in eruditissimo illo opere suo Prodr. hist. liter. append. Sciagraph. c. 12.

Pag. 17. *sed in* 605. Notum est unius anni in putanda Epochâ U. C. Auctorum discrimen.

Pag. 28. *à Diluvio* 101. Vid. Lambec. prodr. histor. liter. l. 1. c. 5.

Pag. 29. *Atqui ante Annum Mundi* 2100. *mortuum esse.* Vide Lambec. prodr. hist. liter. l. 1. c. 6.

Pag. 30. *Calvisius in* 2767. Vide Lambec. append. prodr. histor. liter. Sciagraph. c. 5.

Pag. 33. in med. *puto legendum* 5. Vero similis hæc conjectura fuit. Verum enimverò Rockenbachius diserte quinquaginta quinque hebdomadas ponit. Ita & ille Noribergensis Astrophilus, durationis tempus 57. hebdomadarum ex Thurneissero, tum & situm in Ariete huic Cometæ assignat.

Pag. 40. circa fin. *de novis Stellis Num.* 9. Vide & Maldon. & Grot. in Matth. 2. Quicquid vero de stellæ Magorum ortu & duratione fiat, manifestum est hoc Rockenbachii phœnomenon diversum ab illa stella esse. Nam 1. in quo signo illa apparuerit, non notatur: hoc autem in ♌ apparuit. 2. Stella illa prior hóc phœnomenô fuit & istâ eclipsi magnâ ante mortem Herodis. 3. Apparuit etiam diutius quàm per tres noctes. Imo 4. & interdiu visa est.

Ibid. *Quâ tempestate & filius Antipater.* Herodem Magnum tres Filios jugulasse docet Eruditiss. Christ. Noldius hist. Idumeæ N. 7. p. 32, 33.

Pag. 52. lin. 1. *annotare solet.* Meminit Zonaras Annal. 2. Cometarum sanguineo colore ante mortem Augusti.

Pag. 53. versus fin. *in Ægypto* trucidant, vid. Xiphil. ex Dione Nicæo Cuspinian. & Aventin. in Trajano Osiand. hist. Eccl. cent. 2. c. 9. Henr. Pantal. & Candid. Pantal. Chronol. nisi quòd uterque 24^{m}. pro 240^{m}. ponat: Confer Euseb. Chron. Zonar. annal. T. 2. Adon. Vienn. Chron. Bunting. ad ann. 114. Petav. Rat. Temp. p. 1. l. 5. c. 7. sed & Bucholz. ad ann. 116.

Ibid. *ut Funccius putat*, 240^{m}. &c. Ita expressè Xiphilinus l. c. ex quo Funccius, Calvisius, Cuspin. Avent. alii. At Candidus Pantal. 40^{m}. omissis 200. Henr. verò Pantal. & Angelocrator, 24^{m}. pro 240^{m}. & ex Dione quidem 24. myriadas, non millia, id est 240. non 24^{m}. expressè putante ponunt, facili errore. Nempè res non ex fide visa tot millia ab Judæis trucidata. Sed hoc ab eorum genio non abludit.

Pag. 54. *Posthac Anno* 1125. &c. Hoc anno visum Cometam inveni postea apud Dubravium.

Pag. 55. *editio Lipſ. docet.* Ita Xiphilinus ex Dione, Zonar. annal. T. 2. Cand. Pantal. Bunting. & alii. At Henr. Pantal. ex Dione 50^{m}. pro 580^{m}. ponit. Ita & Funccius & Angelocrator, & ex Dione quidem, qui 58. myriades, id eſt, 580^{m}. expreſſè habet. Unde rectè Nicephorus quinquaginta octo myriades poſuit. Sed Oſiander hiſtor. Eccl. cent. 2. l. 2. c. 3. immeritò eum, ut fabularum patrem ideò reprehendit, & 58. millia pro 58. myriadibus ſupponit. At neſcio unde Aventinus in vita Hadriani 350^{m}. Judæorum cæſa narret.

Ibid. lin. ult. *ab eo exſpecto.* Vide reſponſum Riccioli ſupra p. 734. T. 1. & hunc Cometen ſuæ ſedi reſtitutum p. 113. T. 2.

Pag. 56. *Uſque ad donativum.* Donativum militibus, congiarium populo dabatur. Cic. lib. 8. famil. ep. 1. Sueton. in C. Julio Cæſ. c. 27. in Aug. c. 41. in Calig. c. 17. in Nerone c. 7. in Veſpaſ. c. 18. in Domitiano c. 2. de claris Rhet. c. 3. Sen. 4. de benefic. Tacit. Annal. 2. Plin. panegyr. Appian. l. 4. aliquoties. Herodian. l. 5. Jul. Capitol. in Anton. Pio p. m. 824, 826 & alias ſæpius. Lamprid. in Alex. in Severo p. m. 987. vid. Avent. Annal. Boj. 7. Sigon. de Occid. Imp. l. 5. ad ann. 342. Pomp. Lætus Rom. hiſt. p. m. 1267. Egnat. in Sueton. p. m. 1942.

Pag. 67. *Hieronymus depugnavit, diſtinguatur.* Verum tamen & nummi antiqui JOVINIANUS habent, teſte Jacobo de Strada. Sed contrarium affirmat Onuphrius Comm. in 3. Faſtor. in Joviano, ubi Jovinianum perperam dici nummorum antiquorum fide docet. Inde Angelocrator Jovinianum ſeu Jovianum vocat. Cuſpinianus cum Caſſiodoro ſemper Jovianum. Sic & Ammianus, Hieron. Jornandes, Agathias, Auctor Chron. apud Urſperg. & alii.

Pag. 69. *Et ſecuta eſſe.* Hanc horrendam maris, exundationem, ut & terræ motum Urbibus quibuſdam fatalem hac tempeſtate accidiſſe Sebaſt. Francus in Valentis vita memorat. Ita & M. Petrus Pictav. & Cuſpin. Comm. in Caſſiodori Coſſ. & ille Mathem. Norib. Anonymus, qui hunc Cometen ad iſtum ann. 377. veri certus, ut ex eventibus patet, adnotat, eumque 11. Hebdomadibus fulſiſſe ait, ejus ſitum in Tauro monſtrans. Unde tanto magis concludo hunc Cometen cum illo LXXXVIII. eundem, & illum hùc referendum eſſe. Anonymus ille anno proximo ab apparitione Cometæ Valentem periiſſe affirmat. Hoc quidem Funccius Rockenbachii Magiſter ut & Pantaleon, ſed & Caſſiodorus & Cuſpinianus aliique Ann. C. 382. Hieronymus & alii Ann. C. 381. accidiſſe ſcribunt. Sed Idatius, Herm. Contr. Bucholzerus, Bunt. Calv. Helv. Petav. Angelocr. Alſted. & alii in Ann. C. 378. id referunt.

Ad pag. 69. *Ita & M. Petrus Pictav.* add. ita & M. Petri Pictavienſis continuator Henr. Zuinglius, & Cuſpin. Comm. &c.

Pag. 71. lin. 3. *Sigon. Calviſius & Alſted. in 383. ponunt.* Annus 383. Gratiano fatalis Honorio Theodoſii M. filio natalis fuit, ut Buntingus & Angelocrator putant, Bucholzero & Calviſio natalem Honorii in annum proximum producente. Hæc tempeſtas & initiis imperii Arcadii læta fuit. Unde patet Rockenbachium vel in annotandis rebus geſtis, vel in anno Cometæ natali erraſſe, & phœnomenon iſtud in annum proximum referendum eſſe.

Ibid. verbis *Meminit hujus Cometæ* &c. præpone: Ricciolius ex Cuſpiniano refert ſtellam hanc à Septentrione circa gallicinium aſcendiſſe & inſtar luciferi ſplenduiſſe, atque intra tres hebdomadas diſparuiſſe. Et refert quidem eam inter novas, inter quas ei hæc, eſt quarta ordine. Addit tamen: *Sed hanc Tycho T. 1. p. 605. ſuſpicatur fuiſſe Cometam, non caudatum, ac ſimilem illi quem ipſe cum Landgravio Haſſiæ obſervavit Anno 1585. ſubſecuta eſt annum illum 389. Gottorum eruptio & Romæ devaſtatio per Alaricum.* At enim illa Anno 401. hæc Anno demum 410. evenit, qua tempeſtate aliquot Cometas fulſiſſe videmus. Illa vero tempeſtas, quâ noſter Cometa natus, bello cum Maximo finito triumphi ſplendidiſſimi & benignitatis Theodoſii Senioris gaudia Latini Pacati Drepani Viri eloquentiſſimi oratione luculentâ celebrata vidit.

Pag. 72. *Funccius ad hunc annum.* Daniel Angelocrator ad 391.

Pag. 73. *Petavius ex Idatio.* Buntingus ex Socrate.

Ibid. *ſeptimo currente* vide Petav. R. T. p. 1. l. 6. c. 8.

Pag. 75. verſus fin. *ab incurſione Gottica* (quæ duce Alarico facta, hæc enim duce Radagaiſo Scytha et diverſis gentibus conflata erat.)

Pag. 77. lin. 7. *ante vidimus.* Sed longè major occurrit in hiſtoria hujus Cometæ difficultas. Nam Anonymus ille Mathematicus Norimb. in Comm. nuperi Cometæ 1664. annotat Cometam ad ann. 412. qui in Leone 10. dieb. viſus & quem eod. anno mors Arcadii Imperatoris ſecuta fuerit. Cum igitur non tantum duratio, ſed & ſitus Cometæ tam longè diſtent, res in medio relinquenda eſt.

Pag. 86. in med. *veterum monumentis referunt.* Vide Jornand. de rebus Geticis c. 40 & 41. Iſidor. Chron. Gothor. Auctor ap. Urſperg. Joh. Magnus hiſt. Goth. l. 9. c. 5. & l. 15. c. 20. Krantz. Wiſigoth. l. 3. c. 4.

Ibid. *Bucholzero aſſentit Calviſius, Helvicus & Alſtedius.* Ita & Buntingus. Angelocrator Annum C. 451. Indict. 4. Auctor apud Urſperg. annum 452. ponit.

Pag. 87. lin. 2. *in thalamo & tumulo* vide Jornand. c. 49. Auctor Chron. ap. Urſperg.

Ibid. *tum Aventinus aliique.* Jornandes de regn. ſucceſſ. expreſſè de eo ait: *Marcianus mox defuncto Theodoſio in regno adſcitus, Pulcheriam germanam Theodoſii, quæ in palatio matura mulier virginitatem ſervaverat, in matrimonio adſumens, regnum quod delicati deceſſores prædeceſſoreſque ejus per annos fere 60. vicioſe imperantes minuerant divina proviſione ſic reparavit, ut exultatio ingens cunctis accreſceret.* vid. plura apud auctorem, vide & Zonar. Cuſpin. & Jacob. de Strada in Martiano.

Pag. 89. lin. 4. *Ut Onuphrius.* Buntingus.

Ibid. *Mortem Marciani* &c. Auctor Chron. apud Urspergensem, Angelocrator &.

Pag. 90. lin. 2. *illa tempora annotant.* Nil etiam de hac in Zonara, Reginone, Auctore apud Urspergensem, Cuspiniano, Angelocratore, Osiandro, aliisque quos consului, inveni, nisi quæ post annum 500. sub Justiniano adnotata est.

Ibid. *Eodem anno Eorico* aliàs Eurico & Evarico.

Pag. 91. lin. 10. *Id exemplo hoc Augusto.* Vide Jornand. de regnor. succeſſ. pag. mihi 130, 131. Marcellin. Chron. p. m. 64.

Pag. 92. lin. 2. *pax cum opulento vicino gravis.* Vide de hac avaritia & bellandi cupidine Gottorum rapto vivere suetorum Jornand. c. 56. Auctor Chron. ap. Ursperg. in Visigoth hist. p. m. 82. Joan. Magn. lib. 9. c. 17.

Ibid. *Italiæ salutaris extitit.* Vide Ricobaldi Ferrar. histor. de Theod. Rege. Jo. Magn. l. 9. c. 21 & seqq.

Pag. 93. lin. 3. *Duce Petza.* Vide Procop. in Gott. Jorn. c. 57 & 58.

Ibid. *bono Reipublicæ natus.* Vide Cassiod. Chron. Joan. Magnus l. 9. c. 24 & 25. Isid. Chron. Goth.

Ibid. *Cometam hunc* (cujus & Zonaras Annal. 3. in Justini Imp. vita meminit.)

Pag. 94. in fine. *Annal. 3. p. 191.* Vid. Auctor Chron. apud Ursp. in hist. Visigoth. p. m. 84. Jo. Magnus l. 9. c. 32.

Pag. 95. lin. 13. *Amalasuinta Athalarici.* Vid. Procop. in Gothicis Agath. l. 1. Jorn. c. 48 & seqq. & de regn. succeſſ. p. m. 140. Krantz. Ostrogot. l. 3. c. 20. Jo. Magn. l. 10. c. 1 & seqq.

Ibid. ead. lin. *si Taraffæ credimus.* Confundit Taraffa Almaricum Visigothum Regem Hisp. cum Eutharico Ostrogotho Rege Italiæ, quorum hic Amalasuntam, ille Theodicodo (aliis Thuidegotha Auct. ap. Ursperg. Theudetusa Sigon. lib. 16. & Theutosuenda Lazius l. 10.) filiam Theodorici in uxorem habuit. Ita Almaricum (aliis, sed perperam, vid. Taraff. in Almarico & Wolfg. Lazium Virum Cl. de gent. migr. & sedib. l. 10. p. 725. Amalricum & Amalaricum) Theodorici nepotem, Alarici, Athalaricum verò Eutharici filium, utrumque Theodorici nepotem fuisse ex Jornande, Isidoro, Auctore Chron. apud Urspergensem, Sigonio, Krantzio, Taraffa, Magno & aliis clarè constat. Ex iisdem tamen contra Taraffam colligere licet Amalasuntæ maritum Eutharicum sive Eucharium, non Alaricum fuisse. Vide de his Lazium l. c. p. 722. ubi tamen Theodorici uxorem Clodovei Francorum Regis filiam vel potius sororem ut Sigonius, Petav. & alii affirmant, Theodesuentam vocat, quam Jornandes, Auctor apud Ursperg. Aimoin. Magnus, & omnes, quod sciam, Auctores, Audefledam vocant. Vid. Pet. R. T. 1. p. l. 7. c. 2. Verum enimverò idem non tantùm filiam ejus Theutosuedam sed & Amalesuentam (quam prius Theodato seu Eutharico copulaverat) Alarici primi uxorem memorat. Amalasuintam Eutharico copulatam matrimonio, Atalarici matrem fuisse, Cassiodorus omni exceptione major testis memoriæ prodit. Ita & Suidas, quorum uterque fœminam illam laudibus in cœlum tollunt, sed & omnes auctores, teste Krantzio Ostrogot. l. 3. c. 20.

Ibid. lin. 4. à fine *Petavio judice.* Vide Cuspin. Comm. in Cassiodori Coss. ad Ann. C. 533.

In ead. lin. *& in 7. provincias divisa.* Wandalorum Regno à primo Gunderici Regis in Hispaniam ingressu usque ad Gilimeri casum Isidorus hist. Wandal. 123. annos & menses 7. deputat.

Pag. 96. *si Aventino contra alios credimus.* Dicit idem Jo. Magnus l. 10. c. 7. Onuphrius in 3. fast. & Lazius l. c. nisi quod Theodatum & Eutharium confundat, si tot aliis scriptoribus credimus.

Pag. 98. lin. penult. *Eckstormius ex Schosſero* & Angelocrator.

Pag. 99. lin. 5. à fine *Aimoin. l. 3. c. 11.* & Paul. Diac. de gest. Longobard. l. 2. c. 10 Æmyl. lib. 1. Tilius Chron. Reg. Gall. ad ann. 567.

Pag. 100. *novies septimo.* Undecies septimum Onuphrius in 3. Fast. initio scil. ab Odoacris irruptione sumto putat.

Ibid. *peste quidem attrito.* Vide Marcell. Chron. p. 71. quæ est penultima. Paulus Diac. de gestis Longobard. l. 2. c. 2.

Pag. 101. *Qui fortè idem illè est.* Vide Agath. l. 5. pag. m. 133. Annal. Constantinop. Buntingus ad Ann. C. 557.

Ibid. *non longè hinc anno* 569. aliis 568.

Ibid. *Sophiæ Augustæ dicto.* P. Diac. l. 2. c. 5. Paul. Æmyl. l. 1.

Ibid. *Sigonius de regno Italiæ l. 1.* Vide Diaconum (ita enim filium à patre Varnefrido, ut ipse eum l. 4. de gest. Lang. c. 39. vocat, à quo rectius Warnefrides, sicut ille Hermeas historiæ Eccles. auctor Sozomenides, vocatur in posterum distinguemus) cujus hæc sunt *sequenti* (annum scilicet 568. confer ibid. c. 7.) *verò æstate tanta fertilitas extitit, quantæ nulla ætas asseveratur meminisse.*

Ibid. *Sigonius & Calvisius in* 562. *collocant.* Ita & Angelocrator, Centuriatores Magd. Cent. 6. c. 13. & Osiander sexti seculi annum non determinant.

Pag. 102. lin. 7. *à Serre* & Huld. Zuinglio, sed ab Æmylio l. 1. & Tilio in 565.

Ibid. *ut militi congiarium* vide notata ad p. 56.

Ibid. *In annum* 567. *Calvisius* in 569. Tilius (confer Æmyl. l. 1.)

Ibid. *non tantùm Rosimundæ uxori.* Diac. l. 2. c. 28. Æmyl. l. 1.

Pag. 103. lin. 8. *reputari.* His lectis & exspensis M. Conr. Ysenius de hôc phœnomeno sic judicat. *Cur vel prodigium aut fabula sit habendus iste Cometa non video, nec etiam, cur*

non patiantur Cometæ motus & Lunæ, ut aliquandiu possit hærere in Luna Cometa: nec enim hoc est impossibile, quandoquidem videamus & Lunâ Solem interdum tegi non exiguâ morâ, etiamsi diversissimus utriusque sit motus tam in longum quàm latum: esto quod pauciſſimarum eclipsis illa vel conjunctio fuerit horarum, nec ubique terrarum apparere potuerit, non tamen plane impossibilis est; neque absonum eam simul aliquibus vel etiam pluribus in locis apparere potuisse, saltim instar Eclipsis Solis cujusdam: neque enim Autor vel ubique vel ad multum temporis exactum eam visam refert. Quid si autem statuatur stellam vel Cometam illum tunc infra Lunam neque tunc ab ea longè, non prorsus inæquali nec absimili motu cum Luna circumactum fuisse? potuisset etiam sic non tantum ab omnibus, verum etiam haut exiguo spatio temporis, quin etiam iterato sæpius videri. Nec inde tamen sequeretur eum esse Cometam aëreum sub Luna accensum: potuisset enim ante supra illam fuisse, tunc autem infra illam æquabiliter ad hujus celeritatem cieri.

Ibid. *sequentem indicant* ita & Æmyl. l. Tilius in Chron.

Ibid. *Serre & Petavio* vide Æmyl. & Til. locis cit. tum Huld. Zuingl. & Mich. Rit. de regib. Franc.

Ibid. *Calvisii & Helvici rationibus in consilium adhibitis.* (Quibus & Æmylianæ & Tilianæ accedunt, ut & Trithemianæ, nisi quòd hic Sigeberto filium Theodebertum pro Childeberto sufficiat, de orig. Franc.)

Ibid. *alii tribuant quindecim* Æmylius & Til. l. c. annos 14. ei tribuunt. Annus nempe 15. erit inchoatus, decimus quartus verò completus.

Pag. 104. lin. 9. *Successor natus est.* Æmilius & Til. annum 587. natalem Clotarii statuêre.

Ibid. in Ann. 579. Ita Æmylius & Tilius.

Ibid. *erit annus* 589. Convenit & hoc cum rationibus Æmylii & Tilii, præsertim si annus inchoatus vel completus intelligatur, quod definire non ex facili, nec ex instituti ratione est.

Ibid. *Fredegundin ancillam* (hanc Ritius Athanidis sive Athaanagildi Regis Hisp. filiam fuisse dicit & cum Galsunta confundit, invitis aliis.)

Ibid. mox: *superinduxerat, sustulit.* Tilius ad ann. 584.

Ibid. *vel certè* 587. Ita Æmyl. Tilius, Bunting. Zuingl. &c.

Ibid. lin. ult. *c.* 5. 6. 23. Æmyl. l. 1. in Chilperico. Ita & Ritius, Tilius, Zuinglius aliique.

Pag. 105. lin. 2. *per illam Fredegundin* vide Æmyl. l. 1. p. m. 38. b.

Ibid. lin. *Aimoinus*, Æmylius, Tilius, Ritius.

Ibid. *Calvisius ex Diacono*, & Turonensi.

Ibid. *illam inguinariam anno* 589. confer Diac. l. 3. c. 23. & 24.

Ibid. *quæ Agilulfum.* Vide Diac. l. 3. c. ult. Æmyl. l. 1. p. 37. b.

Ibid. *quam Aventinus* vide Diac. l. 4. c. 5 & 6. Æmyl. l. 1. p. 36. a.

Pag. 106. *Alsted. pariter* præmitte, Mathematicus ille Noriberg. anonymus Cometam hunc in Germinis apparuisse scribit.

Ibid. *à Calvisio in annum* 570. vide Bunting. ad ann. 570.

Ibid. *Exstormius ex Diacono* Joach. Camer. de Cometis.

Ibid. *Calvisius in* 592. *refert.* Confer Diac. l. 4. c. 2. & seqq. at de hoc Cometa c. 11. agit.

Ibid. lin. ult. *secundùm Calvisium.* Vide Diac. l. 4. c. 4.

Pag. 107. lin. 5. *Childeberti sororem.* Ita Diac. l. 3. c. 29. Nempe ut Æmylius docet l. 1. p. m. 35, 35 & 36. Rigunda unica Chilperici filia primum Anthari, dein Ricaredo pacta, & aliquanto nullis insecutis nuptiis ei tandem collocata est. Interim Clotosinda Childeberti soror Anthari pacta erat. Sed id quoque brevi interjecta mittendæ puellæ mora in contrarium vertit, ut ita Antharis ad ducendam Theodelindam Boici sanguinis regiam puellam animum adjecerit.

Ibid. lin. 6. *in annum* 594. *Calvisius refert* qui pro Rigunda Childeberti patrueli Clodosuintham sororem ex Vasco ponit in edit. Francof. nam Lipsiensis vivente Auctore impressa nihil de his habet.

Ibid. *annum ætatis* 62. Solarem scilicet. Annos aliàs Hegiræ sive Arabicos, qui sunt Lunares, sexaginta tres & 80 dies vixit. Confer Bunting.

Ibid. *ad invidiam Childeberti.* Vide de his Diaconum l. 3. c. 32. sed ille hanc expeditionem in tempora Antharis refert, Ita & Æmylius l. 1. p. m. 36. cum tamen de eadem expeditione cum Aimoino loquatur.

Ibid. *filiam cum marito* Diac. l. 4. c. 21 & 29.

Pag. 108. *Funccius magister ejus*, & Buntingus.

Ibid. *Septembrem ac Novembrem.* Octobrem ac Novembrem legendum esse puto. At enim Novembri & Decembri mensibus Cometen Anno 602, eodemque alterum mensibus Aprili & Majo fuisse Osiander cent. 7. l. 1. c. 3. ex Magdeburg. hist. Eccl. cent. 7. cap. 12 (lege 13.) memorat. Atqui historia illa Ecclesiastica Cometas hos in annum 606. ut mox videbimus, refert. Platina & Sabellicus Cometæ unius tantùm, sed non durationis ejus meminerunt.

Pag. 109. *Hæc enim à Beda*, Buntingo, Onuphrio, Angelocratore (confer Diac. l. 4. c. 30.)

Pag. 110. lin. 4. *intelligendum est de Ariulfo* (vide Diac. l. 4. c. 17.)

Ibid. lin. 9. *mors autem Agilulfi* 615. *accidit.* Confer Diac. l. 4. c. 15, 16, 17, 30, 31, 37, 43. Hæc cuncta Rockenbachius licet ab se longè dissita, quædam etiam hoc phœnomeno priora (vid. Æmyl. l. 1. p. m. 38.) utpote Anno 60. & 615. comprehensa in unam lancem conjicit, cum tamen multa horum sequentibus Cometis paulo melius subjicere potuerit.

Ibid.

Ibid. Rockenbachii & Eckstormii verbis in historia Cometarum 139 & 140. subjice: *Anno D. 606. m. Aprili & Majo in cœlo stella crinita apparuit, & postea rursum in Novemb. & Dec.* Magdeb. hist. Eccl. cent. 7. c. 13.

Discrimen annorum, qui observârit, notum illud epochæ veræ ac vulgaris discrimen biennii ac intermediam Buntingi & aliorum quorundam sententiam, facilè conciliabit.

Ibid. mox: *Cometam utrumque ponit.* (Vide Diac. l. 4. c. 33 & 34. & Bunting. ad ann. 605.)

Ibid. *calamitates illuxit.* Addit Diaconus l. 4. c. 31. & filiam Theudeberti regio puero tunc desponsatam fuisse ita ut ad lætitiam solemnem nil tunc defuerit. Confer Æmyl. l. 1. p. m. 39. b.

Ibidem *alterum qui Aquilejam.* Vide Diac. l. 4. c. 34.

Ibid. lin. penult. *proximo Cometæ* confer. Diac. l. 4. c. 37.

Ibid. lin. ult. *Agilulfo Regi* vide Fredeg. c. 45. Aimoin. l. 4. c. 7. Æmyl. l. 1. p. 41. a.

Pag. 111. lin. 6. *Legatos ad Phocam*, Diac. l. 4. c. 36.

Ibid. esse perpetuos. De studiis pacis, quibus tunc Agilulphus Longobardus cum Francis & cum Phoca Imp. certârit, vide Diac. l. 4. c. 42.

Ibid. *fratris sui interfector.* Vide Æmyl. l. 1. p. 39, 40.

Ibid. *Brunechildis illa impia* vide Aimoin. l. 4. c. 1. & Ritium de gest. Franc. l. 10. confer. Æmyl. l. 1. p. 40. Til. ad ann. 616.

Pag. 113. lin. 6. *Ricciolius* & Angelocrator.

Ibid. lin. 18 & 19. *ut putat Calvisius* & Tilius.

Ibid. lin. seqq. *Dagoberto Rege* vide Aimoin. l. 4. c. 18. Æmyl. l. 1. p. 42. a.

Ibid. *Calvisium & Helvicum, aliis* vide Tilii Chron. & Æmyl. l. 1. p. 43. a.

Ibid. *optimum egit principem* vide Fredegar. Chron. c. 58. Aimoin. l. 4. c. 19 & seqq. Æmyl. l. 1. p. 43. Til. ad ann. 639.

Ibid. *Aventinus auctor fide & judicio præstantiss.* Annal. 3. p. 203.

Pag. 114. lin. penult. verbis *si ab anno* 640. præmitte Astrophilus ille Norinbergensis anonymus Cometam hunc (quem in Ann. C. 668. sed perperam, ut ex subjectis eventibus morte scilicet Lotharii Galliæ, Ariperti & Gundeperti Longobardiæ Regum, quæ aliquot annis ante 668. accidit apparet, ponit) 12. diebus fulsisse ex Chron. Melonii refert.

Pag. 115. in medio *pœnas pependit.* Diac. l. 4. c. 50.

Ibid. versus fin. *ab se peremptr.* Diac. l. 5. c. 1.

Ibid. *Ducem rebellantem* vide Diac. l. 5. c. 18 & seqq.

Pag. 116. lin. 1. *pacis studia* vide Diac. l. 5. c. 25.

Ibid. lin. 3. *juste & quietè* vide Diac. l. 5. c. 33 & seqq.

Pag. 117. *Cometam apparuisse dicit* Angelocrator ei annum 678. tempus durationis trimestre, & ita quidem ut m. Aug. incœperit horis matutinis, assignat. Vid. Diac. l. 5. c. 31. ubi tamen c. 32. pro Dagoberto Rege Galliæ, cui nec Constantini Imp. illius Pogonati, nec Donni Pontificis, nec Grimoaldi Regis tempora conveniunt, Hildericus Dagoberti Anno 645. (Aimoin. l. 4. c. 35. Til. ad ann. 645.) mortui nepos ponendus est. Idem tamen quod Paul. Diaconus dicit Aimoin. l. 4. c. 32. sed aliorum rationes id non admittunt. Vide Funccium, Cand. & Henr. Pantal. Bunt. Calv. Helv. & alios. Sed hoc examinare nostri non est instituti.

Ibid. lin. ult. *Serres in Childerico* Æmyl. l. 1. p. 46. Til. ad Ann. C. 679.

Pag. 118. *mors in annum 711. vel 712. incidit.* Nam de imperio Heraclii fratris Constantini Pogonati nil habet Zonaras, nec Cedrenus. Imò uterque testatur eum cum fratre Tiberio, ne ad imperium perveniret, naso mutilatum à Constantino fuisse, imò verò occisos eos fuisse Cuspinianus in Constantino Pogon. Jacob. de Strada epit. thes. antiquit. At Auctor apud Ursperg. Onuphrius & ex hoc Buntingus Heraclium & Tiberium aliquandiu cum fratre imperasse affirmat. Filium vero Constantini Tiberium Heraclium Cæsarem nobilissimum Anno 684. mortuum esse, eique Justinianum successisse refert. Cæterum & ipse Flavius Heraclius Constantinus Pogonatus Imper. Anno 665. (al. 666.) mortuus est. Itaque per Heraclium Constantinus avito cognomine Heraclius dictus, intelligendus est.

Ibid à fin. lin. 3. *à Paulo Diacono.* Vide l. 6. c. 9.

Pag. 120. lin. 5. *ut Sigonius ait, administravit.* Vide Diac. l. 6. c. 17.

Ibid. *quod Lothario nonnulli.* Vide Rit. l. 1. Æmyl. l. 1. p. 64. Tilius ad ann. 667. Trithem. de orig. Franc. p. 91.

Ibid. *Ebroini crudelitas.* Vide Æmyl. l. 1. p. 47 & seqq. Tilius ad ann. 685 & seqq.

Ibid. *per inertiam Regum.* Æmyl. l. 1. p. 49 & seqq. Tilius ad ann. 691 & seqq. Ritius & Zuingl. de rec. Franc.

Ibid. lin. ult. *Annal. l. 3. p. 208.* Æmyl. l. 1. p. 46. & Tilius in Childerico.

Pag. 121. (*quæ Funccio, Calvisio.* Buntingo, Angelocratori.

Ibid. *Cometa à Sabellico* & Cuspiniano in Theodos. 3.

Ibid. *ut & Funccius aliique Costam.* (Acostam Joan. Magnus l. 16. c. 26, vide Lazium l. 10. p. 728.)

Ibid seq. lin. *illata ex vindicta.* Vide Æmyl. l. 2. initio.

Ibid *in Luitpertum.* Diac. l. 6. c. 19 & seqq.

Ibid. *& filii ejus Grimoaldi,* Æmyl. l. 1. sub fin

Ibid. *in templo interemtus est.* Vid. de his Æmy. l. d. p. 50.

Ibid. lin. ult. *Hisp. p.* 111, 112. Joh. Magn. l. 16. c. 25. Lucius Marineus de reb. Hisp.

Ibid. *in Roderico.* Joan. Magn. l. 16. c. 27. & Lazius l. d.

Pag. 122. *& Raginfredo duce.* Ita Ritius, Trithemius & Petavius cum veteribus: Ramanfridum tamen vocat Æmylius & Tilius, Manfredum Buntingus.

Ibid. *plena sunt historiarum monumenta.* Magnam fertilitatem Anno 725. Schafnaburgensis tribuit.

Pag. 123. *Nos tamen cum tot auctoribus.* Quibus Schafnaburgensem, Æmylium & Angelocratorem addimus.

Ibid. *Saracenorum auxilia.* Æmyl. l. 2. initio Tilius ad ann. 729.

Pag. 124. lin. 7. *vel* CCCLXXV. Ita Diacon. lib. 6. c. 46. Æmylius l. 2. Conf. Til. ad ann. 730.

Ead. lin. (*Aventino* & Trithemio. Et lin. seqq. *Pantal.* Æmyl. Til.

Ibid. *Hoc nobis Sabellicus.* Vid. Æmyl. l. 2. p. 57.

Ibid. *Cometam memorat.* Quem apud Diaconum l. 6. non invenio.

Ibid. lin. penult. *ut Funccius* & Buntingus (quem vide ad ann. 739.

Pag. 125. lin. 10. *victum in ordinem cogit.* Diac. l. 6. c. 57.

Ibid. paulò post, *mors Luitprandi* Diac l. 6. c. ult.

Ibid. *considens triste accinuit.* Vide Diac. l. 6. c. 55.

Ibid. lin. ult. *pestilentiam illam ei adscribunt.* Quos sequitur Mathematicus ille Noribergensis anonymus, qui solus, quod adhuc sciam, Cometam hunc in Cancro 39. diebus fulsisse scribit.

Pag. 126. *fratri Pipino.* Regino. l. 2. Æmyl. l. 2. p. 61. Tilius ad ann. 748. Trithem. de orig. Franc. pag. 93.

Ibid. *Childerico enim ignavo.* Vide Æmyl. l. 2. p. 61 & seqq. Tilius ad 751. Trith. de orig. Franc.

Ibid. *in rebus arctis auxilia.* Vide Æmyl. l. 2. p. 65 & seqq.

Pag. 127. lin. 2. *aliquot magnorum Virorum* (nam & Buntingus Annalium Constantinop. fide, sed in ann. 760. hos Cometas refert.)

Ibid. *Desiderius* XXIII. *Sigonio* & Buntingo.

Ead. lin. *Warnefrido.* Vide Corp. hist. Franc. p. 179. XXI. Lazio.

Ead. lin. *at Sabellico* & Joan. Magno tum Alb. Krantzio (ab initio scilicet regni in Rugia, Bajoaria, & Pannoniis, cum alii reges gentis illius in Italia sola putent) sed ab Albuino xx.

Ibid. *De hoc bello Caroli* auspiciis paternis gesto.

Ibid. *in Bethicæ angulum compulit. Enn.* 8. *l.* 8. Videatur de his Regino l. 2. p. 397. Auctor apud Ursperg. descript. Karoli M. Eginart. in vita Karoli M. Æmyl. l. 2. p. 70. b.

Ibid. lin. 4. à fine *qui doceten vocat.* Ita & Buntingus ex Annal.

Pag. 128. lin. 5. *Sabellico octo tantum putante.* Vide Reginonem & Tilium ad ann. 760 & 769. Eginh. in vita Caroli.

Ibid. *Et Carolo despondisse.* Ita quidem Francof. editio ad ann. 770 & 772. Lipsiensis Anno 770. ductam, proximo repudiatam ex Aimoino refert. Cæterum apud Reginonem illud non inveni. Dicit nempe Reginam Bertradam (quæ & Berta) circa Ann. C. 753. (Caroli circiter 12 vel 13. ineunte) à Stephano Pont. Rom. consecratam, quod de matre Caroli, Pipini uxore, intelligendum est. Hanc dein Anno 770. in Italiam (ad conciliandam, ut alii addunt, filio Carolo, ut hi, Carolomanno, ut illi volunt, uxorem Regis Desiderii filiam) concessisse, Carolomannus Anno 771. obiisse: quæ & Schafnaburg. computatio est. Immerito itaque Reginoni, sicut me ejus editio Argentoratensis 1609. docet, ille de Berta error tribuitur. Hanc Carolo Eginartus, Auctor Chron. apud Ursperg. Adelmus, Carolomanno Annalium Fuldensium auctor (qui tamen sui immemor Anno 770. nuptias Carlomanni cum Bertha Regis Desiderii filia, Anno proximo fugam uxoris post ejus mortem & filiorum ejus ponit) Æmylius, Tilius & alii desponsent. Tutissimum hîc puto sequi auctoritatem Eginarti, nisi quod Desiderii Filia vel Soror Theodora cum Serre & Æmylio sit appellanda. Fieri autem potest, ut & Carolomannus alteram sororem vel filiam Desiderii Bertam in uxorem duxerit, quæ tanti erroris & discriminis sententiarum auctoribus occasionem dederit. Ad Desiderium certè illa vidua cum duobus Filiis se contulit, quod certum est. Ego sanè alia ratione tot scriptores magni nominis conciliare non possum. Adferam tamen amplius testimonium Huldr. Zuinglii, qui in epitome historiæ Gallicæ ex probatis Auctoribus Latinis & Gallicis collecta, uxores Caroli M. enumerans, primam ponit Hermingardin filiam Desiderii Regis, quam & Aventini sententiam esse vidimus. At Hildegardam Carolomanni Uxorem Krantzius nominat. Non tamen Desiderii Regis filiam vocat. Omnium accuratissimè Jacobus de Strada & Cuspin. Scriptores clari & ut industriæ ita & fidei laude præstantes, dum uxores Karoli enumerant, primam Galienam Hispanam ponunt, secundam Harmingardin Desiderii filiam, quæ & Theodora Desiderii soror vocata fuerit, teste Cuspiniano & Jacobo de Strada epit. thes. antiq. Hirmingardin pariter Desiderii filiam fuisse dicit.

Ibid. *offendisse in vita Caroli.* Idem Æmylius de offensa Bertæ matris ob repudiatam à Carolo M. uxorem scribit.

Ibid. *auctor est Adelmus* & Anonymus, vitæ Karoli M. apud Pithœum auctor p. 254.

Ead. lin. *qui Luitbergam* Æmylius, qui Luitpertam.

Ibid. *Donatus Acciajolus.* Sed nec ille antiquus vitæ Karoli Magni scriptor apud Pithoeum, nec Strabo

Strabo ad Theganum, nec ipse Theganus de gestis Ludov. Pii, nec Diaconus, Desiderii scriba de episc. Metens. nec Auctor ille Anonymus in vita Ludovici.

Ibid. *Bertham nominat.* Tilius ad 771. ann. à Christo Nato.

Ibid. *prænunciasse indicat* vid. Krantzius Dan. l. 3. c. 42.

Pag. 129. lin. 2. *dominatione exuerit* vide plura prudenter in hanc rem dicta apud Æmyl. l. 2. p. 72. & seqq.

Ibid. *Sigifridum Aventinus.* Confer Auctor. Chron. apud Ursperg. p. 133. tit. *Anni Leonis* & p. 134. Sed hunc inter Reges Daniæ Saxo Gramm. Krantzius, Alstedius non numerant. Ita tamen Funccius nullo citato auctore & Buntingus Chron. Brunsuic. eum nominat, & hic quidem fratrem Gevæ uxoris Wittekindi fuisse ait, quam ita nominari aliàs me legere memini. Regino certè Godefridi & Widichindi, tanquam æqualium, & hujus quidem à Carolo M. victi, in Nortmanniam (ita olim Dania dicta (Krantz. l. 4. c. 14. & alibi M. Adami hist. Eccl. c. 120.) fugæ meminit. Meminit & Anonymus ille apud Pithoeum Annal. auctor Caroli, Godofridi & Widikindi, tanquam æqualium, licet Funccius & alii Sigefridum à Gotrico sive Gotofrido alium eoque priorem statuunt. Hinc conjiciebam Sigefridum pro Gothofrido poni. Ecce vero in Annalibus Fuldensibus (quem librum cum adjunctis magno rei literariæ commodo Clar. Vir Marquardus Freherus hoc seculo ineunte edidit) ad ann. Christi 782. pro Godofrido ab aliis Sigifridum poni invenio. Sed dubitationem omnem exemit historia gentis Danorum ab Erico Daniæ Rege conscripta, ubi Sigefridus Gothofridi nepos memoratur, ibique gesta circa tempora Haraldi Regis Dan. & Ludovici Pii Imp. accuratius describuntur. Cum eum Auctor ille apud Ursperg. Sigebertum Gothofredo priorem in hist. Caroli M. faciat. Postquam ego hæc ita commentatus sum, mihi, licet fide idoneorum Auctorum nixo, nondum plenè fidens, de tota hac re ad Nobilissimum & Ornatissimum Virum Joan. Melchiorem Rötlinium Serenissimo Principi Regio Daniæ à Secretis retuli, perque eum alios Amicos, si opus foret, consului. Sed is quâ pollet vi ingenii, judicii ac memoriæ, rerumque scientiâ, ita mihi ad hanc quæstionem literis d. 16. Julii Juliani 1667. datis respondit: *Quæstionem de Gottorico & Sigefrido decidendam ego submitterem Danorum Witfeldio, qui non maturo saltim judicio quicquid est Danicæ Historiæ examinavit, sed ipsa documenta Danica quantum eorum haberi potest αὐτόπτης inspexit. Is igitur in Chronicis suis parte quidem prima pag. 17. Gotericum adnumerat quinquagesimum primum Danorum Regem, qui septimo à Christi nativitate vixit seculo, circa octogesimum ac nonagesimum annos. Filium habuit Henningum, filiamque Gevam Witekindi Saxonum Ducis uxorem, Fratrem denique Sigefridum, cum quo Regnum divisit, atque ad hunc ceu affinem suum infeliciore contra Carolum Magnum bello Witekindus confugit. Affinem enim Sigefridi expresso eum vocabulo notat Witfeldius, & Gottericum inter Reges Daniæ recenset Alstedius Thesauri Chronologiæ cap. 24.*

Ibid. *Funccii, Sigonii,* Annalium Fuldensium, Tilii.

Pag. 130. lin. 9. *plura apud Auctorem,* sed & apud Æmyl. l. 2. p. 84. & seqq. b.

Ibid. lin. 24. *Wiltzi Francica lingua.* Ita Adelmus de rebus Franc. ad ann. 789. Annal. Franc. Fulden. Eginartus in vita Caroli M. & alii. Confer Meibom. orat. de orig. Helmestad. Ubi vir Doctissimus notionem Wiltzorum à Wilk, lupus, esse nullus dubitat, & ob feros mores ac prædandi studium illos populos ita dictos esse conjicit. Et sanè res respondet nomini.

Ibid. *id in exitum non fuerit deductum* vid. Auctor Chron. apud Ursperg. pag. 129. Cuspin. in Carolo M.

Pag. 131. *à propria matre* vid. Zonar. Annal. T. 3. in Const. Cuspin. in Niceph. Æmyl. l. 3.

Ibid. *de rebus Romanis* vide de his inter cæteros Æmyl. l. 3. initio.

Pag. 132. *& gaudia amplissima effuso* vid. Æmyl. l. 3. p. 89. b.

Ibid. lin. antepenult. *si credimus Adelmo & Sabellico* Enn. 8. l. 8. Visa eadem stella in solis medio Anno 778. notante Angelocratore Chronol. l. 6.

Ibidem in fine *ter illo anno Luna defecit.* Vide de his Anonymum vitæ Caroli M. autorem apud Pithoeum p. 269. & Bunting. in Chronol. præsertim p. 385. ubi probat Mercurium tunc in Sole longè distante videri non potuisse, sed fuisse illud novum quoddam phœnomenon. Unde incomparabilis Hevelius cum solertissimo Schickardo affirmat, neminem ante Acutissimum Gassendum, cui iste Mercurii per solem, transitus primum Anno 1631. visus sit, horum Planetarum conjunctionem vidisse, quam ille secundus Anno 1661. d. 3. Maji observârit, adeoque Venerem in Sole Anno 1639. 24. Nov. St. V. ab Jeremia Horroxio visam describens, nec tunc Anno 807. nec postea ab Averroe qui duodecimo seculo à C. N. vixerit, nec ab Excellentissimo Keplero Anno 1607. Mercurium in Sole visum esse. Ut ita invisi adhuc phœnomeni istius gloria nostro seculo relicta fuerit.

Pag. 133 *à cura palatii Curopalaten* Evagr. lib. 5. c. 1. vide Joan. Curopalate histor. initio.

Ibid. *Arboricha Belgæ, Flandris vicini populi.* Zelandi nunc istas oras inhabitant. Mejer. Adrianus Schrieckus Rodornus orig. rer. Celt. & Belg. Indice 1. Geogr. Lud. Guicciard. in Zelandia. Confer Lazium de migrat. gent. l. 9. p. m. 643.

Ibid. *Hemingo filio Fratris & successoris ejus.* Ita Regino tum Auctor vitæ Caroli apud Pithoeum p. 227. Ado Chron. p. 224 & 225. Avent. Annal. 4. quòd Olaus Godefridi filius nulla re memorabilis fuerit. Vide Saxon. Gramm. l. 9. initio & confer Krantz. Dan. l. 4. c. 2, 3 & 4.

Ibid. *cum Carolo M.* vid. Æmyl. l. 3. p. 92. b.

Ibid.

Ibid. CLXIII. *Stella crinita imperante Michaële Rangabi apparuit, quæ varias formas exprimebat, quarum una fuisse fertur etiam hominis sine capite* Zonar. Annal. 3.

Ibid. lin. ult. *in Arabes* cosd. Bulgaros nuperâ victoriâ tumentes & pacem oblatam respuentes (ut Zonaras, Cedrenus, & ex his Cuspinianus, Calvisius aliique referunt) Leonis.

Pag. 134. versus fin. *Caroli M. Cancellarius & gener* nec Regino, nec Auctor Chron. apud Ursperg. nec Annales anonymi apud Pithoeum (qui aucti à Frehero Fuldenses dicti) nec apud eund. auctor vitæ Caroli M. anonymus; nec Adr. Barlandus Chron. Burg. p. 7.

Ibid. *licet uterque* & quos jamjam adduximus.

Pag. 135. lin. 2. *Eginardus certè* Auctor anonymus apud Pithoeum, Regino, Auctor Chron. apud Ursperg.

Ibid. in medio: *Eginardus, Ivo*, Anonymus vitæ Caroli Auctor, Annales Fuldenses, Theganus (qui & Indict. VII. quæ ab omnibus in Ann. C. 814. ponitur, adnotat, quod & Epitaphium ejus & alioquin Auctor ille apud Ursperg. docet) Regino.

Ibid. *Acciajolus, Sabellicus*, Trithemius, Angelocrator.

Pag. 136. lin. 4. *ex Annalibus Fuldensibus* qui eum gladio similem produnt.

Ibid. *Bernardo autem* vid. Thegan. de gestis Ludov. c. 22. Æmyl. l. 3. p. 102.

Ibid. lin. penult. *Judithan.* Vide Thegan. de gestis Ludov. c. 26.

Pag. 138. *videntur portenta.* Vide de his prudenter judicantem. Æmyl. lib. 3. pag. 102. & seqq. Confer Thegan. de gestis Ludov. c. 35. & seqq.

Pag. 139. *Anno 829. illam conjurationem.* Vid. & Schasnaburgenses & Tilium ad hunc annum.

Ibid. *Anno certè* 830. Vid. Annal. Fuld. ad hunc annum.

Ibid. lin. penult. *Petav. Rat. Temp. p. l.* Petav. Rat. Temp. p. 1. l. 8. c. 8. Thegan. c. 43. & seqq. & Exauctor. Ludov. apud Pith. p. 322. & seqq.

Pag. 140. *Funcc. ex Vincentio Auctore Speculi* & Annales Fuldenses.

Pag. 142. *Scorpius ante Solem occidit putat.* Cui conjecturæ, si cætera se rectè habent, favet subjectum Cometæ excessus Pipini non multò post secuti tempus. Mortuus enim ille est eod. anno mense Nov. ut Annales Fuld. & (vid. & Chron. Auctor apud Ursperg.) perhibent.

Pag. 144. *pariter in Caroli M. (cujus erat ex Bertha filia nepos)* filii, & præcipuè Nepotum ejus, Ludovici Pii filiorum *historia.*

Pag. 145. lin. undecima *Ado* Auctor Chron. apud Ursperg. Schasnaburg. Annal. Fuld.

Ibid. lin. 12. *Regino* hunc nuper nactus, video eum bello filiorum Ludovici annum 841. designare. Et mox: *Bucholzero teste* & Tilius.

Ibid. versus fin. *ambitione monstrat* vide plura apud Kithard. l. 2. initio, Æmyl. l. 3. p. 105. a.

Ibid. *Lotharingiæ nomen* Æmylius tamen illam ditionem Lotharianam, sed postea à Lothario hujus filio Lotharingiam dictam esse memorat l. 3. p. 106. a.

Ibid. *successisse scribit.* Vid. Nithard. l. 4. Auctor Chron. apud Ursperg. p. 141. Regino p. 410. Æmyl. l. 3. p. 105. b. Tilius ad ann. 843.

Pag. 146. *à Carolo Lotharium.* Vid. Cuspin. in Lothario.

Ibid. *non Carolo sed Lothario* vid. Regino Chron. lib. 2. Cuspin. in Lothario, Wolfg. Hunger. in Cuspin.

Pag. 147. *Dani Galliam adorti* vid. Æmyl. l. 3. p. 105. & seqq.

Pag. 148. *è stirpe Regia* Krantz. Dan. l. 4. c. 14. Histor. Erici Regis Dan. pag. 297.

Ibid. *Motu terræ* Annal. Fuld. ad ann. 858. & 859.

Pag. 149. *Sed is* ut & Auctor Annal. Fulden.

Ibid. *Buthnerus & Berckringerus* & Annal. Fuld. Auctor, qui etiam addit 8. Id. Jun. in Aquilonari parte hoc sidus cincinnatum apparuisse. At Cuspin. in Ludov. 2. Anno 874. quo & Imperatorem obiisse affirmat, Cometam luxisse ait.

Ibid. 878. (*a.*) *ponit.* Ita & auctor apud Ursperg. Æmylius, Tilius, Zuinglius, Cuspinian. & alii: sed Trithemius Chron. Hirsaug. ab omnibus, quos vidi longè abit, dum Calvi mortem in annum 882. ponit. Vid. Schasnaburg.

Ibidem lin. penult. *à Carolo M. septimus & ultimus.* Imperium Romanum in Carolo Calvo, Magni nepote secundum nonnullos desiit (fragm. hist. Aquit. apud Pithoeum) secundùm alios, quibus & ego accedo, legitima successione nixus, in Carolo Crasso: id sequens tabella demonstrat.

1. Carolus M. 2. Ludovicus Pius, filius. 3. Lotharius nepos, Pii f. 4. Ludov. 2. pronepos, Lotharii f. 5. Carolus Calvus nepos, Pii f. 6. Ludov. Balbus pronepos, Calvi f. 7. Carolus Crassus pronepos, Ludov. Boi f. Notandum tamen Arnulphum Carolomanni, qui Ludovici Pii nepos, Boi filius fuit, nothum contra Crassum tyrannidem invasisse, & huic Ludovicum filium, qui sine prole decessit, &, Æmylio judice, solo nomine Augustus fuit. (Vid. Plat. in Formoso) successisse, ut ita imperium Romanum, sed & Regnum Gallicum (sive Orientalis & Occidentalis Francia) de quo alibi egimus, inter Carolos & Ludovicos memorabiles conversiones expertum fuerit. In Capeti tamen familia, etiamnum Caroli M. progeniem regnare Will. Nangius Chron. ad ann. DCCCCLXXXVII. deducit. Atque id, quod ad Caroli progeniem fœmineam attinet, verum est.

Ibid. lin. ult. *Avent. Annal. 4. p.* 344. Auctor apud Ursperg. p. 145. Æmyl. l. 3. p. 109. Cuspin. in Ludov. 3. & alii.

Pag. 150. lin. 2. *ex Imperatore & Rege mendicus.* Vide inter alios Cuſpin. & Serrem in Craſſo.

Pag. 150. *Angeldruda vocatur.* Cuſpinianus in Ludov. 2. Imp. (cui multa adſcribi Ludovico Bojo adſcribenda, ut & Carolum Calvum cum Craſſo à quibuſdam confundi, Wolphg. Hungerus in Cuſp. p. 90. notat) uxorem iſtius Ludovici Boi ſive ſenioris Hemmam certa ſcriptorum fide dignorum auctoritate nixus, filios tres Ludovicum, Carolomanum & Carolum Craſſum, & Hildegardam filiam vocat: Ludovici verò 2. Imperatoris uxorem anonymam, filiam Hermingardin, quæ Bononi nupſerit, memorat. Hanc Joann. Buchetus iſti Ludovico adimit, Nicolaus Gilleus Bichildem vocat. Rob. Guaguinus (at quanti nominis ſcriptor!) Ludovici Boi filiam fuiſſe dicit, vide Hunger. in Cuſpinian. pag. 84.

Ibid. *Judithæ Auguſtæ fratrem* Caroli Calvi uxorem Juditham vocat & Æmilius, quam alii eand. cum Richildi ſive Richenti fuiſſe dicunt: alii ab ea diſtinguunt. Vid. Cuſpin. in Carolo Calvo, & Hunger. in Cuſpin. p. 86, 94, 95 & 110.

Pag. 151. lin 4. *tumultuatus eſt in Gallia.* Æmyl. l. 3. p. 110. a.

Ibid. *anno* 882. Trithem. ad ann. 882. vid. Annal. Fuld. Auctor Chron. apud Urſpergenſ. Pantaleon.

Ibid. *Lotharii filia Giſla.* Ægidiam vocat Æmyl. p. 113. b. Giſlam Regino, Serres & alii.

Ibid. *Hinc multi Normaniæ.* Æmyl. l. 3. p. 110. Cuſpin. in Carolo Craſſo.

Ibid. *cum Giſla Caroli Simplicis.* Ita quidem & Normani ſcriptores, ſed ad Carolum Craſſum hoc Æmylius l. 3. p. 113. refert. Ita & Cuſpin. & Serres in Carolo Craſſo.

Pag. 152. *Nongenteſimum ponit Helvicus*, Æmylius, Tilius.

Ibid. *diſpar Carolo M.* Vid. Æmyl. l. 3. p. 114. a. Serres in fine vitæ Ludov. Pii.

Ibid. *in cadaver Formoſi* Annal. Fuld. ad ann. 896. Platina in Stephano.

Pag. 153. *Egnat. in Arnulpho* Æmyl. l. 3. p. 114. b.

Ibid. *à Berengario captus.* Æmyl. l. 3. p. 115. a. Platina in Formoſo & Bened. IV. ubi tamen notandum, confundi ab eo ut & à Volaterrano hunc Boſonis illius Regis Provinciæ filium cum Ludovico Imp. Arnulphi filio, quod auctoritate idoneorum ſcriptorum certum, indicaſſe ſufficiat. Videat quiſque, ut hiſtoriæ, ita & veritatis amans, ne ſe in errorem induci patiatur ab eis, qui Karolos, Ludovicos, Berengarios &c. hîc & illîc confundunt.

Ibid. *Robertus Abbatiam.* Olim viri profani in Republica illuſtres beneficio Regum Galliæ acceptis locupletiſſimorum cœnobiorum opibus, tantum monachis ſuppeditabant, quantum neceſſarius uſus poſtulabat, ex eiſque ipſi diligebant, qui non Abba (nam id ſibi nomen velut ampliſſimum arrogabant) ſed Decurio vocitaretur, Æmyl. l. 3. p. 115. a. Hinc Fr. Hotommannus, *vocabantur Abbates hoc eſt Proceres* de verbis feudal.

Pag. 154. *Carolus mox capitur* vid. Æmyl. l. 3. p. 116. Tilius ad ann. 924.

Ibid. *ſed Aimonum* Æmylium & Tilium.

Pag. 155. *intelligendum eſt, Sergium* vid. Plat. in Formoſo.

Ibid. *Cometa iſte à proximo diſtingui* præmitte: Memorat hunc Cometen Joan. Curopalates, in hiſtoria ſua p. m. 49.

Ibid. Alberto portendiſſe. Vid. Auctor apud Urſperg. p. 145. Regino l. 2.

Pag. 156. lin. 7. *quæ deſcribit Sabellicus* Platina in Leone V. Chriſtoph. I. & Sergio III.

Ibid. CLXXXII. *Anno Domini* 904. *in menſe Majo Cometæ ſtella apparuit, & in menſe Auguſto hæc mutatio regni* (capto per Berengarium Ludovico) *facta eſt.* Regino lib. 2.

Anno Domini 905. *mediante Majo 5. feria, apparuit ſtella circa ipſum Septentrionem, à parte Circii, emittens radium magnum verſus Euro-auſtrum quaſi longiſſimam haſtam, inter Leonem & Geminos trans Zodiacum, & viſa eſt fere 23. diebus* Fragm. hiſt. Franc. ex vetuſta membrana Floriac. cœnobii apud Pithoeum.

Ibid. *& ante eum Eckſtormius.* Vid. Cuſpin. in Berengario Æmyl. l. 3. p. 115. a. 116. b.

Pag. 157. *illorum temporum juſtam eſſe, Platina*, vide hunc præ cæteris in Steph. VI. (al. VII.) Romano I. Theodoro II. Joanne X. (al. IX.) Benedicto IV. &c.

Pag. 158. lin. 4. *Contracto refert.* Crinitam ab Occidente, Xiphiam dictum, tunc apparuiſſe Curopalates ſcribit.

Ibid. *Pantaleonem & Bucholzerum* vid. Auctor apud Urſperg. Schafnab.

Ibid. *in* 911. *referunt* vid. Regino, Cuſpin. in Ludov. 4.

Ibid. *Ottoni Duci Saxonum*, Auctor apud Urſperg. p. 144. Æmyl. l. 3. p. 114. b. 116. a.

Ibid. *in Saxonia primus* Auctor apud Urſperg. de orig. Sax. p. 149.

Ibid. lin. ult. *Wittich. ibid.* Auctor apud Urſperg. p. 144, 150, 154. Æmyl. l. 3. p. 116. a. Cuſpin. in Henrico.

Pag. 159. *Calviſius & Petavius in* 933. Chron. Saxon. & Miſnenſia, Auctor apud Urſperg. Contin. Reginonis ad ann. 934.

Ibid. *Annus* 921. *inſignitus fuit* ut aliàs lætorum & triſtium viciſſitudine (Chron. Frodoardi) ita.

Ibid. *perfidiæ dare ſe pœnas oſtenderet.* Vid. Æmyl. l. 3. p. 116. b.

Ibid. lin. antepenult. *Bunting. Chron. p.* 27. & in Chronol. ad ann. 933.

Pag. 160. *is æmuli Rudolphi artibus.* Vid. de his auctor apud Urſperg. p. 152. Cuſpin. in Bereng.

Ibid. *uti victoria* Æmyl. Serres, Tilius, Zuingl. in Carolo Simpl. Frod. ad ann. 923.

Ibid. *hunc enim & illum Rudolphum* Confer Auct. apud Urſperg. p. 152. Æmyl. l. 3. p. 117. a. Cuſpin. in Bereng. p. 280. Lazius de Suevis l. 8. p. 485, 486, 487. & de Gepidis, Vandalis, &c. *l.* 11. p. 775. &, ſi voles, Auctores de hoc Roberto Burgundo diſſidentes compone.

Pag. 162. *Eundem eſſe Cometam* præmitte: Annotat Continuator Reginonis & Buntingus hunc Cometen, qui 14. diebus duravit, eumque in A. C. 942. ponit.

Ibid. *quotidianis Uxoris Villæ.* Vid. Cuſpin. in Berengario, ubi Villam Berengarii 2. uxorem, ſed & Matrem ejus Villam vocatam fuiſſe probat. Itaque licet ibi diſcrimen magnum ſit de Berengariis, an duo (quod vero eſt ſimile) an tres vel 4. fuerint: certum tamen eſt Boſonem Berengarii 2. focerum cum uxore Villa iniquum Hugoni fratri fuiſſe, adeoque Sigonium hic de Villa Matre, non filia, nec de Boſonis ſed Berengarii filia loqui, ſi fides habenda Cuſpiniano, quem cum illa ſcriberem, ad manum non habui. Sed etſi ita ſe res habent, ut Cuſpin. affirmat, quivis videt, meam conjecturam vanam non fuiſſe.

Ibid. in fine: *Imp. in uxorem habuit, exſtitit* quo anno & filius Regis Galliæ Ludovici Lotharius natus eſt.

Ibid. lin. ult. *l.* 1. *p.* 12. Æmyl. l. 3. p. 117. b.

Pag. 163. *Eundem Cometam* continuis octo noctibus viſum Luithprandus Ticin. l. 5. hiſt. in ann. 944. Auctor verò ille apud Urſperg. (quem Eckſtormius ad ann. 943. hunc Cometam referre falſo putat.)

Ibid. *ad ann. demum* 951. Angelocrator ad ann. 950.

Ibid. *apparitione Cometæ accidiſſe* (uti ſanè Frodoardus ad annum 947. eum annotat.)

Ibid. *ſibique ipſi contradicens* & matrem pro uxore ponens.

Ibid. *cum maxima pompa celebravit.* Ludovico verò Regi Gallorum Karolus filius Anno 945. & tertius filius Anno 948. natus eſt (notante Frodoardo) cui paternum inditum nomen, qui quia Anno 954. mortuus eſt, inter filios ejus, quos ſcilicet reliquit, non numeratur.

Pag. 165. *ſed venenum ab impio filio* Zonaras & Cuſpin. in Conſtantino Porphyrogenito.

Ibid. *conflatus & judice Sabellico* imitatore Platinæ, cui iſte Joan. eſt XIII.

Pag. 166. *tum recepta Antiochia lætus fuit.* Sed & nuptiis Lotharii Regis cum Emma regis Italici filia, notante Frodoardo. Is etiam in proximè præcedentem annum ponit lætiſſimum illum Conventum totius Ottonianæ proſapiæ Coloniæ (ſecundum alios Aquiſgrani) celebratum, de quo inter alia Æmylius: *Totius Latini nominis proceres aderant & ſummi Græcorum Viri, quòd Nicephorus Auguſtus Theophaniam filiam Ottoni filio per Oratores deſpondebat. Feſti celebreſque dies ludis conviviis, omni magnificentia, hilaritate, comitateque acti: Nunquam Francicum nomen junctius Germanico fuit, Germani quoque gloriam antiquorum Francorum Regum Ducumque ac Auguſtorum ſuam ducunt, quòd oriundos ab ſe eos prædicent, apud ſeque Francos adhuc Orientales eſſe: hos in Gallia Occidentales dictos, ſobolem illorum eſſe* l. 3. p. 119. a. ubi & alia læta pacis artibus geſta videas.

Ibid. *& mors ejus à Serre in* 964. Ita Serres expreſſè, per literas ſcilicet non per Siphras. Nempe regnum Lotharii Anno 956. (quanquam Frodoardus, Æmylius, Tilius, & alii regnum Lotharii à morte Ludovici patris, quem & ipſe Serres Anno 955. mortuum teſtatur, auſpicentur) incipit, ſed novennio definit, cum alii 30. amplius annos regno ejus deſignent, & illud uſque ad ann. 986. prorogent. Odorannus tamen Anno 976. fragm. hiſt. Franc. apud Pith. 985. Lotharium defunctum memorat.

Ibid. *regnum Galliæ circa ann.* 987. Sigebertus & Nangius ad ann. 987. Zuingl. in Hugone. Petav. Rat. Temp. 1. p. l. 8. c. 16.

Pag. 167. *unius 7. illorum Ducum Hunnorum.* Ita & Anatoliam ſeu Aſiam Minorem 7. Duces Turcarum ſubegerunt. Annal. Turcarum Leuncl. p. 214.

Pag. 168. lin. 3. *ex Cedreno pronunciat.* De hoc ita Joan. Curopalates (Zonaras enim hoc illuſtre phœnomenon ſilentii velo tegit) *Auguſto menſe indict. tertia apparuit crinita ſtella, quæ pogonias dicitur, id eſt barbata, apparuitque uſque ad Octobrem menſem quarta indictione: præſignificabat hæc Imperatoris mortem.* Hanc potius me judice offenſi & irati Baſilii Eunuchi Vigiliarum præfecti (Ὑπερπυρίνης Cubicularii, & Wolphius apud Zonaram reddit, & retinet Cuſpinian. quod officii genus tunc fuit primarium, ideo titulo Illuſtris, quo primum Patritii ſive ſummi & Primi Ordinis Senatores, deinde decem Magiſtratuum Ordines inſigniebantur vid. notitia utraque dignitat. Orient. & Occident. qui illud gerebant, & magna in palatio auctoritate & poteſtate gaudebant) perfidia vindictæ cupida, quam in Narſete itidem Eunucho ſupra vidimus, portendit quàm Comeeta. Vide quæ paulo poſt Curopalates addit, & quæ Zonaras de morte Joannis Imperatoris memoriæ prodidit. Iſte etiam, quantoperè Baſilius Imper. illum Eunuchum proditorem & parricidam odio proſecutus ſit, & graviter afflixerit, mortemque ei accerſiverit, docet, ut hôc quoque exemplò confirmetur perfidis & parricidis ſupplicia merita à Deo immitti. Cometes iſte ſecundum Curopalaten duobus circiter menſibus (indictiones enim Cæſareæ Græcis Scriptoribus familiares à die 24. Septemb. incipiebant, ut notum eſt,) duravit.

Ibid. *& Heroldum Regem Danorum* vid. hiſtor. Regis Erici & Krantz. Dan. lib. 4. cap. 19. in Haraldo.

Ibid.

Ibid. *post Sabellicum* & Platinam, quem is sequi solet.
Pag. 170. lin. 1. *ex eo postea obiisse.* Vid. præ cæteris Cuspin. in Ott. 2.
Ibid. lin. 5. *Wolodimiri.* Vid. Ditmari Chron. l. 7. p. m. 103, 104.
Ibid. in medio: *Alsted. Chronol. p.* 233. Vid. Chron. Nangii ad ann. 987.
Pag. 171. lin. 5. *si Funccium excipias.* Confer Tilii Chronica.
Et mox: *Petavius & Alstedius*, sed & Æmylius.
Pag. 172. *Cometæ motum terræ* ut & Palmerius & Angelocrator, qui etiam Cometam hunc anno 999. d. 14. Dec. natum dicit. Atque hoc idem est cum eo quod ab Sigesberto dicitur ad annum 1000. Comeren 19. Kal. Januar. apparuisse. Distinctius tamen dicitur, Cometen 14. Dec. sive 19. Kal. Jan. 999. fulsisse.
Pag. 173. in med. verbis *Paulò ante annotata tristia* præpone, *Auctor Chron. apud Ursperg. Cometæ huic præponit famem.*
Ibid. lin. antepenult. *æstate* at Ægyptum nunquam vid. Agath. l. 2. p. 45.
Ibid. lin. penult. *l.* 1. *p.* 204. Auctor apud Ursperg. & Cuspin. in Henr. Sancto.
Ibid. lin. ult. p. 294. & 308. Camden. 2. part. hist. Elisab. ad ann. 1580.
Pag. 174. *in Ann.* 1007. Platina in tempora Joannis 19. Angelocrator sine discrimine post annum M.
Ibid. *ab hoc anno arcessit.* Palmerius Cometam in plaga Australi ad ann. 1006. famem, & pestem ad sequentem notat.
Ibid. lin. 4. à fine *contrà omnes Scriptores.* Confer Auctor. apud Ursperg. Schafnab. Cuspin. & Angelocrat. in Henrico.
Pag. 175. lin. 5. *Illud Lotharingiæ* vide de hoc verè Eridis pomo Æmyl. l. 3. p. 121. b. & seqq. ubi & magna illa pestilentia quam isti Cometæ Alstedius imputat, describitur.
Pag. 177. *Hujus Cometæ* quadrimestris Angelocrator ad eund. ann.
Pag. 179. *Exundatio fluviorum.* Vid. Æmyl. l. 3. p. 123. a.
Pag. 180. lin. 6. *fatali ambitionis.* Vid. Æmyl. l. 3. p. 123. a. & seqq. Til. ad ann. 1031. & 1033.
Pag. 181. lin. 8. *cessisse Cedrenus.* Vid. Zonar. & Cuspin. in Romano & Michaele.
Ibid. *sed & fidei certus.* Imo & ipse Ericus Rex in hist. sua Danica.
Ibid. *contra reliquorum.* Vide præ cæteris Cuspin. in Conrado Salico.
Pag. 182. *eum ante patrem.* Confer Krantz. Dan. l. 4. in Kanuto 2.
Ibid. *Stephanum.* Zonaras, Cuspinianus & ead. linea *Sigonius* hunc Duclianum sive Dolianum, qui tyrannidem apud Bulgaros invaserat, ut Zonaras, Cuspinianus & alii testantur, cum illo Stephano confundens.
Pag. 148. *secundum Calvisium* edit. Francof. nam Lipsiensis ad annum 1061. auspicia imperii ejus ponit. Sigonius annum 1060. at Angelocrator 1069. putat. Cuspinianus difficiles temporis hujus rationes silentio præterit. Et certè non exigua hic occurrit difficultas. Auctoribus, quos ad manum habeo, rationes illas vel omittentibus, vel diverso modo referentibus. Quod excutere nostri non est instituti.
Pag. 185. lin. 4. *Michaëlis Calaphatis.* Ita quidem Calvisius edit. Francof. ex Cedreno ad ann. 1042. Zonaras tamen & ex eo alii Michaëlem Calaphatum à Zoë consortem imperii, sed non thori, factum esse affirmant.
Ibid. lin. 4. Ita quidem Calvis. edit. Francofurt. ex Cedreno, ad ann. 1042. & M. Petri Pictaviens. Continuator Henr. Zuinglius l. 111. p. 104. Zonaras tamen &c.
Ibid. lin. 5. à fine *Henrico IV. puero.* Septenni (vide Schafnaburg. ad ann. 1051.
Pag. 186. *Constantino Ducâ*, vide Zonaram, ex eo Cuspin. & alios.
Ibid. *Henricus I.* Æmyl. l. 3. p. 126. a. Til. ad ann. 1060.
Ibid. *Candolum Bonfinius* vide Platinam in Alexandro 2.
Pag. 187. lineæ sextæ à fine præmitte: Rectè quidem hæc Eckstormius ex Buntingo descripsit. Sed cum eo falsus est. Zonaras enim dies quadraginta Cometæ apparitioni tribuit. Ita & Curopalates, apud quem tamen pro indictione decima quarta ponenda quarta, ùt Fasti apud Onuphrium, Zonaras & consensus Chronologorum & mors Imperatoris docet.
Eadem linea. *Meminit hujus Cometæ.* Schafnaburgensis & Ursperpensis. Non esse Ursperginsem Abbatem, qui hujus temporis gesta descripsit, sed Auctorem alium Ursperginsi priorem infra demonstrabimus. Ideo rectius ab Ursperginsi destinguitur, quod quidem ego in lectione illius historiæ ex occasione Cometarum circa annum Chr. MC. visorum animadverti, præsertim postquam mihi librum hunc perutilem comparavi, ante hac errorem communem in allegando Ursperginsi, pro Auctore Chron. apud Ursp. secutus.
Pag. 188. lin. 5. *Godeschalcum Principem.* Vid. Auctor anonymus Chron. Sclav. cap. 14.
Ibid. lin. 12. *Sed ad eventus Cometæ* Spangenbergius ei graviter tentatam, tum restitutam valetudinem, tùm verò & nuptias Henrici Imp. cum illa Berta Italici sanguinis Principe subjicit, in Chron. Saxon. Ita & Chron. August. auctor, qui tamen & tristia, licet octo annis dissita, huic Cometæ adscribit. Hunc in Geminis visum aliquot noctibus mira celeritate retrogradum (id est, contra seriem signorum processisse) radios clarè in Orientem misisse, tandem ita obscuratum esse, ut videri non potuerit, annotat.
Ibid. *Anno* MLXVII. Ita & Æmyl. l. 3. p. 129. a. quem de hac Angliæ conversione vide.
Ibid. *Apertè hic Cometa* cujus & Palmerius ad hunc annum meminit.
Ibid. *stellam crinitam* cujus & Joach. Camerarius disp. de Cometis meminit.
Pag. 189. lin. 2. *Berta Balduini* Æmyl. l. 3. p. 129. a. Til. ad ann. 1068.
Ibid. *in cœlo apparuit.* His ipsis verbis Cometam anni 1066. Schafnaburg. describit, qui annum 1070. vini feracissimum prodit.

Ibid. *Ottone Bojariæ Duce.* Vid. Cuſpin. in Henrico IV.

Pag. 190. *viciſſitudinis rerum documento.* Vid. de moribus & fortuna iſtius Imperatoris Cuſpinianum in ejus vita.

Ibid. *& Lunæburgenſium Ducum.* Vid. Buntingi genealogia Ducum Brunſuic. & Luneb. in Chronicis & Chronologia, & Henningeſii tabb. genealog. & Cruſii Annal. Suev. Spangenbergi Chron. Sax. c. 183.

Pag. 191. lin. 2. *in Henrico notat*, vide memorabilem vitæ & fortunæ Imperatoris hujus hiſtoriam in vita ejus ab Aventino edita, & apud Cuſpinianum & Spangenb. vide & Platinam in vita Gregorii VII. Conſer Brunonis hiſtor. belli Saxonici & apolog. Henr. IV. & nota in Rudolfo, ambitionem geminâ affinitate (nam & Henrici Imp. Sororem Machtildim, primis, & uxoris ejus Bertæ ſororem Adalheidim ſive Adilam ſecundis nuptiis ſibi junxerat) fuiſſe valentiorem, eamque cum perfidia & rebellione conjunctam, adeòque hanc, non Cometen, qui ante aliquot annos luxerit, terreſtrem dico, non cæleſtem facem exitium ei portendiſſe.

Ibid. (d) *Schafnaburg.* Spangenberg. Chron. Sax. c. 189.

Ibid. *Indiſcriminatim enim* (ut & Curopalates plures Cometas Zonaræ præteritos ſub Michaële Duca Imp.)

Ibid. *Calaiſio & aliis* vid. Spangenberg. Chron. Sax. c. 180 & 181.

Pag. 192. (f) *Sabell. Enn. 9. l. 2.* vide & Cuſpinianum in Henr. IV. & Spangenbergium in Chronol. Sax. cuncta tunc geſta candidè deſcribentem. Confer Brunonis hiſtor. belli Sax. p. m. 150. & apolog. Henr. IV: ubi omnia contraria reperies. Cumprimis vide judicium Spangenb. Chron. Sax. c. 210.

Pag. 193. lin. 2. *Fabricii* memorabil. & Spangenbergii.

Ibid. lin. 6. *Chronica Saxonica allegantis.* Excuſſis dehinc Chronicis Saxonicis aliorumque Auctorum ſcriniis, Cometen illum Anno 1092. non invenio. Ideoque eum inferius expunxi. Verum pro eo ſubſtituo Cometen ad ann. 1018. non tantùm à Fabricio in Annal. Miſn. ſed, quod longè majus eſt, à Ditmaro Epiſcopo Merſepurgico, notatum. Is enim aliquot ante mortem menſibus ita ſcribit, lib. ult. p. 112. *In menſe Auguſto (anno Domini* ut p. m. 105. ait MXVIII. *Ind.* II. ſecundum alios I. *anno Dn. Henrici Imper. Auguſt.* XVI. *imperii a.* IIII. ibi ſcilicet annis regni ante conſecrationem, hîc poſt hanc Anno MXIV. à Rom. Pont. Benedicto factam, putatis) *ſtella quædam juxta plauſtrum noviter apparens, radiis eminus emiſſis cunctos cernentes terruit. Stella hæc quæ effulſit, pluſquam* 14. *dies viſa eſt.* Nulla nempe neceſſitas nos cogit, ut hunc Cometen cum illo anni 1017. à tot Auctoribus adnotato unum & eundem eſſe putemus. Imò verò ſimile eſt diverſa fuiſſe phœnomena. Nam hoc Sidus Ditmarus, teſtis indubitatus, in annum 1018. illud Sigebertus ejuſdem ſeculi ſcriptor, teſtis pariter idoneus, ex hoc demum alii in 1017. ponunt. Ut taceam adeo diverſum utriuſque ſtellæ durationis tempus adnotari.

Ibid. *Canutus Rex Daniæ.* Erici Regis Dan. hiſt. Saxo Gramm. l. XI. ſub fin. Krantz. Dan. l. 4. c. 37.

Ibid. *ex Schafnaburgenſi*, Spangenb. Chron. Sax. Confer Brun. hiſt. belli Saxon. ubi bella & prælia recenſet commiſſa Anno 1075, 1077, 1078. & duo Anno 1080. & tamen ultimum quartum vocat, cum revera quintum fuerit, omiſſo illo prælio ad Strauſſurtum Anno 1080. 8. (18.) Febr. commiſſo, Schafnab. ab Anno 1057. ad 1077. quinque prælia putat. Chronica Auſtralia ad annum 1080. tertium bellum Saxonicum ponunt. Sed nos Spangenbergii & aliorum rationes accuratiſſimas ſequi maluimus.

Ibid. *in annum præcedentem.* Ita & auctor apud Urſperg. & Spangenberg. Brunone in anno 1082. finiente.

Ibid. *rebus humanis exemti ſunt.* Vide de his Cuſpin. in Henr. IV.

Pag. 194. *Excepit & bellum ſacrum.* Vid. de hoc Auctor apud Urſperg. (qui, non ipſe Urſpergenſis, ſecus quàm Cuſpin. in Henr. IV. putat. Quem ubique ſequitur Scholiaſtes aliàs doctiſſimus Hungerus, utpote trito tramite [a] incedentem, iſti bello ſacro interfuit) & Æmyl. l. 4. initio.

Ibid. verbis *Si vel ille Cometa enſiformis*, præpone: *Video quidem apud Sebaſt. Francum* [b] *Cometen ad ann.* 1096. *Sed ibi errorem, ut puto, typographicum deprehendi, poſtquam geſta ab Franco annotata cum rationibus Auctoris apud Urſperg. Schafnaburgenſis, Trithemii & aliorum contuli. Itaque annus* 1066. *apud Francum reponendus, quo etiam viſum eſſe Cometam tres illi aliique Auctores, quos ſupra vidimus affirmant.*

Ibid. lin. 6. à fine *hoc anno memorat.* Ideo Th. Eraſtus initio ſui de Cometarum ſignificat. judicii, *Conſtat etiam ex hiſtoria*, inquit, *poſt Cometam, qui Anno Domini* 1097. *m. Octob. ſplenduit, æſtatem omni fructuum genere affluentiſſimam & fertiliſſimam eſſe conſecutam. Nec dubitarunt, qui tum vixerunt, credere & affirmare*, à Cometa præcedente id indicatum fuiſſe, cum nihil magni mali accidiſſet, cujus eum prænuncium facerent.

Pag. 195. *profectum eſſe ſcribit*: quem errorem communem & Cuſpin. in Henr. IV. ſequitur.

Pag. 197. in medio: *Anno* 1097. *Cometa.* Anonymus Auctor libri Turcken trutz und Gottes ſchutz ita de hoc Cometa ſcribit p. 43. Anno 1097. Nauclerus habet 1096. Cometa apparuit initio Octob. verſus Occid. in ſigno Capricorni.

Pag. 198. verſus fin. *Lætus tamen ſimul* &c. Verè hunc Suenonis caſum triſtem & alia læta Æmy-

[a] Confer Huldr. Zuinglii Continuat. Chronolog. M. Petri Pictavienſis Galli de Imperat. Rom. Occid. l. 2. p. 148.

[b] Chron. Germ. fol. CXXXIX, a.

lius memorans ait: *Læta tristibus, ut res humanæ sunt, miscebantur* l. 4. p. 156. a.

Ibid. lin. 3. à fine, *quos vidi,* Juxta Fabricium pono Spangenbergium Chron. Saxon. auctorem, cique parem diligentiæ laudem jurè meritòque tribuo.

Pag. 199. post med. *à quibus sua habet.* Interim in annum 1103. meritò ponendus est ille Cometes, de quo Platina in Paschali 2. apparuisse tunc Cometen miræ magnitudinis, qui in occasu cadente Sole statim apparuerit. Vid. Angelocrat. Chronol. l. 6. & Hist. Eccl. Cent. 12. & ante hos Bergomensis.

Pag. 201. lin. 10. *& Platina Cometam.* Platina certum Annum Cometæ prægrandi illâ tempestate viso non assignat. Sed nunc verba ejus illi potius Cometæ anni 1103. quàm huic accommodanda esse, puto. Nam & Angelocrator utrumque Cometam distinxit & hunc ab illo diversum adnotavit.

Ibid. *Effectus Cometæ producit,* more suo etiam longè dissita Cometæ imputans & unius Cometæ eventus ad apparitionem alterius extendens.

Pag. 202. lin. 4. *investituræ Clericorum.* Vid. de his dissidiis Imp. & Pont. Rom. Æmyl. l. 5. p. 176. a.

Ibid. CCXXVIII. *Anno Christi* 1108. *Cometa apparuit.* Chron. Stederburgense.

Pag. 204. *semestrem fuisse dicit.* Ita & Spangenbergius Chron. Sax. c. 212.

Pag. 205. *secundi Mathildis mariti* (cum Azone enim consanguineo divortium facere necesse habuit.)

Ibid. *emta coaluit* vid. de his Æmyl. l. 5. p. 182. b.

Ibid. *duos quos dixi, Auctores.* Inveni tertium Spangenbergium in Chron. Sax.

Pag. 206. *secus quam Rockenbachius putat.* Ita tunc verba Rockenbachii malè vel ab eo scripta, vel mihi (qui librum non habeo, sed tantum excerpta ex eo) descripta, corrigenda esse conjiciebam paucis tunc libris ad totam rei seriem pernoscendam necessariis instructus. Postquam verò Chron. Ursperg. Spangenbergii aliosque nonnullos libros mihi comparavi, verba Rockenbachii ita restituenda & illustranda esse arbitror. *Hoc anno Henricus Imp. Saxones secundò* (anno enim 1113. Hoierus Comes Mansfeldiæ fidus & fortis Dux ejus, aliquot Duces fœderis Saxonici socios ad Bornstetum profligavit) *aggreditur. Sed tunc ille Hoierus miles fortis, paulò ante victor, prælio commisso invicem ipse obiit, & pro fide Imperatori debita (quam cum multis aliis, præcipuè Pontificibus, non servavit, Reinhardus Episc. Halberstadensis, qui à partibus Saxonum fuit, conflictui illi interfuit, imò, ut ajunt, quodam modo præfuit) occubuit. Ducatus Franciæ Orientalis Episcopo Wirtzburgensi ab Imperatore, ob negatam sibi contumaciter subjectionem ademtus Conrado Friderici unoculi ducis Suevorum fratri, Sororis filio traditur. Cum jam dictus Imperator, sed & pro eo Conradus ille, qui post Lotharium Henrici istius successorem Imperator factus fuerat, contra Saxones bellum gereret apud silvam Guelficam, arx Imperatoria Goslarii* &c. de hoc tamen incendio nil habet Auctor apud Ursperg. Spangenbergius, Fabricius & Pomarius in Chron. Saxonicis, Buntingus, Sebast. Francus, Angelocrator, Chron. Austrialia, Elvangensia, Slavica, Stederburgensia, aliique auctores: nisi quòd Pomarius & Fabricius in Chron. Sax. ad ann. 1136. incendium Goslariense notent. Memini autem me legere Reges olim Romanorum Goslariam amœnam & loco commodo sitam Saxoniæ Inferioris civitatem in sedem elegisse. Itaque fateor me illa Rockenbachii de Goslaria fulmine tacta in tot Auctoribus frustrà quæsita, illustrare non posse.

Pag. 207. *Canuti Regis Danorum filium.* Vid. Æmyl. l. 5. p. 184. a.

Pag. 208. lin. 11. *Funccius ad annum* 1124. (qui solemnibus nuptiarum Henrici Superbi cum Gertrudi filia Lotharii Saxonis, qui mox Anno 1125. Imperator creatus est, teste Spangenb. Buntingo, lætus & clarus fuit.)

Ibid. lin. 3. à fine *patruo Welphone* 2. Vid. Crus. Annal. Suev. part. 2. l. 9. c. 10. p. 333. Is Guelpho Buntingo est hujus nominis septimus, Auctori apud Ursperg. quintus, aliis sextus, prout variè id nominis putatur: quod septem (aliis novem) Principes familiæ gesserunt. Secundus Guelpho ille Mathildis maritus vocatur respectu Patris qui primus id nominis gessit, secundum eos qui ab eo quòd Italici sanguinis Princeps, Azone scilicet Marchione Atestano genitus, jure successionis Maternæ hæres avunculi Guelphonis 3. al. 4. sine liberis mortui ex asse factus, primus ex hac stirpe Ducatum Bajoariæ possederit, initium appellationis istius faciunt.

Ibid. lin. penult. *in ordine quartus.* Ita Auctor apud Ursperg. Avent. Crus. Buntingus. Nam Majores quidem ejus ex linea materna ampliss imas facultates in Bajoaria possederunt, sed Guelpho ille Atestanorum Principum propago, primus in Bojaria integra hæreditatem legitimæ successionis jure & gratia Imperatoris Henrici IV. adiit. Hunc secutus Guelpho & Henricus Niger filii. Ita Henricus Superbus quartus Bojariæ hæres fuit.

Pag. 209. post med. *de filio pro patre posito.* Vide Cuspin. in Manuele de hoc Græcorum Auctorum discrimine & Latinorum incerto: tùm de his duabus Dominis Comitibus Sultzbacensibus sororibus, utriusque Imp. uxoribus.

Ibid. paulò post: *ante hæc tempora Mathildem.* Hanc omittit Bunting. geneal. Ducum Brunsuic.

Pag. 210. verbis, *at Lipsienses filiam vocat.* Adde pluria læta, pacis & justitiæ cumprimis artibus, ante proximè sequentem Cometen gesta, vide in Chron. Austral. ad ann. 1125. Sed & toto ferè Ludovici VI. cognomento Crassi tempore Gallia vel pace, vel felicitate quia sanctitate florebat, referente Æmylio l. 5. in vita Crassi. Vid. inter alia p. 191. a. 193. a. b. & Tilium ad ann. 1112, 1120, 1129.

Pag. 211. *Carolo illo Dano. Septem annis rerum potitus est adversa semper nobilitate, commodis voluntatique plebis omni popularitate inserviens: & casus temporaque tulêre, ut parens à plebe diceretur habereturque;* ut Æmyl. l. 5. p. 185. a. scribit. Qui etiam memoriæ prodit quanto amore populus eum

ante aram maximam velut victimam mactatum prosecutus fuerit, p. 186. b. & 187. a. ac paulò infra subjicit monitum duorum Principum hujus scilicet Dani & successoris ejus Normani, ruina celebre, & magnis exemplis commendatum, ideòque viris Principibus meritò observandum: *Danum Comitem popularitas perdiderat: offensio omnium ordinum hunc Comitem evertet.* Confer Tilium ad ann. 1127.

Ibid. versus fin. *Fabricius in Chron.* (memorabil.) *Saxonia sibi*, Jacobus de Strada epit. thes. antiquit. sive in Iconibus Imp. filium Lotharii omnibus.

Ibid. lin. 6. à fine *regem Vandalorum.* Krantz. Vandal. l. 3. c. 30. & seqq. Dan. l. 5. c. 8.

Ibid. lin. 5. *Majestas illa Regia* quatenus illa Wandaliæ portio interior cum titulo Regio Kanuto ab Imp. Lothario collata erat: alioqui Wandalos sive Sclavos (qui & Obotriti & Adobriti) Rex Daniæ xxxv. Troto id nomen Tertius, sub quo, ut Ericus Rex in hist. Dan. & Auctores Danici affirmant, Christus Dominus natus est, ut & Sueciam, Britanniam, Hiberniam, Scotiam, Norvegiam, Saxoniam, Frisiam, Hungariam, & omnia Orientis usque ad Græciam subjugaverat, ut Saxo Grammat. l. 1. c. 7. memoriæ prodit. Imò verò, ut idem l. 2. & ex eo Krantzius Wandal. l. 1. c. 7. scribit, Helgo Rex Danorum XII. ut historia Erici Regis numerat, longè ante Christi tempora Wandaliam maritimam in provinciæ formam redegerat. Ut ita clarè pateat, jam olim Wandaliam Regibus Danorum paruisse, & majestatis decus peperisse. Vid. Krantz. Wand. l. 3. c. 30 & 36.

Ibid. lin. 4. à fine. *Pater in tumultu.* Hujus Regis violenti mores & miserum exitum vide apud Saxon. Gramm. l. 13. Krantz. Dan. l. 5. c. 12. & seqq. hist. Dan. Erici Regis in Nicolao & Magno XCIX. & C. Regibus.

Pag. 212. lin. 8. *cum filio Magno clientelâ* &c. ratione illius interioris Wandaliæ partis, quo nomine Lotharius Imp. Kanutum Ducem Slesuicensem Regem pronunciârat, *ne quid Imperio* (ut ait Krantzius) *morti Kanuti decessisse videretur* Wandal. l. 3. c. 36. Clientelam & liberis hominibus convenire Justinianeus codex toties docet, & olim Socios quoque populi Romani eam suscepisse, & ob eam Romanum nomen coluisse Budæus in annot. prior ad Pandect. docet. Vid. Lexicon Jurid. Brissoni & Schardi voce *Clientes.*

Ibid. lin. 4. à fine *Historicorum invenio.* Has tres Ludovici 7. uxores Leonoram, Constantiam, & Adelam video quoque apud Æmyl. l. 5. p. 193. b. (ubi vide & prudentiam & probitatem & lætitiam vitio hominum turbari) p. 204. a. 206. b. Til. ad ann. 1137, 1150, 1161. Zuingl. in Lud. 7.

Pag. 213. verbis *merito computari debet* appone Lætam horum temporum faciem ad laudatum Lotharii imperium Helmoldus monstrat & commendat his verbis: *Hujus* (Lotharii) *temporibus lux oriri nova cœpit, nec tam in finibus Saxoniæ, quàm in universo Imperio, tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum & Sacerdotium.*

Ibid. non *convocatis Comitiis Generalibus.* Vid. Cuspin. in Conrado 3.

Pag. 214. *(m) perhibet, plenum bellum*, Occasio ejus quod Henricus nullis ex se liberis virilis sexûs relictis obierit; causa quòd Stephanus sorore Henrici natus Henrico Henrici nepoti regnum præripuisset, licet hunc avus cum matre & fratribus hæredes dixerit. Itaque nullo tunc nec vicino lucente Cometa bello huic cupiditas præluxit regnandi. De qua hic rectè Æmylius: *Cupiditas regni & parendi & semel parti retinendi nihil non excogitat, nulla re non se armat*, l. 5. p. 195. a.

Pag. 215. *in medio* (h) Avent. l. d. p. 504, 505. Vid. hist. Henr. Leonis ex Helmoldi l. 1. c. 73.

Ibid. *Annotat hunc Cometen &* Herm. Contractus, Schafnaburg. ac post hos Fabricius in memorabilibus, tùm Spangenberg. in Chron.

Ibid. *motu terræ Moguntino.* Ita & Chron. Stederburgense unà cum morte Lucii P p.

Ibid. lin. ult. *Brabantia.* Vide Chron. Belg. & Brab.

Pag. 216. *de quo ita Trithemius.* Platinam in Honorio 2. & Sabellicum Enn. 9. l. 4. secutus.

Ibid. *sed à sua & uxoris ambitione* face illa bellorum & plurimorum malorum.

Ibid. *Ego pro Petro Canutum.* Ita Saxo, Krantzius, Spangenb. aliique, hic Canutus Magni illius filius à Danis cum Waldemaro illius Kanuti Sancti filio in Regem electus, adversarium & hostem habuit Suenonem Erici Emim filium. Hæc dissidia Frider. Imp. composuit. Diademate tunc Kanutum vel Suenonem ornatum, nec Krantzius Dan. l. 5. c. 31. nec Spangenb. Chron. Saxon. c. 222. memorat, tantominus Saxo Grammaticus, qui tunc inclusum Merspurgi Suenonem ab Imp. ad subeundas leges avito juri suo Regio contrarias & iniquam pacem sanciendam inductum, pactis postea non stetisse diserte scribit: quod nec Krantzius dissimulat. At historia Henrici Leonis ex Helmoldi (qui illo seculo vixit) l. 1. c. 74. & 85. & idem ille Krantzius Wandal. l. 4. c. 14. Suenonem tunc coronatum tradit. Confer Godefrid. ad ann. 1162. Nos cum hæc commentaremur libris necessariis destituti, solemnem illum coronationis actum inter læta posuimus. Nunc quæ monenda sunt, monemus, postquam dicti auctores lucem tenebris aliorum, qui res Danicas illius temporis attigerant, intulerunt.

Pag. 217. lin. 7. *Frider. I.* Plura illius temporis, ut sunt natales & nuptiæ Principum vide in Chron. Austral. hist. Dan. Erici Regis & aliis: apud Æmylium vero l. 5. p. 204. a. & Tilium ad ann. 1152. matrimonium Henrici Andegavensis futuri Angliæ Regis cum Leonora à Ludovico 7. Rege Galliæ repudiata initum, maximi belli portentum.

Ibid. lin. penult. *Sigon. ad* 1157. *& seqq.* Vide & Cuspin. in Frid. I.

Pag. 218. *eamque in ann. Christi* 1162. ut & Spangenberg. at Chronicon Slavicum in 1163. Ibid.

Ibid. *ad* 1161 & 1165. Confer hiſt. Henr. Leonis ex Helmoldi l. 1. c. 88. l. 2. c. 1, 2, 4. & Krantz. Wandal. l. 5. c. 5, 6, & ſeqq.

Ibid. *in* 1164. *referente.* Eod. illo anno Stephanus Rex Hungariæ Agnetam filiam Henrici Ducis Auſtriæ, ut Chronica Auſtralia adnotant, duxit uxorem.

Ibid. lin. antepenult. (g) Godefrid. ad ann. 1165.

Pag. 219. in medio *præda ex Ægypto.* Vide totam hiſtor. apud Æmyl. l. 5. p. 208. b. & ſeqq.

Ibid. lin. antepenult. *(f) Bunting. ad* 1165. Saxo Gr. l. 14. Krantz. Wandal. l. 5. c. 12. Dan. l. 6. c. 22.

Pag. 220. *rem tamen non decido.* Addo tamen quod in Godefridi Monachi annalibus inveni: non tantum viſam tunc quibuſdam formam ſerpentis in cœlo, quæ paulatim creſcens ad extremum in duos rotundos circulos mutata fuerit, ſed & apud Regiomagum militi cuidam gladium ex aëre pendentem viſum eſſe: unde quis Cometen Xiphiam conjicere queat.

Ibid. *ut Sabellicus (c.)* Vide Æmylius l. 5. p. 210. b.

Ibid. *in Palæſtina ruinam.* Vide Æmyl. l. d. p. 213. a, b.

Pag. 221. *primogenitam filiam Richenſam.* Vid. hiſt. Henr. L. è ſupplem. Arnoldi c. 2. p. m. 65.

Ibid. *quæ ſanè æmula Regiæ* hiſt. Henr. Leonis ex Helmoldi l. 2. c. 6. Krantz. Wand. l. 5. c. 8.

Ibid. *rapere quàm exſpectare Regnum.* Vid. Æmyl. l. 5. p. 206. a. b. qui veriſſimè infra ex occaſione belli inter *Arthurum* Britannum & Leonoram Reginam Angliæ aviam ejus in Andibus geſti, portentum illud ab omni ævo malorum ferax ambitionem oſtendens, ait: *Ita omnia violat ſacra cupiditas imperandi* l. 6. p. 231. a. Confer p. 232. a.

Pag. 222. verbis *inter Cometas numerare nolui.* Adde: læta hujus temporis plura, triſtibus tamen, ut hæc rerum mixtura eſt perpetua, diſtincta, vid. apud Æmyl. l. 5. fine & Til. Chron.

Pag. 223. *qui hos honore proſequebatur.* Vid. Æmyl. l. 5. p. 212. b. Cuſpin. in Alexio & Andron.

Ibid. *& Luneburgi eum vocat.* Eundem à Waldemaro Daniæ Rege (cujus filius Kanutus filiam ejus Richenſam ſive Richſam à Friderico Duce Sueviæ, Conradi regis filio, ut Helmoldus, Hiſtoria Henr. Leonis, Krantz. Wandal. l. 5. c. 19. perhibet relictam viduam, duxerat in matrimonium) adjutum, & Wandalis jura dediſſe, Helmoldus, Stederburgenſis, Krantzius & alii ſcriptores tradunt. Helmoldus etiam ac Krantzius ex eo, Henricum auctâ opimis & legitimis ſucceſſionibus ejus potentiâ, gloriam patrum ſupergreſſum eſſe, perhibet. Adeò ſuppar Regibus potentiâ Princeps iſte fuit. Nec mirum. Regio enim ſanguine cretus, eique affinitate innexus erat. Hinc quantum Sereniſſimæ Brunſuicenſi & Luneburgenſi familiæ accedat ornamenti, nemo non videt.

Pag. 224. lin. 5. *& Conſtantiæ æqualibus* vide hac occaſione communem illum de Urſpergenſi errorem in Joach. Cureo, qui eum in Annal. Sileſ. p. m. 47. initia imperii Henrici V. attigiſſe putat, id eſt, integro fere ſeculo priorem facit.

Ibid. lin. 17. *apud Æmylium Veronenſem* lib. 6. p. 219. a. refert id elegantiſſimus auctor, ut ſententiam vulgarem, quam fide Germanorum auctorum conſtanti refelli fatetur.

Ibid. lin. 20. *id Scriptoribus Germanis.* Vid. Chron. Elwangenſe ad ann. 1194. Sebaſt. Franc. Chron. p. m. 178. a.

Ibid. lin. 27. *quam amitam* ſi ſit Rogerii I. ut Petav. vult filia, ſecundi ſoror.

Ibid. lin. 32. *Secundi filiam.* Ita & Jacobus de Strada epit. theſ. antiquit. p. m. 301 & 302.

Ibid. *Hungerus animadvertit.* Error cujuſque æqua & benigna interpretatione (præſertim in genealogiis, ubi homonymia, errorum mater, omnium induſtriam fatigat, multorum etiam eludit) ſublevandus & qua datur accuratè ac modeſtè corrigendus. Hic certè magnum & multiplex ſententiæ incertum occurrit. Ego ſanè debitâ diligentiâ hæc diu multumque diſcuſſi, nec tamen me multis difficultatibus expedire poſſum, quas farrago diverſarum ſententiarum de Regibus Apuliæ & Siciliæ à Felino Sandeo Viro ut ubique, ita præcipuè in Aula Romana clariſſimo collecta auxit. Ex quo en tibi tabellam genealogicam noſtræ Conſtantiæ:

Felini rationes genuinæ	*Correctæ.*
Guiſcardus obiit, Anno Chriſti 1086. ———	1068. Ei ſuccedit,
Rogerius fil. regnat annis - - - 25. ———	25. Hujus ſucceſſor,
Guilielmus fil. Anno Chriſti 1197. ———	1111. Hic regnat,
— — — annis -- 16. ———	16. Huic ſuccedit invaſor,
Rogerius patruelis Anno Chriſti 1127. ———	1127. Is regnat,
— — — annos -- 23. ———	29. Succedit ei filius,
Guilielmus 2. Anno Chriſti 1156. pro 1150 -	1156. Is regnat,
— — — annis -- 12. ———	12. Relictus ſucceſſ.
Guilielmus 3. fil. Anno Chriſti 1168. ———	1168. Regnavit is,
— — — annis -- 20. ———	20.
1188. — —	1188. Huic oppreſſo Tancredo notho ſuccedit Conſtantia cum marito Henrico VI. Anno Chriſti 1190.

Ibid.

Ibid. *(f) Bonfin. dec. 2. l. 4. p. 300.* Blond. dec. 2. l. 6. *(g) Cuspin. l. d.* & Jacob. de Strada l. d.

Pag. 225. *& Jerusalem, postquam.* Vid. Æmyl. l. 5. sub fin. Til. ad ann. 1187.

Ibid. *& proximo gessit.* Vid. Ursperg. & Cuspin. in Friderico I. Annal. Godefr. Æmyl. & Til. in Philippo Augusto.

Ibid. *(l) circa annum* 1186. eodem, ut notat Godefridus, Fridericus Imperatoris fil. Dux Sueviæ cum istius Belæ filia.

Ibid. *& Serres (t)*, & Æmylius (uti & Tilius.

Ibid. *filia Ducis Morgiæ*, vel ut Æmylius habet Moraviæ.

Ibid. *Arthuri (2) mater* sed & Philippus Rex Galliæ Ludovici.

Ibid. *liberorum natales egerunt.* Annotatur à Godefrido stella Coloniæ Anno 1197. tribus ante electionem Ottonis IV. diebus visa.

Ibid. *(i) Polyd. l. 13. p. 237 & seqq.* De his Christianorum Principum dissidiis, æmulationibus, suspicionibus & sic prodita ac perdita re in Palæstina vid. Ursperg. p. 229. & seqq. Æmyl. l. 6. p. 221. b. 223. a. 224. a. & alibi, Aventin. Jovius, & alii qui de rebus Turcicis scripserunt, & vel eas attigerunt.

Ibid. *(m) Polyd. l. 14. initio.* Æmyl. l. 6. p. 216. b.

Pag. 226. *ex Stadensi docet.* Confer Godefr. ad ann. 1195.

Pag. 227. lin. prima *pace* inter Emericum Hungarum & Leopoldum Austrium ut Chron. Austr. perhibent, tùm

Ibid. lin. 4. *& ex eo Jovius* imo & Æmyl. & Tilius.

Ibid. *nullam reliquisse prolem.* Ita & Chytr. in Wandalia, Saxonia, & Chron. Saxon. Ottonem IV. nullam ex reliquisse prolem, & aliàs docuimus.

Ibid. circa finem, *quo visus est Cometa* ut Chron. Austr. putant (Augustana enim has nuptias in annum proximè sequentem ponunt) Leopoldus Austrius Theodoram Græci sanguinis Principem duxit uxorem.

Pag. 228. *ejusdemque Russicâ victoriâ* tum Leopoldi Junioris nativitate.

Ibid. *(d) interfecti, attulit*, quem non Cometa satis longè remotus, sed fides promissi Ottoni à Philippo facta & frustrata portendit, Chron. August. ad ann. 1197.

Pag. 229. *Waldensium cædes.* Vid. Æmyl. l. 6. p. 239. a. & seqq. Tilius ad ann. 1213.

Ibid. *quæ intra quatuor, ut* Godefridus ad ann. 1212. &

Pag. 230. *jam diu à Philippo odium* avitâ invidiâ nominis Anglicani, cui Otto, utpote Angla matre genitus, impensè favebat, auctum, vid. Æmyl. l. 6. p. 242. b.

Ibid. lin. penult. *Eclipses in* 1216. *profert.* Non dissimulo Cometam 11. Nonar. Martii, & Eclipsin Lunæ XIV. Kal. April. à Godefrido ad annum MCCXIV. notari. Unde quis hunc & illos duos proximos Cometas pro uno eodemque reputare posset. Buntingus & Angelocrator nullam eclipsin hac tempestate, Eckstormius Solarem & Lunarem ad ann. 1216. notat.

Pag. 231. *Gallo mox pecunia (c) accepta.* Vid. Æmyl. l. 6. p. 247. a. Til. ad ann. 1217.

Ibid. lin. ult. *pro Ottone 4. p. 395.* Godefr. ad ann. 1218.

Pag. 232. (*quæ olim Heliopolis* vel potius Æliopolis, ab Ælio Pertinace restauratore dicta & ab Heliopoli Ægypti pariter celebri urbe longè dissita, ut alii putant, Confer Blond. dec. 2. l. 7. sub init. De hoc Christianorum felici successu & aliis in Palæstina rebus gestis vid. historiam Tyrii Archiep. Annales Godefridi, & historiam Pauli Æmylii, aliosque auctores, qui hæc literis mandarunt.

Ibid. *anno* 1219. *captam triennio.* Ita Chron. Elvangense ad ann. 1217. captam, 1221. redditam scribit.

Ibid. *Bonfinio & Petavio* & ante hos à Godefrido (qui, ut & Æmylius, urbem illam Anno 1219. Nonis Novemb. captam affirmat) & Chron. August. auctore.

Pag. 233. *in uxorem accepit.* Chronica Austr. id gaudii in annum 1222. referunt. Hic nota à Krantzio Wand. l. 7. c. 19. hanc Margaritam cum illa Constantia Sicula confundi. Hæc enim non illa Henrico Imperatori Frid. I. filio, Friderici 2. patri: Margarita autem Henrico Cæsari Friderici 2. filio, Primi pronepoti nupsit. Chytr. in Wandal. & Saxon. Dubrav. de rebus Bohem. lib. 16. sub init. & fin. & Jordan. in h. l.

Ibid. *Anno* 1227. *(e) susceptа.* Proximè præcedens annus Henricum & Fridericum Leopoldi Ducis Austriæ filios matrimonium ineuntes, illum cum sorore Landgravii ad Norimbergam, hunc cum sorore Reginæ Hung. lætus vidit. Chron. Austr. & August.

Ibid. *Paulum Æmylium secutus.* Vid. l. 7. p. 272. b. Confer Hunger. in Cuspin. p. 156. qui hoc nomine graviter arguit Blondum quasi ille cum Æmylio Conradi matrem Constantiam Castellanam faceret. At enim dec. 2. l. 7. p. 281. invenio eum expressè matrem Conradi filiam Regis Hierosolymitani, illius scilicet Joannis Brenni, id est, Jolam, quam vidimus, vocare. Verum tamen mater Conradi foret illi Constantia illa, si Conradini pater foret Henricus Conradi frater Constantiâ genitus, ut ille dec. 2. l. 7. p. 297. & l. 8. p. 315. (sed NB. l. 8. p. 314. eund. Conrado genitum sibi ipsi contradicens ait) & Nauclerus affirmat & Constantiam Conradini aviam fuisse putat. Sed Conradini pater ab aliis Conradus fuisse putatur & affirmatur. Vid. Felin. de regibus Sicil. & Apuliæ c. 15. p. 22. (confer genealog. Caroli, ibid. p. 53.) Cuspin. Seb. Franc. & Zuingl. in Conrado & Alphonso X. Paralinom. in

Conra-

Conradino. Krantz. Wand. l. 7. c. 33. & seqq. Chron. M. Alberti Argentin. sub initium.

Ibid. *(a) Dec. 2. l. 8. p. 329.* Cuspinianus in Frid. 2. & Wolph. Lazius, & Chron. August. Dubrav. lib. 16.

Pag. 234. *Ludovici 2. Bojorum Ducis* & nuptiis Waldemari 3. Regis Dan. cum Eleonora Regis Portug. filia celebratis.

Ibid. in notis lin. antepen. *ad eundem annum* & Cuspin. in Frid. 2.

Pag. 235. *& natalem Cometæ confirmabo.* Confer Spangenb. Chron. Sax. c. 255.

Ibid. *Trithemius & Cuspinianus*, Chron. Austr. & August.

Ibid. mox: *Alstedius (c)* Angelocrator Chronol. l. 6.

Ibid. *scriptum reliquit.* Confer Chron. August. ad ann. 1230. Godefr. ad 1231.

Pag. 236. *contra tot testes Trithemio (f)* Spangenbergio qui Chron. Sax. c. 258. scribit, ut & Jacobus de Strada epit. thes. ant. Isabellam Bavaram Friderici quintam, Mechtildim Anglam sextam uxorem fuisse. Sed quid respondebimus Anglis & aliis auctoribus, qui Anglam Isabellam vocant? Vero similius videtur alios scriptores Bavaram & Anglam uxores confudisse.

Ibid. *quem Trithem. (i) Jordanum.* Hunc Fridericus ex Constantia illa Arragonia suscepit, & puerum amisit Cuspin. & Jacob. de Strada in Frid. 2. Spangenberg. Chron. Sax. c. 258.

Ibid. in fine *(k) Funcc. ad* 1234. Æmyl. l. 7. p. 261. b. Tilius ad ann. 1234.

Pag. 237. *ut Trithemius ait.* Godefridus ad ann. 1235. addit, diem illum mensis Augusti 21. postulante Imperatore in fastos esse publicæ lætitiæ nomine relatum.

Ibid. verbis *merito est ponendus.* Adde: Pluria læta Cometen nostrum secuta videat qui volet, sub finem Annalium Godefridi, Chron. Austr. ad ann. 1234. Elvang. ad ann. 1235. Sed quis læta & tristia assiduò in orbe misceri ignoret?

Pag. 238. *duos montes loco movit.* Vide de hoc prodigio Angelocrat. Chronol. l. 6. ad ann. 1241.

Pag. 239. verbis *hìc & illìc contigerunt.* Adde: Nuptias & natales Principum hac tempestate frequentes, res feliciter pace & bello, domi forisque gestas tristibus tamen etiam distinctas (nota ignominia Ægyptiaca Ludovici 9. qui & Sanctus dicitur) vid. in Chron. Austral. August. Annal. Elvang. apud Æmyl. Til. Zuingl. & Serrem in Ludov. 9. & apud alios Auctores. Nos enim dehinc, licet inviti, ex valetudinis, temporis, aliisque magni momenti rationibus, majori compendio scriptionis uti oportet.

Pag. 240. in notis *(l) & Trithem. ad* 1252. Chron. Sax. Spangenb. & Seb. Franc. ad 1253. sed Chron. Elvang. ad 1256.

Pag. 241. XXII. *amplius annis durante.* Confer Chron. August. ad ann. 1257. Saxon. ad 1273. Æmyl. l. 7. p. 274. a. Cuspin. in Interregno post mortem Frid. 2.

Pag. 242. verbis ult. *fertilis fuit.* Adde proximus ab hinc nuptiis Ludovici Palatini ad Rhenum cum Poloniæ Ducis Conradi filia lætus fuit, ut Chron. August. notant. Plura læta vid. ibid. Quod verò paulò ante de Cometa à Cl. Oleario (is enim est libelli illius auctor) ad ann. 1258. annotato diximus, augemus hìc testimonio ad ann. 1259, 1261 & 1262. Auctoris Chron. Augustanorum, qui quidem proximè sequentem annotat, cæterum ad ann. 1263. hæc ponit: *Eod. anno (1263.) in mense Julio & Augusto apparuit stella quædam, quæ à se miræ altitudinis radios emittebat. Hanc stellam dicebant esse Cometam.* Hæc duo phœnomena si legitimam obtineant auctoritatem, sufficiendi erunt iis qui per errorem ab Auctoribus in censum relati sunt, de quibus ipsi dubitamus.

Ibid. *Hist. Eccl. cent. 13. c. 13.* Idem cum Schedelio sentit Seb. Franeus. Sed tot auctorum fide iste annus Cometæ erit natalis.

Pag. 243. *Siffridus lib. 2.* Chronica Augustana, Sax. & Thuring. quæ eum XIV. hebdomade dispariisse testantur, Annales Silesiæ Curei.

Ibid. *annos non adsignat* tùm Schedelio & Franco, quos vidimus.

Ibid. *pro* 1264. *sive* MCCLXIV. Ita invenio in edit. Francof. quam postea nactus sum.

Pag. 244. verbis *mors Conradini, vita Caroli.* Adde: Hunc ambitione uxoris Beatricis, quæ tres sorores suas Reginas, Romanorum, Anglorum & Gallorum videns, eodem honore quarta gaudere voluit, ad occupandam Apuliam, cum frater Ludovicus, ille Sanctus, *cupiditate novarum opum quærendarum adduci non potuerit*, impulsum prodit Æmyl. lib. 7. p. 276. b. apud quem & alios auctores, vide quibus artibus Pontifex Rom. & alieni appetens & de alieno liberalis, jus in Apuliam inter dissidentes æmulos arrogatum, exclusis & tand. sublatis legitimis successoribus Suevis, Carolo Andegavensi concesserit. Atque his artibus sequentes Pontifices arrogantiam suam inter æmulorum Gallorum, Arragoniorum, Hungarorum, & rursus Gallorum certamina in Apulia firmarunt. Diximus alibi M. Albertum Argentinensem graviter hallucinari, dum Conradinum à Carolo Martello deletum ait, qui ab avo ejus Carolo sublatus fuerit.

Ibid. *cædes aliaque, adeat* Annales Altahenses (qui continuando illa Chronica Augustana, ab Anno 1266. incipiunt.)

Ibid. verbis *& Russis reportarunt* subjice. Pacis & natalium Principum gaudia, quæ hoc anno Bohemiam & Bajoariam complerunt, in Annal. Altah. vide. Eodem anno notante Tilio, Philippus Pulcher Rex Galliæ natus, Ludovici S. nepos ex filio Philippo Audace, qui patri successit. Hinc quivis, errorem animadvertit in Zuinglio, qui Audacem IIX. non IX. Ludovici filium ponit.

Ibid. lin. ult. (b) *Enn. 9. l. 7. initio.* Æmyl. l. 7. p. 279. a. Jac. de Strada in Conrado.

Pag. 245. verbis *ſancitam videmus*, adde: Natales & nuptias Principum vid. in Annal. Altah. ad 1269 & 1271. apud Tilium ad 1272.

Ibid. verbis *Chron. Aug.* adde: Ad hunc annum vel allegatum ab aliquo Auctore Chron. Auguſt. de hoc phœnomeno teſtimonium reperi, vel ipſe in excerpendo (præſertim feſtinans, vel quòd hora præſtituta immineret, vel quòd amicus, cujus facilitate aliquando longius extracto in excerpendo tempore abutebar, aliàs fuerit occupatus) per facilem errorem annum MCCLXXIII. pro MCCLXIII. poſui. Sed conſtat hîc noſtro Cometæ, Annalium Iſlandicorum fide, auctoritas. De illo vero phœnomeno anni 1263. ſupra egimus.

Ibid. mox verbis *Annus iſte*, præpone: Meminerunt Cometæ hujus Annales Iſlandici, qua de re Cl. Eraſmius Bartholinus me monuit. Vid. T. 1. p. 441.

Ibid. circa fin. *nil certè invenio.* Vid. Chron. Sax. c. 264. Cuſpin. & Jacob. de Strada, qui Margaritam inter filias & Theodoricum inter generos ejus non numerant.

Ibid. verbis *quæ recenſere non libet*, adde: Vid. Paralip. ad ann. 1273. ad eund. Chron. Altahenſ. Saxon. ad 1277, 1280.

Ibid. in notis (f) adde: Annales Altahenſes & Chronica Saxonica tum Trith. &c.

Pag. 246. lin. 2. *Cometæ acciderint neſcio.* Atqui nunc ab Æmylio, Tilio, & Chron. Gall. Reg. in Philippo 3. Veſperem Siculum in ann. 1281. à Zuinglio in 1286. referri invenio.

Ibid. verbis *Lunæ vicinâ præſignificatus*, adde: Vide hîc pluria læta hiſt. Dan. Erici Regis ad ann. 1283. ad eund. Chron. Auſtr. Tilius ad 1284.

Ibid. in notis *Bucholz. Funcc.* adde: Leon. Aret. in hiſt. Florent. & Archiep. Flor. 2. part. hiſt. fol. 70. Vid. Æmyl. l. 7. p. 288. & ſeqq.

Ibid. *Memorabilis ſanè annus iſte fuit.* Conſer Æmyl. l. 7. in fine.

Ibid. circa finem *Calviſius ex Annal. Auſtr.* At enim nuptias iſtas Chronica Auſtr. in ann. 1286. ponunt.

Pag. 247. *Jacobo Siciliæ, Alfonſo Aragoniæ.* De Jacobo Siculo, & Fernando Aragonio fratribus Petri filiis vid. Blond. dec. 2. l. 8. p. 329. Conſer eundem l. 9. ſub initium, ubi hunc Fernandum, ut videtur, Fridericum vocat. Vide & Felin. de Regib. Sicil. c. 18. Conſer Æmyl. l. 8. p. 308. b.

Ibid. verbis *decus ac robur fuit*, adde: Vide nuptias Waldemari Ducis Jutiæ cum Filia Ducis Saxoniæ Anno 1287. celebratas, in ipſo fine celeberrimæ illius hiſtor. Danicæ ab Incluto Rege Erico conſcriptæ.

Pag. 248. lin. 5. *intermiſſam recepit*, adde: Vide pluria læta in Chron. Auſtr. ad 1295, 1296, 1297. Saxon. ad 1294 & 1295. Rebdorfiana ad 1297. quæ hinc ferè incipiunt.

Ibid. * *Calviſ. ad* 1295. Chron. Elvang. ad ann. 1294. Annales Altahenſ. ad 1295.

Ibid. *Bucholzerus & Alſtedius.* Angelocrator eum in annum 1297. refert.

Ibid. verbis *nil de his prodat*, adde: Pluria læta vide in Chron. Auſtr. ad ann. 1298 & 1299.

Ibid. *Mariam Serres.* Numerat quidem Serres Blancam inter Sorores Philippi 3. ſive Audacis & Reginam Caſtellæ vocat, ſed filiam ejus Mariam Archiduci Auſtriæ nupſiſſe ait. Ita & Annales Altahenſes, qui etiam has nuptias in annum 1301. referunt. At verò Blancam Audacis Sororem ei nupſiſſe Æmyl. Tilius, Cuſpin. Jacob. de Strada affirmant: niſi quòd hi Rudolphum Alberti ex XXI. liberis primogenitum, illi Fridericum ſecundo genitum ſponſum nominent. Chronica Auſtriaca Blancam Philippi ſororem Rudolpho Anno 1299. nupſiſſe, diſertè ſcribunt. Atque hoc verò ſimilius videtur: verum tamen Rebdorfenſis Fridericum Regis Franciæ filiam, Cuſpinianus verò in Auſtria Rudolphum Blancam Philippi Regis Galliæ filiam in uxorem duxiſſe dicunt. Adeò hîc quoque certum ſententiæ & regula veritatis Hiſtoricæ requiritur.

Ibid. *Guaguinus, Crantzius*, Æmylius, Tilius, Annal. Altah. Contin.

Ibid. verbis ult. *potius referri merentur*, adde, Pluria læta hujus Anni vide in Chron. Saxon. & Annal. Altahenſ. Hi verò ad hunc annum ab Henr. Sterone Monacho Altahenſi perducti. Continuatio horum ab aliis adjecta eſt.

Pag. 250. *ſuperſtitem fuiſſe affirmant.* Vid. Bonfin. dec. 2. l. 9. Felin. de regib. Sicil. in genealog. Caroli p. m. 50. Conſer Æmyl. l. 8. p. 316. a. ubi Martellum circa ann. 1303. antequam filius in Hungariam iret mortuum ſcribit. Hoc non diſſimulo jam jam compertum quod quidem pro Spondano & Ricciolio, ſed contra tot alios auctores, etiam Hungaros, eſt; quod in me, ut & aliàs ſemper, deſiderium illius regulæ hiſtoricæ excitat.

Pag. 251. lin. 3. *in Faſcic. temp.* adde: *Anno Chriſti* MCCCII. *apparuit Cometa in Autumno in Occidentali parte in ſigno Scorpionis, aliquando ad Orientem, aliquando ad Occidentem radios ſuos emittebat, & durabat per menſem.* Continuator Annal. Altahenſ.

Ibid. *à præcedenti diverſus ſit.* Annotatur tamen ad utrumque annum ab auctoribus. Et potuit utroque anno in eodem Aſteriſmo videri.

Ibid. in fine, *& lætitia celebravit.* Vide pluria talia in Chron. Elvang.

Pag. 252. *& lætitiam faciunt.* Tilius ad ann. 1309.

Pag. 253. ult. lin. *Chron. Belg. ad* 1313. Ita & Cuſpin. Jacob. de Strada aliique ſcriptores in vita Henr. 7. & Contin. Annal. Altahenſ. tum Annal. Rebdorf. ad ann. 1313. Petrarcha in libro Auguſtali.

Pag. 255. lin. 2. *p.* 290. Ita & Contin. Annal. Altahenſ. vide & Chron. Sax. c. 280.

Ibid. verbis *Famem & ſic etiam peſtem* præp. Barlandus in Chronicis Brabantiæ Ducum p. 9. Anno MCCCXV. peſt-

post Calendas Majas ortam pluviam, quæ menses durâvit plus minus decem, hinc secutam famem & pestem describit: & subdit: *Per eadem ferè tempora observatus est in cœlo Cometes diro aspectu, magna luce radios suos emittens. Vulgò putatur hoc prodigii summis principibus exitium aut bellum aut pestilentiam aliquam populo portendere.*

Pag. 256. *peperit filiam Blancam.* Vid. Æmyl. l. 8. p. 332 & seqq.

Ibid. *& lege Salica.* Vid. Æmyl. l. 8. p. 332. b. Confer p. 327. b. Tilius ad ann. 1327.

Ibid. lin. ult. *Saxon. memorabil.* Vid. Chron. Elvang. ad ann. 1319 & seqq. Til. ad ann. 1327 & seqq.

Pag. 257. *Calvisius quoque* Peucerus Spangenberg. Cæsius, & ex eo Mathematicus ille Noriberg. anonymus (qui posteriorem ferè tribus mensibus integris, scilicet Jun. Jul. August. fulsisse scribit.)

Pag. 258. *cum divite præda reportavit*, adde: tùm verò & Caroli V. Regis Galliæ natali, teste Tilio.

Pag. 260. lin. 7. *eventibus erunt annumerandi.* Vid. Annal. Rebdorf. ad ann. 1340.

Ibid. *de hæreditate Britanniæ.* Æmyl. l. 9. initio. Tilius ad ann. 1341.

Pag. 261. *Illa tamen Caroli electio.* Vide sobrium de hac electione judicium Cuspiniani. Consule & Jacobum de Strada in Carolo IV.

Ibid. lin. 4. à fine *Saxon. ad* 1346. Vid. Æmyl. l. 9. p. 352. a. Tilius ad 1346.

Pag. 262. *pestem toto orbe grassantem.* Vid. de hac & de motu terræ anni 1348. M. Alb. Argentin. Chron. p. 706. apud Cuspin.

Ibid. *Regi Apuliæ.* Andream Regem Siciliæ astu illius Joannæ (quam consobrinam in uxorem duxerat) suspecto de scelere Papa & quibusdam Cardinalibus, Argentinensis ille prodit, qui Anno 1345. at Felinus 1346. factum ait.

Pag. 263. lin. 3. *Anglus urbe Caleto.* Vid. hæc apud Til. ad ann. 1347. & pluria læta ad ann. 1348.

Pag. 264. *is ex Chron. Saxonico*, adde: At enim Spangenbergius in Chron. Saxon. mensem Decembrem putat. Hinc errorem in Eckstormio corrigendum esse arbitror.

Ibid. *adversis mox maxime nobili.* Æmyl. l. 9. p. 353. a. Til. ad 1350.

Ibid. prope fin. *Carolum Navarræ Regem* Æmyl. l. 9. p. 354. b. Til. ad 1355.

Pag. 265. *Serres vero* MDCC. *cæsos.* Æmyl. MD. totidem vel MDCC. nobiles captos Tilius, ille quinque omninò armatorum millia desiderata, iste ad quinque aut sex millia, prodit.

Pag. 266. lin. 4. *Proximi ante hujus Cometæ*, præpone: Henricus Rebdorff sub finem annalium suorum, ad hunc scilicet ann. 1362. Cometam mensibus Aprili & Majo visum fuisse annotat. Itaque tribus mensibus apparuit. Sed an toto trimestri durâvit, in incerto est.

Ibid. sub fin. *auctore Trithemio, anno* 1365. Vid. Theodorici Nyem hist. l. 1. c. 6. Chron. Saxon. ad 1366. Annal. Misn. ad 1362 & 1363.

Pag. 267. lin. 4. *Philippus à Joanne* patre, ut Burgundionum Annales, vel, ut Francici teste Æmylio perhibent, à Carolo fratre.

Ibid. paulò post: *Anglo satisfaceret* confer Æmyl. l. 9. p. 361. b. Tilius ad 1363.

Ibid. *Henricum fratrem ejus nothum*, vide Æmyl. l. 6. p. 362. b. Til. ad 1366. confer Æmyl. l. 10. p. 413. b. Til. ad ann. 1112.

Pag. 268. lin. 6. *evasisse affirmat.* Hunc Ottonem Brunsuicensem Bonfinius Brunduſienſem vocat dec. 2. l. 9. De ejus fortitudine vide Æmyl. l. 9. p. 378. b.

Ibid. *quæ res fomentis belli restaurati* Confer ea quæ Æmyl. l. 5. p. 204. & Tilius ad ann. 1157. de matrimonio Leonoræ cum Henrico Andegav. notant.

Pag. 270. lin. 2. *generis humani gesta.* Vide pluria in Chron. Saxon. & Elvang. ad ann. 1375.

Ibid. ult. verbis, *de reg. Hungariæ* adde: Felin. de regib. Sicil. c. 20.

Pag. 271. lin. 13. *Ita enim hæc Bonfinius.* Præter ea quæ ex Bonfinio allegavimus, vid. Felin. de regib. Sicil. c. 20, 22, 28. Tilius ad ann. 1381, 1382. Confer M. Alb. Argent. Chron. p. 703. Æmyl. & Serrem in Carolo 6.

Ibid. inter not: *Calvis. ad* 1382. Vid. Felin. de regib. Sicil. c. 20.

Pag. 272. *ut Trithemius (g) putat*, Aliquot errores Trithemius in uno isto Venceslao commisit. 1. Wilhelmum eum nominat Chron. Sponh. ad ann. 1372. postquam eum paulò ante, sed & toties in superioribus Wenceslaum nominasset. 2. Dicit eum Joannis Regis Bohem. fratrem fuisse, cum filius fuerit. 3. Henrici IV. fratrem vocat, qui Caroli IV. frater fuerat. Vid. ejusd. Chron. Hirsaug. ad 1356. & alibi.

Ibid. *Henrici VII. Imperatoris nepos.* Vide Cuspin. in Carolo 4. ubi posteri Joannis Regis Bohem. enumerantur, & inter hos iste Wenceslaus. De hoc vide Chron. Brab. Barlandi.

Ibid. *Caroli Parvi, illius Dyrrachini.* Vid. Felin. de reg. Sicil. c. 20 & 22.

Ibid. *bellum inter Dominam Brabantiæ Ducem.* Chron. Brab. Barlandi p. 23. b. Dominam Ducem congredi cum hoste feroci non ausam victricem abiisse testantur. Confer Chron. Sponh. ad ann. 1387.

Pag. 273. lin. 3. *Philippus verò Burgundus* qui jure nuptiarum Flandriam Burgundiæ, uti filius ejus Antonius jure materteræ suæ Joannæ, quæ primum Wilhelmi Comitis Hollandiæ Anno 1345. à Frisonibus occisi (cui Wilhelmus ille Bojus, sororis filius successit) dein Wenceslai illius uxor sine liberis excesserat, Brabantiam paternis Principatibus adjunxit: unde hæc cuncta in domo Austriaca Burgundo sanguini immistâ legitimo successionis jure manere videmus. Vid. Barlandi Chron. Brab. p. 23, 24 & seqq.

Trith. Chron. Hirſaug. ad 1312. & 1345. Sponh. ad 1345. Æmyl. l. 9. p. 376. a. M. Alb. Argentin. Chron. p. 699.

Ibid. lin. 7. *Vladiſlai dicti*, non Boleſlai, ut Krantz. Wandal. l. 10. c. 16. ait.

Ibid. *apud Auctores invenio* niſi quod Chron. Sax. peſtilentiam in Thuringia ad ann. 1393. memorent.

Ibid. poſt med. verbis *induciæ reddiderunt* adde: Ideò Æmyl. librum x. (qui ultimus eſt) de rebus geſtis Francorum ordiens, *Rex jam ætate florebat* (ait) *ſimul cæteræ regno contributæ regiones feſta pace lætæ degebant.*

Pag. 274. poſt med. *legere me memini.* Ita & in Chron. Saxon. Spangenbergi, quæ nuper nactus ſum.

Ibid. *Leunclav. Ganfræus.* Æmylius, Tilius, Chron. Elvangenſia.

Ibid. *ſolutior & aſpera*, Cuſpin. in Sigiſm. Æmyl. l. 10. p. 396. a.

Pag. 275. *fatale Joannis Regibus eſſe nomen*, vid. Æmyl. 9. p. 353. & aliàs in vita Joannis I. Conſer l. 8. p. 339. a. l. 9. initio p. 345. a. 346. a. 351. b. & aliàs.

Ibid. *qui ſe Candorin vocat.* Hunc Conr. ab Höveln eſſe, poſtea accepi.

Pag. 276. *Ignavia Wenceſlai.* Vid. Krantz. Wandal. l. 10. initio Æmyl. l. 10. p. 397. b.

Ibid. *temeraria arrogantia* avaritia debita militi ſtipendia negans, ſævitiæ deſertionem ſui vindicaturæ metus, tùm vero fratris natu majoris cædes ex inſatiabili cupiditate regnandi, qua impulſus finitimos Aſiæ regulos avitis ditionibus exuerat, & vecors Tamerlanis ad bellum provocatio, vide Leuncl. hiſt. Turc. l. 6. & 7. & in Annal. Turc. ejuſd. p. 22. & ſeqq. Lonicer hiſt. Turc. l. 1.

Ibid. lin. penult. *& Sebaſt. Franco* tum Krantzio Wandal. l. 10. c. 4.

Pag. 278. & *Galeatius obiit*, Carolus 7. Rex Galliæ natus eſt, notante Tilio.

Ibid. *vaſtiſſimum imperium Tamerlanis.* Conſule Lonicer. hiſt. Turc. lib. 1. in vita Tamburlani ſive Temurlangi, ubi videbis eum & lethi genere Attilæ ſimilem fuiſſe. Nec mirum mores utrique eoſd. fuiſſe. Uterque enim è Scythia oriundus fuit. At Tartari extremè barbari.

Ibid. *Alſtedius junxit.* Camerarius eum illi Anno 1400. viſo adpoſuit.

Pag. 279. *hujus quoque ſeculi ſextum.* Has rationes & Buntingi & Angelocratoris rationes confirmant.

Ibid. *putat Anno* 1400. Lonicerus annum 1397. victoriæ Tamerlanis tribuit, ab hoc anno ſexto, à Chriſto Nato 1402. mortuum ſcribit. Ita ſi Anno 1400. victoria potitus, & intra 6. annos dehinc mortuus eſt, anni circiter 1406. à Chriſto Nato conflantur. Huc facit, quòd Leunclavius, ut nobiliſſimus ita & accuratiſſimus ſcriptor Bajaſitem à Temure (Ita enim primo ab ortu, quòd iſchiâ, quæ Scythis Temur, debilitatus & claudus eſſet, inde à Perſis Temurlang, id eſt iſchiâ debilitatus vocabatur) anno Muhamedis exſtincti 10ccc111. exeunte, ſive Chriſti 1402. victum & captum affirmet, niſi quòd annum mortis Temuris non exprimat, & Bajaſitem non anno (ut alii putant) ſed fortè menſe quarto, certè intra aliquot menſes ab illa pugna, captivitate ejus celeberrimâ, obiiſſe dicat. Temurem tamen circa ann. Chriſti 1405. fato functum eſſe ex Leunclavii hiſt. Turc. & Annalibus Turcicis ab eo in linguam latinam verſis ſat tutò colligi poteſt. Atque hoc ad exputandos Cometæ noſtri natales ſatis eſt.

Ibid. *Jagello verò Poloniæ Rex.* Vladiſlaus ille in baptiſmo non Boleſlaus (ut Krantz. Wandal. l. 10. c. 16. 39 & alibi paſſim putat, (quem errorem toties hîc commiſſum, hîc etiam correxiſſe decet & juvat) dictus.

Ibid. verbis *Nec eclipſis* præp. Non diſſimulo Spangenb. Germanicè Francofurti ad Mœnum Anno 1585. editum nullius Cometæ ad ann. 1408. vel circa hæc tempora, eclipſeos verò Lunaris ad ann. 1407. facere mentionem.

Pag. 280. *frater is Caroli.* Confer Æmyl. l. 10. p. 397. b. & Tilius ad ann. 1407. apud quos etiam vide varios rerum motus, multiplices hominum conatus, temporum conditionem miſeram, ut *ipſe* Æmyl. ait, ut & apud Ritium., Zuingl. & Chron. Reg. Gall. in Carolo VI.

Pag. 281. *hiſtoriarum monumenta inſpicienti.* Vid. Chron. Elvang. & Saxon. ad ann. 1409.

Ibid. *qua de re infra agam.* Hic verbum addo, Camerarium l. 2. de Oſtentis, Cometam quidem Anno 1414. ſed nullum Anno 1416. at diſput. de Comet. Anno 1456. viſum adnotare.

Pag. 283. in fine inter not. *(h) Æmyl.* lib. 10. p. 407. & ſeqq. Til. ad ann. 1429. & 1430. Chron. reg. Gall. & Zuinglius in Carolo 7.

Pag. 284. in med. *ut Polydorus, non duorum.* Puto hos duos annos illis decem adjungendos, ut 12. anni conflentur ſecundum rationes Æmylii l. 10. p. 407. b.

Pag. 286. *Meminit hujus Cometæ* adde Camerarius, Spangenbergius &

Ibid. *& Æneas Sylvius indicat*, vid. Æmyl. l. 10. p. 414. a.

Ibid. *in Concilio Florentino*, vid. de hoc Archiepiſc. Florent. hiſtor. & Æmyl. l. 10. p. 412. b. & ſeqq.

Pag. 288. lin. 1. *Georgium Scanderbegum*, id eſt Alexandrum Magnum, qui ita à fortitudine & rerum geſtarum gloria dictus eſt. Vid. Chron. Turc. T. 3. in vita & rebus geſtis Scanderbegi.

Pag. 289. *& Dubravium l. 28. p. 233.* Vid. P. Callimachi librum de pugna Varnenſi in T. 2. Chron. Turcic. Loniceri.

Ibid. verſiculo *Sic variat fortuna* ſubjice: Pluria læta hujus anni vide apud Æmyl. l. 10. p. 414. 2. & Tilium in Chron.

Pag.

Pag. 290. ante med. *Electoris Brandenb.* hujus frater Albertus ille Achilles & Ulysses Germanicus, Margaretam Badensem, Carolus Badensis Margaritæ frater Catherinam Austriacam (ut Chron. Elvang. adnotant) sociam &c.

Ibid. *Alberti Imperat. septennio abhinc mortui filiam* Uldaricus verò Würtembergensis Elisabetam Bavaram, Ludovicus Palatinus Beatricem (aliàs Mechtildim) Sabaudam, ut iterum illa Elvang. Chronica adnotant.

Ibid. in fin. verbis *De situ & itinere* præpone, *Quod Cometam Anno Christi* 1450. *ex Phranza à Fromondo adductum attinet, si fides homini Græco est habenda, vel Cometa ille Lunam omninò subire potuit, vi lineæ trajectoriæ, qui vero tantum abest ut ea propter Cometa sublunaris audiat, quantum qui Germanus in Italia hospitatur, non Italus vocatur. Vel dicendum quod hicce Cometa à Phranza sic dictus tantùm Cometoides, si non penitus Meteoron fuerit. Cum Cometarum fortè corpus ita densum non sit, ut eclipsin in Luna causari possit: radios enim Solis transmittit. Nec quoque si densum fuerit, ea propter Lunam obscurabit. Cum densum non qua densum radios terminet, verum quatenus est opacum.* Buthnerus exercit. Comet. c. 2. probl. 5.

Ibid. lin. ult. *ut Bonfinius*, Leoncl. hist. Turc. in vita Muratis, & in Annal. Turc. ubi Cosovam planitiem illam vocat.

Pag. 291. *at secundum Leonclavium.* Ita quidem Bucholzerus Chronol. ad ann. 1451. de Leonclav. Sed hunc ego nuper nactus, video eum Muratis mortem tàm in Annal. quàm in hist. Turc. ut & Lonicerum hist. Turc. l. 1. in annum 1450. ponere.

Pag. 292. circa finem *Apulorum Polignorumque.* Non dubito Pelignos intelligi Italiæ populos, quorum metropolis Sulmo, patria Ovidii.

Pag. 293. versus fin. verbis *quos à Keckermano* subjice: falso auctoritatem Camerarii allegante mens. Junio visos, quo iste noster & proximus anni 1457. visi sunt.

Pag. 294. lin. 4. à fine *conjunctis.* De hoc audi Krantzium: *Proceres autem Regni* (Sueciæ) *non minus de sua exoneratione quàm illius* (Caroli Regis avari & crudelis) *abitu, alacres, solennibus missis ad Serenissimum Regem* (Daniæ & Norvegiæ) *Christiernum Oratoribus eum vocarunt in regnum. Venientem autem honorifice exceperunt, Regem suum constituerunt, & in Stockholm solenni ritu inunctum per manus Upsalensis Archiepiscopi consecrarunt: tribus iterum regnis ad obedientiam unius Regis redeuntibus: quo modo à memoria Margaritæ reginæ, quæ prima regnis hoc decus peperit: ut unis legibus, uno imperio tria moderarentur. Erat autem annus post quinquaginta septimus.* Dan. l. 8. c. 28. Vide quæ idem scribit Suec. l. 5. c. 33, 39 & 40. Laudes Regis istius vide apud eum Wandal. l. 12. c. 26. l. 13. c. 3. & alibi.

Pag. 296. lin. ult. *Funccius.* Vide Krantz. Dan. lib. 8. c. 28 & 29.

Pag. 297. lin. ult. *de reg. Franciæ* vid. Æmyl. l. 10. p. 421. a.

Pag. 298. post med. *Bohemia, Germania* vid. Chron. Elvang. & Saxon. ad ann. 1463.

Ibid. *Silesia, Lusatia* hanc in simili argumento Krantzius Wand. l. xi. c. xx. Lusitaniam vocat.

Pag. 299. circa finem *ad Leodium* Krantz. Wandal. l. 12. fine.

Ibid. lin. penult. *& Burgundum* vid. Æmyl. l. 10. p. 427. & seqq. 430. b. & seqq. Til. ad 1468.

Pag. 300. *corruptio alterius.* Pluria læta vide in Chron. Elvang. ad ann. 1468.

Ibid. post medium: *Bucholz. & Calvis. in* 1473. Is etiam reciprocam Mahometis de Usun Casano victoriam in eund. sed Leonclavius in sequentem annum.

Pag. 301. lin. 1. cccxxxiii. adde: *Autumno anni* 1471. *fulsit Cometa per 4. septimanas ante ortum Solis, percurrit signa Virginis & Libræ: putabatur accensus esse & regi à Marte. Denunciavit vastationem & ærumnas Silesiæ.* Cureus Annal. Silef.

Ibid. cccxxxiv & cccxxxv. adde: *Circa festum epiphaniæ visus est Cometa horribilis, durans sex hebdomadas.* Chron. Elvangensia.

Ibid. lin. 5. à fine, *post Fascic. Temp.* adde: *Mense Januario & Febr. anni* 1472. *rursus conspectus est Cometa per quinque septimanas, qui, ut annotatum est à Sacerdotibus, erat pogonias. Fulgebat post Solis occasum, & vagatus est per tria Zodiaci signa, Aquarium, Pisces & Arietem. Judicatum est tuno excitatum & ductum eum fuisse à Mercurio & Saturno. Portendit clades præcipuis Europæ regnis, Galliæ, Belgio, Hungariæ & Poloniæ. Secuta est ingens aëris siccitas, ita ut magna flumina exaruerint, & plurima passim fuerunt incendia.* Cureus Annal. Silef.

Pag. 302. circa finem post *belli Burgundici. Alstedius* adde: *Anno* 1472. 2. *Maji Cometes ingens in Cœlo visus versus Orientem caudam jactans, versus Occidentem & meridiem progressus, deinde versus Orientem conversus.* Angelocrator Chronol. l. 6.

Ibid. *Satis clarè à tot auctoribus*, quibus adde Sebast. Francum & Spangenbergium in Chron. Sax. (cujus de duobus Cometis testimonium, vel dissimulavit vel ignoravit Buntingus cumque eo Eckstormius.)

Ead. lin. *duo distincti Cometæ* quorum alter contra S S. in Occidentem & Septentr. alter itid. C. S. S. in Occid. & Merid. iverit.

Pag. 303. versus fin. *De Usum Cassani motibus videat, cuilibet* Leuncl. hist. Turc. l. 15. Loniceri hist. Turc. l. 1. Cuspin. in Mahom. 2. Cureum Annal. Silef. p. 183.

Pag. 304. *Cometes Ludovicum XI.* Vid. de versutia ejus Æmyl. l. 10. p. 429. a. & seqq. Til. ad 1470. Zuingl. in vita Lud. XI.

Ibid. *invadendam Galliam excitavit?* Nota de Burgundionis istius temeritate ad extremum exitiosa

Æmylii verba : *Semper talem Ducis proſpexerat* (Ludov. XI.) *eventuum, parum à fraude cauti, & nimis ſæpè caput partim quæſitis, partim fortuitis periculis objicientis* l. 10. p. 441. b. His adde Ludovico Lucemburgenſi, Comiti Fani Pauli, Magiſtro Equitum ad ſe metu iræ Regis Ludovici confugienti in ſpem gratiæ Regiæ violatam fidem. Id. lib. 10. p. 439. b.

Ibid. *Caroli Burgundi.* De his vide Paralip. Urſperg. p. 236. & ſeqq. Æmyl. l. 10. p. 439. b.

Ibid. lin. penult. *Pontanus author eſt.* Spangenb. in Chron. Sax. Fabricius Annal. Miſn. 2. ad ann. 1472. notat & magnam vini copiam Cometæ iſtius apparitioni ſucceſſiſſe.

Ibid. in not. lin. ult. *ex Onuphrio.* Confer Krantz. Wand. l. 13. c. 15.

Pag. 305. in medio *Lud. Divitis Ducis Bavariæ* & Eberhardus ille Wirtembergenſium ut Comitum ultimus ita Ducum primus Barbaram Ludovici Gonzagæ Marchionis Mantuæ.

Eadem lin. *connubio ſibi copulavit.* Sed has quidem nuptias Chron. Elvang. auctor in 1474. annum, illas in præſentem Cometæ natalem, Auctor verò 14. tabb. utraſque in 1474. ut & Bucholzerus, Friderici I. Ducis Lignic. & Breg. cum Ludomilla Regis Bohemiæ Georgii filia, ponit.

Pag. 306. *Sed hanc violentum Caroli*, vide Barlandi Chron. Brab. Ducum, de moribus, & bellis ac cæde Caroli: quam à Sabellico in annum MCCCCLXXVI. poni, ab aliis duos adjici, rurſus ab aliis quinque ſubtrahi annos, vulgo tamen eam in annum illum 1476. referri teſtatur p. 52. a. Et paulò poſt addit meritò hîc ponenda: *Morte principis hujus plurimi triſtati, quidam lætati ſunt. Oderant ii impendio pugnacem: Oderant ob aſſidua bella pecuniæ exactorem.*

Pag. 307. *noſtra ætate factum videmus.* Hoc anno Ducem Bajoariæ (illum ſcilicet Georgium Divitem Acad. Ingolſt. fundatorem) Reginam Poloniæ, Hedvigin Caſimiri filiam in matrimonium præſente Cæſare & multis Principibus, accepiſſe, Chron. Elvang. memorant.

Pag. 308. verſus fin. *à Buntingo* rectius Leovitium allegante (Sol enim tunc & Luna in ♓ non in ♊ erant.)

Ibid. *ineunte Anno* 1477. *accidit*, ut & Chronica Elvangenſia, quæ hic finiunt, adnotant.

Pag. 309. *Matthiæ invidentis.* Confer Krantz. Wand. l. 12. c. 36. & l. 13. c. 17.

Pag. 312. *Carolus enim Italiam Anno* 1494. Confer Tilium ad ann. 1493 & 1494.

Ibid. *ambitioſorum bellorum labores.* De his vide finem hiſt. Æmylii, tum initium illius ad imitationem Æmylianæ ab Arnoldo Ferrono pari ſtyli & mentis candore compoſitæ, in vita Caroli 8. In hoc tamen non diſſimulamus in exordio hiſtoriæ commiſſum circa mortem Friderici Imp. errorem. Licet enim Maximilianus I. filius ejus Anno 1486. in Regem Roman. electus fuerit, non tamen Fridericus eo anno, ſed 1493. ut diximus, fatis ceſſit. Levior ille Funccii eſt, dicentis Fridericum obiiſſe Viennæ, qui Lyncii ſive Aureliani Auſtriorum obierit. Vide & Sabellici errorem circa Fridericum apud Cuſpin. Imperante Frider. multa pacis, nomini ejus convenientis & juſtitiæ artibus geſta & læta quæ evenerunt vid. præcipuè in Commentario Æneæ Piccolominei Senenſis Cardin. de ſtatu Europæ ſub Frider. 3.

Pag. 313. lin. 9. poſt *videatur* pone. Pluria læta apparitioni Cometæ hujus ſubjicienda vide apud Ferronum de reb. Gall. l. 3. initio, Til. ad ann. 1498 & 1499.

Pag. 314. lin. 4. *& Funccius* tum Peucerus, Camerarius.

Pag. 318. in medio *Politica portenta.* Vid. Ferron. l. 3. p. 47. b. Til. ad 1499.

Pag. 319. in medio *& Ludovici XII. ingenium.* Vide de hoc Ferron. l. 3. p. 82. a.

Pag. 321. lin. 1. *nuptiæ Franciſci.* Vid. Serres in Ludov. XII. Ferron. l. 4. p. 110. a. Til. ad 1514.

Ibid. lin. 3. *Eidem paulò poſt mortuo* Kal. ſcil. Januariis ineunte anno 1515. non anno 1514. ut Ferronus putat, qui & Franciſcum hoc anno inunctum ſcribit, quod Anno 1515. omnes produnt. Chron. reg. Gall. Tilius, Serres, Zuinglius, Calviſ. Petav. & alii.

Ibid. lin. 8. *Cum poſt annum* 1500 &c. Vide de his Ferron. l. 3. & 4. Til. ad 1500 & ſeqq.

Ibid. poſt med. *Franciſcus confirmavit.* Vid. Serrem in Franc. I. Ferron. l. 5. initio.

Ibid. paulò poſt: verbis *multum in Pontifice pacis & juſtitiæ artibus dedito ſitum eſt*, ſubjice: De Julii Papæ ambitione, ferocia & aliis perverſis moribus vide candida judicia Platinæ in vita ejus, & Ferroni l. 3. p. 69, 74. l. 4. p. 83 & ſeqq. 90 & ſeqq. 101 & ſeqq. Chron. Reg. Franc. in Ludov. XII.

Pag. 323. verbis *per contentionem animis, deſcenderet*, adde: Vide & Ferronum, acriter in hanc impudentiam (ut ait) concionatorum, expiationes delictorum ex avaritia prædicantium invehentem, & Lutheri initia deſcribentem, Eraſmo quàm huic amiciorem l. 5. pag. 115. a. b. Apud eund. p. 116 & ſeqq. vide læta ad eventus hujus Cometæ meritò referenda.

Pag. 324. lin. 1. *Regis Angliæ ſororem*, Ludovici XII. viduam Til. ad 1516.

Ibid. lin. 7. *Franciſci Delphini.* Serres in Franc. I. Ferron. l. 5. p. 118. a. & b. Til. ad 1517 & 1518.

Ibid. *Imò verò indulgentiarum abuſum.* Vide & Ferronum l. 5. p. 115. Til. ad ann. 1516.

Ibid. in notis *(c)* Ferron. l. 5. p. 119. & Til. ad ann.

Pag. 325. lin. 7. *& perfida ambitio*, Confer Ferron. l. 5. p. 120. a. 126. b. & ſeqq. Til. ad 1521.

Ibid. *Gallorum hiſtorici:* Conſule & Ferronum l. 5. & 7.

Ibid. *Friderici I. Regis Daniæ.* Cæſarem tertium Franciſci I. (notante Tilio.)

Ibid. verbis *Turcam appetunt Rockenb.* adde: *Anno* 1522. *iterum Cometa apparuit in Capricorno Saturni naturam referens. Hunc ſecutæ horrendæ tempeſtates, caritas annonæ & peſtis. Dein Solymannus Rhodum expugnavit.* Anonymus auctor libri Turcken trutz und Gottes ſchutz.

Ibid.

Ibid. *Rhodiensium securitas.* Hujus insulæ jam ante à Mahomete 2. Anno 1480. tentatæ causas vide apud Ferron. l. 6. initio: ubi prior illa oppugnatio Rhodi copiosè describitur ad usque p. 156. a. ubi scriptor isto prudens & facundus peccatorum orbi Christiano incumbentium non est oblitus. Videnda de his Jacobi Fontani qui horum omium laborum & periculorum pars magna fuit (jus enim Rhodiis tunc temporis dicebat) historia belli Rhodii lectu digna: quam & Ferronus sequitur, in posterioris obsidii & deditionis descriptione l. d. ad finem ferè libri 6. Superbiæ Rhodiorum Scriptores Christiani, quos dixi, non meminerunt (confer Fontani l. 1. fine & l. 2. initio p. 139. & 141.) at Scriptores Turc. apud Leunclav. in Annal. Turc. & historia Turc. id produnt.

Pag. 327. *in prælio ad Papiam.* Vid. de toto hoc bello & erroribus in eo commissis cladem portendentibus Ferron. l. 7. præsertim à p. 184. b.

Pag. 328. *Francisci ex captivitate.* Vid. Ferron. l. 8. Til. ad 1525. Serres in Franc. I.

Ibid. *defectio ad Cæsarem.* Vid. Ferron. l. 7. p. 171 & seqq. 174. b. & seqq. Til. ad 1523.

Pag. 330. lin. 6. *Pontificem ad pacem coëgit* cujus belli portenta Politica extra Cometas vide apud Ferronum l. 8. p. 205. a. & seqq.

Ibid. verbis *Cometam antecesserunt*, adde: Læta plura, quæ hoc anno evenerunt, vide apud Tilium.

Ibid. verbis *fortuna gesta est*, adde: Mox tamen bellum induciis octo mensium, à Cæsare, Gallo & Britanno sancitis, & pace Cameracensi diremtum. Ferrariæ Dux Renatam reginæ Galliarum Claudiæ sororem, alteram Ludovici XII. filiam in uxorem accepit. Ferron. l. 8. Til. ad 1528 & 1529.

Pag. 333. verbis *Cometam præcessere*, adde: Pluria læta hùc referenda vid. Chron. Sax. Spangenb. & Gallica Tilii ad 1530.

Ibid. *ad Libram progrediens.* Ita in Chytræi Chron. Sax. Anno 1593. Lipsiæ editis invenio. At in Wandaliæ & Saxoniæ Krantzii continuatione Anno 1586. edita, *prægrediens*, & hæc vera est lectio.

Pag. 334. verbis, *Eadem de isto Cometa*, præpone: Possem meritò duos Cometas ad hunc annum numerare, prout fecit non tantum Diarii Europæ, Auctor, sed & Clar. Erhard. Weigelius in Speculo Uranico Aquilæ Romanæ sacro, sive Comment. de Cometa anni 1661. auctoritatem Doctiss. Riccioli secutus: qui & ad ann. 843. tres Cometas eodem Ricciolio Auctore adnotavit. Sed non libenter familiam Cometarum sine necessitate multiplico.

Pag. 335. *Francisco I. desponsata fuit.* Ita Funccius. Tilius tamen, Serres & alii Gallici scriptores hæc sponsalia in ann. 1530. referunt.

Pag. 339. lin. 4. à fine: *Fabricius (b)* Camerarius, Peucerus, Spangenberg. ut & præteritorum.

Pag. 340. *Annæ Clivensis.* Mariam vocat Tilius, sed Annam Jovius, Bunting. Lucius, Veron. Auctor 14. tabb. & alii. Fortè Tilius matrem pro filia posuit. Illa enim Maria Julia & Montana erat. Vid. verò Tilium ad ann. 1539. de his Henrici VIII. repudiis.

Pag. 341. verbis *illa scilicet vitiorum ostendit*, adde: Vide de his bellis inter Sabaudum, Gallum & Cæsarem, tum rebus pace gestis Ferronum l. 8. à pag. 222. usque ad p. 252. a. Til. ad 1535, 1536 & 1537. Notandum etiam hîc est annum 1535. ut & 1531 & 1530. ob fertilitatem à Spangenbergio commendari. Memoratis bellis Ferronus deinceps librum VIII. concludit, & simul incursiones illas Barbarossæ & res Cæsaris in Africa gestas describit. Sed ibi terrestria horum motuum portenta, non illa Cometarum cælestia indicat.

Ibid. lin. ult. post *laudibus complet*, adde: His lætis meritò addendæ decem annorum induciæ hoc anno inter Cæsarem, Gallum & Pontificem, apud Niciam in Provincia sancitæ, de quibus Ferron. l. 8. p. 252.

Pag. 342. *Fabricius in memorab. Saxon.* & Annal. Misn. ubi & Cometas anno 1531 & 1532. visos memorat.

Ibid. *Cometarum portentis.* Hæc paulo ante in Ferrono demonstravimus.

Pag. 343. *Buntingus ex Ebero affirmat, incidit.* Fabricius Annal. Misn. 3. ad ann. 1539. mortem Georgii Saxonis in XV. Cal. Maji sive XVII. Apr. ponit: de Cometa verò subdit: *Alius Cometa conspicitur, prid. Non. Maji, qui duravit usque ad Junium.* Hinc colligitur duos hoc anno Cometas hybernum & æstivum, apparuisse.

Pag. 346. lin. 6. *anno vero* 1544. Francisci 2. qui postea Rex Galliæ fuit, natali.

Ibid. lin. 7. *inter illum, & Gallum.* Belli anno 1542. inter Cæsarem & Gallum orti, portenta, causas & finem vide & apud Ferron. l. 9. Til. ad 1542, 1543, 1544.

Ibid. *Fromondus & Ricciolius.* Weigelius & Diarii Europæi auctor.

Ibid. *Belli Smalcaldici.* In hoc Ferronus historiam suam finit.

Pag. 347. in Tabula genealog. post *Hedvigis Wirtembergica*, adde: Isabella Henrici 2. Regis Galliæ Filia, Philippi 2. Regis Hisp. uxor.

Ibid. *Georgius Pius Hessus*, adde: Claudia altera Henrici 2. filia, quæ postea Carolo Lotharingo nupsit.

Ibid. *El. Bavariæ avus.* Ludovicus Aurelianensis, Henrici 2. filius.

Ibid. *Ferdinandus Bavarus:* Carolus Maximilianus Angolismensis, postea Rex Galliæ id vocabulum IX.

Pag. 348. *pacem inter Gallos & Anglos.* Vid. Til. in fine Chron. ad ann. 1550.

Pag. 350. *at Fabricius (c).* Idem in Annal. Misn. Cometen à die 3. Non. Martii ad usque ult. April. luxisse scribit.

Ibid. & *Calvisius edit. Lipsien.* Angelocrator memorat eum m. Martio apparuisse, Spangenbergius à die

à die 28. Febr. ad ult. Apr. visum annotat, multaque tristia ei imputat, ideò quòd eum secuta fuerint, cum tamen & læta eum secuta ipse adnotet.

Pag. 354. versus fin. verbis *Caroli V. Imp. mortem portendit* Fabricius, adde: *Cometa visus* 8. *Id. Aug. duravit usque ad* 8. *Cal. Sept.* Idem Annal. Misn. 3.

Pag. 374. *Gravius aliique.* Angelocrator à die 10. Nov. sexaginta & duobus diebus continuis.

Pag. 387. inter not. lin. 4. à fine *(c) Serres in Henrico* 3. *ad* 1585. De his & prioribus motibus sacris, qui Galliam gravissimè concusserunt & afflixerunt, vide Zuingl. in Henrico 2. Franc. 2. Carolo 9. & Henr. 3.

Pag. 402. lin. 5. *Ludovicos, patrem JUSTUM, filium BONUM.* Id elogii Regi Christianissimo multi dant ad cognomen ejus A DEO-DATUS alludentes.

Pag. 406. *Piasecius suspicatur.* Vide Gerar. Grevebruchii histor. Demetrii Joannidæ p. 5. & seqq. p. 50, 54 & seqq.

Ibid. *inustis stigmatibus.* Vid. hist. Demetrii p. 11, 12.

Ibid. *& Demetrius sævum* histor. Demetr. p. 50, 51.

Ibid. *& Polonus arrogans.* Ibid. p. 37, 47, 49.

Ibid. *intempestivam arrogantiam.* Ibid. p. 36, 46, 48. Confer p. 12, 13, 14, 27.

Pag. 408. verbis *Cometa iste judice Vendelino*, præp. *Unus hoc seculo, qui Anno* 1607. *orbem terrarum terruit, Cometes, extra Tropicos sub plaustro Ursæ Majoris natalem sibi locum vendicavit.* Buthn. exercit. Comet. c. 2. probl. **6.**

Pag. 422. lin. penult. post *Bohemiæ* adde, Krantz. Wand. l. 10. c. 4, 29, 31.

Pag. 425. post medium: *Proximum vero* adde *Walliæ Princeps Karolus, qui nunc id nomen Secundus, sed maximis virtutibus & meritis primus, restituti miraculosè per divinam justitiam, imperii vivum exemplar Magnæ Britanniæ feliciter magnaque cum laude præest, &*

Pag. 436. *sororem falsò ponit.* In tab. geneal. Duc. Brunsuic. & Lunæb. Idem tamen in tab. Regum Daniæ, Ducum Holsatiæ & Comitum Oldenburg. Dorotheam Christiano Ludovico, Christinam Christiano Duci Saxoniæ, Principi laudatissimo, utpote tot Electorum sanguini, paulo ante nupsisse, velut seipsum corrigens, ponit.

Pag. ult. fine: *tractatus de pace in Lusitania & Batavia.* Pax Lusitanica toties decantata, ac meritò, sicut ubique gentium, exoptanda, nuperrimis quoque literis Mediolano, Roma & aliunde datis confirmatur. Quæ si nobis hac quoque vice imponent, fortiter id nobis ferendum erit, dicendumque horum quidem Principum studiis pacem illam promoveri, illorum verò conatibus impediri, manifesto diversorum, imò adversorum, quibus in orbe vivitur, votorum documento, sine ullâ nuperorum priorumque Cometarum culpâ. Pacem inter Britannos & Batavos horumque socios terra marique perutilem & perneceſſariam Deus pacis, Pater Clementissimus tractatibus Bredanis currente hoc Anno 1667. d. 31. Julii St. N. ad felicem finem perductis, tot gentibus restituit. Inter hæc bellum in Flandria & Brabantia ortum, Gallis lætum, Hispanis triste. Sed hoc suas habet extra Cometarum phœnomena causſas, quæ illud conflarunt & portenderuut. Cæteroquin orbis Christianus almâ pace ubique gaudet. Nisi quòd maneat misera malis suis, & in dies magis misera, remediorum ignorantiâ vel potius contemtu Polonia. Hujus, utpote carissimæ patriæ, sortem ex animo doleo, & ut in tempore mala illa sua, adhibitis expertissimis & efficacissimis Amnestiæ & Justitiæ remediis, ut ab aliis, ita & à me demonstratis, depellat, simulque suam & orbis Christiani salutem curet, sincerè precor & voveo. Nempe enim per tot violatæ fidei experimenta, Cosacos hinc magnitudine scelerum, illinc incerto fidei, de venia desperantes, ad subeundum, ægrè licet, Turcicum jugum adegit. Hinc jam amissâ palàm Ucrainâ, & occultè de Prussiâ reliqua, periclitans, de salute quoque, Turcici & Tartarici belli ingruente procellâ, laborat: inter hæc per assiduas Tartarorum incursiones viris viribusque exhausta, nec dissidiis civilibus & militaribus libera, & ferè succumbens, ruinæ non tantùm dolendæ, sed universo orbi Christiano metuendæ, vel certè distractioni proxima, lætissimo tamen frugum proventu gaudet. At verò tot ejus mala habent sua vitiorum portenta, toties ostensa, commendata, inculcata: quibus sublatis (res enim hîc arbitrii, non necessitatis est) illa quoque, prævià scilicet seriâ pœnitentiâ, restitutâ fide, lege & libertate publicâ, favore Dei, æquitatis, imo justitiæ fructus exspectantis, ad nos redeunte, sublatum iri, firmiter sperandum est. Quæ si surdis auribus oculisque clausis excipiantur, aures, oculi, mens sana & rectum judicium orbi meliori & posteritati seræ non deerunt. Non deerunt & mihi æqua judicia, quæ meritò ab omnibus probis exspecto. Non deerunt tot mea debitæ fidei, pietatis ergà patriam, studii in salutem Reipublicæ Christianæ, quæ in Polonia valdè periclitatur, documenta, monumenta. Scrib. d. 13. 23. Sept. A. C. 1667.